Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE
68
3 A
31

M

Digitized by Google

9.8.22
I

DE MODO VSVRARVM LIBER,

CLAVDIO SALMASIO
auctore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



LVGD. BATAVOR.
Ex Officina Elſeviriorum.
cIↄ Iↄ c XXXIX.

68.13.A.31

68 3 A 3

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HAbes hic, Lector, ſecundum de modo Vſurarum librum, poſt primum de Vſuris, & quem ſtatim ſubſequetur tertius de Vſuris Iuſtinianeis. Adeone multis, dices, opus erat libris, ad abſolvendam materiam uſurariam? Quis tam reſtibilem putaſſet hujus argumenti fœcunditatem? Certe pro uno Epiſtolio quod deſignaveram, & amico promiſeram, tot prodiiſſe, & in eam molem excreviſſe volumina, non alii magis mirentur, quam ego ipſe ſtupeo. Sic qui urceolum inſtituerat, currente rota dum amphoram videt exire, figulus ſtupore defigitur. An potius optaret ſi fingere dolium deſtinaſſet, cœptum laborem in ſeriolam deſinere? Magis equidem probarem, ut artificis voto & propoſito ubique eventus ex arte reſponderet. Sed ſi non poſſit ſemper hoc obtineri, ab exiguis cœptis grandia emanare malim, quam è grandibus orſis parva & exilia opera. Cum è monte gemitus ingentes inter parturiendum ciente mus proſiliſſet, merito talis irriſus eſt partus. Si autem

 ex

ex agri vel horti verruca, quæ ex talpæ ſuffoßione protuberat, Polyphemus aliquis derepente prodiret, admiranda res potius videretur, quam ridenda. Abſit tamen, ut hoc opus meum tali comparatione extollere ſtudeam. Nemo eſt qui ſua minoris æſtimet. Verum meorum pretium ſcio eſſe nullum. Sed illis reſpondere ſic ſtatui, qui & hoc ipſum in meis ſcriptis culpæ affine quam laudi eſſe voluerunt, quatenus βιϐλίον μέγα, κακὸν μέγα, veteri proverbio dicitur. Nam inter alia quæ à malevolis conquiſita ſunt ad me carpendum, nec iſtud omiſſum fuit. Fateor equidem uſurarium hoc totum negotium, ſi nude pertractandum fuiſſet, potuiſſe, immo & debuiſſe, minoribus gyris circumſcribi. Vt ſpatioſiores ei tractatũ limites aßignarem, affines materiæ fecerunt, quas etiam proſequẽdas duxi, quod ab earum illuſtratione non parum lucis huic argumento de uſuris, quod mihi præcipuum fuit, acceſſurum exiſtimarem. Si me ratio fefellit, nihil cauſæ dico, quin fruſtra mihi charta periiſſe credatur. Nam ad operam quod attinet quam impendi, ut tanta non fuit, ita nec tanti, ut ægre feram, me tantulum laborem perdidiſſe. Majori tamen cum ratione, ac ſuo plane jure me eo nomine inceſſerent, ſi pollicitus de uſuris ſcribere, quidvis aliud potius, quam quod promiſeram, impleſſem. Nunc aliter non poſſunt dicere, quin & plus etiam quam expectabatur, de hac materia explicaverim. Quod ſi alia etiam adtexui, in lucro ponant. Si mallent abeſſe, quia ea tantum requirebant, quæ ad rem pertinent uſurariam, monſtrare

poſſum

poſſum illis viam, qua me ſine faſtidio legant, & deſiderio ſuo faciant ſatis. Sola capitum, ut vocant, ſummaria percurrant. Si quid in illis occurret, quod ab uſuris videatur alienum, inevolutũ id relinquant, & ad ea tranſeant, quæ magis ipſis ad guſtum. Poſſunt lectionis operam magis etiam compẽdii facere, ſi nihil ex meo legant. Ferrent me Miſcellaneas Exercitationes ſcribẽtem. Cur non ferunt ſub titulo de Vſuris, varia conquirentem colligentemque, quæ ex occaſione, & quia ſub manum naſcebantur, inſerere etiam libuit? Quia præcipuum eſt argumentum de fœnore, patiantur & hunc titulum huic operi convenienter hærere, cum maximam ejus partem uſuræ occupent. Qui urbes exteras inviſunt, ſoliti ſunt ut plurimũ, non per medias eas tantum curriculo tranſire, ſed ubi ſingula luſtrarunt ejus oppidi loca, non putant curioſitatem ſuam ſe ſatis expleſſe, niſi etiam περιπόλια *perambulaverint, & diligenter omnia quæ in his cognitione digna, exploraverint. Tum demum arbitrati ſe recte poſſe interrogantibus reſpondere de his quæ viderint, ſi non urbes tantum per ſe ſolas, ſed regiones quoque in quibus ſitæ ſint, peragrarint. Non eſſem, nec dicerer* παρεκβατικὸς, *ſi poëmata nihil ad rem facientia, operi meo intexerem: ſi velitationes* εἰκονικὰς, *ut fictas controverſias rhetorum, eaſque prolixas, infercirem: ſi denique diſſertationes de etymologiis vocum ex Oriente petitarum, nihilque affine aut commune habentium cum ſuſcepti operis argumento, non ſuo loco inculcarem. Ita ſibi ipſi facile ignoſcunt homines docti & aſtuti,*

nec vident manticæ quod in tergo eſt. Sed in aliorum peccatis tam acutum cernunt, quam aquila, aut ſerpens Epidaurius, cum ad ſua ipſimet vitia plane lippi ſint, vel in totum potius cæcutiant. Quod igitur in priore volumine feci, in hoc etiam idem ſervavi, & in tertio porro facere pergam, ut ea non verear attingere, ac perſequi, quæ aliquam affinitatem habere judicavero cum materia ſumma, quibuſque illuſtratis illa etiam ex parte videbitur poſſe niteſcere. Vt in hoc volumine cum Vlpianus ſcripſerit, ἰδιωτικὸν *eſſe* νόμον, *privatam legem, quæ vetuerit ampliores juſto uſuras accipere, dicendum ex eo fuit, quid leges privatæ à publicis diſcreparent. Atque inde etiam occaſione data publicorum ac privatorum judiciorum differentia explicanda. Cum* σῖτος *apud Oratores Atticos reperiatur, pro uſuræ nomine, quam viri uxoribus poſt repudium perſolvere tenebantur pro pecunia dotis retentæ, prolapſus ſum exinde ad exponendum jus dotium apud Athenienſes, & priſcos Romanos. Cum apud eoſdem Romanos uſurarum varii modi à partibus aſſis antiquitus fuerint denominati, ut aſſes uſuræ, ſemiſſes, trientes, & unciæ, ut hæc melius vocabula intelligerentur, origines earum vocum, & totius aſſis partium, explicari non abs re viſum eſt. Ita in aliis ſi quæ ab uſurarum tractatione longius remota iniquis earum rerum æſtimatoribus videbuntur, qui paulo æquior acceſſerit judex, facile inveniet, quid ſequutus ſim, ac probabit. Non nimis longe arceſſita quæſiviſſe, ſed ex proximo arrepta, ut memoria ſugge-*

ſuggerebat , & ſub acumen ea calami cadebant, chartæ illeviſſe me ſciant, qui niſi carpendi, quod ipſi non ediderunt, omnium rerum aliarum ſunt ignari. Et poſſem, ſi hoc ageretur, aut operoſe me excuſare deberem, magnorum virorũ exemplo, id quod in me accuſant, tueri. In abſolutiſſimo de Aſſe commentario, vir ſuæ ætatis doctiſſimus Budæus, *quam multa, quæ nihil ad aſſem faciunt, immiſcuit?* De Endelechia *Ariſtotelis non erubuit diſputare, de qua inter grammaticos & philoſophos illius ævi maxima contentione certabatur.* Nihil *eſt in iſtis libris tam averſum ab uſurarum tractatu, quam eſt* ἐνδελέχεια, *an* ἐντελέχεια? *ab aſſis partibus ac denominationibus. Quid plura neceſſe eſt quaſi ad apologiam criminis, quod nullum eſt, & quam nulli debeo, colligere? Vnuſquiſque ſuo modo ſtudet & cõmentatur. Vt illi ex meo præſcripto non ſcribunt, ita nec ego, ut quidem puto, teneor in ſcribendo eorum dictaturam ſequi. Poſſum utiq; & ipſis ſuas voces reddere, ac profiteri hæc à me ſcripta eſſe viris ingenuis, non & ſycophantis. Aliud majus eſt, de quo quidam viri boni, & quibus factum velim, animoſe ſatis me incuſarunt.* Non *ſibi placere ajunt, quod occaſione omni viros doctiſſimos reprehendam, tam hujus ætatis, quam ſuperioris, vellentque parcius ungues in hanc ſcabiem me figere. Sed quid velint, vellem apertius ſignificarent. An peccata hominum eruditorum detegi nollent, nec hanc injuriam fieri bene meritis de re litteraria, ut aliquid videantur ignoraſſe, aut peccare in aliquo videantur potuiſſe?*

Cuperem etiam, ut mihi declararent, utrum in gratiam mortuorum an vivorum iſta deſiderent. De *mortuis, non eſt quod laborent. Si quis ſenſus eſt apud beatarum ſedium incolas eorum quæ hic geruntnr, aut reminiſcentia eorum, quæ geſſere quondam ipſi: ſi dolore, aut gaudio tangi adhuc eos putamus, etiam illud exiſtimandum, dolere illos ſi quod ipſis excidit in ſcriptis ſuis à vero alienum, & impendio lætari, cum quis quod non invenerunt reperit, id eſt, in vero eruendo felicior fuit.* Et *hoc quidem de illis quos verum adamaſſe in vita conſtat.* Nam *hi etiam in morte veritatis amore capi cenſendi ſunt.* Si *qui autem mendacium coluere vivi, nullum illis cum beatis conſortium.* Nec *mortuorum reſpectus debet ullus eſſe veritatẽ ab eorum fuco & fallaciis vindicanti, vivo atque videnti. Aſt eorum qui vindices ejus quondam dum viverent fuere, ſi quando ab ea non ſponte, ſed vitio humanitatis aberrarunt, dum memoria habeatur ſancta à ſuperſtitibus, & cum modeſtia reprehendantur, nihil eſt quod illis amplius poſſit dari.* Si *quis vero ex iis qui nunc vitales carpunt auras, queratur deprehenſum ſe in errore ac reprehenſum; eo ipſo teſtatur, nihil minus ſibi curæ eſſe, quam ut in* Democriti *puteum deſcendat.* Vanitas *& ambitio ſollicitos eos habet. In earum divarum templo omnia ſua vota conſignant, & ad hunc finem actiones ſcriptioneſque ſuas omnes dirigunt.* Docti *videri potius volunt, quam eſſe, famamque magnam magis aucupantur, quam bonam. Quæ & ipſa an manſura ſit poſt ipſos, ſecuri agitant, hoc*

ſolum

ſolum ſtudentes, ut dum vivunt, ea fruantur. Non mirum ſi his qui ſunt ita animati, πικρὸν τὸ ἀληθές. Ideo pro certis hoſtibus eos habent quicunque poſſunt docere veritatem non ipſis pro fine in ſcribendo eſſe propoſitam. Quod & ipſi melius, quam quiſquam monſtrare queat, indicant, dum nec convicti fatentur, nec errorem agnoſcunt, & omnia conquirunt, ut opiniones ſuas quamtumlibet falſas ac ridiculas, tueantur. Si quis ejuſmodi homines corripere ſatagat, & eorum curva corrigere, an eo nomine condemnandus quaſi rem faciat parum civilem, & minus honeſtam, homineque Chriſtiano minime dignam? Quid homini Chriſti fidem profeſſo magis convenit, quam veritati ſuffragari, eamque defendere, etiam in minimis, etiam in nugis? Nam hæ nugæ plerumque ſeria ducunt. Veritatis ſtudio & amore id tum fieri certiſſimum eſt argumentum, cum nulla dubia, nulla iniqua reprehenſio in medium adducitur. Cum omnes ejuſmodi ſunt ut contra eas ne hiſcere quidem poſſint, qui redarguuntur: aut ſi conentur ullo modo, quod objectum eſt, diluere, ut ægri in medio currendi conatu, deficiant & excidant. Qui autem in meditationibus ſuis commentationibusque poſteritati tradendis hoc ſolum reſpiciunt, ut quod verum eſt inquirant, nec diſcrimen ſolent facere utrum à ſe inventum ſit an ab alio proditum, ſed quocumque genere repertum monſtratumque, protinus amplexantur, exoſculantur, ac forent. Non igitur quicumque hoc ingenio nati ſunt, ægre ferunt, nec gravantur ſe reprehendi, ſi

merito id fiat, ſed ultro gratias agunt, & minerval, quo poſſunt modo iis à quibus tantũ boni accepere, perſolvunt. In æquo enim ponendum eſt aliquid perperam ſcire, & omnino neſcire. Vel meo judicio, præſtat interdum aliquid neſcire, quam perperam ſcire. Quo difficilius eſt exuere, quod ſemel pro vero imbiberis, quam ignorantiam cujuſcunque rei nudam ac ſimplicem, ſcientia ſuperveniente quaſi novo amictu convelare. Qui erranti viam comiter monſtrat; qui lucernam extinctam de nocte ambulanti lumine cõmodato accendit; qui naufrago tabulam, qua enatet porrigit, an plus præſtat quam qui ab errore quẽpiam liberat, & falſa pro veris amplexo, quod magis ſequendum ſit, oſtendit? Primum quidem eſt non labi, ſed ubi cecideris, ſecundum eſt habere qui manu protenſa erigat te, ac ſublevet. Scio multos errare malle, quam confiteri ſe erraſſe, aut ut convincantur, pati. Sed tales ſunt, ut illi qui deambulant, nullo ſibi certo itineris fine propoſito. Vagantur hac & illac, diſcurſantq; qua pedes illos ferunt, & ſic tanquam animi gratia, qua libitum eſt, ut ſoluti gravioribus curis, incedentes, de paſſibus ſuis ludunt. Cum quis eos docere vult nõ rectam eſſe viam quam calcant, irrident eum, & idem quod ille ſenex apud Comicum volenti perductorẽ ſe præbere, reſpondent, Errabo potius, quam perducet quiſpiam. *At qui ex deſtinato iter carpunt, & conſtitutum petunt locum, magni faciant reperire quempiam, ſi viam ipſi quo tendunt neſciant, qui deducat, aut compendiariam, qua ſit eundum, doceat. Sic qui in ſcribendo*

bendo non alium habent ſcopum niſi veritatis indagationem, ſi viam non tenent qua ad illam eatur, aut à recto itinere depulſi, aliquo monſtrante diſcant alia pergendum eſſe ſemita ut ad illam perveniatur, id avide arripiunt, & perductori ſuo ſe devinctos, quaſi ſumma adepti, teſtantur. Qui vero ſola ambitione ducti & famæ dulcedine id agunt, ut illi quibus finis viæ nullus niſi animi libido & voluptas, quæritur, Apage iſtum perductorem, *dicunt,* non placet, Errabimus potius quam perducet quiſpiam. *Morbus hic hac in ætate maximus, & maxime peſtifer invaluit, plurimoſque invaſit, ut pro inimicis habeant, qui verum audent ipſis dicere, præcipue in litteris aliquid muſinantibus. Cum enim omnes ferme ſcribant ad hoc tantum, ut laudentur, niſi finem quem ſibi propoſuere fuerint conſequuti, ut nimirum eruditi videantur, operam & oleum ſe perdidiſſe exiſtimant.* Hinc *fit, ut eos pluſquam odio perſequantur Vatiniano, per quos fieri vident poſſe, ne optata ac deſtinata ſibi contingant. Hinc etiam ille mos præconia ab amicis emendicandi, quibus opus muſteum cõmendetur, eo prorſus modo quo præficas olim conducebant ad funera, quæ mortuo laudes cantarent. Amici qui ſciunt ad quam rem petantur à ſe verſus* Encomiaſtici, *non deſunt officio ſuo, quantumque poſſunt, utrem inflare pergunt, ac de ſcripto quod nondum viderunt, ita judicium ferunt, quaſi omnibus omni modo neceſſe ſit, idẽ quod ipſi ſenſerunt, de eo judicare. His carminibus perinde ut amuletis quibuſdam, librorum auctores*

putant

putant à livoris morſibus tutum tectumque fore quod ſcripſerunt, & in illo velut omine acquieſcentes in poſterum ſecuros ſeſe eſſe debere arbitrantur. Idem facerent, ſi ſemetipſos laudarent. Quid enim diſtat à laudatore ſui, qui laudibus corrogatis ſeſe exornat, eodem prorſus modo, quo caput ſuum crinibus adſutis & galericulis adtextis comunt, qui caluitio deformes ſunt? Inimicis ego de me meis ac de meis ſcriptis judicium permittere mallem, quam ſic ingeniatis amicis. Illi dum omnia vituperant in nobis, etiam quæ laudanda ſunt, advertunt nos, coguntque, ut in noſmetipſos deſcendamus. Quod cum fit, ſæpe inde accidit, ut partim laudanda, quædam vituperanda nobis excidiſſe perſpiciamus. Sed & ex eo cautiores ſubinde evadimus, ne occaſionem illis deinceps præbeamus, qua merito nos noſtraque arguere poßint. Amici è contrario dum omnia noſtra laudant, facile perſuadent, nihil à nobis exire poſſe niſi laudandum. Quod cum ſemel in animum induxerimus ita eſſe, ſecuriores ex eo facti, medios in hoſtes delapſi non ſentimus, qui pœnam ſæpe repoſcunt, quod amicis nimiũ creduli fuerimus. Sed & ipſi ſæpe in culpa ſumus, quod tam noxios amicos habeamus. Facimus ipſi tales, ſi tales non fuere, quo primum tempore amicitiæ noſtræ adjuncti ſunt. Vbi enim cognoverit novus amicus, non poſſe nos ferre liberam veritatem, indulget moribus quos invenit, & doctus à nobis, quid mollicellæ noſtræ auriculæ pati recuſent, oleum iis inſtillat, pro aceto quo melius raderentur. Cæterum, inquiunt, ut hæc omnia ita ſe habeant,

beant, viris tamen magnis, ac de omni eruditione optime promeritis, & quod majus eſt, nominis celebritatem jam conſequutis, parcendum eſt, & ſi quæ peccaverunt in compenſationem eorum quæ bene & utiliter ſcripſere, condonanda omnia ſunt. In alia longe ſententia ſum. Quo majore quippe nominis fama ſuffarcinati ſunt, qui curas ſuas publicant, eo majore cum pernicie reipublicæ litterariæ peccant, ſi quando ipſis, ut peccent, uſu venerit. Præcipue ſi eo loco apud ſæculum ſuum habeantur, ut litterarum Phœnices audiant, & eruditorum ſuæ ætatis facile Principes, & Incomparabiles, ac Divini viri, & Heroes. Qui tot nominibus & elogiis condecorantur, an quiſquam ſit cui perſuaderi queat, quidquam ex eorũ officina poſſe prodire quod carbone potius notari, quam creta debeat? Quaſi oracula excipiuntur ab omnibus eorum hominum dictata, qui mortalium cœtibus exempti, in cælo collocantur priuſquam terris exceſſerint. Quanto igitur cum periculo tales peccent, facile eſt cuivis videre. Qui itaque eorum errata, ex facetæ ac fucatæ orationis involucris quibus teguntur, evoluta & eruta luci dederit, an male de litteris merebitur? Profecto, ſi quis me judice certet, vel optime. Præſertim ſi id faciat, nullo animi livore, ſed ſola bene merendi de litterato ſæculo cupiditate adductus, & ſtilum deinde ita temperet, ut ſcalpellum vomicæ imprimere contentus, perſonæ ignoſcat, quam & ſervatam cupit. Quod munus eſt boni medici, ac ferro utentis non ad occidendum, ſed ad ſanandum. Etenim ſi non recte ſentientem,

recte

recte reprehendere, idem eſſet quod lædere, & contumeliis invadere, faterer quoque id eſſe graſſatoris & hominis de infamia ſua parum ſolliciti, dum alienam perdat famam. Sed quid de eo dicendum, qui pro graſſatoribus eos habet & ſycophantis, à quibus ſe recte reprehenſum fuiſſe nō poßit inficiari? Agnoſco tam meum eſſe errare, quam cujuſlibet. Nam & homo ſum, & à me humani nihil alienum puto. Hoc idem illi cum de ſe profiteantur, & errorem emendare viri boni nec arrogantis eſſe concedant, videndum an facta eorum dictis conſonent. Honeſta hæc oratio eſt, cui & libens ſubſcribo, monere ac monentem ferre candidæ ac Chriſtianæ mentis eſſe. Sed qui candorem verbis tam ambitioſe jactant, an re præſtent, animadvertendum. Vellem ſane tam ingenui eſſent ipſi, quam fidenter prædicant ſe ingenuis ſcribere, quæ ſcribant. Cæterum quam candidi ſint atque ingenui in erroribus ſuis agnoſcendis & emendandis, αὐτὸ χρῆμα δείξει, ut ajunt Græci. Fateor interim cum ipſis, aliud agenti ſi quid excidit, qui ferre aut excuſare non didicit, nihil præter livoris ſui virus teſtari. Quid ille qui errore patefacto & confutato, in eo tamen perſiſtit, & monitus melioribus non acquieſcit, an poterit ſic ſe excuſare quaſi aliud agenti exciderit? An ferendus erit qui ferre non quit monitorem ſuum, ſed eum pro ſycophanta traducit? Hæccine ſunt bonæ mentis ſigna, & candoris tam inaniter quam ſæpe jactati argumenta? Res ipſa teſtis in medium procedat, ut conſtet in labris candorem natare, & in libris cubare, qui ab animo

longe

longe exulat. In hoc ſecundo de Vſurarum modis libro, capite XV, quo de titulis bonorum oppigneratorum, auctionum, proſcriptionumq; tractavimus, quo genere ac forma vulgo concipi ſcribique ſolerent, obiter etiam de Titulo Dominicæ crucis diſſeruimus. Eumque ad inſtar titulorum tabellarumque, quæ in locis publicis Romano more proponerentur, factum & inſcriptum fuiſſe docuimus. Tabellam nimirum dealbatam, & atramento ſcriptam, quales λευκωμάτων nomine Græcis conſtat appellatas, quæ & in uſu paſſim Latinis fuere, eodem modo ut apud Græcos formari ſcribique ſolita. Scripturam fuiſſe non cælaturam in illo titulo Dominico, ſatis oſtendunt verba Iohannis in iſtis, ἔγραψε δὲ τίτλον ὁ Πιλᾶτος. Et paulo poſt, cum Iudæis non placeret inſcriptio à Pilato edita, & miſiſſent ad eum orantes, ut titulum mutare vellet, aliamque quam ſuggerebant ſubſtitueret ἐπιγραφὴν, reſponſum ab eodem hoc tulerunt, ὃ γέγραφα, γέγραφα. Quod ſcripſi, ſcripſi. Quæ omnia vel non nimium intelligenti perſuadere poterant de ſcriptura eſſe accipiendum, non de ſculptura. Et in eamdem ſententiam prorſus ducunt quaſi manu, & ſine ullo exerrationis metu, verba cæterorum Euangeliſtarum. Quid enim aliud volunt, αἰτία γεγραμμένη Matthæi, ἐπιγραφὴ ἐπιγεγραμμένη Marci, & Lucæ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη? Scriptam nempe non ſculptam fuiſſe criminis cauſam. Aut enim omnia confundenda ſunt, aut γλυφὴ ἀπὸ τῆς γραφῆς diſtinguenda. An ad illum ſuum confugient, ut dicant

Helle-

Helleniſtis χράφειν, *idem eſſe quod* γλύφειν? *Qui poterit* χράφειν, *pro ſculpere interpretari, non temperabit ſi occaſio ſit ut hoc velit, quin & γλύφειν idem eſſe quod* χράφειν *contendat. An quia imaginarii Helleniſtæ* ἐκτετυπωμένον χραφίδος cælaturam *vocant, ut ipſi adnotarunt, ideo tot locis apud Euangeliſtas* τὸ γεχραμμένον *accipietur pro cælato, contra communem Græce, immo vel Helleniſtice, loquendi uſum? Producat vel unum ex Helleniſtis illis ſuis locum, ubi* χράφειν *poſitum ſit* ἀντὶ τοῦ γλύφειν. *Certe & χραφὶς Græcis etiam pro calo quo ſculptores utuntur, ſumi ſolet, quia* χράφειν *à prima ſua origine ſignificat charaxare, & radere. Quæ & priſca ratio ſcribendi fuit. Nam ferro acuto, quē ſtilum Latini vocarunt, exarabant & cavabant litteras in cerata tabula. Græci vocant* χραφεῖον, *&* χραφίδα. *Antiquior etiam ratio fuit, qua cortices arborum ſimili ſtilo ad ſcribendum notabant. Idemque facit in ligno, aut alia materia duriore cælum ſculptoris, aut cavatoris. Unde &* χραφὶς *tam pro ſtilo ſcriptorio, quem pro calo ſculptorio accipitur. Pro pictoris penicillo etiam ſumitur, quia etiam pictor* χράφει, *id eſt, pingit. Sed qui verbo* χράφειν *uſus ſit ex antiquis ſcriptoribus Græcis, ſive Helleniſtis, in ſculpendi ſignificatione, puto extare neminem. Ex veteribus porro Prudentius à ſcriba Pilati ſcriptum fuiſſe titulum Dominicæ crucis, planiſſime docuit. Cujus locum & Ariſtarcho citatum video. Quo magis mirum mihi viſum eſt, quod Nonnum tam acerbe eo nomine increpet,*

ut nu-

ut nugatorem & ineptum non dubitet appellare. Sic enim ſcribit capite IX *Exercitationum Sacrarum, pag.* CXCVIII. Quemadmodum nugatur, cum σοφῷ καλάμῳ ſcriptū hoc fuiſſe notat. *Quam cenſuram iterum repetiit cap.* XXVIII, *pag.* DIV, *ut miſer Nonnus plus vice ſimplici, geminato ictu confoderetur:* Iam quod calamo inſcriptum ait, quam ineptum, ut jam ante dicebamus? Fuit enim cælatura, quam ἐκτετυπωμένον γραφίδος Helleniſtæ dicunt, quod è plana ſuperficie ductus eminerent, non refugerent. *In quibus verbis acutiſſimi cenſoris notandum eſt, quo citius ille conficeret* γραφὴν *vel* ἐπιγραφὴν *Dominicæ crucis, fuiſſe cælaturam, vocari eam ab Helleniſtis commentus eſt,* ἐκτετυπωμένον γραφίδος. *Quod eſt falſiſſimum. Cum enim* πολύσημος *ſit hæc vox* γραφὶς, *quæ proprie cælatura eſt non eam nominaſſent* ἐκτετυπωμένον γραφίδος. *Putabam primo eſſe mendum. Sed cum videam & in nova Editione id nomen retinuiſſe, dedita opera hoc ab eo factum colligo, ut veriſimilius videretur* γράφειν *apud Euangeliſtas de ſculptura, vel cælatura debere intelligi, cum* ἐκτετυπωμένον γραφίδος *ab Helleniſtis vocaretur. Atqui non* γραφίδος ἐκτετυπωμένον *nominatur hæc cælatura ſeptuaginta interpretibus, ſed* σφραγῖδος. *Et locus Helleniſtarum, quem Ariſtarchus innuit, extat Exod.* XXXIX, *verſ.* XXX, *his verbis:* Καὶ ἔγραψαν ἐπ' αὐτοῦ γράμματα ἐκτετυπωμένα σφραγῖδος, ἁγίασμα κυρίῳ. *Siracides* ἐκτύπωμα *quoque* σφραγῖδος

appellavit de eadem corona pontificali, cum inſcriptione inſculpta, cap. XL, *verſ.* XIV. Στέφανον χρυσῦν ἐπάνω κιδαρέως, ἐκτύπωμα σφραγῖδος ἁγιάσματος. *Paulo ante eodem capite, vocavit* γλύμμα σφραγῖδος. *Hoc eſt, ejuſmodi ſculpturam qualis gemmæ ſigillaritiæ ſolet inſculpi. Levi autem admodum ac frivola ratione ductus Ariſtarchus voluit, quia tali* ἐκτυπώματι *in lamina frontali coronæ pontificalis inſculptæ eſſent litteræ, eodem genere cælatam fuiſſe inſcriptionem tituli in cruce Dominica. Quaſi corona illa pontificalis repræſentaret typum tituli, qui impoſitus eſt cruci Chriſti. De quo nos alio loco. Sed demus illi illam laminam ita inſcriptam, typum fuiſſe tituli inſcripti & cruci Chriſti impoſiti. An neceſſe fuit examuſſim inſcriptionis ac litterarum formam reſpondiſſe? Dixerim potius litteras atramento notatas melius conveniſſe cum litteris exſculptis, quam cætera omnia inter ſe. Nam quid corona cum titulo ſimile habet? Quid aurũ cum ligno? Præterea lamina illa fuit in fronte pontificis, titulus ſupra caput Domini. Cum cætera adeo parum reſpondeant, an par fuit, ut litteræ magis paria facerent? Hoc tamen ut ille pervinceret, vis facienda fuit notioni verbi* γράφειν, *quo uſi ſunt omnes quattuor Euangeliſtæ ad denotandum modum, quo titulus ille litteris inſignitus eſt, ac ſcriptura in ſculpturam commutanda. Quod ne ſic tamen recte ipſi proceſſit. Cum enim velit id genus eſſe cælaturæ, in quo è plana ſuperficie ductus eminent, oſtendi* ἐκτύπωμα σφραγῖδος, *de ea ſculptura*

eſſe interpretandum in quo cavatæ ſunt litteræ, aut lineæ. Ex quo conſequeretur, ita inciſum fuiſſe titulum litteris non extantibus è plana ſuperficie, ſed refugientibus. Quod eſt contrarium obſervationi Ariſtarcheæ, de eminentibus litterarum ductibus. Quam modeſta fuerit ejus cenſura vidimus, qui recte ſentientem Nonnum, *& nugari, & ineptum eſſe dixerit. Si reviviſceret ille quid reponeret Ariſtarcho ſuo? Vt modeſtiſſimus eſſet, eadem cõvitia regereret. Cum tam aperte falſam eſſe illam Ariſtarchi animadverſionem in hoc libro demonſtraſſem, putabam daturum veris manum, & pro eo candore, quem ſibi ingenitum ubique prædicat, errorem emendaturum. Quid fecerit poſt illam meam admonitionem, quam ſibi viſam negare non poteſt, videamus. Sic enim melius de tanti viri ingenuitate nobis conſtabit.* Paululum *quidem remiſit de prioris cenſuræ rigore, & acerbitatem emollivit, qua in* Nonnum *debacchatus fuerat in priore* Editione. Nihilominus *tamen, quod mirandum, nihil de priſtina ſententia mutavit, niſi quod pro vera, ut olim affirmabat, ſaltem veriſimilem lectori probare conatus eſt. In capite nono ubi* Nonnum *nugari ante ſcripſerat*, Imprudenter tantum feciſſe *in nova Editione dixit, pag.* DCCXCI. Quemadmodum & imprudenter σοφῷ καλάμῳ ſcriptum fuiſſe ait. *Quid hac nota imprudentius? Antea nugabatur* Nonnus, *nunc tantum imprudens eſt.* Ergo *erravit, & quidem per imprudentiam.* Hoc *ſane minus eſt quam ſi dedita opera peccaſſet.* Falſum *itaque adhuc manet, quod*

dixit Nonnus, *titulum illum* σοφῷ καλάμῳ *fuiſſe ſcriptum. Nam ſi verum illud eſſet, non imprudentia objecta Nonno fuiſſet ab Ariſtarcho, quod ita ſenſerit. At pag.* D CCCCXLV *novæ Editionis ita ſcribit Nonni cenſor:* Iam quod calamo inſcriptum ait, minime equidem nobis placet, ut jam ante dicebamus, cum cælatura eſſe potuerit. *Multum remiſſiorem & placabiliorem jam factum mecum mireris licet Ariſtarchum. In priore Editione hoc ipſo loco ſcripſerat, ut ante notabamus,* quam ineptum hoc, *quod calamo inſcriptum tradidiſſet,* & omnino cælaturam *fuiſſe. Nunc incipit quaſi dubitare. Vt ille apud Comicum Phædria,* Labaſcit, victus uno verbo, quam cito! *Non jam illi placet Nonnus, & hoc tantum, qui antea erat ineptiſſimus. Imprudens adhuc tamen eſt. Sed & cælaturam nunc ait eſſe potuiſſe, quæ olim omnino erat cælatura. Si cælatura eſſe potuit, quæro an non & ſcriptura potuerit eſſe? Hoc quidem potius, quia & Euangeliſtæ uno conſenſu ſcripturam fuiſſe adfirmant. At cælaturam non potuiſſe eſſe à me abunde demonſtratum putabam, vel unico iſto argumento, quamvis aliæ probationes defeciſſent. Oſtendi cum tali genere cælaturæ, qua litteratum titulum illum fuiſſe vult Ariſtarchus, non potuiſſe tam cito fabricari & adornari illam inſcriptionem, ut tempori exhiberetur. Nam quod interceſſit ſpatii inter condemnationem & ſupplicium Chriſti, non ſatis fuit ad eam illo modo adlaborandam. Statim quippe à condemnatione ad ſupplicium miſſus eſt. Huic rimæ*

ruinoſi

ruinoſi parietis emplaſtrum cum tibicine adplicaſſe ſibi viſus eſt ſatis idoneum, vir acutus, ad hunc modum. Adde, *inquit*, quod in tanto apparatu, cum præſertim damnatio innocentis animo præconcepta eſſet, & jam toties affectatio regni objecta illi eſſet, ante parari potuerit. *In fabula duo venatores litigabant de pelle urſi priuſquam captus eſſet. Hic elogium damnati ſcribitur antequam judicatus ſit & condemnatus. Immo vel antequam prehenſus, & ad judicem adductus, Et merito ſane.* Non enim *ſcribi ſolebant, ſi credimus Ariſtarcho, ſed ſculpi. Ideo tempore opus fuit artifici, ut pararentur. Cur non potius ſervabantur condemnati, donec elogium ipſorum exculptum eſſet? Hoc ſane expeditius, quam tanto ante tempore parari, cum adhuc neſciretur, an ſubſequutura eſſet judicati condemnatio, & qualis. Si riſum tenebit hic lector, me valde fallet. Vix ipſe abſtineo, dum hæc ſcribo. Ita tamen factum eſſe in elogio Domini probare tendit ex aliis Euangeliſtis.* Solus enim Iohannes, *inquit*, ἔγραψε δὲ τίτλον ὁ Πιλᾶτος dixit. At ex cæteris Euangeliſtis id magis veriſimile videtur. *Ain tu? Solum Iohannem id dixiſſe, quod Pilatus titulum ſcripſerit? Ponamus ita eſſe. An non hoc ſatis? Ergò ſi Iohannes hoc dixit, & ita quidem clare, ut non poſſit ambigi, cur non potius, & cæterorum Euangeliorum dicta ad illius ſententiam accommodamus? Si non poteſt, tum fatendum ſit hic contraria & pugnantia ſcripſiſſe Euangeliſtas. Vnus quippe Iohannes tradiderit, Pilatum*

ſcripſiſſe titulum, & quidem poſt condemnationem, non ante præparatum habuiſſe, cæteri autem paratum ante voluerint, quia nimirum ſculptus fuerit, ex eorum ſententia. Si ergo conſtat ex Iohannis verbis ſcriptum à Pilato titulum Dominicum, tum abſolvendus erit Nonnus, qui Iohannem παραφράζων dixit titulum illum σοφῷ καλάμῳ γεγραμμένον fuiſſe? Sed diſpiciamus an, ut Ariſtarcho placet, ex cæteris Euangeliſtis colligi queat longe ante Chriſti condemnationem conceptum ac formatum fuiſſe titulum. Matthæus ſcripſit, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην. Hic Interpretatur Nonnomaſtix, γεγραμμένην, jam ante ſcriptam, aut formatam. Cur ante ſcriptam, cum ſcriptam fuiſſe nolit, ſed ſculptam & cælatam? Certe ſcripta ante fuit quam cruci imponeretur, ſed non ante ſcripta, quam Chriſtus caperetur, & condemnaretur. Non enim impoſita cruci tabella eſt, ac tum demum ſcripta, ſed contra. Ideo ait Matthæus, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην. Sic tamen eximius criticus apud alios Euangeliſtas γεγραμμένην & ἐπιγεγραμμένην αἰτίαν exponit, quæ multo ante parata fuerit, id eſt, ſculpta & cælata. Si tot rationes & argumenta non ſufficiunt, ut efficiatur ſcriptam eſſe αἰτίαν condemnationis Chriſti in titulo ejus, nos hic ex hiſtoria inventionis Dominicæ crucis quæ Helenæ imperatrici tribuitur, adhuc unum proponamus. Nicephorus Calliſtus lib. VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. XXIX.

ubi

ubi narrat quomodo ab illa Helena Conſtantini matre Dominica crux reperta fuerit, ex titulo agnitam eam & à duabus aliis crucibus in quibus ſuffixi fuere latrones, diſcretā fuiſſe ſcribit. Quem titulum σανίδα λευκὴν nominat, hoc eſt, dealbatam, ut erant dicta λευκώματα, cujus ſcripturam jam tum diffluxiſſe ait, utpote quæ atramento in alba tabella fuerat notata. Τρεῖς δὲ, inquit, ἐν μέρει σταυροὶ χύδην διερριμμένοι, καὶ σανὶς ἑτέρα λευκὴ ἣ βασιλέα τῶν Ἰουδαίων γράφων διαφόροις γράμμασιν ὁ Πιλάτος, ὑπὲρ κεφαλῆς ἐν εἴδει στήλης βασιλέα τῶν Ἰουδαίων τὸν σταυρωθέντα κηρύττων. Vbi στήλη non eſt columna, ut perperam vertit interpres, ſed titulus, & στηλογραφία, ut alibi dicam. Si vera eſt illa hiſtoria, nihil verius quam σανίδα λευκὴν, id eſt, λεύκωμα, fuiſſe titulum illum, hoc eſt, tabellam dealbatā nigris ex encauto litteris notatum. Si falſa, ex vero fictam liquet, quoad titulum, quem inde conſtat totam antiquitatem credidiſſe vere ſcriptum non cælatum. Addit Nicephorus difficilē tum quoq; fuiſſe agnitionem veræ crucis quia litteræ jam diffluxerant, & tabella disjecta temere jacebat, non cruci ipſi affixa inhærebat cum reperta eſt: Καί γε διερρυηκότος τοῦ γράμματος, καὶ τῆς σανίδος ὡς ἔτυχεν ἐρριμμένης ἐργώδης ἔτι ἡ τοῦ θείου ξύλου εὕρεσις κατεφαίνετο, καὶ τῶν σταυρῶν διεσπαρμένων συγχυθείσης τῆς τάξεως. Eant nunc, & negare pergant ſcriptum illum fuiſſe titulum, ſed cælatum, & cælatura quidem anaglypha. Si tot ac tanta ἀτοπήματα pluribus verbis agitanda ſumerem, nemo inſolenter ac proterue id à me

fieri judicaret, ſed jure ac merito omnes dicerent. Nondum tamen ad ſummum venimus. Conjectis omnibus incaſſum telis, ut Amor apud Anacreontem conſumptis omnibus pharetræ ſagittis, ſemetipſum tandem pro telo injecit, ut tota mole corporis adverſarium obrueret obtereretque: Sed & ingenuis iſta, non ſycophantis ſcribimus. *Ita ſcribit totidem verbis. Hæc clauſula eſt illius præclaræ Animadverſionis. Cujus hunc ſenſum eſſe opinor. Si ſycophantis illa ſcripſiſſet, ut omnia limatiore judicio exacta exirent, nempe curaſſet, ſed quoniam cum ſolis ingenuis ſibi rem eſſe vult, ideo ſe fuiſſe negligentiorem. Qui nimis ergo ſubtile judicium adhibent in legendis ejus ſcriptis & examinandis, meri ſunt ſycophantæ. Ingenuos autem cenſet ac probos viros, qui ſuſque deque habent, & cuncta ſignant alba linea. Quod ſi ita ſit, non me pœniteat eſſe ſycophantam. Quo in numero me reponi ab illo malim, quam ingenuorum claßi adſcribi. Apage iſtam ingenuitatem, quæ quidvis recipit ac probat, & tam boni ſtomachi eſt, ut concoquat digeratque quidquid ingeritur. Clare ergo apparet, ut lectores ingenuos nanciſcatur magis ſollicitum eſſe, quam ut ſeipſum lectoribus ſuis pro ingenuo adprobet. Et cum ſibi ipſe non ſcribat, ſed aliis, nihil vero propius eſt, quam ut ſit illis ſimilis quibus ſe non ſcribere ait. Vbi enim candor ille, quem ubique oſtentat, nullibi oſtendit? Si candor eſt ex ejus definitione, quo moniti aut docti melius, in errore non perſiſtunt, ſed ultro illum confitentur & emendant, ex his quæ di-*

ximus perſpicuum eſt, de altero potius quolibet quam de ſe cogitaſſe cum candorem ſic definiret. Nam iſte contra errores erroribus obtegit, ne perpluant ſcilicet. Quod ut magis manifeſtum ſit, alterum exemplum, ſed illuſtre, candoris & ingenuitatis ejus hic dabo. In hoc ſecundo de Vſurarum modo volumine, capite ſecundo, cum agerem de negotiatoribus σκηνίταις, qui ſub tentoriis in foro merces vænales olim habebant, ut & nunc fit, de σκηνίταις Arabibus obiter docuimus, & de Iacob quem & σκηνίτην fuiſſe, & ſub tentoriis habitaſſe ſcriptura tradit. Pro eo quod in Hebræo eſt habitans tentoria, ſeptuaginta interpretes verterunt, οἰκῶν οἰκίαν. Quæſitum Ariſtarcho ſacro memineram in Exercitationibus ad Nonnum, cap. v, pag. CXLVII, cur non σκηνὴν illi Helleniſtæ, ſed οἰκίαν potius reddidiſſent. Rationem ibi adfert, quod honeſte minus eam vocem uſurpare Græcos non neſcirent. Adducit deinde, ut hoc probet, locum Theodoreti ex præfatione libri περὶ αἱρετικῆς κακομυθίας, unde conſtaret ἐν σκηνῇ τρέφεσθαι de libidinoſis, atque obſcænis, aut quæ pretio proſtituiſſent corpus, vulgo uſurpatum. Hoc mihi mirum in tanto viro viſum cum eſſet, modeſte admonui, labare totam illam, immo & ruere, rationem. Nam σκηνῆς vocabulum in illis Theodoreti verbis non pro tentorio intelligendum eſſe liquere, ſed pro ſcena theatrali. Iam de ſcenicis, quam in omnem libidinem laſciviamque proni eſſent ex arte, omnibus eſſe notum. Helleniſtas autem illos non abſtinuiſſe σκηνῆς

nomine, quod turpe eſſet effatu apud Græcos. Nec enim turpe videri niſi cum pro ſcena accipitur. Atqui eoſdem Helleniſtas, ſi Helleniſtæ ſunt, multis aliis locis σκηνῆς nomen uſurpaſſe, ut in σκηνοπηγίᾳ, & σκηνῇ μαρτυρίου, & aliis. Quod non feciſſent, ſi ſciſſent id verbi profatu turpiculum eſſe Græcis. Cum hæc ibi notaſſem, eaque pridem vidiſſet Ariſtarchus, credideram tam manifeſtæ veritati ultro conceſſurum, & in nova Editione, ut candidum ubique profitetur, id mutaturum. Quid accidit? Quod ſane non divinaſſem. Nam in novitia Editione omnia ex priore retinuit, & quaſi vereretur ne ſibi diſſimilis eſſet in candore illo ſibi nimirum proprie dicato aſſerendo, poſt Græca Theodoreti verba, hanc explicationem quæ in prius Editis non erat, ſubjecit: Vbi quid ſit τρέφεσθαι ἐν σκηνῇ, nutriri in tentorio, aut ſcena, vides. Video ſane & miror, tam candido & ingenuo, ut ſe facit, hæc potuiſſe excidere. Sed ingenioſi famam hic habere fortaſſe maluit, quam ingenui. Vtram quis velit interpretationem ecce nobis offert, quaſi indifferens ſit in loco Theodoreti, de tentorio accipere, aut de ſcena. At ſi de ſcena capimus, non erit tentorium. Si de iſta, non illud. An non credimus hæc vidiſſe acutiſſimum Ariſtarchum? Profecto vidit. Sed non potuit ab animi ſui generoſitate impetrare, ut erraſſe ſe fateretur. Sic fortes decet. Candorem quantumlibet ſcriptis prædicent, uſum ejus aliis relinquunt, ſibi verba reſervant. Præterea amicorum de ipſo judicium tutandum fuit qui errare

neſcium pectus ei adfingunt. Blandidicis eorum dictis aures demulcendas ſemper præbere adſuetus, haud mirandum eſt ſi mordacis veri aciditate eas nunc detergeri non poßit pati. Εἰ μὴ τυραννεῖ πάμπαν ὑβρίσθαι δοκεῖ. Niſi imperet, ſe prorſus offendi putat. *Hinc doctiſſimi clariſſimique viri elogia, quæ paßim ei tribuo, pro contumelia accepit, majora ab adulatoribus quos in amicorum turba aut fecit aut invenit, audire ſolitus. Mihi vero ſufficit, ſi vel doctus appeller, qui hoc unum bene ſciam, infinitą eſſe quæ ignorem. Ex meo ingenio alios metiebar. Sed perperam, ut jam intelligo. Hinc in prolegomenis,* truculenti animi eſſe & graſſatoris, *affirmatur;* proterve ac inſolenter, publice præſertim, aggredi, aut recte ſentientem, vel, quod proprium eſt hominis, errantem vellicare. *Qui recte ſentientem ſic aggreditur ſane graſſator ſit. Quid ſi errantem? An etiam graſſator erit? Sit etiam per me licet, ſi proterve & inſolenter id faciat. Quid ſi publice facit? Etiamne graſſator? An qui publice erravit, non debet publice reprehendi?* Non, *inquit, ſed privatim moneri. Quid fiet interim & quomodo proſpicietur legentibus, qui ex publicatis errores hauriunt imbibuntque, nec dum ſciunt, auctorem ab amico monitum mutaſſe ſententiam? Ponamus tamen ſic debere fieri. Hoc quidem verum, ſi amicus ſit. Quid ſi ignotus, aut parum benevolus, an etiam publica ejus caſtigatione abſtinere debebimus?* Pareto legi quiſque legem ſanxerit. *Quam ſibi in alios legem conſtituit cur*

in ſe

in ſe aliis ne eam pariter uſurpent, denegat? Quanta proteruitate atque acerbitate Nonno inſultat, non talia pollicitus, dum nugatorem & ineptum omni occaſione compellat, dum hæreſeos Arrianæ arguit, dum linguæ ſuæ vocat imperitum? Numquid in recentiores mitior eſt? Quam non reverenter tractat virum illum reverendum & ſummum, qui novam novi Teſtamenti verſionem Latine dedit, dum eam carpit? Ne nominatim quidem uſpiam laudare ſuſtinet, cum Eraſmum ſemper nominet. Credas illius honori hoc datum quod non nominatur? Aliud cauſæ ſubeſt, eamque facile divinabunt, qui ex lectione totius operis judicabunt, quid ipſi præcipue propoſitum fuerit. Sic dant, qui ſcripta ſua ubique terrarū ſine offendiculo legi volunt. Nobis non libet eſſe τᾶ καθολικοῖς. Sed ille ſuos vindices ac defenſores reperiet, ut & Nonnus. Quos non nego alicubi hallucinatos eſſe, ſed non in omnibus, quibus cenſoriæ ſuæ virgulæ notā inuſſit ſuperciliosſus Ariſtarchus. πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Quem ſi ipſum egere in multis alio Ariſtarcho dixi, & pæne infinita eſſe in ejus Exercitationibus, quæ paria ſint duabus illis Animadverſionibus quas ſupra retuli, an hæc protervitas eſt & inſolentia? Si mentitus ſum, & ſi fallo, in caput meum famamque recidant volo, quæ dixi. Solas tum in Nonnum Exercitationes videram. Vbi & cæteras vidi in totum Novum Teſtamentum, eamdem quoque de his ſententiam ferre coactus ſum, non ullo livore, aut odio me impellente, ſed ſolo veritatis amore. Cum enim eodem fundamento ſint omnes inædificatæ,

diſitatæ, hoc eſt, diſcrimini linguæ Ἑλληνικῆς & Ἑλληνιστικῆς, *non potuerunt alium exitum habere. Nam ruere neceſſe eſt quidquid tam putri ſolo ſuperſtructum eſt. Non quod neſciam paſſim in ea lingua, qua conſcriptæ ſunt novi Teſtamenti tabulæ, Hebraiſmos & Syriaſmos occurrere, ſed quia non poſſum mihi perſuadere eumdem eſſe* ἑβραϊσμὸν, *cum* ἑλληνισμῷ, *& ſermonem illum vere dici* ἑλληνίζειν, *qui ubique* ἑβραΐζει. *Nam ſi* ἑλληνίζειν, *Græce loqui* ἀσολοίκως καὶ ἀβαρβάρως *dicitur, ut Grammatici veteres definiunt, neſcio cui futurum ſit probabile* Ἑλληνιστὰς *eos proprie appellatos, qui præter voces ex idiotiſmo Græcorum ductas quamplurimas, & ex trivio uſurpatas, Hebraicæ præterea & Syriacæ dialecti genium ubique in ſcriptis ſuis ſpirant ac redolent.* Ἑλληνιστὴς *quippe Græcis, nec alius eo nomine venit, qui cum non ſit origine Græcus, optime tamen ea lingua utitur. Ut* Ἀττικιστὴς, *qui ſermonem Atticum optime callet, etiamſi oriundo Atticus non ſit. Quas autem illi voces & dicendi figuras pro* ἑλληνιστικαῖς *habent, antiqui critici plane vocant* ἀνελληνίστους. *Ita Phrynicus in Atticiſta eas appellat, apud quem* τὸ ἀνελλήνιστον, & ἀμαθὲς, & εἰκαῖον, & βάρβαρον, & ἀλλόκοτον, & ἔκφυλον *dicitur ſynonymos de his vocibus & loquutionibus, quæ Helleniſticæ non ſunt, ſed Idioticæ, vulgo imperito utpote tritæ. Sed de his alio loco. Nunc cum nulla mihi ſit religio totum eorum artificium aperire, atque omnia ferre ſub auras novæ doctrinæ myſteria, quæ hactenus in operto abdita fu-*

cum

cum fecere viris doctis, quam paucis potero, ea evolvam. Quidquid vocum Græcarum in Indice Concordantiarum Veteris Teſtamenti à Conrado Kirchero conſarcinato reperitur, eas habent pro Helleniſticis. Et quoniam in animum induxere eadem imaginaria lingua Helleniſtica ſcriptum quoque novum eſſe fœdus, quoties dubium aliquod in voce aliqua, aut phraſi occurrit enodandum, ad illum indicem recurrerunt. Exemplo uno illuſtri hoc planum faciam, ex loco Exercitationum, qui hæc ſcribenti forte ad manum. Videbatur dignum quæſitu, quo ſenſu καρδία καιομένη *diceretur apud Lucam cap.* XXIV, *verſ.* XXXII: Οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν; *Petitum ſtatim auxilium ex Helleniſtico Indice. Ibi offenderunt* καίεσθαι, *Hebrais dici* בער. *Sed illud verbum Hebraicum non ſolum ardere ſignificat, hoc eſt,* καίεσθαι, *ſed etiam obbruteſcere, atque hebetem eſſe. Hoc protinus arreptum oſtentandæ profundæ & reconditæ eruditioni Helleniſticæ. Ergo* καιομένη καρδία *in Euangeliſta, hebes & ſtultum & brutum cor. Quare? Quia* בער *Hebraice eam habet ſignificationẽ, idemq; quod* καίεσθαι *denotat. Ergo* καίεσθαι *idem etiam quod obbruteſcere. Nec hoc tantum, ſed ab illò* Baar, *Latina vox formata* Bardus, *& Belgica* Beer *de urſo, quia maxime brutum id animal. Quaſi aſini non magis ſint hebetes ac bardi tardique. Nam illud Latinum* Bardus *ex Æolico* βαρδὺς, *pro* βραδύς. *Vnde* βάρδιστος, *tardiſſimus apud poëtam. Citatur ibidem ab acutiſſimo critico verſus Horatii, ut etiam in partes*

tes vocetur teſtificaturus & Latinos calere uſurpaſſe pro hebetem ac brutum eſſe: Aut alio mentis morbo calet. Si cuiquam hæc mira videri poſſunt, mihi ſane viſa ſunt, ſed & potius pro monſtris monſtranda. Ab alio quam cui ipſi καιομένη καρδία ſit, ut mea eſt ſententia, non potuit excogitari tam acuta expoſitio. An non vidit vir doctiſſimus idemque argutiſſimus, ſi καίεσθαι apud Helleniſtas duas res ſignificabat, uri, & hebetem eſſe, ut verbum Hebraicum, fruſtra eos verbum Baar, cum hebetitudinem deſignat, μωραίνειν & ἀφρονεῖν reddituros fuiſſe, cum & poſſent reddere καίεσθαι; Ab uno diſce reliqua. Nam in aliis ſexcentis hoc eodem genere uſi ſunt interpretandi, quia novum, eoque recondita ſectantibus magis conveniens. Non poſſum temperare quin altero adhuc exemplo id firmem, quod dum hæc ſcriberem in oculos, verſanti Notas ejus, incurrit. Non puto quemquam ex omni ævo, & omni ſcriptorum turba, ſive Helleniſtas illos velis, ſive Græciſtas, ſive Atticiſtas, aut quamcunque aliam dialecton, qui particulam τότε uſurpaverit unquam pro tantummodo, aut ſimpliciter, aut μόνον, aut ἁπλῶς. Ne infimum quidam Græciæ vulgus & maxime ἰδιωτικὸν & barbarum excipio, cui vocem illam in hoc ſignificatu inauditam audeo affirmare. Atqui eam novam miramque dictionis τότε notionem nobis nuper produxit, Helleniſticæ linguæ proprietas omnibus antea ignorata, per unum homines hodie introducta, & infanti orbi imputata. Apud Matthæum cap. IX, verſ. IV. ita ſcribitur: Ἵνα δὲ εἰ-

δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφίεναι τὰς ἁμαρτίας, τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ, ἐγερθεὶς ἆρον σου τὴν κλίνην. *Per parentheſin hæc verba vulgo leguntur,* τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ. *Helleniſta noſter eam tollit, & præterea, in quo rei cardo eſt, illud* τότε λέγει *exponit,* ἁπλῶς λέγει, μόνον λέγει τῷ παραλυτικῷ, *id eſt,* ſimpliciter ac tantum dicit paralytico. *Additque vocem eam non intellectam hactenus, turbaſſe interpretes, qui quam vim haberet* τὸ τότε *non attendiſſent. Mirer an rideam? Non ſane me turbavit hæc expoſitio, ſed liquida defæcataque mente, quam abſurda eſſet, conſideravi. Sed ne quid ſine teſte diceret, ad* Helleniſticam *linguam recurrendum fuit, ut doceret, in ea lingua particulam iſtam ſic uſurpari. In Deuteronomii* XXVIII, *verſ.* XXIX, *legitur:* καὶ ἔσῃ τότε ἀδικούμενος, διαρπαζόμενος πάσας τὰς ἡμέρας. *Quibus adductis adjicit,* bene Vatablus, tantummodo. *Bene certe Vatablus, qui eo loco vertit,* Et eris tantummodo oppreſſus, & direptus omnibus diebus. *Sed male, imo peſſime, Criticus Helleniſta, qui ex eo colligat, idem eſſe Græcum* τότε, *quod Latinum* tantummodo. *Verum quidem eſt Hebraicam* אך *utrumque ſignificare, &* τότε, *id eſt, tunc, & tantummodo vel duntaxat, ſed falſiſſimum eſt Græcum* τότε *ſimiliter in utraque notione poni. Vatablus pro tantummodo accepit, ſeptuaginta interpretes pro* τότε. *Et utraque notio loco convenit. Non tamen ſequitur ſi* אך, *&* τότε *denotat, &* μόνον *apud Hebræos, idem*

quoque

quoque eſſe in Græco illo τότε. *Alioquin illud* τότε *accipi etiam poſſet, pro* ἄρα, ἀλλ' ἤ, ὅτι, ὡς, ἀλλὰ καὶ, ἴσως, πλὴν, *quia ſeptuaginta interpretes Hebraicæ illi dictioni* אך *totidem, atque etiam plures ſignificatus in ſua verſione attribuunt. Vides lector, geminam ac germanam eſſe hanc interpretationem, quæ* τότε *pro* tantũmodo *accipit, ſuperioris illius, quæ* καιομβίλω καρδίαν *de corde hebete ac bruto exponebat. Eadem certe mater ambas peperit, & gemellas quidem, linguæ Helleniſticæ nimirum Chimæra. Quæ & multas alias ſorores illis ex eodem utero enixa eſt, haud minus facie deformes, ut decuit iiſdem parentibus natas. Ex hoc ungue leonem licet agnoſcere, vel, ſi mavis, ex hac lacinia qualis tota ſit veſtis, indicium capere. Quid boni ab eo ſperandum ſit qui* τότε *putat in lingua Helleniſtica idem eſſe quod* tantummodo, *vel me tacente quilibet intelligit. Non enim* τὸ τότε *magis ſignificare poteſt* μόνον *& tantummodo, quam* μόνον *ſignificationem eandem habere cum* tunc *&* τότε. *Has turbas dedit, & has nebulas menti ejus objecit monſtrum illud linguæ Helleniſticæ, quod inter non entia licet numerare. Cui debellando obiter hic & in anteceſſum nonnulla argumenta ſubjiciam, ne plures adhuc ea inſana opinio tanti viri auctoritate nixa in errorẽ trahat, cum ſat multos jam tranſverſos egerit, eoſque, quod mirandum ac miſerandum, viros eruditione præſtantes. Si ulla fuit lingua Helleniſtica, nomen utique nacta eſt ab aliquibus Helleniſtis, qui ea uſi ſunt. Quærendum igitur erat ad conſtituen-*

dam ac ſtabiliendam illam dialecton Helleniſticam quoſnam proprie hoc nomine vetuſtas vocaverit. Niſi enim ab antiquis petatur hujus appellationis origo, fruſtra rei, ut affirmatur, priſcæ novum nomen imponitur. Res quippe ſi fuit veteribus cognita, cum ſuo ſibi nomine notam fuiſſe oportet. Prima notio vocis ἑλληνιστὴς, *apud Græcos occurrit de eo qui recte lingua Græca utitur, id eſt,* ἀσολοίκως *&* ἀβαρβάρως, *ex definitione grammaticorum, qui* τὸ ἑλληνίζειν *eſſe ſtatuunt, Græcorum more loqui ac ſcribere ſine vitio. Huic definitioni omnes voces & loquutiones barbaræ,* ἀνελλήνιστοι *cenſentur & vocantur. Nam in omni lingua barbarum id putatur, quod ex alieno admixtum eſt. Non poteſt igitur ab his Helleniſtis, & ab hoc Helleniſmo appellationem videri ſortita lingua Helleniſtica, quandoquidem tota Hebraiſmis & Syriaſmis referta eſt, qui totidem ſunt barbariſmi & ſolœciſmi in Græco ſermone. Inveſtigandi itaque alii Helleniſtæ, qui linguam eam propagarint, & denominarint. Reperio etiam* ἑλληνιστὰς *apud auctores Chriſtianos vocari, qui ſuperſtitioni gentilium, quos ſcriptura ſacra* ἕλληνας *ſemper nominat, erant dediti, cujuſcunque nationis eſſent, quia nimirum illi* ἑλλήνων, *id eſt, paganorum, partes ſequerentur. Nam* ἑλληνίζειν *hoc ſenſu ita dicitur, ut* μηδίζειν *Græcis ſcriptoribus, qui à partibus Medorum contra Græcos ſtabant. Sic* χριστιανίζειν *dicebantur, qui Chriſtianiſmum profiterentur. Vt ergo* ἑλληνισμὸς *de pagana religione quæ ſic appellata à Græcis, id eſt,* ἕλλησιν, *apud quos potiſ-*

potiſsimum viguit, ita & ἑλληνισταὶ dicti qui erant ἑλληνισμῷ addicti. Sozomenus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. VI, *cap.* XXXIV. *de Gotthis paganis, qui ſub Athanaricho magnum numerum Gotthorum χριστιανιζόντων cremarunt igne ſubjecto Eccleſiæ tabernaculo, quo confugerant,* ἑλληνιστὰς *eos vocat:* περιζαψάντων δὲ πῦρ τῶν ἑλληνιστῶν ἅπαντες διαφθάρησαν. *Nec alio ſenſu Suidas Ammonium fuiſſe* ἑλληνιστὴν *ſcribit, hoc eſt, gentili ſuperſtitione imbutum, atque ei faventem. Apud alios etiam extat in hac ſignificatione, ut alibi dicam. Non puto linguæ Helleniſticæ auctores, aut fautores ab his Helleniſtis eam velle, aut poſſe deducere. Inveniendi igitur alii quibus tribuatur. Tertium genus in promptu eſt Helleniſtarum, qui niſi Helleniſticam procuderint, fruſtra de aliis cogitetur. Hi ſunt quorum tribus locis mentio fit in Actis Apoſtolorum, cap.* VI, *cap.* IX, *&* XI. *Videamus nunc an ipſi illi ſint quos quærimus, & quos Helleniſticæ patroni pro ſuis poſſint agnoſcere. Illi ipſi ſane, ſi credimus commentitiæ hujus linguæ fabricatoribus. Quod & Scaligero commentum placuiſſe, tam falſo prætendunt, quam ea quæ non ſunt, ſuper lingua quæ nunquam fuit, idiomate confinxerunt.* Ἑλληνιστὰς *quidem Scaliger Iudæos eſſe dixit, qui Græce loquebantur & ſciebant, ſed de lingua Helleniſtica, ab his Helleniſtis prodita, quæ certam dialecton efficeret à Græco ſermone diverſam, qua dictionibus, qua loquendi formulis, ne* γρῦ *quidem in ejus ſcriptis ab illo obſervatum invenire eſt. Nec ſane potuit niſi maxime*

inſaniret. Quinimmo non alio teſte melius convinci queat hujus figmenti abſurditas, quam ipſo Scaligero. Ille ad Euſebium notat, ἑλληνίζειν eſſe Græca lingua uti, & inde omnem Iudæum, qui à dextris ſiniſtrorſum legit in Talmud vocari, חקור אגפתית, id eſt, *ἀναγιγνώσκοντα Αἰγυπτιστὶ* legentem Ægyptiace, hoc eſt, ut Gloſſa habet, למפרע *ἀνάπαλιν*, præpoſtero ordine, ut Græcienſes & Helleniſtæ Iudæi, qui Græce tantum legebant, non etiam Hebraice. Hos enim Iudæos ſola Biblia Græca in Synagogis, per totam Ægyptum, Græciam & Italiam, legiſſe & vix in mille Iudæis unum repertum fuiſſe, qui Hebraice legeret. *Hæc verba Scaligeri ſunt quæ jugulum petunt Helleniſticæ linguæ architectis, prout ab ipſis definitur. Eſſe nempe linguam, quæ verbis Græcis Hebraica phraſi ſenſa animi exprimit. Nec citra hos limites tantum ſteterunt, ſed ulterius extendentes hujus ſermonis pomœria, ipſa quoque vocabula quibus ille ſermo componitur, Helleniſtica omnia eſſe voluerunt, & proinde ab Hellenicis, id eſt, Græcis, diverſa. Quæ quantopere pugnent cum ſententia Scaligeri, vel hinc clare perſpicitur, quod Helleniſtæ Scaligeri Hebraice neſciebant. Vt enim Hebraice legere non poterant, ita nec intelligere. Quod etiam alibi inculcat in opere de Emendatione temporum, lib. 11, capite de Cyclo Iudaico Carraim, nempe illos Helleniſtas ideo dictos eſſe, quia Hebraice neſcirent. Idcirco Bibliis Græce verſis utebantur in ſuis Synagogis. Quod non videntur*

dentur

dentur fuiſſe facturi ſi Hebraicorum notitiam habuiſſent. Non igitur illa lingua pro Helleniſtica Scaligero cognita, quæ Hebraicas phraſes uſurpat, & dictiones peculares habet, Græcis inuſitatas. Quomodo enim Hebraiſmis uterentur in loquendo, aut ſcribendo, qui Hebraice non noverant? Helleniſticæ ſomniatoribus ſeptuaginta interpretes pro Helleniſtis habentur & paſſim Helleniſtæ appellantur, quo nomine nemo veterum eos indigetavit. Cur autem ſi Helleniſtæ fuere, non Ἑλληνισαὶ *dicti ſunt, Ioſepho, Philoni, Clementi, Epiphanio, & aliis antiquis qui verſionem illam ſuis ſcriptis celebrarunt? Docet Scaliger in eadem Animadverſione, magna licentia Helleniſtas illos Alexandrinos uſos eſſe in affingendis his de ſeptuaginta interpretum verſione, quæ nec hiſtoria nec rerum natura patiebatur. Non ipſos interpretes vocavit Helleniſtas, ſed Alexandrinos Helleniſtas Iudæos, qui ea confinxerant de verſione ſeptuaginta, quæ apud Ariſteam, Ioſephum, Philonem, & Epiphanium* τερατώδη *de eadem interpretatione leguntur. Helleniſtæ Scaligeri Hebraice neque legebant neque intelligebant. Helleniſtæ Ariſtarchi Iudæi ſunt genere & origine, qui & Hebraice pariter & Græce ſciebant. Ex quibus, diverſum panthera genus confuſa camelo, lingua prodiit Helleniſtica ex verbis Græcis, & loquutionibus Hebraicis concreta. Ergo, ſi illis credimus,* Ἑλληνισικὴ *eſt dialectus, qua ſeptuaginta interpretum verſio tota concepta & conſcripta eſt. Mirum itaque cur auctores antiquiſſimi, qui ejus verſionis meminerunt,*

nerunt, non dixere Biblia converſa fuiſſe in ἑλληνιστικὴν διάλεκτον, ſed in ἑλληνικήν. Atqui ſi Helleniſtica illa fuit lingua, & Helleniſtarum, id eſt, interpretum Iudæorum qui ea verterunt propria, dicere debuerunt Helleniſtico ſermone eſſe reddita. Irenæus ſcripſit, εἰς Ἑλληνικὴν διάλεκτον μεταβεβλημένας eſſe τὰς γραφάς. Clemens εἰς ἑλλάδα γλῶτταν ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου ἑρμηνευθῆναι. Epiphanius, ἀπὸ Ἑβραϊκῆς διαλέκτου εἰς Ἑλληνίδα. Ita alii omnes Ariſteas, Ioſephus, Philo, & quicunque mentionem hujus verſionis fecerunt. Vbi igitur tunc Helleniſtica dialectus? Vbi Helleniſtæ? Cæterum Helleniſtas illos quorum in Actis mentio, Hebraice neſciviſſe, ſed nec Iudæos genere & origine fuiſſe, patet ex Actorum XI, verſ. XX, ubi aperte Ἑλληνισταὶ diſcernuntur ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων, in his verbis: Ἦσαν δέ τινες ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι, καὶ Κυρηναῖοι, οἵτινες εἰσελθόντες εἰς Ἀντιόχειαν ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς εὐαγγελιζόμενοι τὸν λόγον τοῦ κυρίου. Præcedente verſiculo meminit Iudæorum quibus ſolis verbum adnuntiabant, qui ex perſecutione Stephano facta diſperſi fuerant per varia loca Domini diſcipuli. Theophylactus eo loco notat Helleniſtas forte ibi vocari, quia Græce tantum ſcirent, non etiam Hebraice. Ἑλληνιστὰς δὲ λέγει, ἴσως διὰ τὸ μὴ εἰδέναι αὐτοὺς ἑβραϊστί, καὶ ἕλληνας αὐτοὺς ἐκάλουν. Quod eſt veriſſimum. Et recte vetus interpres Græcos vertit illos ἑλληνιστάς. Nec diſſentit, ſi quis recte accipiat, Syriacus, qui intellexit de Iudæis, qui norunt Græce. Nam Iudæos non genere,

nere, ſed profeßione potuit intelligere. Arabs quoque ibi Ἑλληνιστὰς *illos Actorum eo nomine reddidit, quo Græcos vulgo Arabes ſolent nuncupare. In Actis iiſdem cap.* VI, Ἑλληνισταὶ *iſti ab* Hebræis *diſtinguuntur:* ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους. *Ex quibus verbis duo omnino ſunt quæ docemur, non genere Iudæos fuiſſe* Helleniſtas, *quoniam & hic & alibi à* Iudæis *ſeparantur, eoſdemque* Hebraice *neſciviſſe.* Nam *ſi* Hebraice *ſciſſent &* Iudæi *origine fuiſſent, quæ ratio eos diſtinguendi à* Iudæis & Hebræis? *An quicunque tunc temporis* Hebræus *genere ac* Iudæus *Græcam linguam calleret, eo ipſo à cæteris* Iudæis *ſegregandus fuit, & in cœtum* Helleniſtarum *compellendus? Quod eſt ineptißimum. An nullos in eo tempore fuiſſe putamus* Iudæos *qui* Latine *ſcirent?* Non *ſinunt nos ignorare* Romani *auctores illorum temporum, quam multi* Romæ Iudæi *fuerint. Quanto etiam in honore apud mulierculas* Romanas *eſſent ex Satyris* Iuvenalis *diſcere eſt. Quid igitur?* Numquid *illi* Iudæi Romanæ *linguæ periti,* Ῥωμαϊσταὶ *fuere dicendi, & à* Iudæis *ea gratia ſejungendi, qui* Romane *neſciebant? Ita certe oportet, ſi* ἑλληνισταὶ *dicti ſunt inter* Iudæos, *qui ex his etiam* Græco *ſermone uti poſſent, propterea diſcernendi à veris* Iudæis. Ἑλληνιστὰς *porro illos in ſexto Actorum, quorum extitit dividia & murmur adverſus* Iudæos & Hebræos, *ea propter quod eorum viduæ in miniſterio quotidiano præterirentur,* Græcos *oriundo omnes fuiſſe apparet ex ipſorum nominibus. Ex eorum enim cœtu ſeptem primi*

diaconi adlecti ſunt, quorum hæc nomina fuere, Στέφανος, Φίλιππος, Πρόχορος, Νικάνωρ, Τίμων, Παρμενᾶς, *&* Νικόλαος. *Et hunc ultimum Nicolaum* προσήλυτον *fuiſſe Antiochenum tradit ibi Lucas. Cæteri etiam æque proſelyti, quamvis non ex Antiochia. Et illi* Ἑλληνισαὶ *Antiocheni quorum mentio in Actorum* XI, προσήλυτοι *quoque, ut apparet, fuere. Et ex eorum numero hic Nicolaus, quem diſerte Lucas ex* Ἑλληνισαῖς *fuiſſe narrat. Quis vero ſibi perſuadeat, ſi iſti* Ἑλληνισαὶ *Iudæi genere fuiſſent, eo nomine tantum appellati quod Græce loquerentur, nomina habuiſſe mere Græcanica? Ibi etiam recte Theophylactus,* Ἑλληνισὰς δὲ οἶμαι καλεῖ τοὺς Ἑλληνιςὶ φθεγγομένους. *Non Græce tantum loquentes, ſed ipſiſsima origine Græcos. Cur igitur* Ἑλληνισαὶ *Lucæ appellātur & non recta* Ἕλληνες*? Ea cauſa eſt quod nomen* Ἑλλήνων *alio ſenſu tunc uſurparetur, quam de his qui Græci eſſent, aut Græce loquerentur, de illis nimirum qui Græcorum Idololatriam ſectarentur quacunque ex gente forent. Numquam enim aliter hæc vox in novo Teſtamento ſumitur, quam generatim pro incircumciſis & Idololatris. Hinc illa Syrophœniſſa apud Marcum* VII, *quæ* γυνὴ Ἑλληνὶς *dicitur,* Συροφοίνισσα τῷ γένει. *Id eſt, mulier gentilis, non Græca, genere Syrophœniſſa, id eſt, ex Syria Phœnice. Hæc cum ita ſint miror Ariſtarchum potuiſſe* Ἕλληνας *pro* Ἑλληνισαῖς *accipere in loco Iohannis cap.* VII, μὴ εἰς τὴν διασποράν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας*; Mirum, inquam, ibi eum notare,* non

eſſe

eſſe dubitandum, quin intelligantur Helleniſtæ, qui Iudæi genere cum eſſent, Græce loquebantur & ſciebant. *Quaſi* Ἕλληνες *iidem ſint cum Iudæis, aut iidem* Ἑλληνισαὶ *cum* ἔλνεσιν, *id eſt, gentilibus. Nunquam enim aliter in novo fœdere uſurpatur nomen* Ἑλλήνων *niſi de gentilibus, neque* Ἑλληνισῶν *niſi de proſelytis Græcis. At* διασπορὰ Ἑλλήνων *non poteſt eadem eſſe cum* διασπορᾷ Ἰουδαίων, *niſi* Ἰουδαίους *&* Ἕλληνας *eoſdem cenſeas. Quod ridiculum. Ergo* διασπορὰ Ἑλλήνων, *de gentilibus ubicunque conſiſtentibus. Sed nec illi* Ἕλληνες, *ut dixi, iidem cum* Ἑλληνισαῖς. *Illi enim gentiles, hi Iudæorum more circumciſi, & Græci Iudaizantes, ac* προσήλυτοι. *Sed quare* Ἑλληνισαὶ *appellantur Lucæ, & non potius* προσήλυτοι? *Proſelytorum vox generalior de quibuſcumque nationibus Iudaiſmum accedentibus. At* Ἑλληνισαὶ *de Græcis tantum, id eſt, iis qui Græce loquerentur. Quos ideo* Ἕλληνας *non vocavit Lucas, quia, ut dixi, eo nomine omnes gentiles comprehenderentur. Concludamus igitur* Ἑλληνισὰς *eos eſſe qui Græce tantum ſcirent. Quod & Scaliger voluit. Longe itaque ab his lingua Helleniſtica, quæ Hebraiſmis ſcatet. Sed quæſtio eſt an illi* Ἑλληνισαὶ *Iudæi eſſent, linguæ ſuæ, id eſt, Hebraicæ prorſus ignari, quibus ideo neceſſe eſſet in Synagogis ſuis Biblia legere ex verſione ſeptuaginta interpretum. Hoc placet Scaligero. Sed quæram ab illo unde & quando iſti Iudæi primum noſcitari cœperunt? Poſt verſionem illam eos demum prodiiſſe oporteret. At quam id veriſimile, viderint doctio-*

res. Sane antequam eſſent verſa Biblia ſi tales Iudæi extiterunt, ſcripturas nullas habuere, quas in ſynagogis legerent. Si non extiterunt, non eſt probabile eos demum exortos eſſe poſtquam verſio Bibliorum exiit. Qua enim id factum ratione? Cum hodieque Iudæi per omnes orbis partes etiam extremas diſperſi linguam ſuam cuſtodiant, & Biblia Hebraica legant intelligantque, an cuiquam veriſimile videri queat, eo tempore, idque in Iudæa & Syria, fuiſſe Iudæos, qui propriam linguam neſcirent, & Biblia legere peregrino ſermone reddita cogerentur? Nec quidquam eam opinionem juvat Novella Iuſtiniani, qua ſanxit ſcripturas in Synagogis Iudæorum quacunque lingua legi, ut alibi oſtendam. Nec etiam facit quod obſervat idem Scaliger tempore Benjamini Tudelenſis Alexandriæ duo fuiſſe genera Iudæorum Babeliin, & Igrikiin, id eſt, Babyloniorum & Græcorum. Eamque differentiam eſſe Hebræorum & Helleniſtarum, quamvis hodie, inquit, οὐχ Ἑλληνίζουσιν. Neſcio unde expiſcatus ſit illam differentiam Iudæorum Babyloniorum & Græcorum. Nam apud Benjaminum, quem auctorem allegàt nihil tale. Sed pro Irhakiin, עירהקיין, an legit, אעריקיין, Igrikiin? Ita videtur. Irach in Babylonia eſt. Vnde Iracenſes Iudæi iidem cum Babyloniis. Nec diſtinguit ibi Benjaminus Babylonios & Græcos Iudæos, ſed Syros, hoc eſt, שאמיין, id eſt, eos qui in regione Iſraëlitica nati erant, & Babylonios, ſive Iracenſes, qui in Babylonia. Hi non differebant inter ſe niſi in ſectionibus, aut tractatibus legis.

legis. Quod autē eos Ἑλληνιστὰς *exponunt pleriq; interpretes,* Ἰουδαίους Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους, Iudęos Græce loquentes, *non de Iudæis origine id accipiendum, ſed de proſelytis circumciſis. Certe ſi Iudæos fuiſſe voluerunt, errarunt. Vtut ſit, ſive hoc modo, ſive altero accipias, certum eſt Græcam tantum linguam eos noviſſe, ac proinde eam Helleniſticam quæ intermiſcet* Hebraiſmos *ad hos nihil pertinere. Vnde igitur aut à quibus* Helleniſtis *ea derivabitur?* Nullos novi *præter eos quos jam dixi.* Nam *ſi* Helleniſtæ *vocati, qui oriundo Iudæi & ſuam & Græcam linguam callebant, ut placet Ariſtarcho, ita nihil prohiberet, Iudæos* Romanos *Romaniſtas appellari, Armenios Armeniaſtas, & Perſas Perſiſtas, & ita de aliis gentibus. Certum quippe eſt per omnes nationes Iudæorum* διασπορὰν *ſe porrexiſſe. Et quemadmodum nunc alii Iudæi ſunt Itali, qui & Italico ſermone utuntur, alii Luſitani qui Luſitanico, alii Germani qui Germanico, ita apud veteres fuere ſimiliter ex Iudæis qui in Italia nati Latine loquebantur, qui in Græcia Græce, qui in Arabia Arabice. Vt autem nunc non dicitur ſimpliciter Germanus, aut Hiſpanus pro Iudæo Hiſpano, aut Luſitano, ſed Iudæus Hiſpanus, aut Germanus, ita olim de Iudæo in Græcia nato & Græco ſermone utente, non is appellatus eſſet ſimpliciter,* Ἑλληνιστὴς, *ſed* Ἰουδαῖος Ἑλληνιστής. *Ergo* Ἑλληνισταὶ *alii ab* Hebræis, *vel Iudæis originariis, ut revera diſtinguuntur in Actis. Helleniſtæ porro illi, id eſt, Græci Iudaiſmum amplexi, ſuas etiam habuere ſynagogas in quibus Græca tan-*

tum

tum Biblia ex verſione ſeptuaginta legerentur. Eorum nati & nati natorum, qui & Hebraica addidicerant. Hinc illa propago exorta, quæ contendebat lectionem in ſynagogis Hebraicorum cum Græcis faciendam. De quibus accipi debet Novella CXLVI. *Iuſtiniani, ut alio loco pluribus dicturi ſumus. Helleniſticæ autem voces omnes Ariſtarchi ſunt plane* ἀνελλήνιστοι, *ex idiomate Alexandrino & Macedonico propagatæ, cui innutriti fuere qui Scripturam in Græcam linguam converterunt, ſive Syros, id eſt, Iudæos illos fuiſſe velis, ſive Alexandrinos. Hæc dialectus in Syria viguit, & in Ægypto ſub Alexandri ſucceſſoribus regibus. Atque inde etiam invaſit puriorem linguam Græcanicam propter celebritatem urbium in quibus florebat, Antiochiæ Syriæ, & Alexandriæ Ægypti. Hinc toties queritur Phrynichus voces ex ea dialecto & loquutiones, puritatem linguæ Græcæ in multis contaminaſſe. Dictiones, ut dixi, ſeptuaginta interpretum pleraq; ex illo idiomate, loquutiones ex Hebraiſmi ad verbum expreſſione. Qui Hebraiſmi nō poſſunt efficere, ut lingua ſit aut dicatur Helleniſtica. Forma alicujus linguæ & quaſi anima in loquutionibus cōſiſtit, quæ & nomen illi dat; corpus ex verbis ipſis conſtat. Sic ex eodem lapide columna Corinthiaca fieri poteſt & Dorica, & Ionica, ut ex eadem lingua Græca, id eſt, verbis Græcis conſtante,* λόγος Ἑβραΐζων, Ἀττικίζων, Ῥωμαΐζων, *& ſimiles. Si* Λατινισμοὶ *ſunt in corpore Græcæ orationis, non inde evadet ſermo* Ἑβραΐζων. *Si contra* Ἑβραισμοῖς *plena ſit, non Atticiſſabit,*

ſabit, neque Græciſſabit oratio, ſed Hebraiſſabit. Atque ita de cæteris. Quam igitur pro Helleniſtica nobis obtrudunt, à nullis, qui quidem olim noti aut ſic vocati fuerint, Helleniſtis, originem habet, ſed tota ad libidinem mentis mera miracula in famæ aucupium promentis efficta eſt. Hæc ideo alieniore loco ſignavi, fuſius alibi exponenda, ut ſanarem plurimorum mentes quas iſte herpes invaſit, ne gangræna latius ſerpat, & altius radices agat. Quanta denique vis errorum ex illo fonte exundaverit nos alibi pandemus, ſimulq; fidem faciemus ex modeſtia quam in talibus refutandis adhibebimus, non propriam nos gloriam quærere, aut alterius infamiam, ſed ſolam rimari veritatē. Si qua & ipſe imprudens & inſciens peccavero, ut ἀναμάρτητος non ſum, quia homo ſum, tantum abeſt, ut deterrere cæteros velim à me reprehendendo, quin ad id ultro potius omnes invito, & provoco. Nemini igitur denuntio diras & publicam deteſtationē, ſi quis me vellicaverit errantem, ſed rogo, ut quiſque qui me erroris coarguere poterit, id faciat. Hoc tantum dicam, ſi recte id fecerit, gratiam inibit: ſi male, vapulabit. Quid inquies, iſtud ſibi vult, vapulabit? In ipſum retorquebo, quæ in me perperam intorſerit jacula. Si ibi ineptum me eſſe dicet, ubi non ero, regeram ipſi potius eum ineptire, qui bene ſentientem vellicet. Stultis aliquando, vel potius furioſis, ex præcepto ſapientis, ſecundum ſtultitiam ſuam reſpondi. Eſt ubi me ſolo contemptu vindicavi. Neminem unquam dente Theonino roſi, aut leonino laceravi. Semper apud

me

me conſtitit honos & dignitas eruditis viris, iiſdemque probis. Sæculi peſtibus & carcinomatis, ut odium publicum meritis, ita & mea bonorumque amicitia indignis, bellum perpetuum ultro indixi, haud ſecus atque ipſi mendacio, mendacii fautoribus & patronis. Deum in precibus quas ad eum fundo, veneror, ut mihi mentem, in quantum hoc poteſt capere ingenii mei infirmitas, ab errore & lapſu ſartam rectam ſervet: ſicubi autem errare mihi contigerit, cum ſemper id cavere etiam cum cavemus non poſſimus, ut mihi, quæ ſecunda eſt poſt naufragium tabula, modeſtos erroris vindices ſubmittat. Nec volo in me modeſtiores, quam ipſe ſim in alios. Toto hoc opere, ut & ſuperiore, viros ſummos, mihique etiam, dum viverent, cariſſimos, refello. Quidam hodieque vivunt, & non vulgari amicitia mecum juncti, quos libere redarguo, nec moleſte laturos confido, quia eamdem illis in me libertatem conceſſi. Cum nullo quippe amicitiam contraxi, nec in hæc fœdera unquam alia lege cum quoquam veni, niſi ut mihi magis habere liceret amicam veritatem quam Platonem. Non igitur queri merito poſſunt quos cum amiciſſimis hac in parte exæquavi. Atqui præter publicam cauſam vindicandæ veritatis, qua ſola ſum impulſus, privatæ multæ accédebant, quibus ſi eſſem commotus, lenitatem quam in his confutandis præſtiti, fruſtra deſideraſſent. Nec poterant eam jure ſuo à me exigere, conſcii utpote ipſi ſibi, non ita de me eſſe promeritos, ut tam comiter & humane tractari debuerint. Hoc etiam alii

ſciunt.

ſciunt. Nihil tamen profeci. Nam hæc ipſa lenitas, qua ſum uſus in culpis eorum animadvertendis, pro inclementia & quidem atrociſſima, immo vel pro graſſatoris crudelitate & truculentia ab illis accepta eſt. Vtrius ex parte jus ſit, aut injuria Deus novit, & ex utriuſque vita & moribus, qui ambos noverint, poterunt æſtimare. Coactus ſum porro pæne alieno loco longiorem hac de re ſermonem idcirco inſtituere, ut planum facerem hominibus nihil eſſe omnium à quo æque abhorream, quam ab his duobus, livore & maledicentia. Et mea ſunt mihi vitia, quæ non excuſo. Sed vellem à cæteris tam purum habere pectus, quam duum illorum labes à me abeſt quam longiſſime. Nec neceſſe habeo me de utrovis purgare pluribus, cum apud amicos id fruſtra ſit quia me norunt, apud inimicos etiam fruſtra, quia non his tantum, ſed etiam longe gravioribus obnoxium volunt. Ad illos forſitan id valeret, quibus ignotus ſum, & qui non male volunt, ſed ſatis eſt dum ex me nunc ſciant, meæque id fidei credant ac proteſtationi, in mores meos nec invidiam cadere, nec maledicendi caninam rabiem. Quibus duobus malis cum plerique in his locis laborent, ut ubique locorum plurimi ſunt eodem morbo miſeri, non debeo numerum eorum augere. Sic ſatis multi ſunt. Malas eorum linguas ſæpe hic expertus, non talione me vindicabo, quia id ab ingenio meo alienum, ſed eos rogabo, ut quam atrociſſima de me deinceps fingant, & quam maxime dira poterunt, excogitent. Sic enim quam optime de me merebuntur. Nam ſi mediocria

diocria dicerent, fortaſſe fidem invenirent. Nunc *tum ea comminiſcantur, quæ incredibilia ſunt, nec in me conveniant, eo ipſo mendaces ac vani deprehendentur.*Nec *ſecus eſt in laudibus quibus ſuos onerant potius quam ornant congerrones. Ita immodicæ ſunt atque exſuperantes meritum modum, ut de aliis dictæ potius quibuſlibet videantur, quam quibus dantur.* Nec *certe capiunt fidem. Ita melius, à talibus vituperari quam laudari. Sed & laudes eorum, & inſectationes in æquo ſtatuo. Quinimmo quam maxime ſeſe mihi inimicos ferent, eo impenſius à bonis laudabor, & vir bonus probuſque apparebo, quia diſſimilis illis. Quid ſentiant aut judicent de meis ſcriptis,* οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. *Si ea laudibus extollerent & magni facerent, ipſe ea improbarem & damnarem, cum ſciam ita præpoſtero ac perverſo ingenio natos eſſe, ut neſciant laudare niſi vituperanda, nec vituperare niſi maxime probanda. Certe quod ipſi ſcribūt tale eſt, qualis officina eſt, unde opus prodit. Ad maledicendum magis natos qui noverit dicat, quam ad bene ſcribendum. Quidquid hujuſmodi homines de meis operibus dicturi ſunt, illud ſcio non poſſe eos bene ſentire niſi de peſſimis. Gratulabor igitur mihi quotieſcunque de me aut libris meis male opinari cœperint. Augurio inde colligam non levi, placituros eos cum ſuo auctore probis & eruditis.* Ex *horum tamen numero proborum & eruditorum, duo genera hominum ſunt, quibus non omnia ad guſtum fuere, quæ in priore meo libro de Vſuris commentatus ſum.* Theologis *diſpli-*

diſplicuit, nec his omnibus, ſed quibuſdam, quod uſuras, præſertim trapeziticas, defenderem. His alio loco reſponſum eſt, & fortaſſean factum etiam ſatis. Nam cum eam materiam tractandam in prolegomenis huic operi præfigendis ſelegiſſem, poſtea mutato conſilio, quia in nimiam molem exierant, peculiarem ei dicare diſſertationem conſtitui. Iuriſconſultis quoque nonnullis multa in jure paradoxa viſus ſum aſſeruiſſe, quibus juris, ut ipſi ajebant, fundamenta everterentur. Quendam ex illis, virum magni nominis, & quem nollem tam cito ad plures abiiſſe, in familiari colloquio, cũ hoc ipſum objiceret, rogavi, ut aliquid proferret, in quo me putaret maxime juris fundamenta ſubruiſſe. Vbi aliquantulum cogitabundus ſtetiſſet, tandem reſpondit, maxime id ex mutuo conſtare, quod ego alienationis genus eſſe negaſſem. Certe negaſſe me id dixi, inquio, & jure optimo. Quinimmo me ſemper eſſe miratum profiteor, quomodo novitiis Iuriſprudentibus iſtud in mentem venire potuiſſet, mutuum eſſe alienationem. Non poſſe hoc probari ex ullo veterum juris ſapientum dictato. Abſurdiſſimam quippe eam eſſe opinionem, & ſenſui communi, nedum receptæ omnium auctorum priſcorum ſententiæ, contrariam. Si vacaret ipſi meas audire rationes præter eas quas jam in priore volumine attuliſſem, me ſtatim facturum, ut aſſertioni meæ acquieſceret. Cum annuiſſet, ſi mutuum, inquiebam, alienatio eſt, nulla erit differentia inter donationem & mutuum. Dedi alicui dono centum aureos, alteri dedi mutuos centum eadem

****

dem

dem ipſa hora, ſi utroque modo à me abalienati ſunt nummi, certũ nihil intereſſe inter tale mutuum & donationem. At ſi per mutuum debeo nummos meos poſt præſtitutam diem recipere, quos donatos nunquam ſum recepturus, ex eo evidenter conſequi in dono ac donatione abalienationem fieri, in mutuo nullam. Rogabam deinde illum, ut mihi vel unum locum proferret, ſive ex Inſtitutis, ſive ex Digeſtis, ubi inter modos acquirendi dominii mutuum recenſeretur. Atqui, dicebam, ſi mutuum abalienatio eſt, debet etiam eſſe acquiſitio. Quæ enim apud philoſophos relatio eſt inter φθορὰν *&* γένεσιν *ea eſt apud Iuriſconſultos inter alienationem & acquiſitionem. Quod unus alienat, alter acquirit. Si mutuum itaque recte ponitur inter alienandi modos, neceſſe erit & reponi idem inter acquirendi dominii genera. Sequitur quoque ex eo ut Eccleſiæ, quibus ſua quocunque modo alienare vetitum eſt, non poſſint mutuum ſub uſuris dare, ſi inter alienandi ſpecies, mutuo erit locus. Præterea ex communibus notionibus & loquutionibus, etiam penes Iuriſconſultos, non ſolum in vulgus uſitatis fidem fieri, qui mutuum dat, rem ſuam non abalienare. Qui mutuum accepit* debitor *dicitur. Quis autem eſt qui debere cuiquam dicatur, quod tanquam ſuum & ſibi proprium futurum acceperit? Si debet id quod accepit, non abalienatum eſt ab eo qui dedit. Hinc & ille alter* creditor *appellatur. Vnde hoc niſi quia alterius fidem eſt ſequutus, à quo confidit ſe eſſe recepturum, quod ei dedit? At qui dono dedit, eoque animo, ut*

nunquam poſtea id auferatur ab eo cui datum eſt, ut non creditor *vocatur, ita nec* mutui dator. *Donator eſt, ac per hoc rei ſuæ alienator. Petamus, ajebam, hujus rei certiſſimum teſtimonium & argumentum, ex alia loquutione vulgari, Iuriſconſultis etiam uſurpata, ex qua liquido conſtabit, quod geritur in mutuo non alienandi animo fieri, nec in hanc ſpeciem cadere.* Alienum æs *vocatur quamdiu manet upud eum qui accepit. Cum igitur æs alienum iſtud ei ſit quo utitur, non ſuum eſſe, ac proinde nullam ejus abalienationem à domino factam intelligi patet. Hinc & illa diſtinctio* æris alieni *ac* ſui. Suum *eſt quod cuique proprium,* alienum *eſt vero quod habet mutuum, & quod debet reddere. Atque inde illa mutui definitio Varroniana,* quod datur, ut reddatur. *In eo quod datur, ut reddatur, nullus eſt alienationis intellectus. Addam & aliud quo plane evincatur in mutuo nullam fieri alienationem. Communi omnium nationum conſenſu receptum eſt uſuras pro mutuo exigi. Si in mutuo res ſua domino qui dat, alienaretur, & illi acquireretur qui accipit, uſuras pro eo pendi nulla ratio permitteret. Nemo enim pro ſuo uſuras nec penſiones præſtat, ſed pro alieno. Ita penſio exigitur pro domo locata, & pro aliis rebus, quæ domino ſuæ manent, nec alienantur. Locus eſt Senecæ in lib.* VII, *de beneficiis cap.* IV, *ex quo clare manifeſtum eſt non crediddiſſe veteres rem ſuam mutuo dare, idem eſſe quod eam abalienare. Refert ibi paradoxon Stoicorum, qui dicebant* omnia ſapientis eſſe. *Sic veta-*

bant ſapientem ſuum emere, quia nemo rem ſuam emit. Vetabant & mutuum ſumere. Quia, *inquit,* nemo uſuram pro pecunia ſua pendit. *Ergo in mutuo aliena eſt pecunia debitori, qui pro ea uſuram pendit, nõ igitur domino, qui dedit, abalienata. Nam ſi alienata eſſet, ſua quoque eſſet mutuatario, ac proinde nullas jure gentium pro eo uſuras deberet præſtare. Quo argumento, ſed fruſtra, uſi ſunt recentiores canoniſtæ, ut probarent non deberi uſuras pro mutuo. Nimirum quia alienationem in mutuo fieri exiſtimarunt. Quæ opinio quam falſa ſit & ſtulta, nos alibi monſtravimus. Veterum Iuriſconſultorum longe aliam fuiſſe ſententiam poſſumus etiam aliunde colligere. Dubitarunt olim utrum* ἐμφύτευσις *genus eſſet, locationis an venditionis, ſive alienationis,* ἐκποιήσεως. *Non poſſe dici* ἐκποίησιν *unico argumento firmabant, quod penſio ſolveretur pro re data* εἰς ἐμφύτευσιν. *Medium itaque genus eſſe cenſuerunt, inter locationem & alienationem. Plautus etiam evincit non putaſſe veteres ſuum alienari per mutui dationem, cujus hi verſus ſunt in Pſeudolo:*

Heus tu poſtquam hercle iſti à menſa ſurgunt,
Qui ſuum repetunt, alienum reddunt nato nemini,
Ab alienis cautiores ſunt, ne credant alteri.

Ergo ſuum repetit, qui rem quam mutuo dedit, reddi ſibi petit, non alienum. Suum eſſe & manere ſuum creditori, cum dedit mutuum, Iuriſconſultos veteres ſenſiſſe multis argumentis, quæ in tertio libro referemus, omnino liquidum faciam. Ex re mea mihi ſervus acquirit, quem diſpenſatorem meum feci, quan-

*do ei curam fundorum meorum commiſi, aut permiſi, ut pecuniam meam fenori daret; ut Theophilus ſcriptum reliquit lib.*II, *Tit.*IX, per quas perſonas cuique acquiritur. *Ergo meum eſt quod alter habet ex me, mutuo datum.* Ex *jure Digeſtorum præterea conſtat liberationem debiti poſſe teſtamento relinqui. At res aliena teſtamento non relinquitur. Ergo non alienam, ſed rem meam relinquo, cum debitorem meum libero. Alia multa proferre poſſem, quibus hoc idem firmarem niſi alibi plenius de his diſſeruiſſem. Ad hæc Iuriſconſultus de quo ſupra, atqui, inquit ex eodem jure conſtat dominium tranſire rei mutuo datæ ad mutuatarium. Certe, reponebam, quia non poteſt aliter uſus concedi rerum quæ uſu conſumuntur, aut deteriores fiunt, quam ſi earum dominium transferatur, ſed non transfertur niſi ad uſum cedendum, cum proprietas redire poſtea debeat ad dominum. Et quoniam redire non poteſt in eadem ſpecie, quæ conſumpta ſit, redditur in eodem genere. Et quid refert, inquiebam, ſi eoſdem aureos mihi reddas, an alios ejuſdem ponderis & bonitatis, quique tantumdem valeant? Si amico dedero nummos, aut etiam ſervo, ut pro me ſolvat cui debeo, & ſtatim eos abuſus, mox ſuos debitori meo pro meis in ſolutum dederit, an non idem eſt?* Non *ſecus eſt de nummis qui alii redduntur in mutuo, aut etiam rebus quibuſcumque, cum in eodem genere, ſed pari quantitate & qualitate reſtituuntur. Sed nec, dicebam, quæ ſcripſi inter ſe pugnant, in mutuo non fieri de meo tuum, nec eam eſſe illius nominis*

Etymi ratione, & tamen dominium tranſire ad debitorem. Non fit de meo tuum quoad proprietatis alienationem perpetuam, ſed temporariam duntaxat in his rebus quarum uſus ſine abuſu ſubſtantiæ ipſius non poteſt conſtare. Vt in uſufructu rerum uſu conſumptibilium, non proprietas alienari cenſetur, ſed ſolus uſusfructus cedi, quamvis & earum dominio cedat dominus uſufructuario, quia uti frui ſine illo non poſſet. Atque hæc alibi pluribus adſtruam in tertio de uſuris Iuſtinianeis volumine. Hæc cum multis diſſeruiſſem quæſivi ab illo Iuriſconſulto, numquid haberet, quod contra reſponderet? Eo tacente, etiam interrogavi an aliud poſſet ex libro meo promere in quo viſus eſſe ipſi juris fundamenta evertiſſe? Iterum tacuit. Sic ad alia ſermo nobis tranſiit. Improbari alius ſibi oſtendit correctionem meam, ubi in genere ſuffectionem, *pro* in genere ſuo functionem, *repoſui in titulo D. de rebus creditis. Sed nihil afferebat, cur pœnitere me deberet ejus emendationis, quæ & veriſſima eſt ac certiſſima. Qui* res fungibiles *ex eo commenti ſunt, quæ ſuo genere fungerentur, incognita veteribus Iuriſconſultis vocabula finxiſſe & abſurda, nihilque minus, quam quod vellent ſignificantia, alio loco docui. Quidam minuti critici quaſdam alias emendationes meas in auctoribus aliis carpere inſtituerunt, ſed ineptiſſime. Vt illam qua in* Petronio *reſcripſi* in coriaria habitare, *pro* in culina. *Et vulgatum quidem illi mordicus retinent, & ex gloſſis de latrina interpretantur. Sed vellem ex aliquo auctore claſ-*

claſſico notionem vocis culinæ, *pro latrina mihi prompſiſſent. Triviale hoc nomen eo ſenſu fuit, nec honeſte factum, ut putant, cum* culinæ, *quæ coquina eſt, ὁμωνυμίᾳ, ſed ab ea parte, quæ in nobis nonniſi turpicule nominari poteſt deductum, cum* culinam *aliunde derivari teſtis ſit primæ ſyllabæ brevitas. Nam & veteres* colinam *dixerunt à colendo, atque inde* colium, *&* coliginem *etiam deduxere, ut ad Arnobium docebimus. Vellem etiam ut me docerent, an aliqui olim latrinam habitaverint. Tunc enim verum eſſet quod affirmant legi in Petronio debere*, quam bene olere, qui in culina, *id eſt, latrina*, habitant. *Ergo oportet quoſdam tum in culina habitaſſe, qui inde male olerent. At de culina, quæ coquina eſt veriſimilius videretur. Nam & coqui adſidui ejus ſunt inquilini. Et illa virgo in Perſa Plauti memorat* ſe in culina natam ad lævam manum. *Reſpondet alter*, in loco calido natam ergo fuiſſe. *An de latrina illam culinam interpretabuntur? At* in coriaria *repoſui, cum omnes libri ibi habeant*, in coria. *Notum eſt autem, quam male oleant, qui in coriaria habitent. Latrinas habitandas illis permitto, qui eam lectionem in Petronio contra omnes veteres libros probant. Non dubitarunt tamen hoc Emblemate inſignire ſacras* Exer*citationes ſuas. Alia nonnulla quæ ſciolis & ineptis non arriſerunt, in hoc ſecundo volumine & tertio, quam perperam ab his venenatis muſculis adrodantur, oſtendi. In quo tertio volumine multa etiam adhuc viris doctiſſimis in materia uſuraria*

inco-

incognita in medium adduco doceoque, ut de uſura uſurarum, de anatociſmo, de perpetuis uſuris, de μονοκεράτοις, δικεράτοις, τρικεράτοις, *&* τετρακεράτοις τόκοις, *nec de nomine cuiquam adhuc notis. Sed qualiacunque hæc ſint, quæ ſuper tam nobili argumento explicavimus, non erunt certe deteriora, quam fumis nata, fumo ſimillima de Somniis ſomnia, quamque etiam ſomniis, ſed ægrorum, pares de lingua Helleniſtica, quæ nec eſt nec fuit, hariolationes.*

CL. SAL-

Claudii Salmasii
de
Modo Uſurarum
Liber.

Caput I.

Modus uſurarum, quam varius eſſe debeat. A magiſtratu imponi ex circumſtantiis locorum & temporum, item rerum quæ dantur qualitate, & perſonarum tam quæ accipiunt, quam quæ dant conditione. Periculum etiam pecuniæ creditæ à creditore ſuſceptum facere ut modus variet. Inde alias uſuras expeti in nautico fœnore, alias in communi. In illis quoque civitatibus in quibus licebat quantis liberet uſuris fœnerari modum aliquem fœnoris fuiſſe vulgo receptum ex uſu fori & commerciorum. Non eundem debere eſſe modum uſurarum in magna rei nummariæ dificultate & in ſumma ejuſdem abundantia. Quid princeps aut magiſtratus ſequi debeat ne ad ſingula temporum momenta novas leges de modo uſurarum condere neceſſe habeat. Satis eſſe quæ maxima videantur in raritate pecuniæ maxima convenire, eas pro legitimis ſtatui. Minorum modum quales expetit pecuniariæ rei copia ſponte à contrahentibus ſumi. Sub imperatoribus Romanis ante Iuſtinianum centeſimam fuiſſe legitimam, leviores tamen ſæpius frequentatas per ea tempora uſuras prout pecuniæ copia aut inopia id flagitaret. Ab illo uſuris imponendo modo multos uſurarum modos &

genera prodita. Græcos & Latinos alia habuiſſe quibus eos exprimerent vocabula nomine potius quam re invicem reſpondentia. Inde errores doctorum varii nati. De his tractatum. & primo quidem de Græcis. Quod genus uſuræ illi vocarint ἔφεκτον τόκον. Duorum doctiſſimorũ virorum in diſpari ſententia par error notatus. Ἔφεκτον τόκον non eſſe fœnus ſextantale Romanorum. An ἐπωβελία ſit τόκος, & quatenus differat ab ἐφέκτῳ τόκῳ. Platonis locus ubi ἐπωβελίας meminit expenſus, & quid ſit proprie ἐπωβελία. Omnes Grammaticos qui τόκον interpretati ſunt, in mente habuiſſe Platonis verba. Heſychius correctus. Quid ſit παραβόλιον. Ariſtoteles emendatus in voce παράβολον. De pecunia, quæ in judicio à petitore deponebatur. Ἔφεκτον τόκον Atticis uſuram dici, quæ ſextam ſortis partem annua die reddit. Eamdem eſſe rationem & aliorum vocabulorum, quibus uſuræ ſignificantur apud Atticos; ἐπίπεμπτος ἐπίτριτος, ἐπιδέκατος, & ſimilium. Græcis ἐπιδέκατον & ἐπίτριτον ſumi pro ſimplici δέκατον & τρίτον. Sic ἐπίπαντες pro πάντες in veteri inſcriptione. Mathematicis alio ſenſu dici ἐπίτριτον, quam Atticis. Iſtis tertiam eſſe partem alicujus numeri, illis numerum, qui tertiam totius ad totum adjectam habeat. Ex ratione ſupputandi Mathematicorum id explicatum, qui ſenarium numerum pro perfecto habuerunt. Epitritum & Hemiolium non auſos in Latinam linguam vertere veteres, Agellio teſte. Vitruvio ſeſqualterum vocari Latine τὸν ἡμιόλιον, & Adtertiarum τὸν ἐπίτριτον. Quid ſit apud eundem Adquintarius. Idem emendatus. Seſquitertius in Gloſſis idem quod ἐπίτριτος. Nuſquam fuiſſe uſitatum Græcis ἔφεκτον τόκον uti eum docti Viri interpretantur. Privatis vulgo uſurpatum ἔφεκτον, & in uſuris communibus, ἐπίπεμπτον locum habuiſſe in trajecticiis contractibus. De hoc fœnore explicatus Xeno-

phontis

phontis locus, & correctus. Non fuiſſe diarium fœnus Nauticum. De illationibus Athenienſium. De Triobolo judicum. ζευγῖται. Tres eorum claſſes. Quid ſinguli publico penderent tributi nomine. Θῆτας nihil pependiſſe, nec ullum Magiſtratum geſſiſſe. De cenſu totius Atticæ, quantus fuit. τόκον ἐπίτριτον, Græcorum aliud eſſe fœnus à trientali fœnore Latinorum. Fœnus, quod Græci appellarent, ſi id uſitatum habuiſſent, ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, non eſſe idem cum ἐφέκτῳ. Quid ſit centeſima, & ἑκατοστὴ in fœnore. Eam uſuram ἐπόγδοον fere τόκον dictum conſtituere. Quis ἐπόγδοος τόκος fuerit. Ἐπιδέκατον τόκον convenire cum uſuris Romanorum dextantibus. Hujus exemplum ex veteri inſcriptione prolatum. Item aliud de fœnore ἐπιπέμπτῳ Græcis appellato. Alia plura.

AD exitum perducto priore de uſuris volumine, quo licitas eſſe probavimus jure naturali & divino, nunc de modo earum tractandum eſt. Debere eſſe aliquẽ quo effrenis in fœnerando licentia caſtigetur & coerceatur, inter omnes convenit. Ut ergo conſtituatur uſuris modus bonum publicum requirit. Qualis debeat conſtitui, Magiſtratus eſt, vel Principis videre, ex locorum ac temporum circumſtantiis ipſarumq; rerum quæ fœnore dantur qualitate. Sed, nec minus ex perſonarum conditione, ſive quibus dętur, ſive quę ipſę dent. Ut ab hoc ultimo qui perſonas ſpectat incipiamus, non eundem præſcribi par eſt fœneranti modum in dignitate poſito, & plebeiæ cõditionis homini, qui artem fœnerandi ex profeſſo faciat. Hic lucrum ex ea re quærit, nec curat an ſordidum ſit, ac turpe, quantas poſſit maximas, exigere, pro pecunia quã credit, uſuras. Ut non hoc ei liberum ſit; majorem tamen ideo ei permitti oportet mercedem accipere, quia pluribus

opitulatur, & neminem qui opus habeat ope ſua, rejicit, & quæſtum hunc ſolum habet, ſolamque hanc novit negotiationem. Ille autem dignitate conſpicuus, qui honeſtatis potius, quam utilitatis ſuæ rationem habere debeat, quemque adeo deceret prodeſſe omnibus gratis, ſi hoc nolit, modum ſaltem ſervet, quam lex ei ſtatuerit, ut minorem quam fœneratori publico, ita ſibi honeſtiorem & convenientiorem. Quemadmodum enim, qui ſua vendunt opificia artifices, aut qui fructus ex reditibus propriis vænales habent agricolæ, minoris ea ſolent vendere, quam, qui mercaturam earum rerum exercent, & ea ab ipſis emunt artificibus & agricolis ut carius aliis vendant, ita qui in ære ſuo ſunt aliunde quam ex fœnore comparato, ſi id otioſum ſibi eſſe pati nolint, leviores uſuras paciſci debent, quam qui ex ea arte negotiantur. Hi quippe, qui fœnus tanquam artem exercent, ut paratam ſemper habeant pecuniam, neceſſe habent ſub uſuris ab aliis accipere, quam mox daturi ſunt mutuam à ſe accipiētibus. Quæ plane eſt pecuniæ μεταβλητικὴ, & nundinatio uſuraria æque licita, ut aliarum rerum & mercium. Nobilis qui vinum vendit, aut frumentum, in agro ſuo nata, non tam care vendit, quam qui ab illo id emit ut aliis vendat. Haud ſecus eſt de uſura privatorum & publicorum fœneratorum. Rurſus, ſi perſonas ſpectemus, quæ mutuum ſub uſuris poſtulant, non ſine diſcrimine habendæ ſunt. Qui fœneratori publico aut menſario pecuniam credit, non tam leves exigere eum oportet uſuras, quam ſi amico, aut parenti, aut etiam extraneo, ſed egenti, crederet. Eſt ubi nullas prorſus petere honeſtius eſſet, nonnunquam leviſſimis contentum eſſe magis deceret. Sed in his ſola voluntas & affectus modum ponere novit. Ut enim amico, aut parenti dem gratuitam, & extraneo fenebrem, aut ut ab iſto quam ab illo graviorem exigam gratiæ relationem, perinde ut notus erit vel ignotus, plus

plus aut minus familiaris & carus, nulla lex me cogit. At lex aliquando omnes perſonas quæ fœnerantur, ſi agricolis mutuam dent pecuniam, aut Eccleſiis collocent, minores accipere uſuras juſſit, quam ſi aliis in fœnus darent. De quo infra. Ex perſonarum certe quæ dant conditione longe magis variat uſurarum modus, quam ex quacumque alia ratione. Inde ſunt aliæ uſuræ communes, aliæ ſenatoriæ & illuſtrium, aliæ mercatoriæ, eædemque trapeziticæ. Quæ differentiæ à Iuſtiniano maxime firmatę. De quibus omnibus nos in ſequentibus. Aliæ porro etiam uſuræ competunt propter lucrum ceſſans, alię & majores propter damnum emergens. Quod perſonam reſpicit dantis, Rurſus, aliæ debent expeti ab eo, qui ad lucrum faciendum, pecuniam petit mutuam, quam qui ad ſublevandam neceſſitatem, qua premitur, eam rogat. Eaque differentia perſonam debitoris ſpectat. Sed hoc modi genus lex ipſa non determinat, quia ex æquitate & humanitate dantis mutuum plane pendet. Quod ad res attinet, quæ in mutuum fœnebre cadunt, magna quoque earum eſt, quoad modum uſurarum quæ ex his percipiuntur, differentia. Si fruges mutuo quis dare velit, tam liquidas, quam ſiccas, majores in his uſuras competere æquiſſimum eſt, propter incertum fructuum pretium, quod non ſolum in annos mutare, ſed etiam intra annum ſæpius ſolet. Et hanc rationem habuere juriſconſulti veteres, cur frugum ampliores uſuras eſſe quam pecuniæ, juſtum duxerint. Tempora porro ut in aliis omnibus rebus, ita & in ponendo uſuris modo obſervari debere plus quam certum. Nec enim omni tempori eadem ratio idemque modus conveniret, quatenus non ſemper eadem eſt pecuniæ abundantia vel raritas. Majores autem expetere uſuras rei nummariæ inopiam, quam copiam, nemo certe negat. Loci circumſtantia magni etiam facienda ad modum uſurarum alium atque alium inſtituendum.

Ubi difficilius habentur pecuniæ, cariorem pro his locandis mercedem, quæ uſura eſt, exigi, ratio vult, quā ubi abundant. Nam in illis locis viliori pretio nummi conducuntur. Quod æque moris eſt & in aliis mercibus. Ad loci differentiam referri etiam debet, quod eſt inter nauticum fœnus & commune diſcrimen. Etenim hoc in terra, illud in mari exercetur, unde & *maritimis uſuris* nomen. Fortaſſe tamen & perſonæ hoc diſcrimen induxerunt. Quod nautis & mercatoribus datur, inde appellatum eſt. An neque locorum, neque perſonarum diverſitas, ut diverſæ eſſent uſuræ maritimæ à communibus effecit, ſed ſola periculi ratio? Nam ne in nautico quidem fœnore, ſi periculum creditæ pecuniæ non reſpiciat creditorem, juris eſt ampliores communibus ſtipulari uſuras. Ergo & hæc etiam cæteris addenda ratio eſt, quæ modum fœnoris diverſum conſtituat, nempe periculum. Quod tanti eſt, ut in illis rebuſpublicis, ubi nullus uſuris modus præſcriptus fuit, niſi quem voluntas fœnerantis agnoſceret, longe majoribus fœnus nauticum exercitum ſemper ſit uſuris, quam commune, vel ut quidam appellarunt, terreſtre. Sed hæ ampliores uſuræ in fœnore nautico potius exigendæ, quam in communi, ex conſenſu potius contrahentium, quam ex ulla lege obſervatæ ſunt in illis civitatibus, quæ nullum modum uſuris dixerunt. In civitate Athenienſi cum liceret cuilibet quantaſlibet uſuras pro pecunia locata paciſci, ea licentia æque locum habuit in fœnore nautico, ut in communi, cum tamen vulgo eſſet differentia uſurarum in hoc & in illo. Ex quo perſpici poteſt, etiam ubi lex nullum temperamentum rei fenebri poſuit, tacito conſenſu contrahentium ex commercio ipſo & uſu ſponte id imponi. Lege ſua Solon, ut in priore libro docuimus, ſtatuit, τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι ἐφ' ὁπόσον ἂν βούληται ὁ δανείζων, *uſurarum ex pecunia fœnerata percipiendarum eum modum eſſe, quem vellet*

vellet fœnerator. Quantas igitur quis vellet uſuras in ea republica poterat ſtipulari. Immo quantas quis poſſet. Ne quis enim cenſeat, quia liberum erat, quam maximas & quas quis vellet uſuras in pactionem deducere, ideo & ſemper tales ex creditorum voluntate & arbitrio fuiſſe exactas. Res ipſa quippe moderationem per ſe jubet, ubi lex ſine modo rem eſſe permiſit. Idemque uſu venit in uſuraria pecuniæ negotiatione: quemadmodum & in aliarum mercium moris eſt nundinationibus. Lex non conſtituit pretium mercibus, quę in urbem vęnales advehuntur, nec mercatoribus qui eas important, modum præcipit quem in vendendo tenere debeant, ut tanti, aut tanti ſua mercimonia dare neceſſe habeant. Nemo eſt mercator, quin quam maximum ponere ſuæ merci pretium geſtiat, & quam maximam ejus indicaturam facere. Quid vero fit? Non id ab ementibus pro re vænali ſemper extorquet quod voluit, quod deſtinavit, ſed longe minoris illam cum indicare, tum etiam dare cogitur, quam propoſuerat, cum in forum venit. Prout fori curſus eſt, ut vocant, & pro multitudine ac paucitate vendentium atque ementium, & mercium ipſarum abundantia vel penuria, ita carius aut vilius ſua vendit. Contingit etiam interdum, ſi inter plures ejuſdem mercimonii inſtitores, aliquis aliqua περιστάσει adactus, aut etiam ex propria bonitate & æquitate, ſuæ merci levius pretium ſtatuat, omnibus ad eum concurrentibus, ut reliqui mercatores ſi ſuam mercem velint vendere, eodem illam pretio empturientibus exhibere cogantur. Non ſecus eſt & de pecunia quæ fœnore exercetur. Etiamſi quis propoſitum habeat, ingentes uſuras pro ea quam dare cupit fœnore, accipere, non ſemper voto ejus fortuna obſequens aſpirat. Nam ſi copia ſit rei nummariæ in ejus locis ubi hoc affectat, ſi plures ſint levioribus uſuris ſuam præbere parati, non poterit quibus nummos locet invenire, niſi eundem

modum ſequatur, quo alii contenti ſunt, & quem ſibi ipſis præſcribunt. Magiſtratus itaque ad quem pertinere diximus uſuris modum imponere, iniquiſſime fecerit ſi eundem ſemper in civitate cui præeſt eſſe voluerit. Ut tempora varia ſunt, ita varias eſſe uſuras oportere vel cœco patet. Quid vero iniquius, quam in maxima rei pecuniariæ difficultate æque leves omnibus uſuras capiendas injungi, atque in maxima nummorum abundantia? In Imperio autem vel regno, quod plures habet provincias invicem diſſitas, & diverſis utentes inſtitutis, cum fieri non poſſit, ut omnes uno eodemque tempore rem pecuniariam æque expeditam aut difficilem noverint, ſi tamen Rex ejus Imperii aut Monarcha normam eamdem formamque uſurarum per omnes regni terminos præciperet obſervandam, nonne injuſtiſſima hæc ejus haberi deberet ſanctio? Quomodo enim æquum videbitur, in ea provincia, quæ laborabit pecuniæ penuria, non majorem uſuram à quoquā peti poſſe, quam in aliis locis ubi abundabit? Ubi agri aratorii ſunt multi, nummuſq; rarus, non plus uſuræ nomine pro credito exigi, quam ubi exigua aut nulla latifundia, nummique omnibus ſuperfluentes, nonne injuſtitiæ pars eſt? In omnibus quippe rebus, non ſolum in pecuniæ uſu & negotiatione, caritas ex raritate oritur. Quid vero faciet hic princeps? An ad ſingula temporum momenta perinde ut creſcet aut minuetur rei nummariæ inopia ac defectus, novas ſubinde leges, quibus in ordinem redigat uſuras aut extendat, condet? Hoc operoſum nimis ac moleſtum. Atqui non eſt neceſſe. Statuatur ſemel modus pro legitimo uſurarum maximus, qui videatur conveniens ac juſtus eſſe, vel in maxima pecuniæ ſignatæ raritate. Nemini liceat hunc modum tranſcendere quantumvis difficilibus & impeditis rei pecuniariæ temporibus. Servanda hæc ratio, & ſemper & ubique in toto Imperio quam longum ſit, & per omnes

omnes ejus provincias ſanciatur. Si eodem tempore contigerit in aliqua provincia illius regni difficillime haberi pecuniam, in alia copioſiſſimam ejus reperiri annonam, non eſt periculum ne lex illa quæ graviſſimas pro legitimis impoſuit uſuras æque tunc temporis obſervetur in ea regione, quæ nummorum copiam habebit, & in illa quæ carebit. Sponte ſua ſine ullo legis præſcripto homines illius provinciæ in qua pecunia ſuperfluet, longe minore ac leviore eam fœnore occupabunt, quam quod lege permiſſum fuerit. Si aliter facerent, vix ſaperent. Non enim invenirent, quibus pecunias collocarent, ſi tantas capere uſuras affectarent, quantas ex lege præſtari in illis locis moris eſſet, quæ cum inopia rei nummariæ confligentur. Ut ecce in Imperio Romano ſub Imperatoribus uſque ad Iuſtinianum graviſſimas uſuras, quæ modo eſſent legitimæ, conſtat fuiſſe centeſimas. In graviſſima rei nummariæ difficultate non licuit majores à quocunque exigere. Hoc non eo pertinuit, ut per totum Imperium Romanum, & quo tempore pecunia abundantior eſſet, non minoribus liceret uſuris mutari quam centeſimis. Satis fuit legi ejuſque auctori, eum modum uſuris præſcribere, quo majorem quolibet tempore ac quantalibet neceſſitate fas non eſſet ſperare. Qui ultra attẽtaret, non illi impune eſſet. De cætero facillimum fuit prævidere auctori legis, pro temporum & locorum circumſtantia alios uſurarum modos infra illum legitimum, qui graviſſimus & maximus erat cõſtitutus, fore cuſtodiendos. Quod relinquendum fuit vel in arbitrio fœneratorum, dum ne legitimum excederent, vel in fœnore accipientium voluntate, prout neceſſitas ipſorum id requireret, vel prout uſurariæ rei ratio, in illis locis quibus mutuum petebant, poſtularet. Hinc Iuriſconſulti noſtri, in bonę fidei judiciis cum de uſuris diſceptatur quales debeantur, arbitrio judicis uſurarũ modum ex more regionis,

ubi contractum eſt, conſtituendum eſſe, ſæpe pronunciarunt. Atqui eo tempore centeſimas pro legitimis fuiſſe obſervatas ſatis conſtat. Inde & apud auctores, qui ſub Imperatoribus vixerunt, & in veteribus Inſcriptionibus, quæ per illa tempora poſitæ ſunt, ne Iuriſconſultis etiam teſtimonium fruſtra denunciem, tot genera ac nomina uſurarum centeſimis minorum occurrunt, ut beſſium, ſemiſſium, trientium & aliarū, de quibus in ſequentibus ſumus dicturi. In illa ipſa Rep. Athenienſi, quæ permiſit, quem quis vellet aut poſſet capere uſurarum fructum, certum eſt vulgo receptum fuiſſe in uſuris communibus, quem ἐφεκτὸν τόκον appellarunt, & in maritimis qui ἐπίπεμπτος dictus eſt, ut idoneorum auctorum teſtimonio didicimus, & probabimus. Ab illo igitur modo in uſuris petendis ſervando, quem conſtat variare ex præſcripto legis, pro temporum, locorum, perſonarum & rerum ipſarum quæ dantur conditione & qualitate, varii nati ſunt modi ac genera uſurarū, tam apud Græcos, quam apud Latinos, de quibus nunc eſt dicendum. Aliter enim Græci, aliter Latini eos modos expreſſerunt, & alias hi quam illi appellationes his indiderunt. Quod ſi interdum vocabula ipſa, quibus eas Græci & Latini appellant, videantur inter ſe reſpondere, id nominibus potius, quam rebus verum deprehendi, planum faciemus. Iam hinc igitur diſſerere incipiemus de uſurarum variis generibus ac modis, qui apud Græcos ac Latinos in more & uſu promiſcuo fuere, deque eorum differentiis. Nondum enim à quoquam eam rem ſic tractatam & examinatam videre memini, ut acquieſcere dictatis doctiſſimorum hominum hactenus mihi licuerit. Non attenderunt plerique eorum, ut alias nummorum ſpecies & appellationes habuere Romani quam Græci, ita etiam alia uſurarum genera & nomina uſurpaſſe hos & illos, quæ non poſſunt invicem convenire. Quod ſæpius viros in his literis magnos

feſellit.

feſellit. Exempli gratia, quomodo Scaliger cum aliis quibuſdam exponit *unciarium* Romanorum *fœnus*, ut nempe uncia ſit in ſingulos menſes ſolvenda, ſolidusq; anno vertente pendatur pro uſura, centeſimam Græcorum hoc fœneris genus ita explicatum prorſus æquiparare, idemque cum illa eſſe, plane comprobatur. Atqui pro modeſtiſſimo fœnore unciarium illud Romani civibus ſuis improbitate fœneratorum oppreſſis, & ære alieno obrutis, ut optimum eorum inopiæ ſublevandæ remedium, propoſuerunt. Quod non idem potuit eſſe de centeſima Græcorum, quam Iuſtinianus & poſt eum deinde Imperatores Romani ſolis mercatoribus & in nautico tantum fœnore pecuniaque trajecticia uſurpandam decreverunt, cum cæteris aut tertiam centeſimæ permitterent tantum, aut dimidiam, aut beſſem. De quo infra pluribus. Sed nec *trientale fœnus* Romanorum convenit cum Græcorum ἐπιτρίτῳ niſi nomine. Res ipſa quippe in totum diverſa. Multa alia ſunt in quibus viri doctrina ſummi, dum conciliant & componunt Romana cum Græcis in hoc uſurarum negotio, turpiter errarunt. De Græcis primum videamus, quarum rationem ſi penitus ignotam fuiſſe dixero hominibus eruditis, nihil mentiri videbor. Doctiſſimus primum amicus noſter, qui ad leges Atticas commentarium ſcripſit, Titulo de uſuris, primam uſuram fuiſſe apud Græcos notat, ὀβολὸν ἔμμηνον ἐις δραχμὴν, *menſtruum obolum in drachmam*. Quod neſcio unde expiſcatus ſit. Scaliger de re nummaria primam fuiſſe vult ὀβολὸν ἔμμηνον ἐις μνᾶν, & vetuſtiſſimam hanc apud Atticos uſuram videri, quam illi appellarunt ἐφεκτὸν τόκον. Non magis eorum invicem diſſidet ſententia quam mina differt à drachma, centenarius numerus ab unitate. Et tamen, quod mirum eſt, uterque ἔφεκτον illum τόκον, *ſextantalem* more Romano appellat. Neuter ſcopum attigit. Sextantalis certe eſt cum obolus in minam ſingulis

menſibus

menſibus penditur, quæ uſura in annum duas drachmas reddit, aut quod idem eſt duas uncias, eſtque ſexta centeſimæ, ſed longe alia eſt à Græcorum ἐφέκτῳ τόκῳ, quæ uſura ſextam ſortis partem ſingulis annis reddit. Ὀβολιαῖος quidem ille τόκος quibuſdam dictus eſt, & ὀβολὸς pars drachmæ ſexta, non tamen idem eſt cum τόκῳ ἐφέκτῳ, qui non ad drachmam quaſi ſortem referri debet, ſed ad quamcumque, cujus ſextam partem ſingulis annis pro fœnore præſtat. Alter ille, qui ἔφεκτον τόκον definit cum obolus in drachmā ſingulis penditur menſibus, in diverſiſſimam, ſed non veriorem deflectit ſententiam. Hujuſmodi uſura, quā ἐφέκτῳ τόκῳ aſſignat, ſortem bis in anno exæquat, & duas drachmas conficit. Nam duodeni oboli duas faciunt drachmas. Hanc tamen uſuram *ſextantalem* vocitat. Sit ſane ſextantalis, dum non ſit Romana. Sed neq; ſextantalis erit Græca. Non enim ἔφεκτος eſt Atticorum, qui ſextam ſortis partem in annum reddit, hoc eſt obolum in drachmā annuum. Non me quidem latet, apud Platonem undecimo de legibus, ἐπωβελίαν appellari uſuram quæ ὀβολὸν pro drachma in menſem pendit, hoc eſt, ſextam drachmæ partem, quæ ἔφεκτον τόκον plane conſtituere videtur. Hoc quidem verum eſt. Sed de legitima Atticorum uſura non ibi loquitur Plato, cum ea ſit quam in ſua Republica in certo tantum caſu permittendam cenſuit. Nullam omnino ille quidem uſuram in illa quam legibus fundavit civitate, exigi voluit, ſed ἄτοκα omnia eſſe quæ mutuo darentur. Si quis autem mercedem pactam tempore conſtituto non ſolviſſet, dupli eum condemnari ſanxit. Quod ſi annus exiſſet, nondum ſoluta mercede, tum ἐπωβελίαν ut is dependeret, hoc eſt in ſingulos menſes ſextam drachmæ partem, pro drachma debita, quamdiu deberetur: ἕως τῇ δραχμῇ ἑκάστου μηνὸς ἐπωβελίαν κατατιθέτω. Hanc pœnam ſive multam potius conſtituit in eum qui mercedem opifici vel operario negaret, quam uſuram. Ideo ἐπω-

βελίαν appellavit, quo nomine Attici non ſolent uſuram appellare, ſed certam pecuniæ ſummam quæ in judicio deponebatur à petitore. Quam pecuniam ſi cauſa excidiſſet, amittebat. Ea quod ſextam efficiebat partem ejus ſummę quanti lis erat æſtimata, ἐπωβελία vocabatur, quia obolus quem ὀβελὸν antiqui dicebant, ut ante docuimus, ſexta pars erat drachmę. Quot erant igitur drachmæ in æſtimatione ejus rei quæ petebatur tot obolos judicio victus pendebat. Ideo & καταθέσθαι verbo uſus eſt Plato, hoc eſt deponere, quod rei uſurariæ non convenit, ſed huic pœnæ ſive multæ temere litigantibus impoſitæ proprium eſt. τὴν ἐπωβελίαν καταθέτω. Harpocratio in voce παρακαταβολὴ, ubi eam pecuniæ depoſitionem, quæ in judicio fiebat, pluribus exponit, ἀργύριόν τι κατετίθεσαν, *certam pecuniam deponebant*. Qua de re nos in ſequentibus plura ſuo loco ſumus dicturi. Nunquam igitur Attici ἐπωβελίαν vocarunt uſuram, ſed ſacramentum illud quod dixi quo petitor inficiatorem in judicio provocabat. Quod Grammatici ἐπωβελίαν τόκον exponunt, ad eum Platonis locum è legum undecimo reſpiciunt, ut Etymologici magni auctor in ἐπωβελία his verbis diſerte, λέγεται δὲ καὶ ὁ τόκος παρὰ τῷ Πλάτωνι νόμων ἐνδεκάτῳ. Nullibi ſanę pro uſura poteſt reperiri quam apud Platonem, ubi ne uſura quidem eſt proprie in ea civitate, quæ uſuras nullas admittit, ſed multa uſuraria tamdiu durans donec merces debita ſolveretur mercenario. Nam ἐπωβελία Grammaticis ἐπιτίμιον τοῖς διώκουσίν τινα χρηματικὴν δίκην, ἐπειδὰν μὴ ἕλωσιν. Verum quidem eſt Heſychium ἐπωβελίαν interpretari τόκον, ut citavit vir doctus, ſed inde eſt explicandus. Ἐπωβελίαν idem Heſychius alibi exponit προβόλιον τῆς δίκης. Ubi legendum eſt, παραβόλιον. Sic enim Græci recentiores vocarunt τὴν παρακαταβολὴν illam ſive depoſitionem pecuniæ quæ in judicio ſolemnis. Pollux lib. VIII. τὸ δὲ παρακαταβαλλόμενον ἐπὶ

τῶν

τῆς ἐφέσεων, ὅπερ οἱ νῦν παράβόλιον καλοῦσιν, παράβολον Ἀριστοτέλης λέγει. Non ſolum in appellationibus, ſed etiam in aliis judiciis pecuniariis obtinuit, ut Ariſtoteles quē hic allegat Pollux, planū facit in Oeconomico ſecundo, cujus verba ex hoc Pollucis loco emendanda ſunt hoc modo: τότε δὴ παράβολον πολλῶν δικῶν καὶ τὰς ἐκκλήτους μετ᾽ ἐπιτιμίου ἐφ᾽ αὐτὸν ποιούμενος καὶ παρ᾽ ἐκατέρων δ᾽ ἑτέρων λαμβάνων συνήγαγεν οὐκ ὀλίγα χρήματα. Perperam hodie legitur, παραβόλου, Ex quibus Ariſtotelis verbis patet, παράβολον ſive παραβόλιον, hoc eſt pecuniam in judicio deponi ſolitam à petitore non in appellationibus proprie locum habuiſſe, ſed in aliis judiciis. Sequentia apud Heſychium quibus ἐπωβελίαν explicat, quia male conſtituta ſunt, ab eodem viro doctiſſimo ſic ea ſcribenda judico: ἔστι δὲ ἀκόλουθον τῷ τῆς δίκης τιμήματι ὄφλημα, ὡς Δίδυμος τὸ ἕκτον μέρος τοῦ τιμήματος, οἱ δὲ τὸ δέκατον. Certe ἐπωβελία non poterat eſſe niſi ſexta pars litis æſtimatæ, ut ὀβολὸς eſt ſexta pars drachmæ. Si decima deponebatur in aliis judiciis, tum alio nomine, quam ἐπωβελίας veniebat. παραβόλιον aut παράβολον abſolute dicebatur, ut infra pluribus docebimus cum de ſacramento & ſponſione agemus. De ἐπωβελία vero quod pro uſura etiam apud Heſychium occurrit, palam eſt alludere ad illum ipſum Platonis locum, quem ſupra attigimus. Ita enim ſcribit: Ἐποβελία, τόκος. Sic apud eum ſcribendum eſſe literarum ſeries oſtendit, non ἐπωβελία. Et ſane ἐποβελία dicitur ut ἐπόγδοος & ἔφεκτος. Nec opus literā ο è brevi longam ac duplicem fieri. Id autē fœnus quod ſextam partem ſortis in annum debet ἔφεκτον τόκον appellarunt Attici, ut & ἐπίτριτον qui tertiam, ἐπίπεμπτον qui quintam, ἐπόγδοον qui octavam, & ἐπιδέκατον qui decimam. Quibus vocabulis aliam ſignificationem in re fœnebri attribuerunt Attici, quam Mathematici ſimiliter effictis à numero appellationibus. Attici enim ἔφεκτον pro ſimplici ἕκτον uſurparunt, ut ἐπίπεμπτον pro πέμπτον.

Nec placet quod vir magnus notavit in poſthumo de re nummaria, in his loquutionibus ἔφεκτον dici quod ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς in ſextam partem drachmæ fœnus daretur. Sic enim dicebant, ἐπὶ δραχμῇ δανείζειν, ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, ἐπὶ τρίτῳ, & ſimilia. Hæc quidem vera eſſe fateor. Sed tamen cum certum ſit etiam in aliis rebus in quibus uſura locum non haberet, ita loquutos eſſe, ut ἐπίπεμπτον pro πέμπτῳ uſurparent, & cætera ad hunc modum, etiam in fœnore cum uſuræ nomine deberetur quinta pars ſortis, id ἐπίπεμπτον dixerunt ἀντὶ τοῦ πέμπτου, & ἐπίτριτον ἀντὶ τοῦ τρίτου. Quomodo & Latini *trientale* fœnus vocarunt, quod tum tertiam partem efficeret centeſimæ, *ſextantale* quod ſextam. Hoc loquendi genus Atticis familiare notavit Harpocration aliquot ſcriptorum Atticorum teſtimoniis comicorum & oratorum: Ἐπιδέκατον, τὸ δέκατον. Ἰσαῖος ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου. καὶ ἐπίπεμπτον εἰώθασι λέγειν τὸ πέμπτον, ὡς καὶ Εὔπολις Αὐτολύκῳ. Sic uſurpari τὸ ἐπίπεμπτον apud Lyſiam & Platonem alio loco obſervat, ἀντὶ τοῦ ἁπλοῦ πέμπτου. Et apud Ariſtophanem in Comœdia Δαιταλεῦσιν hoc verſu:

Εἰ μὴ μεταλάβῃ τοὐπίπεμπτον, κλαιέτω.

Quidni igitur cum hæc ita ſint, ἐπίπεμπτος & ἐπιδέκατος τόκος dicatur fœnus, quod partem quintam & decimam ſortis conſtituat? Ita & apud Pollucem ἐπιδέκατον pro ſimplici δέκατον ac decima rei cujuſque parte etiam in aliis quam in fœnore, lib. VIII. cap. VI. οἱ δὲ οἴονται, πρυτανεῖα εἶναι τὸ ἐπιδέκατον τοῦ τιμήματος, κατατίθεσθαι δ' αὐτὸ τοὺς γραψαμένους ἐπὶ μισθαποδοσίᾳ τῶν δικαστῶν. Apud Ariſtotelem ſic accipitur in Oeconomico ſecundo: τοῖς δὲ ὠνουμένοις τι, ἔταξαν χωρὶς τῆς τιμῆς διδόναι τὸ ἐπιδέκατον. Non alio ſenſu & τόκος ἐπιδέκατος ipſis dicitur. Nec mirum porro ἐπιδέκατον dici pro ſimplici δεκάτῳ, & cætera ſimiliter ἐπίπεμπτον & ἐπίτριτον & ἐπόγδοον, pro octava, tertia & quinta cujuſque rei parte, cum ſic ἐπίπας dixerint pro ſimplici πᾶς.

In

In veteri inſcriptione Græca: Ἐγὼ διονόσιος τοῖς ἐπίτασιν Ἱεραπυλίοις. Quod manifeſte poſitum eſt pro τοῖς πᾶσιν Ἱεραπυλίοις. Et paulo poſt: Οἱ ἐπίπαντες Ἱεραπύτνιοι. At Mathematici ἔφεκτον & ἐπίτριτον nominant longe alia notióne quam eſt illa Atticorum, qui pro ſimplici ſexto & tertio ea ſolent ponere. His ἐπίτριτος τόκος ea eſt uſura quæ tertiam partem ſortis dat; vel certe ſi hoc mavis, ἐπὶ τρίτῳ ſortis exigitur. At ἐπίτριτος Arithmeticis numerus dicitur, qui ſupra ſex adjecto triente octonarium efficit, & ἔφεκτος, qui ſupra ſex adjecto aſſe, id eſt unitate, quæ ſextans ipſorum eſt, ſeptenarium conſtituit. Hæc ideo tam diverſe apud vulgum Atticorum & apud Arithmeticos, quia ex diverſa utrorumque ſupputatione alius eſt triens horum, alius illorum. Tertiam partem totius ſummæ qualiſcunque illa ſit, τὸ τρίτον Græci & ἐπίτριτον Attici appellarunt. Triens apud Romanos in aſſis partitione, quia in duodecim uncias dividitur, pro tertia ejus parte accipitur, atque ideo quaternarium dat unciarum numerum, quod τὸ τρίτον eſt aſſis Romani duodecim unciis conſtantis. At triens ſive τὸ τρίτον Mathematicorum duas tantum monadas ſignificat, quia ſenarium numerum illi pro perfecto habebant, & ſic computabant, ſextantem pro uno ponentes, trientem pro duobus, ſemiſſem pro tribus, beſſem pro quatuor, quem δίμοιρον, quintarium pro quinq;, quem πεντάμοιρον vocabant, & pro perfecto ſex; cui ſi ſextam partem ejus numeri adjicias, facies τὸν ἔφεκτον, eruntque ſeptem. Hinc ἔφεκτος λόγος, qui ſuperat ſextante perfectum numerum ſex. cujus ratio eſt, ut VII. ad VI. Ita ἐπίτριτος cum triens ſive tertia pars adjecta eſt, & inde oriuntur octo. Si ſemiſſem Mathematicorum ipſorum perfecto adjeceris numero, fient novem, qui numerus ipſis ἡμιόλιος dicitur, quem *ſeſquialterum* Latini dicunt. Non ignoro & eandem proportionem poſſe obtineri ſi aſſis Romani diſtributionem

ſequaris.

ſequaris. Nam ſi aſſi, hoc eſt, duodenario numero adjeceris ſextam partem aſſis vel ſextantem, hoc eſt, duo, eamdem habebis rationem XIV ad XII ut eſt VII ad VI. Atque ita de ceteris. Hæc differentia τῶ ἐφέκτυ Mathematicorum & Atticorum impoſuit Budæo & Agricolæ, qui τόκυς ἐφέκτυς Demoſthenis in ea πρὸς Φορμίωνα interpretati ſunt de uſuris ſeſquiſextis. *Sextaria* potius appellandæ eſſent. Nam ἔφεκτ☉ Mathematicis Græcis eſt *ſextarius* cui ſexta adjecta eſt. Ut ἐπίτριτ☉, *tertiarius*, cui tertia addita eſt. Si tamen verum eſt quod apud Vitruvium ſcribitur lib. III, cap. I, his verbis; *Cum facta ſunt octo, quod eſt tertia adjecta, tertiarium, qui* ἐπίτριτ☉ *dicitur*. Ita ſane & *quintarium* paulo poſt vocavit, cum ad numerum perfectum, qualis eſt ſenarius, adjecti ſunt quinque; *In undecim numero, ut adjecti ſunt quinque, quintarium, quod* ἐπιπεντάμοιρον. Quomodo tamen id procedat, ignoro. Nam paulo ante dixit *quintarium* vocari, qui Græcis πεντάμοιρ☉. Non igitur eodem nomine appellabitur Latinis πεντάμοιρ☉, & ἐπιπεντάμοιρ☉. An pro quintario, qui eſt πεντάμοιρ☉, legendum eſt *quinarius?* Videamus hoc. *Quinarius* numerus eſt quinque, qualem πεντάμοιρον Græci vocant, at *quintarius* is erit cui quinque adjecta ſunt ad perfectum numerum, ut ſunt undecim, qui ad ſex eſt ἐπιπεντάμοιρ☉, quia πεντάμοιρος adjicitur. Reperio tamen in antiquiſſimo codice pro tertiario legi, *adtertiarium*, hoc modo: *cum facta ſunt octo, tertia adjecta, adtertiarium*. Ad verbum reddere voluit vocem Græcam Latina à ſe conficta, ut ἐπίτριτ☉ ſit *adtertiarius*, qui totum habet, & adhuc tertiam ejus partem. Ad eum modum & *adquintarius* dicendus cui adjectus eſt quintarius. Sic enim πεντάμοιρον appellavit. Ergo cui additus πεντάμοιρ☉, is erit *adquintarius*. Quod eſt veriſſimum. Quod autem idem auctor ἡμιόλιον vertit Latine *ſeſquialterum*, ignoravit ita verti poſſe hoc

nomen in Latinam linguam Agellius lib. xviii, c. xiv. Ibi enim notat, has voces *hemiolii, & epitriti*, quibus figuras quaſdam numerorum Græci appellant, in lingua Latina vocabula non habere, nec auſos eſſe veteres ea vertere. In Gloſſis tamen veteribus ἡμιολία etiam *ſeſqualtera* exponitur. *Seſqualtera*, ἡμιολία. Verum de his adhuc infra fuſius. Ceterum Atticorum ἐπίτριτος eſt numerus, qui tertiam partem alicujus continet. At ἐπίτριτος Mathematicorum eſt, qui ad totum tertiam inſuper ejus partem adjunctam habet, quem numerum nomine Latino carere vult Agellius. Et fortaſſe apud politos & eruditos nomen Latinum ii numeri tunc non habuere. Vitruvius autem *adtertiarium* appellavit, veteres Gloſſæ *ſeſquitertium* reddiderunt. Quod nulla ratione compoſitum eſt. *Seſquialterum* ponamus recte vocari cui ad perfectum numerum, hoc eſt, ſex, altera dimidia pars, hoc eſt, ſemis, adjicitur ut ſunt novem ad ſex. Nempe ἡμιόλιος, is eſt numerus qui ſex continet, & ſemiſſem numeri ſex, hoc eſt, alterum ſemiſſem, qui *ſeſquialter* dicitur. Sic *ſeſquas* eſt as cum ſemiſſe, vel *as ſeſque*, id eſt, as & ſemis, ut *ſeſquialter*, alter ſemis cum toto poſitus. *Seſquitertius* autem quid erit? Eſt tertia pars adjecta ad totum, ut ſe habent octo ad ſex. Sed quare *ſeſquitertius*? Sic factum hoc nomen ut *tremiſſis* pro triente: quia nimirum *ſemiſſem* dicebant. Ut *meridionalem* pro meridiali, vulgo appellant, quia *ſeptentrionalis* ita dicitur. Uſque ad duodecim porro ſic numerabant Arithmetici. *Beſalterum* vocabāt qui ἐπιδίμοιρος, alterum nēpe beſſem ad totum adjectum, hoc eſt, quattuor ad ſex, numerum decuſſem, ut ſe habent nimirum decem ad ſex. In undecim numero quod adjiceretur alter quintarius, *quintarium alterum* vocarunt, Græci ἐπιπεντάμοιρον. Duodecim porro numerum qui duobus numeris perfectis æqualis, διπλασίωνα dixerunt. Διπλασίων autem etiam eſt ut quattuor ad duo,

duo, ſex ad tria, & ſimiles. Nunc ad ἔφεκτον fœneratorium redeamus, qui ſextam ſortis partem poſtulat. Hæc quæſtio jam eſt, cum Græci in re uſuraria hujuſmodi numeros nominant qui partem aliquam ſortis denotant, ut ἐπίτριτον, ἐπιτέταρτον, ἐπίπεμπτον, ἔφεκτον, uſque ad ἐπιδέκατον & ἐπιδωδέκατον, utrum partes eas in menſem deberi intelligendum ſit, an vero in annum. Viri docti quibus perſuaſum eſt uſuras omnes Græcorum menſtruas fuiſſe, omnimodo etiam crediderunt, ſortis tertiam partem, quartam, quintam, & ſextam, aliaſque, in menſem deberi. Quibus ego accedere non poſſum. Immane quippe, & inviſitatum illud fœnus foret, quod nec unquam uſurpatum Atticis Athenis, jam oſtendam. Nec eſt quod quiſquam ἡμεροδανειστὰς & ὀβολοστάτας, de quibus ſupra diximus, mihi objiciat. Hic quærimus de legitimis & ordinariis uſuris, quales apud Græcos in uſu & commercio communi fuiſſe veriſimile eſt. Non etiam illud mihi debet opponi quod ego optime ſcio, maximam fuiſſe Athenis fœnerandi licentiam cui ſola libido fœnerantium frænum imponeret. Oportet enim ejus rei tacito conſenſu quamdam velut normam extitiſſe, prout tempora ferebant ex pecuniæ copia aut penuria non ſecus atque aliarum mercium, quæ ut eſt earum vilis aut cara annona, ſic habent indicaturam. Liberum certe cuique eſt, merci ſuæ omni tempore pretium facere. Sed niſi morem & uſum fori ſequetur, fruſtra venditabit quod nunquam erit venditurus, ſi poſſim ab alio præſtinare idem pretio ſalubriori. Idem eſt in uſuris. Non poſſum hodie extorquere à te nummum, niſi ſub uſura tali, quæ ſit plane enormis. Alii ſunt qui quærunt longe minoribus uſuris pecuniam ponere. Ab his petam, tu fatuos fruſtra quæres, nec invenies. Harpocration in voce ἔφεκτος τόκος, eam uſuram eſſe interpretatur, quæ penditur ἐπὶ τῷ ἕκτῳ τοῦ κεφαλαίου. Et citat Demoſthenem in ea ὑπὲρ Χρυσίππου.

Ea eſt oratio quæ hodie πρὸς Φορμίωνα inſcribitur. Nam Phormio mercator à Chryſippo mutuatus erat minas viginti, in Boſporum navigaturus. Has cum intervertere vellet Phormio, adverſus eum pro Chryſippo dixit Demoſthenes. In ea ſic legitur: ὁ δὲ τόκος, ὁ ἔγγειος ἔφεκτος τῶν τετταράκοντα μνῶν καὶ τριῶν καὶ ἑξήκοντα, πεντακόσιαι δραχμαὶ καὶ ἑξήκοντα. Certe quingentæ drachmæ cum ſexaginta partem ſextam efficiunt minarum triginta trium & ſexaginta drachmarum, quæ fiunt in totum tria millia drachmarum cum trecentis ſexaginta. Qui eſt revera ἔφεκτος τόκος. Quæ uſura ſi de menſtrua acciperetur, ſortem in anno bis exæquaret. Quod non videtur factum, nec uſurpatum in illo præcipue fœnore quod ἔγγειον ſive ἔγγυον appellant. Ergo annuum illud fœnus fuiſſe ſtatuendum eſt, non menſtruum, ἐπέτειον, non ἔμμηνον. Exemplum ejuſmodi fœnoris habemus & apud Ariſtotelem in Oeconomico ſecundo, ubi Clazomenii, cum mercedem militibus deberent ad viginti talenta, uſuram ejus ſummæ ſolviſſe dicuntur eorum ducibus, quattuor talenta ſingulis annis, τόκον ἔφερον τοῖς ἡγεμόσι τέτταρα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ. Hic eſt τόκος plane, ut Græci dicerent, ἐπίπεμπτος, non in menſem ſolvendum fœnus, ſed in annum. At ſi ἔφεκτος τόκος fœnus eſt, cum ſexta pars ſortis in ſingulos menſes penditur, qui minus ἐπίπεμπτος dicetur, quo quinta pars ſortis menſibus ſingulis exigetur? Meminit & ἐπιδεκάτων τόκων nominatim idem Ariſtoteles eodem libro, de Byzantiis loquens, qui annonæ caritate, cum pecuniæ quoque penuria laborarent, exceperunt naves in Ponto, atque in ſuum portum deduxerunt. Quam ob rem cum indignarentur mercatores, præſtarunt illis *uſuras dextantales*, τόκους ἐπιδεκάτους, quotannis utique in decima parte ſortis ſolvendas, non quotmenſibus. Opponunt, uſuras exigi ſolitas extremo quoque menſe. Ergo ἔμμηνοι τόκοι erant. Falſa conſequentia. Ἔφεκτος τόκος ſextam

tam ſortis partem annuatim in fœnus dabat, cujus penſiones per ſingulos menſes erant pręſtandæ. Exempli gratia, drachmas ſexagenas à te fœnore ἐφίκτῳ mutuatus ſum. Decem præſtare debeo drachmas quotannis uſuræ nomine. At ſingulis menſibus ſolvam drachmam unam cum duobus obolis. Et ſic de ceteris. Hinc ille obæratus apud Ariſtophanem tantopere exhorreſcit imminentem ultimum menſis diem, quam τριακάδα, aut ἔνην τε, καὶ νέαν, vocabant Attici, quia dies ille ſtatutus uſuris ſolvendis: ἐδίδοντο γὰρ ἐν τῷ τέλει τῆς σελήνης οἱ τόκοι. Non minore errore fœnus nauticum diarium faciunt, ut commune menſtruum. Quod poſt Scaligerum adſtruxit vir doctiſſimus commentario in leges Atticas. Hujus fœnoris exemplum extat apud Demoſthenem ἐν τῷ πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν. ubi per ſyngrapham Androcles Sphettius & Naucrates Caryſtius Artemoni & Apollodoro Phaſelites mutuam dant pecuniam, drachmarum tria millia, Athenis Menden & Scionem, & inde in Boſporum, &, ſi velint, uſque ad Boryſthenem trajecturis, & Athenas reverſuris, fœnore in ſingulas mille drachmas ducentarum ac viginti quinque drachmarum, ἐπὶ διακοσίαις εἴκοσι πέντε ταῖς χιλίαις. Si diarium hoc fuit fœnus adeo ut mille drachmæ in ſingulos dies parerent ducentas ac viginti quinque drachmas per totum navigationis tempus quo Athenis in Boſporum & Boryſthenem irent & inde Athenas redirent, quantam putamus vim pecuniarum lucri facere ſolitos fœneratores illos qui pecuniam mercatoribus ſub uſura tali darent? Quid vero lucri feciſſe exiſtimandum eſt illos mercatores, qui & ſimul rem facere debuerunt, non modo tantum pecuniæ conquirere unde tam immane & exorbitans fœnus diſſolverent? Atqui vix credendum, cujuſquam mercatoris lucrum quæſtumque ex mercibus, quas in Pontum exportabant, aut inde Athenas importabant, tam prodigioſo fœnori ſatisfacere po-

tuiſſe. Ponamus, trium tantum menſium illam navigationem fuiſſe in itu ac reditu. Qui tria millia drachmarum ſub ea uſura mutuatus fuerit, ut in ſingulos dies pro ſingulis millenis drachmis ducentas ac viginti præſtet uſuræ nomine, Athenas reverſus poſt tres menſes debiturus eſt creditori ſuo quadraginta duo millia drachmarum cum ſeptingentis quinquaginta. Quod ſi ultra hoc trimeſtre ſpatium adverſa tempeſtate detinerentur, an ullum lucrum tantum fuit aut tanti, ut penſaret ſexcentas ſeptuaginta quinq; drachmas ſingulis diebus ad illam quam poſuimus ſummã adcreſcentes? Poterat & per annum eos morari tempeſtas, & alia accidentia. Quid futurum fuit? aut quas divitias ſuffecturas fuiſſe opinamur ei fœnori diſſolvendo? Sed ipſe tempus fruſtra tero, & lectori ſum moleſtus dum his refutandis longius immoror. Qui trajecticiam pecuniam accipiebant mutuam, duplici modo eam accipere erant ſoliti, aut ἑτερόπλουν, ut Græci loquuntur, aut ἀμφοτερόπλουν, hoc eſt, in alteram navigationis partem, aut in utramque. Per ἑτερόπλουν in itum tantum, per ἀμφοτερόπλουν etiam in reditum ſumi conveniebat. Τὰ ἑτερόπλοια δανείσαι itaque dicebantur fœneratores, qui eo loco pecuniæ trajecticiæ, quam dederant, ſortem cum uſuris ſolvi ſtipulabantur, quem navi peteret mercator. Si τὰ ἀμφοτερόπλοια fœneratus fuerat, non ante ſolvi utrumque poterat, quam ex navigatione domum incolumis rediiſſet. Quantamcumque autem uſuram pro pecunia trajecticia promiſiſſet mercator, eam ſimul cum ſorte ſolvebat, cum reverſus eſſet, nec ante tenebatur, ſi ἀμφοτερόπλους erat ſumpta. Ergo Androcles Sphettius cum Artemoni Athenis in Boſporum trajecturo pecuniam ſub uſuris maritimis ea conditione dedit, ut Athenas reverſus ſortem ejus cum fœnore præſtaret, non in ſingulos dies eam uſuram, quam ſtipulatus eſt Androcles, debuiſſe præſtare Artemonem, creden-

dum

dum eſt, ſed omnem uſuræ ſummam ſemel pactam cum ſorte ſolvere ubi Athenas reverſus eſſet. Si annum in illa navigatione conſumpſiſſet, non plus deberet, quam ſi ſemeſtre impendiſſet, ſi modo nulla ſua culpa moram feciſſet, aut ſi tempus præſcriptum non eſſet intra quod, niſi reverſus foret, alias uſuras præſtare deberet, aut aliam, de qua conveniſſet, conditionem implere. Quod ſæpe in ejuſmodi contractibus fiebat. Artemon itaque Athenas reverſus, debuit Androcli ſolvere tria millia drachmarum, cum uſura ducentarum viginti quinque drachmarum in millenas ſingulas drachmas, quæ pro totius ſortis uſuris reddunt drachmas ſexcentas ſeptuaginta quinque. Quod fœnus eſt fere ἐπίπεμπτον, hoc eſt, quintam partem ſortis reddens. Nam ſexcentæ ſeptuaginta quinque drachmæ quinquies ductæ efficiunt tria millia trecentas quinquaginta quinque drachmas, cum ſors tantum fuerit trium millium drachmarum. Sic fere eſt ἐπίπεμπτον. Quales tunc temporis nauticas & maritimas fuiſſe uſuras Xenophon aperte ſignificat περὶ προσόδων, his verbis, quæ diu multumque vexarunt viri duo eruditiſſimi, nec tamen quicquam inde boni extricare potuerunt: ᾧ μὲν γὰρ ἂν δέκα μναῖ εἰσφορὰ γένηται, ὥσπερ ναυτικὸν σχεδὸν ἐπίπεμπτον αὐτῷ γίνεται, τριώβολον τῆς ἡμέρας λαμβάνοντι· ᾧ δέ γε ἂν πέντε μναῖ πλεῖον ἢ ἐπίτριτον. Ex hoc loco, ſaltem eos expiſcatos video, nauticum fœnus diarium fuiſſe. Quod nollem admiſiſſent. Nihil enim tam diſſitum à mente Xenophontis. Commemorat ibi, unde varia redituum genera ſibi parare poſſit civitas. Quoſdam ejuſmodi eſſe perhibet, ut nihil ſit impendendum quo parentur aut augeantur; tantum opus eſſe cura ac diligentia, decretiſque benignis & honorificis, quibus mercatores invitentur. Quo plures enim accedent & ventitabunt in urbem, eo citius ex mercibus importaticiis & exportaticiis reditus civitatis multiplicati ſubinde au-

gebuntur. Alia vectigalia eſſe, quæ nequeant haberi & comparari, niſi prius ſumptus & impendia fiant ad ea cõquirenda. Quorum gratia functiones à ſingulis civibus magnas fieri debere. Se tamen non deſperare, quin cives ad hæc alacriter ſint illationes facturi, ut jam fecerint olim, cum auxilium Arcadibus ferendum reſpublica decrevit, ſub duce Lyſiſtrato, & ſub duce Hegeſilao. Se ſcire etiam, triremes ſæpius eos emiſiſſe in incertum caſum, cum certis & ingentibus impendiis, neſcii utrum hoc expediret, an non, immo compertum habentes, nihil ſe recepturos ex his quæ intuliſſent, neque eorum futuros participes. Nullum vero eſſe honeſtiorem & jucundiorem poſſeſſionem, quam ſi quis ex ſorte, quam impenderit, & publico tribuerit, alius recipiat quintam ejus partem annuam, quaſi uſuræ nomine, alius tertiam, alius vero etiam duplum. Hic ſenſus eſt eorum Xenophontis verborum. Quæ nunc ſingillatim expendenda ſunt & explicanda. Κτῆσιν δ' ἀπ' οὐδενὸς ἂν οὕτω καλὴν κτήσαιτο, ὡς εἴπερ ἀφ' οὗ ἂν προτελέσειεν εἰς τὴν ἀφορμήν. Quæ perperam doctus interpres ita vertit: *Poſſeſſionem autem nulla alia re tam honeſtam comparare licet, quam ſi ad reipublica tempora, & opportunitates contribuatur.* At ἀφορμὴ eo loco non eſt opportunitas, ſed id de quo antea dixit, quædam eſſe vectigalium genera, quæ civitati non liceat parare, niſi ἀφορμὴν conſtituat ad ea quærenda: ὅσαι δ' ἂν ἄλλαι δοκοῦσί μοι πρόσοδοι γίγνεσθαι, γιγνώσκω ὅτι ἀφορμῆς δεήσει εἰς αὐτάς. Attici ἀφορμὴν vocabant certam pecuniæ ſummam, quam deſtinant mercatores ad merces emendas, aut quam trapezita in menſa ſua conſtituit ad fœnus exercendum, quæcunque denique pecunia reponitur ac paratur ad aliquid comparandum, aut ad impendendum in ſumptus quotidianos. Alii Græci ἐνθήκην vocabant, quod *fundum* vulgo vocamus in noſtro idiomate. Et *facere fundum* dicitur, qui eam

pecu-

pecuniam ſeponit ad qualecunque negotium. Alias ἐνθήκη etiam fundi inſtructus vocatur. Eam vocem parum doctis hactenus intellectam, nos in ſequentibus latius explicabimus. Hic ſatis eſt indicare, vectigalia, ad quæ paranda opus eſt ἀφορμῇ, ea eſſe quæ ſine impendio non poſſunt quæri. Qui igitur ex civibus conferunt ut illa ἀφορμὴ ſuppetat reipublicæ, ex qua tamen, velut ſorte prius occupata fœnore, magnos ſint reditus recepturi, hi ſunt quos hoc loco dicit Xenophon καλὴν κλῆσιν κλήσονται, ἀφ' οὗ περ ἂν προτελέσωσιν εἰς τὴν ἀφορμὴν, ex eo quod in anteceſſum impenderint civitati ad eam conquirendam ἀφορμήν. hoc eſt, ſummam illam pecuniæ quæ neceſſaria ſit illis parandis vectigalibus? Quæ ſequuntur apud Atticam muſam, nec vulgo intellecta in hunc diem fuere, & perperam lecta liquet fuiſſe: ᾧ μὲν γὰρ ἂν δέκα μναῖ εἰσφορὰ γένηται, ὥσπερ ναυτικὸν σχεδὸν ἐπίπεμπτον γίγνεται, τριώβολον τῆς ἡμέρας λαμβάνοντι. Nec ſenſus conſtat, nec verborum contextus ſanus eſt. Scribe ut utrumque reſtituas: ᾧ μὲν γὰρ ἂν δέκα μναῖ εἰσφορὰ γένηται, ὥσπερ ναυτικὸς τόκος σχεδὸν ἐπίπεμπτος γίνεται, τριώβολον τῆς ἡμέρας λαμβάνοντι· ᾧ δέ γ' ἂν πέντε μναῖ πλεῖον ἢ ἐπίτριτος. Loquitur de triobolo quod Athenienſes cives ſingulis diebus ex publico capiebant, τὸ δικαστικὸν, de quo apud comicos tam frequens mentio. Unde ille ſenecio apud Ariſtophanem tribules ſuos vocat φράτορες τριωβόλου. Scholiaſtes ibi notat. οἱ δὲ δικασταὶ ὑπὸ τῶν δημαγωγῶν ἐτρέφοντο, τριώβολον λαμβάνοντες, μισθὸν δικαστικὸν μετὰ τὸ δικάσαι. *Cives Athenienſes nutriebantur à demagogis triobolum accipientes, pro judicandi mercede.* Hinc Cleon ille δημαγωγὸς in eadem comœdia populares ſuos ita demulcens inducitur:

Ὦ δῆμε, λοῦσαι πρῶτον ἐκδικάσας μίαν,
Ἔνθου, ῥόφησον, ἔντραγ', ἔχε τριώβολον.

Qui igitur ex civibus in rempublicam contulerit de-

cem minas annuas, & ſingulis diebus triobolum, acceperit de publico, hunc, quaſi ſi fœnore nautico pecuniam occupaſſet, quintam fere partem ſortis annuam uſuræ nomine pro collatione recipere, Xenophon dicit. Ex quo colligo, qui plurimum Athenis in publicum largirentur, decem minas intuliſſe. Addit, ὃς δέ γ' ἂν πέντε μνᾶς, πλέιων ἢ ἐπίτριτος. Qui quinque minas inferebāt, quam modicam ac mediam functionem fuiſſe inde anguror, plus quam ἐπίτριτον τόκον lucri faciebant ex ſua collatione, acceptis in diem tribus obolis. Tres oboli diurni in mēſem fiunt quindecim drachmæ, in annum centum & octoginta. Quæ ſumma plus quam tertiam partem reddit quinque minarum. Nam ter ductæ centum & octoginta drachmæ, quinque minas conficiunt, & quadraginta amplius drachmas. Minima collatio fuit unius minæ. Qui hoc tributum reipublicæ pendebat; & quot diebus triobolum accipiebat, ex una mina fere duas recipiebat. Et maximus hic numerus civium fuit, qui minimam hanc intributionem præſtarent, ut ex his verbis omnino apparet. Οἱ δέ γε πλεῖστοι Ἀθηναίων, πλείονα λήψονται κατ' ἐνιαυτὸν ἢ ὅσα ἂν εἰσενέγκωσιν. οἱ γὰρ μνᾶν προτελέσαντες ἐγγὺς δυοῖν μναῖν πρόσοδον ἕξουσι, καὶ ταῦτα ἐν πόλει. *Plurimi vero Athenienſium plura in annum accipient, quam quanta contulerint publico. Nam qui minam perſolverint, duas prope minas pro reditu recipient, & quidem in urbe, quod tutiſſimum & certiſſimum maximeque diuturnum vectigal.* Dicit, *prope duas minas*, quia centum & octoginta drachmas in annum percipiebant ex diurno triobolo. Qui accipiebant hoc triobolum diurnum pro judiciorum mercede, ex eo genere civium fuere quos ζευγίτας appellabant, qui & ζευγήσιον τελεῖν dicebantur, qui in cenſum medimnos deferebant ducéntos. In publicum eos impendiſſe tradit Pollux decem minas. Nam Equites publico pendebant talenti dimidium, hoc eſt, triginta

ginta minas. Qui à cenſu πεντακοσιομέδιμνοι vocabantur, ſexaginta, hoc eſt, talentum ſolidum. Ex utroque hoc cenſu Equitum & πεντακοσιομεδίμνων nemo δικαστικὸν τριώβολον accipere ſolitus erat, ſed omnes ex ordine τῶν ζευγιτῶν. Pollux: οἱ δὲ τὸ ζευγήσιον τελοῦντες ἀπὸ διακοσίων μέτρων κατελέγοντο, ἀνήλισκον δὲ μνᾶς δέκα. Ex ſuperius allatis & explicatis Xenophontis verbis planum eſt, tres fuiſſe veluti claſſes hujus ordinis τῶν ζευγιτῶν, & ditiores ex his pendiſſe civitati decem minas, mediocres quinque, infimos ac tenuiſſimos minam unam, cum tamen omnes æqualiter τριώβολον ex publico acciperent. Nam Θῆτες qui dicebantur, ut nihil publico pendebant, ita nihil ex publico accipiebant, nec ullum munus in republica obibant. Οἱ δὲ θητικοὶ οὐδεμίαν ἀρχὴν εἶχον, οὐδὲ ἀνήλισκον οὐδέν. Sed de his alibi. Ἐπίπεμπτον autem illum τόκον ναυτικὸν annuum fuiſſe, non diarium, & Xenophontem de annuo fœnore, non de diurno loqui, palam eſt ex iſtis: ᾧ δέ γ' ἂν πέντε μναῖ, πλέον ἢ ἐπίτριτον. οἱ δέ γε πλεῖστοι Ἀθηναίων, πλείονα λήψονται κατ' ἐνιαυτὸν ἢ ὅσα ἂν εἰσενέγκωσιν. Nam ἐπίτριτον cum dixit, ſubaudiendum omnino eſſe τόκον liquet, quod in ſuperioribus expreſſit, ex noſtra correctione, ὥσπερ ναυτικὸς τόκος αὐτῷ γίνεται. Mirum vero, Xenophontem in hac computatione & comparatione tributi quod cives annuum pendebant, cum mercede quam ex publico ob judicandum accipiebant, ita rationem ducere, quaſi omnibus diebus anni triobolum illud δικαστικὸν acciperent. Sic enim ratiocinium ſuum inſtituit. Atqui conſtat, multos dies feriatos Atticis fuiſſe, quibus res erant prolatæ, & juſtitium indicebatur. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Veſpas notat, numerum dierum quibus judicia Athenis ceſſabant, duos menſes in annum collegiſſe, ita ut decem tantum menſes eſſent ducendi quibus ſtipendia judicibus procederent. Εἰς δέκα μῆνας, inquit, λογίζεται τὸν ἐνιαυτὸν ὡς τῶν δύο εἰς ἑορτὰς ἀποχωρούντων. ἑκάστῳ γὰρ τριώ-

τριώβολον τοῦ μηνὸς πέντε καὶ δέκα τοῦ μηνὸς τάλαντα ἐποίει. Calculum ponit in ea fabula Bdelycleon omnium redituum & vectigalium quæ urbs ex quacunque cauſa percipiebat. Talentorum fere duum millium ſummam fuiſſe vult. Cenſum totius Atticæ regionis uſque ad ſex millia talentum taxatum fuiſſe, quo tempore bellum cum Philippo gerebant, Grammatici ex Rhetoribus, qui tum vivebant ac ſcribebant, notarunt: ὅτι τὸ ἑξακισχίλια τάλαντα ἦν τὸ τίμημα τῆς Ἀττικῆς. Hanc ἀφορμὴν habuiſſe Athenienſes, hoc eſt, enthecam veluti pecuniæ quam ad uſus belli vel alios quoſlibet poſſent convertere, ex Demoſthene obſervant. An illa ergo δισχίλια τάλαντα, quæ narrat Ariſtophanes, de urbe ſola Athenarum, non de univerſo Attici ſoli territorio accipienda? Ille tamen ſingillatim recenſet, omnes reditus Athenienſium, portoria, vectigalia, tributa urbium, quæ ipſis erant ſtipendiariæ. Inter illa quædam, quæ ex ſolo etiam Attico redibant reipublicæ, ut metalla. Quid ergo? An dicemus auctum poſtea cenſum Atticæ, & uſque ad ſex millia proceſſiſſe talentum? Vix videtur. Potius diminutus eſſet. Δισχίλια τάλαντα tantum ponit Comicus, qui reditus eos reipublicæ ſolos commemorat, qui conſtabant externis quaſi obventionibus, & functionibus. Tributa autem & illationes, quas ſinguli pendebant cives, longe maximam partem cenſus civitatis conſtituebant, de quibus nihil Ariſtophanes. Ipſa illa ſex millia hominum, quibus δικαστικὸν dabatur ex publico, tres oboli diurni, majori ex parte decem minas publico pendebant, alii quinque. Fuere qui talentum inferrent, illi nempe quos à cenſu πεντακοσιομεδίμνους vocabant. Qui equeſtrem cenſum habebant, dimidium ærario conferebant, hoc eſt, triginta minas. Quam immenſam putamus ſummam ex his tributis evaſiſſe? Tam magna certe extitit, ut quattuor millia talentorum efficeret, ſiquidem in totum τὸ τίμημα τῆς Ἀττικῆς ἑξακισχίλια ἦν τάλαντα.

τάλαντα. Demoſthenes in oratione περὶ συμμοριῶν, ἑξακισχίλια numerabat. Sed Grammatici notant, aut γραφικὸν eſſe σφάλμα, aut de induſtria Rhetorem majorem vero eum cēſum prædicare, quo urbs videretur πλείω ἀφορμὴν habere ad belligerandum cum Philippo. Et hoc veriſimilius. Sed de his agendi accuratius, locus hic non eſt. Ex illis porro duobus talentum millibus, quæ Ariſtophani pro cenſu civitatis numerantur, centum & quinquaginta talenta in judicum mercedem ceſſiſſe annuam, ibidem dicitur. Sex millia hominum tum judicabant, qui δικαστικὸν accipere ſoliti. Sic ſingulis menſibus in eorum mercedem quindecim talenta imputabantur. Quæ ſumma in annum ſubducta centum à quinquaginta efficit talenta, decem tantum menſes computanti, quia, ut diſerte ibi vetus interpres adnotavit, duos in anno menſes feriæ, quibus jure agi non licebat, occupabant. At Xenophon rationem putat, quaſi nullus dies in anno à judiciis feriatus proceſſerit. Atqui ſcribit ipſe, Athenienſes reliquos populos duplo tenus ſuperaſſe feriarum multitudine, quarum gratia in foro erant alcedonia. Πρὸς δὲ τούτοις οἴεσθε χρὴ καὶ ἑορτὰς ἄγειν χρῆναι Ἀθηναίους ἐν αἷς οὐχ οἷόν τε δικάζειν, καὶ ἄγουσι μὲν ἑορτὰς διπλασίους ἢ οἱ ἄλλοι. Hoc tamen non facit, ut duos trientes annis apud Athenienſes feſtis diebus imputatos cenſeamus. Nonne ſatis fuerit, ut verum ſit, quod refert Xenophon, dies feſtos totius anni menſium duorum tempus æquiparaſſe? Pone alios populos unius menſis ferias habuiſſe? Nonne hoc ipſum magnum? Sic ſane Athenienſes duplo plura habuerint quam cæteri feriata tempora. Si decem igitur ſolos menſes in anno numeremus, quibus merces judicibus triobolum dabatur, non in eam ſummam res exibit quam calculus Xenophontis poſuit. Non enim εἰσφορὰ decem minarum reddit judici ex mercede judiciorum τόκον fere ἐπίπεμπτον, ſed longe minorem.

Nam

Nam pro decem minis quas publico dependerit tributi nomine, recipiet mercedis titulo annuas tantum centum & quinquaginta drachmas. Quæ ratio ἐφέκτῳ τόκῳ paulo majorem dat uſuram, & minorem ἐφεβδόμῳ. Reliquæ, quæ apud eum ſequuntur tributorum functiones, hac proportione ſupputandæ ſunt, quæ & longe minores uſuras præſtabunt quam ſcripſit Xenophon, ſi decem tantum menſes pro duodecim in calculum mittantur. Hoc tamen illum voluiſſe quod diximus certum eſt. Ceterum ut ad nauticam uſuram redeamus, etſi ſolveretur demum cum ſorte poſt navem reverſam incolumen & navigationem peractam, plerumque navigatio in annum trahebatur, aut, etiam ſi citius finita eſſet, æquiores fœneratores non repetebant uſuras cum ſorte, niſi poſt annum. Idque obſervavi apud Demoſthenem, ubi qui trajecticiam pecuniam erat fœneratus, dicit, ſe repetiiſſe uſuras nauticas, ubi ἐξῆλθεν ὁ ἐνιαυτός. Ergo uſuræ nauticæ, ut ex Xenophonte didicimus, ut plurimum quintam ſortis partem reddebant. Nec voluit ille ut ſomniarunt doctiſſimi viri, nauticum fœnus fuiſſe diarium. Ἐπίπεμπτος igitur τόκος Xenophonti, uſuræ modus eſt, quem dixi, qui in annum refert quintam partem ſortis, ut ἐπίτριτος qui tertiam. Et luce clarius, nihil heic vidiſſe Scaligerum, nec eruditum commentatorem legum Atticarum. Sic Iſæo κατὰ Καλλιφῶντος, ut citantur ejus verba ab Harpocratione, ἑξακοσίαις δραχμαῖς ἐπιτρίταις, hunc ſenſum requirunt, ut ſexcentas drachmas fœnore locatas accipiamus ἐπιτρίτῳ, quæ in annum ducentas pariant, hoc eſt, ſingulis menſibus, ut menſtruatim pendebantur uſuræ, unam & triginta drachmas cum quattuor obolis. Τόκος igitur ἐπίτριτος non eſt *trientale fœnus*, cum penduntur duo oboli menſtrui, ut voluit Scaliger. *Trientem* quidem vertere Latine poſſemus, quatenus trientem ſortis, hoc eſt, tertiam partem quotannis referre ſoleat,

ſed

ſed longe aliæ *trientes uſuræ* Romanorum, alii Græcorum ἐπίτριτοι τόκοι. Quod in errorem induxit viros eruditione ſumma præditos. Verba porro Xenophontis, quæ ſuperius jam adduximus, ſi penſius examinentur, id omnino evincunt, quod poſuimus, fœnus ἐπίτριτον, ἐπίπεμπτον, & ἔφεκτον, id eſſe, quod tertiam, quintam, & ſextam partem ſortis quotannis dat. Cum enim dixiſſet, interdum decem minarum illatione reditum ejuſmodi quæri, qui cum uſura nautica, quæ eſt ἐπίπεμπτος, ferme pariaret, & quinque minarum impendio creari aliquando fœnus plus quam ἐπίτριτον annuum, hoc eſt, reditum centum & octoginta drachmarum, ſubjicit ſtatim: Οἱ δέ γε πλεῖστοι Ἀθηναίων πλείονα λήψονται κατ' ἐνιαυτὸν ἢ ὅσα ἂν εἰσενέγκωσιν. οἱ γὰρ μνᾶν προτελέσαντες, ἐγγὺς δυοῖν μναῖν πρόσοδον ἕξουσιν, καὶ ταῦτα ἐν πόλει. *Quin & plurimi etiam Athenienſium plura in annum recipient quam quæ intulerint. Nam qui minam in anteceſſum dependerint, habebunt præter propter duarum minarum reditum, idque in civitate.* Nunc ſedeamus ad calculos, & rationem putemus. Nullum fœnus eſſe computat, cum quis plus recipit quam impendit. At fœnus eſſe dixit, & quidem ἐπίπεμπτον, quod ex decem minis illatis quintam earum fere partem annuatim recuperaret, hoc eſt, CLXXX drachmas. Similiter ἐπίτριτον fœnus appellavit, quod ex quinque minis impenſis, mercedem annuam quæſtus reciperet eaſdem centum & octoginta minas, tertiam nimirum partem impendii. Hic vero tales eo modo plerumque quæſtus fieri aſſerit, ut plus reciperent quam dediſſent. Nullum igitur fœnus legitimum tunc & ordinarium eo uſque extenſum eſt, ut ſors intra annum æquaretur, aut duplicaretur. Si fœnus hujuſmodi tunc temporis agitatum fuiſſet, ut, qui minam tribueret, duas intra annum faceret lucri, non omiſiſſet Xenophon illud nominatim pronuntiare, ut ἐπίτριτον & ἐπίπεμπτον nominavit.

minavit. Caruit igitur nomine id fœnus Atticis, immo nullum ad hunc modum uſitatum fuit. Cum enim nauticum omnium maximum ſemper & apud omnes fuerit, quod ſæpe quintam ſortis partem non excederet, veriſimile non eſt, promiſcuum hujuſmodi fœnus eo ſæculo cognitum, quod ſortem in anno congeminaret. Atqui ſi ἐφέκτου τόκου eam notionem eſſe dabimus, quam viri docti ad leges Atticas fuiſſe imaginantur, debuit Xenophon ex more & uſu ſui temporis, ſi loqui voluiſſet, ἔφεκτον τόκον hoc fœnus nominare, quod duas minas pro ſingulis annuas conficit. Nam ſi ἔφεκτος τόκος eſt uſura, quæ in drachmam obolum menſtruum præſtat, drachma in annum duas drachmas fœnoris fructificabit, & mina duas minas. Quod hic memorat Xenophon, nec tamen fœnus eſſe ἔφεκτον perhibet, immo ne fœnus quidem. Nec video ſane quomodo potuerit ἔφεκτον vocare, quod duplum eſt, cum ἐπίτριτον, id eſſe tantū ſcripſerit, quod tertiam partem ſortis annuam pro fœtu admittit. Ergo duo oboli annui in drachmam, τόκος eſt ἐπίτριτος. Ex quo conſequitur, ut ἔφεκτος id eſſe fœnus debeat, quo obolus annuus in drachmam ſolvitur, hoc eſt, ſexta ejus pars. Mirifice rationes iſtas uſurarum conturbarunt viri eruditi, dum miſcent Romanas & Græcas invicem. Quin & Græcas ipſas diſcernere neſciunt, & loquendi modos confundunt. Legum Atticarum interpres ἔφεκτον τόκον exponit *ſextantalem uſuram*, cum *obolus menſtruus*, inquit, *in drachmam datur atque dicitur* δανείζειν ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς. Atqui hæc loquutio qua dicitur quis δανείζειν ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, non convenit cum ἐφέκτῳ τόκῳ, qui tertiam partem reddit ſortis annuam. Aliud eſt uſuræ genus quod dicebatur ἐπὶ δραχμῇ, cum nimirum drachma menſtrua in minam dabatur, unde drachmæ duodecim in annum redibant. Quam uſuram *centeſimam* Latini dixerunt, ut Græci ἑκατοστήν, quia drachma centeſima pars eſt minæ. De qua infra pluribus.

pluribus. Ad hoc exemplum fœnoris ἐπὶ δραχμῇ dicti, fœnus quod dicebatur ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, de ſexta quidem parte drachmæ intelligi debebat, ſolvi in menſes ſingulos ſolita, ſed ſortem ejus ac κεφάλαιον minam ipſam ſubintelligi neceſſe erat, non drachmam. Fœnus igitur ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, eſt vere ſextantale, eſtque τὸ ἕκτον ἑκατοστῆς, ſed omnimodò differt ab illo fœnore quod ἔφεκτον appellabant. Id enim cujuſcunque ſummæ vel ſortis ſextam partem penſitabat. Sic trientale, eſt quidem & ipſum quo duo oboli menſtrui pendi ſolent, quæ tertia pars eſt drachmæ, ſed in minam iſtud fœnus penditur, quæ ſortem conſtituit, non ad drachmam. Eſtque triens centeſimæ, τρίτον ἑκατοστῆς, ut infra explicabitur latius. Hoc trientarium fœnus non debet confundi cum ἐπιτρίτῳ Græcorum, ut nec ſextantarium illud cum ἐφέκτῳ, ut ſummi viri fecerunt, qui videntur ignoraſſe, nunquam adeo leves uſuras Græcis fuiſſe uſurpatas quales erant trientes aut ſextantes Romanorum. In errorem eos, ut apparet, impulerunt verba Harpocrationis, quibus ἐπιτρίτας ἐξαργυρίας δραχμὰς ſic interpretatus eſt, ἀντὶ τοῦ ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς, διὰ τὸ τρίτον εἶναι μέρος τοὺς ὀκτὼ ὀβολοὺς τῆς τετραδράχμου. Si fœnus eſt ἐπίτριτον cum in tetradrachmum octo oboli dantur, erit ſimiliter ἐπίτριτον, cum in drachmam duo oboli dabuntur. Hoc quidem verum eſt. Sed alter ex his ita accepit, quaſi drachma ſors eſſet, & pro uſura in eam menſtrua duo oboli darentur. Quod fœnoris genus ſortem bis ęquat in ſingulos annos. Alter vero ex his hoc ſic intellexit, quaſi ſors poneretur mina, cujus uſura menſtrua duos obolos pareret, atque ita de triente centeſimæ exponendum judicavit. Neuter, ut vides, verum aſſequutus eſt. Nam cum ἐπίτριτον fœnus explicavit Harpocration, quo octo oboli dantur in tetradrachmum, aut, ſi velis, duo oboli in drachmam, exempli gratia, quamlibet ſummam pro ſorte finxit, cujus

tertia pars uſuræ vicem in annuum ſolvi deberet. Eodem prorſus modo & ἐπόγδοον expoſuit, τὸ οὕτω δεδανεισμένον, ὥστε τοῦ κεφαλαίου τὸ ὄγδοον μέρος δοθῆναι τῷ δανειστῇ, οἷον τριώβολον τοῦ τετραδράχμου. *Quod ita fœneratur, ut ſortis decima pars detur fœneratori, exempli gratia, tres oboli in tetradrachmum.* Æque potuiſſet dicere aliam ſummam, ſed hæc in promptu illi fuit. Nam drachmæ octava pars, ut non adeo expedita, ita nec æque uſitata. Sex enim chalci ſunt, ſive æreoli. Minæ etiam octava pars non poteſt expediri per drachmas integras. In hac octava uſura, ſive ἐπογδόῳ τόκῳ, miris modis ſe intricavit Scaliger, dum dubitat, an ſit uſura menſtrua, qua anno vertente fœnus æquaretur drachmis centũ quinquaginta. Eſſe autem vult nauticum fœnus. *Quare,* inquit, *una mina, quæ in ſortem data erat, ſeſquiminam commodi lucrabitur. Ita pro una mina duæ cum ſemiſſe fœneratori reſtituentur, quum navis ex negotiatione redierit.* Hæc prorſus non intelligo, nec ipſe, ut puto, ſemet, cum hæc ſcriberet. Nec enim ἐπόγδοος τόκος, octava uſura, menſtrua erat, ſed annua, quæ pro octo drachmis drachmam, pro octo minis minam, anno vertente fœneratori dabat. Centeſima non multum ab ea differebat. Cum enim duodecim drachmas in minam redderet, ſi duodecim minæ octies ducantur, nonaginta ſex drachmas efficient, quibus ſi quattuor addideris, minam habebis. Quæ jam dixerat, mox refutat ipſe, ac mutat. *Sed non ita eſt,* inquit. *Nauticum fœnus erat diarium, non menſtruum. Item τὸ ἐπόγδοον in minam dabatur, non in τετράδραχμον.* De nautico diario fœnore jã abunde ſupra id falſum eſſe vicimus. Quod ait ἐπόγδοον in minam dari, non in tetradrachmum, ne id quidem, quale ſit, poſſum perſpicere. Idem enim erit, ſive in minam, ſive in tetradrachmum detur ὁ ἐπόγδοος, reſque prorſus eodem recidet, cum ſit uſura octavam partem totius annuatim pendens,

pendens, quantacunque aut quantulacunque ponatur ſortis ſumma. Sic ἕφεκτος τόκος idem Harpocration recte interpretatus eſt, ſi recte intellectus eſſet, τὸν ἐπὶ τῷ ἕκτῳ τοῦ κεφαλαίου, *quod in ſextam partem ſortis datur.* Qualiſcunque ſors fuerit, ſextam ſui partem, pro uſura annua conſtituit, minam unam pro ſex minis, drachmam pro ſex drachmis, atque ita de ceteris pari ratione. Sic ἐπίπεμπτος Ariſtoteli τόκος, cum in vicena talenta ſortis, annua dantur quattuor fœnoris. Similiter & ἐπιδέκατος eidem τόκος, qui decimam partem ſortis uſuræ nomine ſingulis annis perſolvit. De quo fœnore hi verſus Diphili accipiendi:

Εἰς δέκ' ἐπὶ τῇ μνᾷ γεγονέναι καὶ δώδεκα,
Λαβὼν τὰ ναῦλα, καὶ δάνει' ἐρυγγάνων.
Decem duodecimque in ſingulas minas,
Mercedem accipiens, atque eructans fœnora.

Duodecim in minam drachmæ annuæ centeſimam dictam uſuram conſtituunt, quæ drachmam in ſingulos menſes unam flagitat. Non tamen hic ἐπιδωδέκατος τόκος dici Græce poteſt, quia duodecimam partem ſortis expoſcit. At centeſima ἐπόγδοον fere τόκον componit, ut ſupra diximus. Duodecima vero uſura octo in centum fere dat, cum centeſima det duodecim, ut & octava uſura. Hæc igitur non conveniunt. Ceterum ἐπιδέκατος τόκος omnino convenit cum uſura dextante Romanorum, quæ beſſalem uſuram & ſextantem ſimul continet, & decimam partem ſortis efficit, hoc eſt, decem drachmas in centum, ſicut pluribus infra dicturi ſumus. Hujus uſuræ exemplum extat in lapide veteri: M. CARBASVS. PATIENS. DEDIT. XXX. ET. PROFVNDI. DE. VSVRIS. X. III. QVOT. SI. IVVENTATES. EIVS. NEGLEXERINT. FILIO. EIVS. RETERE. DEBEBVNT. XXX. AVT. SI. QVIS. HERES. ERIT. Ex triginta millibus denarium tria millia uſuræ nomine in ſingulos annos debentibus, uſura dextans conſtituitur, qui & ἐπιδέκατος τόκος Græcis dicitur.

Et in hac ſola ſpecie ratio loquendi Romana circa rem uſurarum cum Græca concurrere deprehenditur. In teſtamento Græco tabulæ marmoreæ Neapolitanæ ΧΕΙΛΙΑ ΚΑΙ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΔΕΙΝΑΡΙΑ legantur ad tutelam ſacrorum quorumdam. Quorum mille ac ducentorum denarium uſura conſtituitur annua, in denarios ducentos quinquaginta. ΕΙΣ ΔΕΙΝΑΡΙΑ ΔΙΑΚΟΣΙΑ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ. Fœnus eſt fere ἐπίπεμπτον. Nam ducenti quinquaginta denarii quinquies ducti, mille ducentos quinquaginta denarios colligunt. *Quod immane*, inquit Scaliger, *fœnus eſt. Sunt enim* χαλκοῖ *deni in drachmam ſive denarium.* Iam videamus quomodo id eſſe poſſit. Nam χαλκοῖ, quorum mentio in illa inſcriptione, in drachma ſunt quadraginta octo. Singuli quippe oboli octo chalcos ſive æreolos habent. In fœnore ἐπιπέμπτῳ, quinta pars ſortis, in uſuram dependitur. Haud longe certe abit, quin denarii ſinguli denos in annum æreolos pariant. Etenim quadraginta octo ærei, hoc eſt, denarius unus, denos annuos pariunt æreos, qui τόκος fere eſt ἐπίπεμπτος. Vere eſſet, ſi quinquaginta æreos denos darent. At ſcribit ibi Scaliger: *Ergo deni æreoli ſive* χαλκοῖ *pariunt denarium unum.* Immo contrarium verum eſt. Ac fortaſſe ita voluit ſcribere. Sed de his in opere noſtro de re Nummaria latius.

CAPVT II.

Vſurarum maxima apud Atticos, ἐπίτριτος τόκος. *Nullus* τόκος ἐπιδεύτερος *dictus, & quare.* Ἐφημιόλιος *dicendus fuiſſet, ut ſemiſſes uſuræ Latinis, quamvis alio ſignificatu.* Ἡμιολίαν *talem uſuram appellari Græcis, ſed in frugibus, non in pecunia, fuiſſe receptam. Quaternæ centeſimæ* ἡμισείῳ τόκῳ *fere æquivalent. Vt maximæ uſuræ Athenis oratorum temporibus fuere* ἐπίτριτοι, *ita minimæ* ἐπι-

δέκατοι.

δέκατοι. Locus Ariſtotelis ex Rhetoricis, quo id probatur, explicatus & emendatus. De Mœrocle oratore. Tertias ac decimas uſuras vix Latine dici poſſe, quæ Græcis ἐπίτριτοι & ἐπιδέκατοι. Ne trientes quidem & dextantes recte reddi Quod diſcrimen ſit inter trientes uſuras Latinorum, & ἐπιτρίτους Græcorum. Trientes tertiam reddere partem centeſimæ, ἐπιτρίτους totius ſortis quanta quanta ſit. Trientem Latinis non eſſe ſimpliciter tertiam partem cujuſlibet ſummæ, ſed tantum aſſis, idemque quod Siculum τριᾶντα. Sic nec dextans eſt τὸ δέκατον μέρος, ſed decem ſunt unciæ. Convenire tamen dextantes uſuras Romanorum cum ἐπιδεκάτοις τόκοις Græcorum ex quadam συγκυρίᾳ. Sextantes quoque longe abeſſe ab ἐφέκτοις τόκοις, nec minus quam trientes ab ἐπιτρίτοις. Tertiariæ & ſextariæ melius Latine redderentur Græcorum ἐπίτριτοι & ἔφεκτοι, quam tertiæ & ſextæ. Decimam uſuram non ſic poſſe dici ut centeſimam. Quæ ratio differentiæ. Medias uſuras inter ἐπίτριτον & ἐπιδέκατον Atticis pro mediocribus habitas. Tales ἔφεκτοι & ἐφόγδοοι. De ἐφέκτῳ id conſtare ex Demoſthene. Ἐφόγδοοι τόκοι, & ἐπίπεμπτον, non æque uſitatum fuiſſe, nec nominari ab auctoribus. Ita & hodie frequentius uſurarum rationem paribus numeris computari. Quomodo Græci uſuras ſuas ſupputarint, relatione facta ad minam, aut tetradrachmum, aut drachmam, quaſi ſortis vel capitis ſummam. Harpocrationē duo genera loquendi diverſa in ſignificandis uſuris confudiſſe. De ἐπιπέμπτῳ τόκῳ, quod fœnus quintam ſortis partem in annum præſtat. Ἐπιτετάρτῳ nullam extare mentionem apud auctores Græcos, quem tamen in uſu fuiſſe liquet. Annuas uſuras Græcis uſitatas ex illis loquendi modis probari. Ab Ariſtotele id confirmatum. Multis caſibus eas videri frequentatas. De mēſtrua alias loquutiones promiſcue vulgatas, quæ ad

ad annuam non poterant traduci. Τόκον ἐπὶ δραχμῇ *eſſe fœnus quod uſura dat drachmam in menſem. Hoc loquendi genus nunquam de annuo fœnore uſurpatum. Minam ſemper in illis mẽſtruarum uſurarum appellationibus ſubintelligi, etſi non nominetur. Centenarium quoque numerum hodie Europais pro termino ſtatui, ſive ſumma capitis ſollemni ac tralaticia, ad quam referuntur omnium uſurarum appellationes. Alind eſſe cum* ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς δανείζειν *aliquis dicitur, & cum* ἐπὶ ἕκτῳ *ſimpliciter. Pluribus expoſita hujus differentia ratio. De modo apud nos nominandarum uſurarum, ad denarium quintum, decimum, duodecimum, decimum ſextum, & ſimilibus.* Τόκος ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς *Gracis incognitus, quia nimis modica uſura. Omnium minimam illis fuiſſe uſitatam, qua* ἐπὶ δραχμῇ *vocatur. De comparatione & proportione appellationum annui fœnoris, cum vocabulis menſtrui. Vt minima fuit Athenis,* ὁ ἐπὶ δραχμῇ, *ita maxima* ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς. *Recte proinde illud fœnus comparari* τῷ ἐπιδεκάτῳ τόκῳ, *iſtud* τῷ ἐπιτρίτῳ. *Alia genera media ſimiliter conlata invicem & comparata, oſtenſum quam inter ſe habeant proportionem. De uſura* ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, *qua mediocris & media inter minimam maximamque. Vſura* ἐπὶ δραχμῇ *Gracis* ἑκατοστὴ *appellata, Latinis centeſima. Quemadmodum uſura annua & menſtrua Gracis in more fuere, ita etiam & diurna. In menſtruis & annuis, qui ad menſem aut annum pecuniam ſub uſuris accepiſſet, uſuram totius menſis aut anni praſtitiſſe, etiam ſi citius ſortem ſolviſſet. De earum cauſa & origine. De penſionibus adium, qua licet in annum locata, ſingulis menſibus ſolvebantur. Olim* κατὰ πρυτανείας *ſolvi ſolita, cum decem tantum eſſent* πρυτανεῖαι. *Vbi duodecim facta ſunt, idem fuiſſe* κατὰ πρυτανεῖαν, *&* κατὰ μῆνα. *Locus Theophraſti*

phraſti ex Characteribus explicatus de penſione uſurarum menſtrua. Ἡμεροδανεισταὶ Græcis dicti qui in diem fœnerabantur. Sic cognominatum Menippum Cynicum, quia id fœnus exerceret. Diverſum fuiſſe fœnus diarium à nautico. Diogenes Laërtius in epigrammate de Menippo Hemerodaniſta expoſitus & correctus. De mercedibus diurnis, cui comparata uſura diaria. Omnium hæ ſordidiſſimæ habitæ, honeſtiorum menſtruæ, honeſtiſſimorum annuæ mercedes rerum locatarum, & uſuræ. De modo diarii fœnoris uſitato apud Græcos. Aliquot exempla ejus allata. Quomodo nummus accipiendus ſit apud Plautum. Error Scaligeri notatus. De differentia nummi aurei & denarii. Cyrenenſibus in uſu fuiſſe ſolidos aureos, qui nummi pondere duarum drachmarum, & ſemiſolidos, qui unam drachmam pendebant. Denarii aurei vocati Latinis, Græcis ἡμίχρυσοι & ἡμιστατῆρες. Quinam ſint ἀγοραῖοι apud Theophraſtum, & male rabulas forenſes à Caſaubono reddi Cociones eſſe, quibus ad merces emendas, quas carius venderent, fœnerabantur in diem Ἡμεροδανεισταί. Alii ἀγοραῖοι, alii ἀγόραιοι, mutato accentu. Σκηνῖται iidem. Σκηνὴ quid? Non eſſe turpe σκηνῆς vocabulum, apud patres Græcos niſi cum pro theatro aut ſcena accipitur. Ariſtarchus ſacer notatus. De hebdomadariis uſuris. Eas fuiſſe veteribus incognitas.

QUæcunque igitur ad hunc modum appellatæ reperientur in Græcis auctoribus uſuræ, qui τόκους ἐπιτρίτους, ἐπιτετάρτους, ἐπιπέμπτους, ἐφέκτους, ἐφεβδόμους, ἐπογδόους, ἐπενάτους, & ἐπιδεκάτους nominabunt, ſciendum eſt non aliter accipiendas eſſe, quam quomodo in ſuperiori capite docuimus. Earum uſurarum maxima, hic ἐπίτριτος ab his dicitur τόκος, quæ tertiam partem ſortis pendit

 quotan-

quotannis. Non enim aliquis *τόκος ἐπιδεύτερος* dictus inveniri queat, ut *ἐπίτριτος*. Etenim uſura hoc nomine foret dicenda quæ partem dimidiam ſortis intra annum vertentem præſtaret. Ceterum talem in pecunia uſuram nunquam fuiſſe Græcis uſitatam inter ordinarias & communes, poſſum affirmare. Deinde, etiamſi foret pervulgata, non tamen hoc nomine veniret. Non enim ut *τὸ τρίτον* & *τέταρτον μέρος* dicunt, pro tertia & quarta parte, ita *τὸ δεύτερον* ſolent dicere, ſed *ἥμισυ*, ut Latini *ſemiſſem*. Quibus & *ſemiſſes* uſuræ, verum alio ſenſu quam quæ Græcis ſic nuncuparetur, ex aliarum quas uſurparunt, in uſuris enuntiandis appellationum formula. Sic enim vocarent quæ dimidium ſortis in annum perſolveret, cum *ſemiſſes* uſuræ Latinorum in minam ſex tantummodo drachmas annuas redderent. At *ἐφημίσεος τόκος* Græcorum, vel *ἡμίσεος*, ſi ullum fœnus ipſis ita diceretur, aut uſurparetur, quinquaginta drachmas in minam annuas præſtaret. Hinc collige quantum interſit. Ἡμιολίαν certe eam vocatam uſuram Græcis, infra docebimus, quæ dimidiam ſortis partem in anno reddit, ſed in frugibus tantum fuiſſe receptam oſtendemus. *Seſcuplam* aut *ſeſqualteram* Latini appellarunt. Habuere quidem & in pecunia uſuræ id genus cognitum Græci, quod non longe abit ab illa hemiolia frugum, quæ dimidiam ſortis partem annuam præſtabat. Nam quaternæ centeſimæ, quas etiam receptas aliquando & uſurpatas in Græcia fuiſſe conſtat, reddunt quadraginta octo drachmas in minam. Adde duas drachmas, habebis *ἡμιόλιον τόκον*. Hunc igitur *σχεδὸν ἡμιόλιον* liceat dicere, ut Xenophon in fœnore nautico, *σχεδὸν ἐπίπεμπτον*, quod non juſte quintam partem ſortis in anno perſolveret. Quinarum etiam centeſimarum apud Horatium extat mentio, quæ dimidiam partem ſortis ſuperabant decem drachmis. Ergo quinæ centeſimæ reddebant quotannis in minam, quæ centum

erant

erant drachmæ, drachmas ſexaginta. Quæ immanis fuit uſura. In republica Athenienſi, oratorum temporibus, maximas uſuras fuiſſe liquet ἐπιτρίτους, ut minimas, ἐπιδεκάτους. Illæ in centum, triginta ſex exigebant drachmas, hæ tantum decem. Certe ultra ἐπίτριτον, majorem aliam nominatam uſuram in Rhetorum & auctorum ſcriptis, qui per ea tempora Athenis vixere, non licet reperire, nec minorem τοῦ ἐπιδεκάτου. Non enim ullum fœnus occurrit ἐφεκδέκατον aut ἐπιδωδέκατον apud auctores appellatum. Poſſum præterea id confirmare inſigni loco ex Ariſtotelis Rhetorica, ſed inſignite corrupto. Ita enim ſcribitur lib. III, cap. X: Καὶ Μοιροκλῆς οὐδὲν ἔφη πονηρότερος εἶναι, ὀνομάσας τινὰ τῶν ἐπιεικῶν. ἐκεῖνον μὲν γὰρ ἐπὶ τρίτων τόκων πονηρεύεσθαι, αὐτὸν δὲ ἐπὶ δεκάτων. Peccat hæc ſcriptura plus vice ſimplici contra leges Atticiſmi. Nec enim dicunt Attici τρίτον τόκον aut δέκατον, ſed ἐπίτριτον & ἐπιδέκατον. Præterea etiamſi ſoleant in numero multitudinis ἐπιτρίτους & ἐπιδεκάτους τόκους appellare, ut & ἐφέκτους τόκους dixit Demoſthenes, longius tamen abeſſet à veſtigiis ſcripturæ, ſi reponeremus, ἐπιτρίτοις τόκοις, ἢ ἐπιδεκάτοις. Vitium ei loco factum eſt ex antiqua ſcribendi conſuetudine Græcorum, quæ iota tertiis caſibus adſcribebat, non, ut nunc ſolemus, ſubſcribebat. Nullum igitur dubium quin ita ſcriptum réliquerit Ariſtoteles: ἐκεῖνον μὲν γὰρ ἐπιτρίτῳ τόκῳ πονηρεύεσθαι, αὐτὸν δὲ ἐπιδεκάτῳ. Mœrocles ille, cujus hoc dictum refertur à philoſopho, unus fuit ex Athenienſibus demagogis ſive rhetoribus, qui rempublicam gubernarunt, non infimi nominis. Id eſt, cujus meminit Harpocration his verbis: Μοιροκλῆς, ὄνομα κύριον, Σαλαμίνιος, τῶν παρ' Ἀθηναίοις οὐκ ἀφανῶς πολιτευσαμένων. Mentio etiam hujus fit apud Plutarchum in vita Demoſthenis, ſed perperam apud eum Μυροκλῆς legitur, ut & apud Suidam, & ita quoque ſcribitur in quibuſdam editionibus Ariſtotelis. Nam

verum ejus nomen Μοιροκλῆς, ut conſtat ex Harpocrationis Lexico. Sic Μοιρὼ Byzantia poëtria in ſcriptis etiam exemplaribus mendoſe nominatur Μυρὼ, ex recentiori Græca litteratura, qui litteram ὑ ψιλὸν & οι diphtongum paſſim confundunt. Sed hæc obiter. Ille igitur Mœrocles cum de quodam cive loqueretur cui ſe comparabat, illum dicebat ἐπιτρίτῳ τόκῳ πονηρεύεσθαι, hoc eſt, malum eſſe tertiam partem reddentibus uſuris, ſe vero tantum decimam. Quo dicto ſignificabat, in ſummo gradu illum eſſe improbum, ſe autẽ de minime malis unum videri debere. Ad menſuram ejus, de quo loquebatur, improbitatis nihil addi poſſe, at ſuam ipſius in infimis conſiſtere. Ita ſane illa explicanda. Vitio tamen adhuc laborare exiſtimo illa Ariſtotelis verba. Quod enim in his ſcriptum vulgo eſt, οὐδὲν ἔφη πονηρότερος εἶναι, ὀνομάσας ἕνα τῶν ἐπιεικῶν, puto reſcribi debere adjuncta negandi particula, τῶν οὐκ ἐπιεικῶν. Abſurdum quippe eſt, ac ratione caret, ſi aliquem ex civibus probum nominaſſet, ita ſe cum illo conferre, ut diceret, eum quidem ad ἐπίτριτον uſque fœnus, id eſt, ad extremum nequitiæ faſtigium, improbum eſſe, cum ipſe ἐπιδεκάτῳ fœnore tantum malus foret. Cum igitur aliquem ex minime probis nominatim appellaſſet, non ſe improbiorem eo videri debere dixit, ut pote qui improbiſſimus eſſet in ultimo gradu, cum ipſe ad eum improbitatis exceſſum non perveniſſet. Loquitur eo capite Ariſtoteles de illo metaphoræ genere quod fit κατ' ἀναλογίαν. Analogia in eo eſt, ut de ſumme improbo viro dicatur, eum eſſe ἐπιτρίτῳ fœnore improbum, quia inter uſuras tunc ἐπίτριτον fœnus ſummum teneret locum; ut minima ac leviſſima erat, quæ dicebatur ἐπιδέκατος τόκος, id eſt, *decimam partem* ſortis reddens. Ergo ὁ πονηρευόμενος ἐπιδεκάτῳ τόκῳ, *improbe agens fœnore decimam* reddente, de eo dicitur qui ſummum improbitatis gradum non eſt aſſequutus,

tus, nec eſt de improbiſſimis, ſed de mediocriter improbis. At hominem ἐπιεικῆ, modeſtum probumque, nemo dixerit πονηρότατον eo modo ac menſura qua quis majore non queat improbus exiſtere. Non eſt igitur dubium, quin legi debeat negative, τῶν οὐκ ἐπιεικῶν. Analogia metaphoræ in modo tantum loquendi ſpectatur, ut ſumma uſura comparetur ſummæ improbitati. Quod & alia ejuſdem tralationis exempla ibi ab Ariſtotele allata ſatis confirmant. De Eubulo eum id dixiſſe placet quibuſdam doctis, cum ab eo in jus vocatus, ſignificaret, magna illum furta in repub. exercuiſſe, ſe vero minima. Utut ſit, quia divinare hoc eſt, an verum dicant, alii judicent. Nobis ſatis eſt, locum explicaſſe & emendaſſe. Ceterum quod eruditiſſimi interpretes, *decimas* uſuras, & *tertias* Latine vertunt, qui Græco auctori ἐπιδέκατοι, & ἐπίτριτοι τόκοι, Latine vix loquuntur, nec bene Græcam exprimunt loquutionem. Etſi enim ἐπίτριτος idem ſit quod *tertius*, & ἐπιδέκατος idem quod *decimus*, *tertiæ* tamen uſuræ & *decimæ*, quæ tertiam aut decimam ſortis partem annua die ſolvant, Latinis de nomine ignotæ. *Trientes* quidem, & *dextantes* ſono nominis inductus poſſet quis vertere, qui ἐπίτριτοι Græcis & ἐπιδέκατοι. Sed longe alio ſignificatu ea vocabula uſurpant quam Græci illa ſua, ἐπίτριτον & ἐπιδέκατον. Trientes quippe uſuræ Latinis ſunt, quæ centeſimæ tertiam partem præſtant anno vertente, non tertiam capitis partem. Quæ maxima eſt differentia. Cum enim centeſima duodecim in anno reddat ex centum, ea fere pars eſt ſortis octava, ut ſupra diximus, quem Græci ἐπόγδοον τόκον appellant. At trientarium fœnus Latinum, non tertiam partem præſtat ſortis totius, ſed tertiam tantum partem centeſimæ, hoc eſt, quattuor in centum annua, quæ vigeſima quinta pars eſt numeri centenarii. Quem τόκον Græci non ἐπίτριτον vocaſſent, ſi eam uſuram frequentaſſent, ſed

ſed ἐπεικοσόπεμπτον vel ἐπίπεμπτον εἰκοστόν. Quod immane eſt diſcrimen. Idque melius apparebit ex comparatione. Græcorum τόκος ἐπίτριτος longe majus eſt fœnus, quam qui iiſdem vocatur ἐπιδέκατος. Illud quippe triginta ſex in centum reddit, iſtud decem. Verte *trientes uſuras* & *dextantes*, rem totam inverteris, ac perverteris potius. Nam dextantes majores uſuræ trientibus, quatenus hæ quattuor de centum exigunt, illæ decem de eadem ſumma. Quæ ratio fortaſſe fecit, ut imperiti homines deleverint particulam negativam ex verbis Ariſtotelis, qui putarent, ἐπίτριτον τόκον, vel τρίτον, ut in editionibus, leviorem eſſe uſuram quam ἐπιδέκατον, quia trientes uſuræ Latinis, quæ videntur eædem eſſe cum ἐπιτρίτῳ Græcorum, leviores ſunt dextantibus, quæ ex nominis ſono τὸν ἐπιδέκατον eorumdem exhibent. Atqui longe aliter ſe res habet. Nam quamvis Latinorum *trientem* Græci τρίτον vertentes vocent, non tamen cujuſlibet rei tertia pars eſt *triens*, ſed aſſis tantum, hoc eſt, duodenarii numeri. Ideo quattuor uncias ſignificat, idemque eſt quod Græcorum Siculorum τρίας, quod τέτταρας ὀβολὺς deſignat, non tertiam cujuſlibet ſummæ partem, ut infra pluribus explicabimus. Qui trientem itaque pro tertia cujuſlibet ſummæ parte ſumunt, errant & abuſive loquuntur. In dextante vero, quod quidam etiam mathematici eam vocem pro decima parte uſurpant, non tantum abuſio eſt, ſed immanis error. Ne in aſſis quidem partibus decima ejus pars eſt dextans, tantum abeſt ut decima videri poſſit alterius rei. Græci quoque in partibus aſſis Romani denominandis *dextantem*, non δέκατον reddiderunt, ſed δίμοιρον ἕκτον, id eſt, *beſſem cum ſextante*. Ergo ſunt decem ex duodecim. Caſu tamen evenit, ut dextantes uſuræ Latinorum conveniant cum Græcorum ἐπιδεκάτῳ τόκῳ, non ex ulla nominis ratione, ſed ex rei potius συγκυρίᾳ. Cum enim dextans uſura decem det

in

in centum, idem dat Græcorum ἐπιδέκατος τόκος, quia eſt uſura ἐπὶ τῷ δεκάτῳ τοῦ κεφαλαίου. At non eadem eſt ratio in dextante. Sed quod aſſis integer, hoc eſt, duodecim unciæ, in centena ſortis annuæ, efficiant uſuram Græcorum centeſimam, dextans aſſis, qui decem uncias habet, dextantes uſuras conficit, decem pro centum in anno perſolventes. *Sextans* vero & *triens*, qui propius accedunt ad ἕκτον & τρίτον Græcorum, adeo ut eas partes aſſis Romani ſic in ſua lingua denominent, longiſſime abeunt à Græcorum ἐφέκτῳ & ἐπιτρίτῳ τόκῳ, nec ullo modo eam uſuram exprimunt. Qua in re à veritatis regione devios ire doctiſſimos viros, clarum eſt, qui aliquid commune habere putarunt ſextantarium & trientarium fœnus Romanorum cum Græco ἐφέκτῳ & ἐπιτρίτῳ. Ἐπιδέκατον quidem τόκον non dubitem *dextantium uſurarum* nomine indigetare, quia res convenit, ſed non idem auſim facere in ἐπιτρίτῳ, ἐφέκτῳ, & aliis, quia res repugnat, etſi nomina utcunque congruant. *Decimas* porro & *tertias uſuras* appellare Latinus uſus non fert, qui hujuſmodi uſuras ignorat. Mallem *tertiarias quartarias*que appellare. Ita enim & Latini *quartarios muliones* dixerunt mercenarios, *quod quartam partem capiebant quaſtus*, ut eſt apud Feſtum. Quidni ergo & *quartarium fœnus*, τὸ ἐπιτέταρτον Græcorum, & *tertiarium*, τὸ ἐπίτριτον, quod tertiam quartamque ſortis partem pro uſuris caperet. Sed cur, inquies, *decima uſura* non dicetur, ut *centeſima?* Omnino aliud eſt. Centeſimam uſuram, Græci antiquiores ἑκατοστὸν τόκον non dixere ut ἐπιδέκατον. Si dixiſſent, non alium intellexiſſent quam qui centeſimam ſortis partem in annum præſtaret, ut, ἐπιδέκατος illis τόκος ea eſt uſura quæ decimam ſortis partem annuam reddit. At ἑκατοστὴν recentiores vocarunt alio reſpectu, alioque plane ſenſu, de quo inferius pluribus. Nam etſi hi ἑκατοστὸν τόκον dicere poſſint, ut ἑκατοστήν, de menſtruo tamen, non

non de annuo debent intelligere. Ergo *tertiarium* & *ſextarium* fœnus dixero non male, quod Græcis ἐπίτριτον & ἔφεκτον. *Trientes* vero & *ſextantes* uſuras pro ſuo ἐφέκτῳ & ἐπιτρίτῳ τόκῳ Græci non patientur dici, cum in tantum differant. Certe ἐπίτριτος τόκος ternis centeſimis Latinorum ferme paria facit. Nam ternæ centeſimæ dare ſolent in centum triginta ſex uſuræ nomine, quæ fere tertia pars eſt ſortis totius. Ter quippe ducti triginta ſex efficiunt centum & octo. Aliquid excurrit, quod tanti non eſt. Ut ἐπίτριτος paulo minor eſt tribus centeſimis, ita etiam ἐπιδέκατος minor centeſima. Decem enim, non duodecim, ut illa, in centum pendit. Sed & hoc non tanti. Senſus igitur eſt illorum Ariſtotelis verborum quæ ſuperius adduximus, triplo nequiorem eſſe illum, quem deſignabat, Mœrocles, quam ipſe foret. Ternis enim centeſimis improbitatem eum exercere, quam ipſe ſingulis tantum exerceret. Ita certe commode poſſe locum illum reddi exiſtimarem. Ex eo ſane conſtat, maximum & graviſſimum fœnus tum Athenis exercitum fuiſſe, τὸν ἐπίτριτον τόκον, minimum ac leviſſimum, τὸν ἐπιδέκατον. Quod inter utrumque medium, id vero mediocre habitum eſſe palam eſt. Tale ἔφεκτον vel ἐφέβδομον. At de ἐφέκτῳ ſane τόκῳ id aperte ſcripſit Demoſthenes, communiter uſitatum tum Athenis fuiſſe in uſuris vulgaribus. Conſtat autem, mediocres maxime uſuras præ cæteris frequentes ac communes fuiſſe, tam apud Græcos quam apud Romanos. Semiſſes enim Romanis potiſſimum frequentatas ſub imperatoribus conſtat, quæ inter centeſimas legitimarum graviſſimas, & inter unciarium fœnus ita mediæ habebantur, ut ἔφεκτος τόκος Græcis medius inter ἐπιτρίτου & ἐπιδεκάτου. Æque quidem medius ἐφέβδομος, ſed non æque uſitatus. Nulla certe ejus mentio occurrit apud ſcriptores illius ævi. Nec Grammatici, & alii Lexicographi, qui Atticas ex hiſtoricis vel Rheto-

ribus

ribus dictiones collegerunt, uſquam eum comme-
morant vel recenſent. Ex quo intelligi poteſt, non
fuiſſe in promiſcuo uſu. Cujus hanc eſſe cauſam pu-
to, quod hic numerus, qui ſeptimam cujuſque rei par-
tem notat, non rotunde ſoleat colligi. Eadem etiam,
ut puto, ratio eſt, cur nullum legamus apud auctores
ἐπίενατον τόκον, cum ἐπόγδοος memoretur. Sic hodie
frequentius per numeros pares quam impares uſura-
rum appellationes ſolemus enuntiare, ipſaſque uſur-
pare. Ad octavum enim denarium, ad decimum, ad
duodecimum, ad decimum quartum, decimum ſex-
tum, decimum octavum, & vigeſimum, uſuræ cre-
brius nominantur & imponuntur, quam in numeris
imparibus. Ita ergo & Græci, excepto ἐπιτρίτῳ &
ἐπιπέμπτῳ, quæ & ipſæ, quamvis impari numero, fa-
ciliorem ideo habent explicationem, quia ἐπίπεμπτος
dimidia parte ſuperat ἐπιδέκατον, & ἐπίτριτος ἔφεκτον.
Non licet idem dicere de aliis, ἐπιενάτῳ vel ἐφεβδόμῳ,
quia uſuræ, quæ alterum tantum promitterent, non
fuere receptæ, & per numerum integrum non potue-
re exponi. Ut dimidia parte ſuperans uſuram ἐπιένα-
τον, eſſet ἐπιτέταρτος cum dimidio, & duplo major
ἐφεβδόμῳ, ἐπίτριτος καὶ ἡμίσεος. Enimvero ut Roma-
ni ad aſſis ſui partes ac denominationes, uſurarum ge-
nera ac modos, quos uſurpabant, referre ſoliti, & inde
eos nominare, ita & Græci, aut ad minam, aut ad te-
tradrachmum, aut ad drachmam ſuarum uſurarum
nomina quaſi ad ſortem revocabant. Septima pars
minæ non poteſt rotundo numero deſignari, nec te-
tradrachmi, nec drachmæ. Quod æque & de nona
dici queat. At cum ἐπόγδοον τόκον exponunt Gram-
matici, id eſſe fœnus interpretantur quod octavam
partem ſortis fœneratori rependit, & exemplo id il-
luſtrant, οἷον τριώβολον τῶν τετραδράχμων. Nam tres oboli
octavam partem efficiunt tetradrachmi Attici. Non
potuit ad minam referre neque ad drachmam, ita ut
rotunde

rotunde inde exiret octava pars. Idem Harpocration ſimiliter & in ἐπιτρίτῳ τόκῳ explicando ſe geſſit, allatis ex Iſæo verbis in ea contra Calliphontem, ἐξακοσίαις δραχμαῖς ἐπιτρίταις, ἀντὶ τοῦ, inquit, ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς· καὶ γὰρ τὸ τρίτον εἶναι μέρος τοὺς ὀκτὼ ὀβολοὺς τοῦ τετραδράχμου. *Quatenus octo obolis tertiam partem eſſe conſtat tetradrachmi.* Non prudenter, nec ſcite tamen ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς eam uſuram explicavit qui Græce dicitur ἐπίτριτος τόκος. Longe quippe alia ratione & ſignificatione Græci iidem dicunt, δανείζειν ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς, & δανείζειν ἐπιτρίτῳ τόκῳ. Feneratur ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς, qui octo obolos menſtruos in minam, hoc eſt, in centum drachmas paciſcitur, quæ uſura pendit ſingulis annis ſedecim drachmas, quam centeſimam eſſe conſtat cum triente centeſimæ. At ἐπίτριτος τόκος, duplo & amplius major uſura, ut pote quæ plus quam triginta tres drachmas in minam annuas præſtet. Falſus eſt itaque Harpocration, & duo genera loquendi, quibus uſuræ ſignificantur, diverſiſſima in unum confudit. Sic enim ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς τόκος dicitur Græcis, ut ἐπὶ δραχμῇ, cum drachma una menſtrua in minam uſuræ nomine datur. Ita & ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς fœnus procedit, cum drachma una & dimidia menſtrua die in centum penſitatur, quæ obolos novem facit. Eodem prorſus modo & τόκος ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς accipiendus, qui drachmam unam, & tertiam drachmæ partem menſtruatim exigit pro centum drachmis ſortis. Atqui hæc uſura diverſiſſima ab ἐπιτρίτῳ τόκῳ. Idem Harpocration cum Suida ἔφεκτον τόκον interpretatur τὸν ἐπὶ τῷ ἕκτῳ κεφαλαίου, quod in ſextam capitis partem conſtituitur. Poterat hic exemplo uti, ut in aliis fecit, è parte tetradrachmi petito, οἷον τετρώβολον τοῦ τετραδράχμου. Nam quattuor oboli ſexta pars tetradrachmi, ut obolus drachmæ. Ad minam non poterat referri. At ἐπίπεμπτος τόκος niſi ad minam referatur, neque ex drachma, neque ex tetradrachmo poterit

poterit ducere rotundam partitionis denominationem. Ἐπίπεμπτος igitur τόκος eſt, qui quintam ex capite partem trahit, ut ſunt viginti ex mina drachmæ. Idem & in ἐπιδεκάτῳ, qui decem ex centum poſtulat. Ἐπιτετάρτου τόκου mentionem non reperio, non dubito tamen in uſu ac more fuiſſe. Nam commoda ejus partitio, ſive ad minam, ſive ad tetradrachmum revocetur. Drachmam ex tetradrachmo annuam petit, ex mina, viginti quinque drachmas. Notandum porro eſt, omnibus ejuſmodi loquutionibus, quæ deſignāt quota pars capitis ſummæ pro uſura cedat, annuum fœnus, non menſtruum ſignificari. Quod iam ante dicere memini. Ἐπίτριτος igitur τόκος fert tertiam ſummæ capitis partem, ſed annua, non menſtrua die. Atque ita de cæteris. Quas annuas uſuras etiam apud Græcos uſitatas fuiſſe, loquendi modi planè evincunt. Clare etiam Ariſtoteles in ſecūdo Oeconomico, his verbis id oſtendit de Clazomeniis: Ὀφείλοντες στρατιώταις μισθὸν εἴκοσι τάλαντα, καὶ οὐ δυνάμενοι, τόκον ἔφερον τοῖς ἡγεμόσι τέτταρα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ. *Cum deberent mercedem militibus ad viginti talenta, nec poſſent exſolvere, pendebant uſuræ nomine ducibus eorum quotannis quatuor talenta.* Hic eſt ἐπίπεμπτος τόκος Græcorum, ut jam ante diximus. Errat enim, ſi quis putat, nullas alias Græcis frequentatas uſuras fuiſſe, niſi quarum penſiones eſſent menſtruæ. Quid ſi quis peregre abiturus, & nonniſi poſt unum annum & alterum rediturus, mutuaretur pecuniam, cujus uſuram penſitationibus menſtruis non poſſet exolvere, an non invenire aliter quitus eſſet quam ut menſtruatim præſtaret mercedem pro mutuo? Atqui veriſimile eſt, multos ita accepiſſe mutuum, ut, quia ſortem non reddituri eſſent niſi poſt annum, annuas etiam uſuræ penſiones ex pacto promitterent. Nam ſane præſtationes uſurarum menſtrua die in his fere locum habuere tantum, qui de menſa mutuarentur, nec ultra ſolutionem

debiti vellent protollere. Quod ſi poſt menſem ſolvere non poſſent, perſolutis uſuris ad alterum menſem expectabantur, atque ita deinceps. Præterea uſuras menſtruatim ſolvendas ut plurimum publicis fœneratoribus familiares fuiſſe animadverti. Cum enim pecuniis ſuis & alienis negotiarentur, fœnore dandis & accipiendis & commutandis, nón poterant diu carere ſuis nummis, nec alia lege eos occupabant, quam ut ſibi ſingulis menſibus præſtarentur uſuræ, quas & ipſi ſimiliter iis, à quibus mutuum accipiebant, præſtare quotmenſibus erant ſoliti. Honeſtiores vero è populo, ſi cui ex notis aut amicis darent pecuniam mutuam, ſi idoneis præcipue locarent, aut qui idonee caviſſent, annuas tantum exigebant ab his uſurarum penſiones. Quod & Romanis in more fuiſſe, infra obſervabimus. Certe & uſurarum apud Romanos denominationes non menſtruam, ſed annuam ſolutionem notant. Nam quod unciarium fœnus dictum eſt, non in ſingulos menſes unciam promittit, hoc eſt, duodecimam ſortis partem, ſed in annum duntaxat. Poſtremo loquutiones illa Græcanicæ, ἐπιτρίτȣ, ἐπιτετάρτου, & ἐπιπέμπτου τόκου, locum etiam habuere in nautico fœnore, quod non erat menſtruum. Ita Xenophon dixit, uſuras maritimas ferme ἐπιπέμπτους fuiſſe, hoc eſt, partem ſottis quintam reddidiſſe, non ſingulis diebus aut menſibus, ſed poſt annum, ſi caſus ita tuliſſet, & navis ſpatium annuum in navigatione conſumpſiſſet. Certum denique eſt, Græcos alias loquendi formulas habuiſſe ad declarandas uſuras menſtruas, quam quibus vulgo uti ſolerent ſignificandis annuis. Qui ἔφεκτον τόκον legit in Græcorum ſcriptis, de alio, ſi rectè ſentit, non poteſt fœnore intelligere, quam quod uſuræ nomine in ſextam capitis partem quotannis uſuram exhibebat. Ἔφεκτος τόκος, inquiunt Grammatici, ὁ ἐπὶ τῷ ἕκτῳ τȣ̃ κεφαλαίου. Cum nimirum ſexta pars ſotis quotannis ſolvebatur.

Dixeris,

Dixeris, quid prohibet ita accipere, ut ſexta pars quotmenſibus ſolvatur? Immo non poteſt? Ita enim & accipiendus eſſet τόκος ἐπίτριτος, quod eſt fœnus ἐπὶ τῷ τρίτῳ τοῦ κεφαλαίου, in tertiam partem ſortis. Si menſtruum ceperis pro annuo, id efficies fœnoris genus adeo immane, ut exploratum ſit, nuſquam tale Græcis fuiſſe uſurpatum. Ecce dedi tibi triginta aureos mutuos. Fœnore ἐπιτρίτῳ decem aureos reddent. Fac menſtruum illud eſſe fœnus, intra annum vertentem triginta illi aurei adquirent mihi centum ac viginti aureos, ſorte quadruplicata. Quod nunquam neque viſum, neque auditum, neque uſu receptum. Illud ergo conſtet, loquutiones illas omnes de annuo fœnore accipi debere. De menſtruo aliæ fuere, quas ſimiliter non poſſis traducere ad annuum. Ut qui legit apud Græcos τόκον ἐπὶ δραχμῇ, æq; quidem poteſt, ſi non uſus prohibeat, de drachma in minam pro uſura conſtituta annua, quam de menſtrua intelligi. Sed quia adeo leves uſuras Græci nullo unquam tempore habuere cognitas, quæ centeſimam in anno fœnoris ſive crediti partem afferrent, ideo nemo queat τόκον ἐπὶ δραχμῇ legens de annua intelligere. Hoc ergo loquendi genus de menſtruo inſtitutum eſt fœnore, quo quis paciſcitur drachmam ſibi menſtrua die uſuræ nomine ſolvendam. Quam in ſummam ſortis? Hoc ſubintelligendum, ex conſuetudine Græci ſermonis in his tralaticia. Nam ſive dicas ἐπὶ δυοῖν ὀβολοῖς δανείζειν, ſive ἐπὶ δραχμῇ, ſive ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, ſive ἐπὶ δυοῖν δραχμαῖς, ſemper ſubaudienda eadem eſt ſortis ſumma quam uſus & auctoritas conſtituit, ut non aliter hæ loquutiones intelligi poſſint, niſi ea ſubintellecta. Ea mina eſt, ſive centum drachmarum numerus, quæ pro ſolemni ac legitima ſortis ſumma poſita eſt, ad quam relatione facta omnes menſtruarum uſurarum modi explicarentur. Hanc igitur minam velut terminum ſtatuerunt, fixum immotumque, ad

quem fœnebris pecunię ratio, & uſurarum modus præcipuè, ut dixi, menſtruarum, revocaretur. Quod nobis hodieque in more eſt, & pleriſque Europæ populis, ut centenarium numerum, qui idem eſt cum mina Græcorum, pro termino obſervemus, ad quem exigere & definire ſoliti ſumus omnia uſurarum genera nobis uſitata. Hæc ſumma ſortis vel capitis veluti ſollemnis & tralaticia figitur, ad quam revocentur omnes uſurarum modi. Ita enim dicimus, decem in centum vel pro centum dari, quindecim, & viginti. Quinetiam cum tantum eſt lucrum, ut uſura intra annum ſortem exæquet, centum pro centum effici ſolemus dicere. Sed hoc aliter quam Græci. Nam numerum centenarium exprimimus, qui Græcis ſuppreſſus nihilominus mente percipitur. Græci tamen eum etiam aliquando exprimunt, ut in oratione Lyſiæ apud Athenæum: οἴσω σοὶ ἐννέα ὀβολοὺς τῆς μνᾶς τόκους. *Feram tibi novem obolos in minam uſura.* Quod de menſtruis obolis novem in minam ferendis intelligi debet. Alias ſæpe, ut dixi, minæ nomen ſupprimere ſolent. Qui fœneratur in drachmam, id eſt, ἐπὶ δραχμῇ, centum drachmas dare mutuas intelligitur, pro qua ſumma drachmam in menſem uſuræ nomine ſtipulatur. Quamcumque etiam ſummulam ponas, infra drachmam aut ſupra, ea ſummula expreſſa uſuram denotat, eamque menſtruam, ſortis vero ſumma, quæ reticetur ac ſubauditur, de mina ſive centum drachmarum numero ſemper erit intelligenda. Ἐπὶ ὀβολῷ δανείζειν fœnerari eſt centum drachmas, pacta uſura ſingulorum obolorum in ſingulos menſes, etſi nullum fuerit Græcis fœnus adeo leve in uſu. Sed ſi habuiſſent, non aliter id deſignaſſent. Rurſus ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς fœnerari dicitur qui tres drachmas in menſem ſibi redire vult pro centum drachmis ſortis quas eſt fœneratus, quæ ſunt ternæ centeſimę. Eadem eſſet loquutio, ſimiliterq; exponenda; ſi dicerent, ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς δανείζειν, aut ἐπὶ τρίτῳ,

vel ἐπὶ ἡμίσει δραχμῆς. Aliud eſſet, ſi ἐπὶ ἕκτῳ ſimpliciter diceretur. Tum enim ἔφεκτος τόκος foret intelligendus, id eſt, annuum fœnus, in ſextam ſortis partem paciſcendum. Et ſane in loquendi formula, qua ἐπίτριτος, ἔφεκτος, & ἐπιδέκατος τόκος nominatur, quæcunque ſumma ſit quæ fœnore detur, hujus ea pars, quæ nominatim exprimitur, pro uſura in pactionem venire intelligitur, non, ut in altera, centenarius ſemper numerus pro ſorte cōſtituendus eſt. In ἐφέκτῳ quippe τόκῳ, & aliis ſimiliter enuntiatis, quemcunq; ſortis numerum imaginatus fuero, hujus ſextam partem pro uſura debeo, eamque annuam. Cui non abſimile eſt loquendi genus hodie nobis tralaticium, quo dicimus, ad *denarium decimum* pecuniam fœnore dari, ad *duodecimum*, & *vigeſimum*. Quibus loquutionibus Græcos etiam imitamur, cum dicunt, ἐπιδέκατον τόκον, ἐπόγδοον, ἔφεκτον, & ſimilia. *Denarius* quippe *quintus*, idem eſt cum τόκῳ Græcorum ἐπιπέμπτῳ. *Decimus*, cum ἐπιδεκάτῳ. Sæpe concurrunt invicem hujuſmodi loquendi formulæ, licet diverſæ. Denarius quippe decimus, idem eſt cum ea uſura quæ decem in centum facere vulgo dicitur. Sic ἐπιδέκατος τόκος Græcorum convenit cum dextante; quod ab alia ratione deſcendit. In aliis non fit concurſus utriuſque modi, ſed longe invicem diſparantur. *Denarius vigeſimus*, eſt vigeſima pars numeri centenarii, quæ ſunt quinque in centum pro fœnore. Contra *denarius quintus*, eſt quinta pars centenarii, eſtque τόκος ἐπίπεμπτος Græcorum, & viginti dat in centum. Quem *denarium decimum ſextum* vocamus, quæ legitima hodie uſura eſt, partem quidem totius ſortis facit decimam ſextam, ſed non ſexdecim in centum exigit. Non ſecus apud Græcos ἐπιδέκατος τόκος cum utraque ratione convenit, & cum illa quæ ad minam refertur, & cum alia quæ partem ſortis exprimit. In aliis hoc non procedit. Uſura ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς vocatur quæ in mi-

nam ſingulos menſtruos obolos reddit, annuam vero drachmam unam. At ἔφεκτος τόκος minæ ſextam partem annuam exſolvit, hoc eſt, ſingulis menſibus octo drachmas & quatuor obolos. Hæc non ſunt confundenda, quæ minime, ut oportuit, diſtincta, viros doctos in barathrum errorum immerſerunt, in quo eos ſequuti etiamnum hærent multi. Alius igitur τόκος ἔφεκτος, alius ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, vel, quod idem eſt, ἐπὶ ὀβολῷ, qui eſt ſexta pars drachmæ, quem & ὀβολιαῖον τόκον liceat appellari. In hac quippe loquutione, quæ ſemper ad minam refertur, debet etiam ubique enuntiari drachmæ nomen, ſive plures in pactionem uſurarum deducantur, ſive una aut partes unius. Ut enim relatio eſt drachmæ ad minam, ita non poſſet in hac uſurarum denominatione ſubintelligi mina, niſi drachma aut pars drachmæ nominatim enuntiaretur. Certe ubi non enuntiatur, quantalibet ſumma poteſt animo comprehendi, cujus hæc pars, quæ nominatur, uſuram illius ſummæ, quæ reticetur, & annuam quidem, efficit. Ut ἔφεκτος τόκος, *uſura ſextaria*, æq; erit hoc nomine digna, ſive ſex drachmas harioleris fœnori datas, ſive ſex tetradrachma, ſive ſexaginta drachmas, aut centum & viginti, aut ſexcentas, & maiores ad infinitum ſummas, quarum pars ſexta pro uſuris cedat annuatim. Et licet etiam expeditius defungi hac explicatione, ſi dicamus, ἔφεκτον eſſe τόκον qui de ſex unum dat annum denarium, ἐπίτριτον qui de tribus unum. Et ſic de cæteris. Plane eodem modo apud nos quoque uſurarum nomina, ut eas appellari mos eſt, explicari debent. Nam *denarius quintus* dicitur, quando quintus denarius ex quinque pro uſura ſolvitur, *vigeſimus* cum ex viginti denariis, unus, qui viceſimam illius ſortis partem efficit, præſtatur. Nec aliter in reliquis. Pari ratione ἐπίπεμπτος τόκος Græcis vocatur, qui in quinque unum uſuræ nomine perſolvit, qui eſt quintus denarius, ut ἔφεκτος eſt ſextus in ſex ſortis. Si vero

dicas,

dicas, τόκον ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, aut ἐπὶ ἓξ ὀβολοῖς, nullam aliam cogitatione fingere ſummam poſſis præter minam centum drachmis numero & poteſtate valentem, quæ pro ſorte ſit in uſuræ commodum ſingulis menſibus ſextam drachmæ partem redditura, hoc eſt, obolũ. Quæ uſura quia nimis tenuis, nunquam Athenis Atticis uſu receptam fuiſſe liquet, ubi licebat, quantocunq; liberet, fœnore pecuniam occupare. Sed eam dicis gratia propoſuimus, uti conſtaret, quantopere falſi ſunt viri longe doctiſſimi, dum ἔφεκτον τόκον, cum τόκῳ ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς confundunt, & annuarum uſurarum nomen cum menſtruarum appellatione. Enimvero in menſtruis ſignificandis, ad minam quaſi ad quamdam ſortis normam omnes earum modos, minimos maximoſque, redegerunt. Maxime harum communem & uſitatiſſimam vocarunt τόκον ἐπὶ δραχμῇ. Nec temere leviorem ullam aut minorem Attici agnoviſſe videntur uſuram. Nam ut inter annuas leviſſima fuit uſura quæ ἐπιδέκατος τόκος appellabatur, ita in menſtruis ei reſpondet ὁ ἐπὶ δραχμῇ τόκος nominatus. Eſt aliqua quidem differentia, nec examuſſim uſura ἐπὶ δραχμῇ, quæ in centum drachmas drachmam ſingulis menſibus colligit, τῷ ἐπιδεκάτῳ τόκῳ reſpondere dignoſcitur, ſed proxime certe accedit. Nam fœnus τὸ ἐπὶ δραχμῇ ad annuam penſionem ex menſtruis coacervatam ſi redigatur, duodecim drachmas dabit, cum ἐπιδέκατος τόκος decem tantum reddat. Exacte conveniret τόκος ἐπὶ πέντε ὀβολοῖς, quæ uſura quinque obolos menſtruos præſtans in annum cõficit decem drachmas, qui τόκος plane eſt ἐπιδέκατος. Verum non adeo illo modo diſpar, nec diſconveniens proportio inter minimũ fœnus annuum & mẽſtruum, qua illud ἐπιδέκατον, iſtud ἐπὶ δραχμῇ, ut quadrare poſſit negari. Præterea ratio fœnoris τοῦ ἐπὶ δραχμῇ rotundior & perfectior videtur, quam ἐπὶ πέντε ὀβολοῖς. Una drachma ſingulis menſibus danda minus moleſtiæ habet, quam ſi quinque oboli ſolverentur. Deinde

Grçculi fæneratores in uſuris paciſcendis per tam ſcrupuloſas minutias obolorum, genera uſurarum graviora aut leviora explicare non ſatagebant. Per drchamas ea vulgo diſtinguebant in menſtruo fœnore, ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς, ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς. Ut minima fuit Atticis uſura ἡ ἐπὶ δραχμῇ, ita maxima ἡ ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς, quæ ternas ſingulis menſibus drachmas ſolvendo, annuas parit triginta ſex. Huius mentio apud Athenæum ex Oratione Lyſiæ contra Æſchinem Socraticum, cujus verba paulo infra adducam. Hæc maxima tunc temporis uſura apud Athenienſes, qua menſarii, id eſt, publici fœneratores, fœnus exercere ſolebant, & reſpondebat annuæ uſuræ graviſſimæ quam ἐπίτριτον τόκον itidem Græci appellabant, licet paulo maior hæc menſtrua ſit. Nam ille ἐπίτριτος τόκος triginta tres tantum dachmas cum duobus obolis in annum perſolvit, cum illa ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς dicta præſtet annuas drachmas triginta ſex. Sed non tanti hoc diſcrimen, ut proportionem inter utramque eſſe prohibeat. Cum minima ergo fuerit uſura ἐπὶ δραχμῇ, & graviſſima ἡ ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς, mediocris videtur fuiſſe, quæ inter utramque media, & communiter uſitata, ἡ ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς. Hæc viginti quatuor drachmas annuatim lucri facit. Video tamen, raram hujus aut nullam apud auctores fieri mentionem, ſed pro ea inter maxime mediocres & honeſtioribus frequentatas poni, quæ vocabatur ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, hoc eſt, ἐπὶ δραχμῇ καὶ ἡμίσει, in drachmam unam & dimidiam. Et ſane, cum ἔφεκτος τόκος, quod fœnus in annum pactionem uſurarum inducebat, fuerit de mediocribus in illo genere, melius convenit cum hoc menſtruo ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς dicto, quam cum illo quod ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς appellatur. Nam ἔφεκτος τόκος annuas præſtat drachmas in centum ſexdecim, cum quattuor obolis. At τόκος ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς cum in menſem det drachmam unam & dimidiam, in annum dabit decem & octo. Utraque uſura, tam ἔφεκτος

quam ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, hæc menſtrua, illa annua, maxime communes & mediocres Athenis habitæ, & honeſtiorum fuere, qui fœnerationem ex profeſſo non agitabant, ſed pecuniam ſuam, ne otioſa ipſis ac ſterilis eſſet, fœnore occupabant. In oratione illa Lyſiæ adverſus Æſchinem Socraticum, cum Æſchines pecuniam deberet traperitæ ſive daniſtæ publico, uſura ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς, & ſub onere æris alieni labaret, rogavit Lyſian, ne ſe circumventum fœnore inſuper haberet, &, cum verſura vellet ſuo fœneratori ſolvere, promittit Lyſiæ, ſe illi pecuniam mutuo acceptam debiturum ſub uſura ἐννέα ὀβολῶν. Hæc verba ſunt ex illa oratione ab Athenæo citata: οὗτος γὰρ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ὀφείλων ἀργύριον ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς Σωσίμῳ τραπεζίτῃ καὶ Ἀριστογείτονι, προσελθὼν πρὸς ἐμὲ, ἐδεῖτο μὴ περιιδεῖν αὐτὸν διὰ τοὺς τόκους ἐκ τῶν ὄντων ἐκπεσόντα. κατασκευάσομαι δὲ, ἔφη, τέχνην μυρεψικὴν, ἀφορμῆς δὲ δέομαι, καὶ οἴσω δέ σοι ἐννέα ὀβολοὺς τῆς μνᾶς τόκους. Ubi perperam Dalecampius vertit: *Cum Soſimo & Ariſtogitoni menſariis argenti drachmas tres deberet.* Immo: *cum Soſimo menſario & Ariſtogitoni argentum deberet ſub uſura trium drachmarum.* Menſtruarum ſcilicet, & in minam. Hæc enim ſubintelligenda. Hæc uſura ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, dimidia parte levior quam illa quæ ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς, & tertia maior quam leviſſima quæ ἐπὶ δραχμῇ, ideo temperata eſt habita inter leviſſimam & graviſſimam. Hanc uſuram debebat ex lege Solonis maritus uxori à ſe dimiſſæ, dote non reſtituta, quamdiu eam penes ſe retineret. Demoſthenes in ea contra Neæram: Νόμος κελεύει, ἐὰν ἀποπέμπῃ τις τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν. Ex quibus omnibus conſtat, hunc uſuræ modum & mediocrem & communem fuiſſe, & cum τῷ ἐφέκτῳ τόκῳ, qui in fœnore annuo talis erat, pæne parem. Τόκος autem ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς, quem non dubito quoque

& ipſum aliquibus uſitatum, magis conveniebat cum ἐπιπέμπτῳ τόκῳ. Cum enim ſupra docuerimus, ἐπιδέκατον τόκον, quæ uſura inter annnas erat leviſſima, paria facere cum uſura menſtrua ἐπὶ δραχμῇ, eadem proportio, quæ eſt inter τόκον ἐπιδέκατον & ἐπίπεμπτον, etiam intelligitur inter τόκον ἐπὶ δραχμῇ & ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς. Exactius tamen reſpondet τῷ ἐπιτετάρτῳ τόκῳ quam τῷ ἐπιπέμπτῳ. Nam ἐπιτέταρτος τόκος viginti quinque in annum drachmas adfert, & τόκος ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς viginti quatuor. Hac eadem ratione τόκος ἐπὶ δραχμῇ cum τόκῳ ἐπογδόῳ, majorem videreretur habere concentũ quam cum ἐπιδεκάτῳ, quatenus uſura drachmæ in minam duodecim gignit annuas drachmas, & ἐπόγδοος τόκος duodecim cum tribus obolis. Et ſane verum eſt. Sed cum ex Ariſtotele ſupra obſervatum ſit, minimam uſuram fuiſſe τὸν ἐπιδέκατον τόκον, & maximam τὸν ἐπίτριτον, quod de annuis intelligendum eſſe oſtendimus in comparatione ad eas menſtruarum, conſtat leviſſimam fuiſſe τὴν ἐπὶ δραχμῇ, & graviſſimam τὴν ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς. Eam porro uſuram quæ Atticis ἐπὶ δραχμῇ appellata eſt, reliqui Græci ἑκατοστὴν dixerunt, & inde Latini *centeſimam*. Quæ quare ita vocitata ſit, diſſeremus infra, quo loco uſurarum Romanarum rationem ac modos explicabimus. Ceterum ut uſurarum apud Græcos quædam penſiones annuæ fuere, aliæ menſtruæ, ita etiam & diurnas fuiſſe conſtat. Quæ ratio menſtruis cauſam & originem dedit, eadẽ & diurnis. Cum enim eſſent qui in annum credere pecuniâm nollent, aut qui nollent accipere, quia ad menſem tantum unum aut alterum pecunia mutuo ſumpta opus haberent, hi cum ſperarent, & in animo haberent, ſe ſtatim in fine menſis creditum diſſolvere, ad menſem aut menſes aliquot ſumebant argentum mutuum, cum pactione uſurarum etiam ſingulis menſibus ſolvendarum ſi ultra menſem præſtitutum protraheretur ſortis ſolutio. In

ſequentibus enim docebimus, ſi qui præſtituta die non ſolverent ſortem, quam ſe ſoluturos promiſerant, dummodo uſuram præſtarent, fœneratori fuiſſe ſatis, qui alterum adhuc menſum expectabat, & iterum perſolutis illius menſis uſuris, ſi in tertiam aut quartam traheret ſolutionem debitor, uſurarum penſione contentus creditor diſcedebat. Hæc res menſtruis uſuris principium videtur dediſſe. Magis tamen ejus fuit, qui mutuũ rogaret, dicere, ad quem diem poſtularet, quam ejus qui daret, ad quod uſque tempus vellet dari, ut in ſequentibus ſumus fuſe demonſtraturi. Qui igitur ad menſem unum petebat, uſuram, ut dixi, menſtruam promittebat. Et inde origo menſtruarum. Qui ad annum poſtulabat, vel poſt annum ſolvebat ſortem cum uſuris, vel etiam menſtrua die, ſi vellet, ac ſi id exigeret fœnerator.. Raro ultra diem annuam petebatur mutuum, ut ex Cicerone infra docebimus. Eo autem pertinebat uſuræ menſtruæ pactio, ut, ſi quis ad menſem mutuam rogaſſet pecuniam, ſi prius ſortem ſolveret, uſuram tamen unius menſis deberet. Ergo & ſiquis ad anni unius ſpatium poſtulaſſet mutuum, eadem conditione pactis uſuris id ſumebat, ut antè annum ſorte ſoluta, uſuram tamen totius anni præſtaret. De quo inferius pluribus. Qui vero in diem unum accepiſſet pecuniam ſub uſuris, etiamſi ſtatim eam redderet, integri diei uſuram debebat. Quod ad mutui dationem attinet, ad annuam diem poſtulati, certum eſt, multos extitiſſe fœneratores, qui, etiamſi ſcirent pecuniam ſe in annum credidiſſe, non in menſem, uſuras ſibi tamen poſt annum ſolvi non ferebant, ſed quotmenſibus eas ſibi repræſentari volebant. Quem in trapezitis præcipue, & ex profeſſo fœnus exercentibus fuiſſe morem, obſervabamus. Hæc præterea etiam in aliis multis conſuetudo obtinuit, ut in mercedibus, ſed & ædium locatarum penſionibus, quas per ſingulos menſes exigebant dom-

nædii.

nædii. Nam licet in annum ædes conductæ eſſent ab inquilino, locator non expectabat dum annus exiſſet ad penſionem exigendam, ſed eam flagitabat ad finem ſingulorum menſium. Quinimmo ita moris erat ſolvi. Idque introductum, quia multi tamdiu mercede rerum ſuarum carere non poterant, quibus inde victus eſſet parandus. Vir doctus ad characteres Theophraſti obſervat, ſe legiſſe in Græcorum commentariis, ſolitos Athenienſes τοὺς μισθοὺς καὶ τὰ ἐνοίκια κατὰ πρυτανείας, οὐ κατὰ μῆνα τελεῖν. Hoc quidem verum, quamdiu ſpatium τῶν πρυτανειῶν non concurrebat cum ſpatio menſium. Quo enim tempore decem tantum fuere πρυτανεῖαι, numerus cujuſque πρυτανείας aut triginta ſex dierum fuit, aut triginta quinque. Poſteaquam duodecim factę ſunt additis duabus ad priores decem, tum æquati ſunt menſium dies cum diebus πρυτανειῶν, unaque & eadem res eſſe cœpit menſis & πρυτανεία, quoad tempus. Nam unaquæque tribus menſis πρυτανείαν habuit. Græci: ἐπεὶ δὲ δώδεκα ἐγένοντο, ἑκάστη φυλὴ μηνὸς πρυτανείαν ἔχει. Quod non obſervatum, viros doctiſſimos miris errorum laqueis involvit. De quo pluribus in noſtris de Anno Attico, Ægyptiaco, & Perſico commentariis. Ammonius, in libro de ſimilibus & differentibus vocibus, hoc notat, penſiones ædium, & mercedes, ſecundum πρυτανείας ſolvi, non in ſingulos menſes. Διῄρητο γὰρ, inquit, παρὰ Ἀθηναίοις ὁ ἐνιαυτὸς εἰς δέκα πρυτανείας, ὅσαι καὶ φυλαὶ ἦσαν, καὶ ἐπρυτάνευσεν ἑκάστη φυλὴ κατ' ἐνιαυτὸν ἅπαξ. ὅθεν καὶ τοὺς μισθοὺς καὶ τὰ ἐνοίκια κατὰ πρυτανείας, οὐ κατὰ μῆνα ἐτέλουν. Ita legendum, non ut vulgo excuſum eſt, τὰ ἐνοίκια καὶ τὰς πρυτανείας κατὰ μῆνας ἐτέλουν. Sed mirum, hæc ab illo notari de decem πρυτανείαις, cum ſatis cõſtet, duas fuiſſe poſtea additas ad decem priores. Pollux, ut aliis teſtimonium non denunciem: καὶ ὅτε μὲν δέκα ἦσαν, πλείους ἑκάστῃ φυλῇ αἱ ἡμέραι. ἐπεὶ δὲ δώδεκα ἐγένοντο, ἑκάστη φυλὴ μηνὸς πρυτανείαν ἔχει. In honorem

norem Antigoni & Demetrii regum, additiciæ duæ, Ἀντιγονὶς & Δημητριὰς, nominatæ ſunt, quas poſtea mutarunt in Ἀτταλίδα & Πτολεμαΐδα. Sed de his alias. Cum igitur & mercedes rerum locatarum, & ædium penſiones, quotmenſibus præſtari moris eſſet, non mirum, ſi & uſuras, quæ mercedis inſtar habent pro pecunia locata, menſtrua quoque die pendi ſolitas fuiſſe videmus, & ob eaſdem rationes, etiam ſi in annum petita eſſet pecunia. Ad earum autem uſurarum rationem maxime accommodatæ fuere illæ loquutiones quas paulo ante explicabamus, τόκου ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, & ſimiles. Ad annuam quippe penſitationem magis faciebant aliæ illæ, de ἐπιτρίτῳ τόκῳ, ἐφέκτῳ, & ἐπιδεκάτῳ ac ſimilibus. De quibus jam diximus, & adhuc infra ſumus dicturi. De uſura in menſe ſolvenda accipiendus ille locus Theophraſti in characteriſmo μικρολόγου, quo ſe ad incitas toties redactum fatetur vir magnus, quoties exponendum eum ſuſcepit: ὁ δὲ μικρολόγος τοιοῦτός τις οἷος ἐν τῷ μηνὶ ἡμιωβόλιον ἀπαιτεῖν εἰς τὴν οἰκίαν. Iſte micrologus pecuniam fœnore dederat pauxillulam, cui uſuræ nomine competeret ſemiobolũ ſingulis menſibus ex more ſolvendum. Hanc ille tantulam pro uſura ſummulam non dubitabat, ventitans ipſe domum debitoris ſui, poſcere, & ad diem exigere. Quæ nota eſt ſummæ μικρολογίας & infimarum ſordium. De penſione ædium non poſſe accipi, quod aliquando cogitabat vir ille ſummus, certo certius eſt. Quæ enim ædes tam parva mercede conduci queant, ut, in annum tribus obolis inquilino habitationem præſtent conducendam? Nec opus eſt addi, ἐλθὼν ἐπὶ τὴν οἰκίαν, quod vetuſtiſſimi, quos vidimus, codices non agnoſcunt. Ἀπαιτεῖν ἐπὶ τὴν οἰκίαν, hoc ſatis ſignificat, & ſubintelligitur ἐλθών. Hujuſmodi porro multos minutos Athenis tocullionesfuiſſe conſtat, quales τοκογλύφοι & ὀβολοστάται dicebantur, qui parvulas ſummas ino-

inopibus fœnerabantur, & obolos vel in diem vel in menſem pro uſura colligebant, Ut hic μικρολόγος Theophraſteus, ſi dederat octo drachmas cum aliquot obolis mutuas τόκῳ ἐπὶ δραχμῇ, hoc illi fænus uſurę nomine reddidit ἡμιωβόλιον ſingulis menſibus. Hic ille eſt ſordide deparcus, qui in eodem characteriſmo, quo graphice eum delineavit Philoſophus, δεινὸς ὑπερημερίαν πρᾶξαι καὶ τόκον τόκου. Qui, niſi ad diem ei ſolvatur uſura, pœnam pro mora exigit, & uſuram uſuræ. Ne mireris, tam exacte ſollicitum eſſe de exigendo ſingulis menſibus ſemiobolo. Qui diarium fœnus exercerent, hi vero Athenis & in reliqua Græcia fuere etiam non pauci. Nomen inde habuerũt ἡμεροδανεισταί. Sic olim cognominatus eſt Menippus ille Cynicus Philoſophus, teſte Hermippo apud Diogenem Laertium in ejus vita: φησὶ δὲ Ἕρμιππος, ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι, καὶ γὰρ ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν καὶ ἐξενεχυράζειν. Inde forſitan hauſit Scaliger nauticum fœnus diarium fuiſſe, quod hæc verba ſuadere videntur, ut vulgo edita ſunt. Quod enim ἡμεροδανειστὴς vocaretur, ratio redditur, καὶ γὰρ ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν, *nauticum eum fœnus agitabat.* Atqui nihil certius, quam nauticum fœnus non fuiſſe in diem neque in certum aliquod tempus, menſem puta vel annum, ſed in totum navigationis ſpatium, ut pluribus infra confirmabimus. Præterea quod cognomentum illi Cynico hæſerit ἡμεροδανειστὴς, non fœnoris nautici gratia quod exerceret, id ei inditum, ex illis verbis, ſi recte capiantur, patebit. Nam & fuiſſe clare dicit ἡμεροδανειστὴν, & propterea ſic cognominatum. Φησὶ δὲ Ἕρμιππος, ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι. Ergo quæ ſequuntur, nihil ad cauſam ejus cognomenti pertinere, quæ & ſic legenda ſunt: καὶ ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν, καὶ ἐξενεχυράζειν. Præterquam quod erat ἡμεροδανειστὴς & in diẽ fœnerari pecunias ſolebat, etiam fœnus nauticum agitaſſe eum, & pignora ſolitum

tum capere, ſi debitor moram in ſolvendo faceret. Illud enim ἐξενεχυράζειν non magis ad fænus hemerodaniſticum, quam ad menſtruum aut annuum pertinet, immo etiam minus. Ergo nec ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν, ad præcedentia de cognomine ἡμεροδανειστοῦ referendum. Verſus Diogenis de Menippo hemerodaniſta obiter ita conſtituendi ſunt, in vulgatis peſſime luxati:

Φοίνικα τὸ γένος, ἀλλὰ Κρητικὸν κύνα,
Ἡμεροδανειστὴν, τοῦτο γὰρ ἐπεκλήζετο,
Οἶσθα Μένιππον ἴσως,
Θήβησιν οὗτος ὡς διωρύγη ποτὲ,
Καὶ πάντ' ἀπέβαλεν, οὐδ' ἐνόει φύσιν κυνὸς,
Αὑτὸν ἀνεκρέμασεν.

Præter ordinem verſuum male compoſitum in editionibus, verba etiã non ſatis ſana ſententiæ & menti auctoris officiunt. Quæ hæc eſt, Menippum fænore diario & nautico, cum vim pecuniarum grandem confeciſſet, eas amiſiſſe furto, perfoſſis ab expilatore parietibus loci quo incluſæ ſervabantur. Ita enim ſenſus eſt horum verborum, ὡς διωρύγη ποτέ. Sic διωρυγὴ accipienda in legibus navalibus: ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ δεξάμενος, φυλάττειν ταῦτα ὅτι ἀπώλετο, δεῖ δειχθῆναι τὴν διωρυγὴν, ἢ τὰ σῦλα πόθεν ὑπέστη. Mærore amiſſæ pecuniæ expilatæ ſuſpendio vitam finiſſe vult Menippum, nec intellexiſſe quæ natura canis eſſet, hoc eſt τοῦ Cynici philoſophi, qualem profitebatur. Interpretes nihil in illo Epigrammate viderunt. De modo diarii fænoris, qualis fuerit, nunc videamus. Menſtruo immane quantum majorem fuiſſe, plane liquet. Ut inter menſtruas & annuas uſuræ penſiones aliqua extitit differentia, & illæ his graviores proportione, adeo ut minima menſtruarum gravior fuerit quam quæ annuarum leviſſima, & graviſſima ex menſtruis major quam quæ inter annuas maximè gravis, ita in diem factitatum fænus, multis paraſangis ſuperavit ipſum menſtruum

ſtruum. Hominum autem fuit viliſſimorum & ſordidiſſimorum. Et quemadmodum in mercedibus accipiendis omne genus, qui annuas eas caperent pro re ſua quacunque vel opera quam locarent, honeſtiores habebantur quam qui ſingulis menſibus eas exigerent, ita hi porro majorem præferebant honeſtatem, quam qui diurnis exigendis capturis vitam quæritarent, qui omnium contemptiſſimi & infimarum fuere ſordium. Μισθὸν ἐφημέριον Græci appellant. Præ inopia non poſſunt expectare, & mercedem præſentariam volunt. Uſura etiam merces eſt pecuniæ locatæ fænore. Minuti ac puſilli τοκόγλυφοι, qui hunc quæſtum habebant ex quo in diem viverent, vel qui ex ratione quæſtus ſordidi quam agitabant, nihil mediocre volebant, ſingulis diebus pro pecunia, quam dederant, mercedem ſoliti exigere, eamque maximam. Honeſtiores in menſem dabant, honeſtiſſimi in annum. Quod tamen ut plurimum ex deſiderio petentium mutuum pendebat, utrum in annum, an in menſem, aut aliquot menſes poſtularent. Certe duæ res efficiunt, ne quis ſuſtinere diutius queat ſolutionis dilationem, egeſtas ac negotiatio. Qui ſuo indiget ad vivendum, nec aliud habet, ſingulis menſibus & penſiones pro ædibus locatis, proque pecunia fænerata, & mercedem pro arte præſtari ſibi expetit. Qui negotiatur, & pecuniam ſuam exercet, ut argentarii & mercatores, moram patienter non ferunt, quin quamprimum poſſunt, pro uſura nummos exigant, quos ſtatim occupent. Ex locatis ædibus menſtruam vulgo penſionem moris erat præſtari. Non tamen apud omnes eadem conſuetudo, ſed quidam ſoliti annuam expectare, nonnulli & bimam, ut apud Martialem:

Vidi, Vacerra, ſarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas penſione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus ſeptem.

Merces

Merces ludimagiſtris pendebatur quotmenſibus more pervulgato, ut ex hoc Epigrammate Palladæ colligitur, ut alios teſtes omittam:

> *Ἐνθάδε παιδεύουσιν ὅσοις κεχόλωτο Σάραπις*
> *Τοῖσιν ἀπ' οὐλομένης μήνιδος ἀρχομένοις,*
> *Ἔνθα τροφὸς κατὰ μῆνα φέρει μισθὸν μετ' ἀνάγκης,*
> *Βύβλῳ καὶ χάρτῃ δησαμένη πενίην.*

Atqui ex eodem Epigrammate conſtat, quibuſdam etiam nonniſi anno finito ſolitam dari mercedem διδάκτρου nomine:

> *Ἢν δέ τις εἰς ἐνιαυτὸν ἄγῃ χρυσοῦ νόμισμα,*
> *Ἐνδεκάτῳ μηνὶ πρὶν προφέρειν μέλλῃ.*
> *Ἀγνώμων δὲ φανεὶς, καὶ τὸν πρότερον διασύρας*
> *Γραμματικὸν, στερίσας μισθὸν ὅλου ἔτεος.*

Quod confirmatur & verſu Juvenalis ex Satyra VII, de mercedibus magiſtrorum:

> *—& cum ſe verterit annus,*
> *Accipe, victori populus quod poſtulat, aurum.*

Ad quem locum vetus Scholiaſtes: *Hac expoſcunt à magiſtris, & poſt omnia in annum unum ſolidum accipient.* Hoc eſt, quod Palladas dixit:

> *Ἢν δέ τις εἰς ἐνιαυτὸν ἄγῃ χρυσοῦ νόμισμα.*

Sed de mercedibus Grammaticorum & Rhetorum nos alibi. Uſuræ igitur, quæ mercedis locum in locata pecunia habebant, partim annuis, partim menſtruis penſionibus ſolvi ſolitæ, cum apud Græcos, tum apud Romanos. Præter has etiam Græcis receptæ in uſu diurnæ. Sic & mercedes bajulis dietim ſolvebantur, aliiſque mercenariis, quos Græci μισθωτοὺς appellant proprie. Eas uſuras diarias contemptiſſimæ ſortis homines uſurpabant. Hinc cum Theophraſtus inter notas μικρολόγου retuliſſet, ſemiobolum pro uſura in menſe accipere, & uſuram uſuræ pro mora ſolutionis flagitare, idem in characteriſmo ἀπονοίας tradit de hujuſmodi vecorde, & profligatæ avaritiæ homine, qui in drachmam & in diem tres ſemiobolos exigeret

uſuræ nomine, hoc eſt, quartam partem drachmæ; οὐκ ἀποδοκιμάζων ἦ, οὐδ᾽ ἅμα πολλῶν ἀγοραίων στρατηγεῖν, καὶ εὐθὺς τούτοις δανείζειν, καὶ τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια τῆς ἡμέρας πράττεσθαι. Quod prodigioſum fœnus eſt, utpote quo intra quatridum ſors exæquabatur. Hujus fœnoris in diem dandi mentio extat & apud Plautum in Epidico, ſed non tam impendio magni & horrendi, his verbis:

Id adeo argentum ab daniſta aqud Thebas ſumpſit fœnore,
In diem, minaſque argenti ſingulas, nummis.

Ex quo illud etiam intelligi datur, vulgares daniſtas vel trapezitas, qui publice profitebantur hanc fœnerandi artem, non ſolum in menſem, & in annum, ſi quis vellet accipere, ſed & in diem uſurariam pecuniã dare paratos. In eo verſu quod in diem minaſque ſingulas pactio interponitur uſuræ, in nummis ſingulis, cave de drachmis interpreteris, ut fecere quidam. *Nummi* apud Plautum & alios illius tẽporis comicos, didrachma ſunt, non drachmæ. Ergo binæ drachmæ in centum eo fœnore diario expetitæ. Quod reſpondet aliquo modo fœnori menſtruo ἐπὶ δυοῖ δραχμαῖς appellato. Nam ut illud, quod erat in menſem, quinquagiuta menſibus ſortem æquat, ita hoc diarium quinquaginta diebus. Apud Romanos ſimiliter annuum ſextantium uſurarum in duas uncias fœnus ſortem adæquabat annis quinquaginta. At illud diarium Theophraſti, quod quattuor diebus ſortem æquiparabat, ut proportione caret, ita exemplo. Nullum enim fœnus menſtruum intra quattuor menſes uſuras parit ſortis ſummæ ex pari reſpõſuras. Sed eſt annuum quod id facit in quattuor annis, nempe ἐπιτέταρτον, ut ἐπίτριτον in tribus. Ideo Theophraſtus ἀπονοίας charactere inſignivit tales uſuras. Nunc docendum, nummos in illo Plauti loco eſſe didrachma. Nam falluntur qui nummum hic denarium volunt eſſe, qui

dena-

denarius drachmæ par eſt, cum hic nummus Plautinus ſit didrachmum. Clare in Pſeudolo ex veteris codicis lectione, qui apud me eſt:

Illi drachma eſſent miſeri; me nemo poteſt,
Minoris quiſquam nummo ut ſurgam ſubigere.

Dicit, alios coquos vulgo drachma conduci, ſuam operam nemini ſe addicere minoris quam nummo, id eſt, duabus drachmis. Qui de nummo aureo ibi accipiunt, ſtrenue nugantur. Cujus ſententiæ nollem fuiſſe magnum Scaligerum in opere poſtumo de re Nummaria. *Plus*, inquit, *hic eſt nummus quam aliquot drachmæ.* Immo dicere debuit, quam drachma. Nam ita legendum apud Plautum ex vetuſto ac fido exemplari. Sed & cum vulgata lectione idem ſenſus. *Illi drachmis eſſent miſeri.* Quot enim drachmas ibi vellet Scaliger intelligi? Non poteſt amplius quam unam. Singuli drachmam accepiſſent. Ita loquutus eſt in Aulularia:

Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros.

Id eſt, nummum ſingulis viritim dividere. Quod & explicat ſtatim.

Nam non eſt veriſimile, hominem pauperem,
Pauxillum parvi facere quin nummum petat.

Addit idem Scaliger ibidem, quotidianam ſibi videri mercedem fuiſſe τετράδραχμον, ex illis apud Athenæum verſibus, de coquo:

—ἀλλὰ διδοὺς τέσσαρας
Δραχμὰς ἀποβαλῶ, φησὶ, τὴν προαίρεσιν.

Si ibi quattuor drachmæ dantur coquo mercedis, an neceſſe eſt in illis Plauti verbis coquum decem accipere? Quod nos voluimus nummi nomine duas ſignificari drachmas, id propius abeſt à tetradrachmo quam decem drachmis. Non uno pretio omnes operam ſuam locabant. Prout ars erat in his quam illis perfectior, ita plus aut minus merebant. Vulgares

drachmam, paulo doctiores nummum, ut & ille in Aulularia:

Nummo conductus ſum: plus medico jam mercede
eſt opus.

Id eſt, duabus drachmis. Optimi quattuor drachmas accipiebant, ut ille apud Athenæum. Nemo fuit tam perfectus qui nummũ aureum in diem pro opera poſceret, hoc eſt, viginti drachmas. Nam qua ratione ductus Scaliger nummum de nummo aureo interpretatus ſit, & nummum aureum de decem tantum drachmis, expiſcari non poſſum. Nummus aureus paſſim apud auctores, & apud hunc ipſum Plautum pro aureo nomiſmate integro accipitur binas auri drachmas penſante, non de ἡμιχρύσῳ, ut vult Scaliger. Ut in Trinummo.

Si hunc poſſim illis mille nummis Philippeis cir-
cumducere.

Philippei hic nummi non ſunt ἡμίχρυσοι, ſed ſolidi & integri ſtateres aurei. Pollux: καὶ ἄλλως ἤδη ἤκουσαν οἱ Κροίσειοι στατῆρες, καὶ Φιλίππειοι, καὶ Δαρεικοί. Ergo Δαρεικοὶ, ut & Philippei, duarum tantum drachmarum pondus habuere. Et cum Daricum ſtaterem auri ſiclo rependit Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum libro III, cap. IX, non de ſiclo tetradrachmo, ut putavit Snellius, ſed de didrachmo intelligendus. Res per ſe nota pluribus probari non vult. Quod idem Scaliger ὁ πάνυ in Perſa Plautino, ſexcentos nummos pro ſexagenis minis accepit, non mediocriter hallucinatus eſt:

Quid igitur? ſexcenti nummi quid agunt? quas
turbas danunt?

Putat, hos ſexcentos nummos ſexaginta minas eſſe, quibus puella in illa fabula vendita fuit. Id falſum. Nam ſexcenti illi nummi pretium faciunt quo liberavit amicam ſuam Toxilus, meretriculam non magni. At ſexaginta minæ ſunt quas pro virgine leno dederat,

quam

quam crediderat ex penitiſſima Perſide advectam, ſummo loco natam, ideoque impenſo eam comparaverat pretio, nempe ſexaginta minis argenteis. Sexcenti vero nummi, quibus amicam liberavit à lenone Toxilus ſervus, mille tantum & ducentas drachmas faciunt, ſi computetur nummus pro binis drachmis, quæ in totum duodecim minas argenti reddunt. Drachma quidem auri eſt decima pars minæ argenti, ſed nummus non eſt drachma auri. Niſi quis enim expreſſe *auri* vocem addat, *nummo* nominato nemo eſt qui de aureo poſſit intelligere. Probare pergit, ſaltem id ſatagit, nummum eſſe auream drachmam, ex loco alio Plautino in Truculento, ubi ſervulus, qui una mina argenti obſonaverat, quinque autem ad herilem amicam defert, ait, ſeſe de ea mina, qua obſonaverat, partem Herculaneam detraxiſſe, quinque nummos. Exiſtimavit vir ſummus, partem illam Herculaneam, ſive quinque nummos, de quinque minis detrahi, ac proinde quinquaginta drachmas argenteas de ſumma illa decerptas, quæ quinque drachmas aureas efficiunt, hoc eſt, quinque nummos. Non poterat magis in re ulla aberrare, quam hic falſus eſt. Non enim de tota ſumma quinque minarum ſe detraxiſſe partem Herculaneam, id eſt, decimam, fatetur ſervulus, ſed de mina duntaxat quæ ipſi data fuerat ad opſonandum. De aliis non poterat, quas integras deferre ad amicam à domino juſſus fuerat. Nam facile id dominus reſciſſet. Et non contemnenda ſumma eſt, quinquaginta drachmas ex quingentis furari. Id facile potuit facere in illa mina qua obſonia emit, quæ mentitus eſt ſibi carius empta decem drachmis quam ea revera præſtinaſſet. Verba Plauti allata clare confutabunt Scaligeri ſententiam, meamque confirmabunt:

Secreto hercle equidem illum adjutabo. Neque mea
ille quidem,

Opera unquam hilo minus propere, quam poteſt, peribit.
Nam jam de hoc obſonio de mina una deminui
Modo quinque nummos, mihi detraxi partem Herculanam.

Pars Herculana, hoc eſt, decima de mina detracta, decem drachmæ ſunt, quos quinque nummos vocat Plautus. Ergo nummus pro didrachmo argenteo. Quod & illo argumento certiſſime poteſt probari. Nummus aureus dicitur Plauto & aliis, qui pondere eſt duarum drachmarum. Ergo nummus abſolute cum dicitur, de argenteo intelligendus, qui & drachmas duas argenteas pariter appendit, ut aureus duas aureas. Hinc idem Plautus in Rudente nummos aureos à denariis aureis diſtinguit, hoc eſt, didrachma aurea à drachmis aureis:

Nummi octingenti aurei in marſupio inſuerunt,
Præterea centum denaria Philippea.

Ubi nummi aurei ſunt χρυσοῖ στατῆρες, qui pondus habebant duarum drachmarum. At denaria ſunt ἡμιστάτηρες, unius drachmæ pondere, quos & ἡμιχρύσους dixere, ut Alexandrides apud Pollucem. Et notandum, fabulam illam Plautinam agi Cyrenis, in qua urbe & ſtateres & ſemiſtateres aurei erant in uſu, hoc eſt, nummi aurei denarii, hoc eſt, didrachma, & drachmæ aureæ. Pollux lib. IX, cap. VI: ἦν μέντοι, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶν, ἐν Κυρήνῃ καὶ τετραστάτηρον, καὶ στατὴρ, καὶ ἡμιστάτηρον, χρυσᾶ νομίσματα. Ita ibi ſcribendum ex optimo, quem contulimus, exemplari. Hinc *denarius aureus* apud Livium eſt drachma aurea, cum dicit, denarium aureum decem argenteis valuiſſe, hoc eſt, drachmam auream decem drachmis argenteis. Lib. XXXVIII, de fœdere Ætolico: *pro argento ſi aurum dare mallent, darent convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret.* Auri tunc ratio ad argentum decupla. At aureus nummus Græcorum, pondere didrachmi, viginti

ginti drachmis permutabatur argenteis. Undè quin-
que aureis minam argenti ſolitam permutari, inter
omnes convenit. Pollux: ὁ δὲ χρυσοῦς στατὴρ μνᾶν ἠδύνα-
τo. Sed hæc alibi. Nummus igitur aureus, didrach-
mum aureum; ut denarius aureus drachma aurea. Sic
nummi apud Plautum ſunt didrachma. Idem in Au-
lularia:

Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros.

Id eſt, δίδραχμα, ut alibi id confirmamus. Diarii hi
porro fœneratores cocionibus præcipue ſolebant in
foro pecunias in diem fœnerari, ut ex Theophraſto
conſtat in charactere περὶ ἀπονοίας. Cum enim hi co-
ciones ſive arillatores à mercatoribus res emerent, ut
carius eas populo divenderent, ſi occaſio eſſet bene
emendi, & nummi ipſis ad manum præſentes non
adeſſent, ne lucri faciendi opportunitatem amitte-
rent, pecuniam ab his ἡμεροδανεισταῖς ſumebant, pactis
in diem uſuris. Verba Theophraſti de perdito illo ac
deſperato hemerodaniſta; οὐκ ἀποδοκιμάζων δὲ οὐδ'
ἅμα πολλῶν ἀγοραίων στρατηγεῖν, καὶ εὐθὺς τούτοις δανείζειν.
Ubi doctiſſimus interpres ἀγοραίους *rabulas forenſes*
reddidit, nec poterat pejus, cum in ſuperiore libro
docuerimus, ἀγοραίοις eſſe puſillos negotiatores, qui
& κάπηλοι Græcis appellati, Latinis *cociones*. Gloſſæ
veteres. Ἀγοραῖος, *nundinator*, *forenſis*. Ammonius
diſtinguit inter ἀγοραῖον & ἀγόραιον, accentu variato.
Ἀγόραιος, inquit, ἐὰν προπαροξυτόνως, σημαίνει τὸν ἐν
ἀγορᾷ τεθραμμένον, ἐὰν δὲ προπερισπωμένως, τὸν ἐν ἀγο-
ρᾷ πιπράσκοντα. Corruptiſſime hæc poſtrema. Lege, ſi
emendatiora vis, τὸν ἐν ἀγορᾷ τι ὠνούμενον. Qui in
foro aliquid emit. Intellige hos cocionatores qui in
foro ab agricolis & artificibus atque etiam exteris
mercatoribus, quod venale habebant, præſtinabant,
carius poſtmodum vendituri, qui ἀγοραῖοι dicendi,
cum accentu in penultima circumflexo. Sed melius

legatur, τὸν ἐν ἀγορᾷ τι πωλούμενον, *qui in foro aliquid vendit*. Dicebantur & σκηνῖται hi ἀγοραῖοι, quia tabernacula vel tabernas in foro habebant, in quibus ſua vænum exponere ſoliti. Harpocration: Σκηνίτης. Ἰσοκράτης τραπεζιτικῷ. Πυθόδωρον γὰρ τὸν σκηνίτην καλούμενον, ἔοικεν ἐπώνυμον εἶναι. μήποτε δὲ ὡς εἰς ἀγοραῖον καλούμενον, ἐπειδὴ ἐν σκηναῖς ἐπιπράσκετο πολλὰ τῶν ὠνίων. Per ἀγοραῖον intelligit Harpocration cocionem vel arillatorem. Σκηνὴ autem erat tabernaculum vel ex lignis vel ex linteis, ἢ ἀπὸ ξύλων ἢ ἀπὸ περιβολαίων οἰκία. Apud Theocriticum σκανὰ eſt tentorium propolarum, quod in nundinis ſolent in foro conſtituere ad merces vendendas, ut etiam nunc moris habent. In Ἀδωνιαζούσαις:

----Νίτρον καὶ φῦκος ἀπὸ σκανᾶς ἀγοράσδων.

Inde ergo hujuſmodi propolæ σκηνῖται Græcis. Eodem nomine & Arabes appellati, qui vagabantur, & ſub tentoriis degebant. Talis Iacob in Geneſ. xxv, inducitur, ישב אהלים, οἰκῶν σκηνὰς, ὁ σκηνίτης. Pro quo Septuaginta verterunt, οἰκῶν οἰκίαν. Nam & Heſychius σκηνὴν exponit οἰκίαν ex tabulis aut linteis factam. Subiit, cum cum hæc ſcriberem, virum omnium opinione Græce doctiſſimum in Ariſtarcho ſacro notare, Helleniſtas illos ſuos non σκηνὴν, ſed οἰκίαν eſſe interpretatos, quod honeſte minus eam vocem uſurpare Græcos non neſcirent, Cur igitur iidem Helleniſtæ ſexcentis locis in ſacra ſcriptura, nomine σκηνῆς non abſtinuerunt, etiam in deſignandis rebus ſanctiſſimis, ut σκηνῇ μαρτυρίου, ſi ſciebant turpius eſſe pronuntiatu illud vocabulum? Aliud cogitabat aut agebat cum hæc commentaretur vir eruditus. Quare autem minus honeſta vox σκηνὴ Græcis? Quippe qui ἐν σκηνῇ τρέφεσθαι, de libidinoſis atque obſcenis, aut quæ pretio proſtituiſſent corpus, vulgo uſurparent. Unde hoc vero, ut, qui in tentoriis educarentur, pro obſcenis ac libidinoſis haberi ſolerent?

Non

Non dicit id Ariſtarchus, ſed locum Theodoreti citat, ex quo id planũ fiat, τὴν δὲ καὶ νενομοθετημένην παρ' αὐτῶν καὶ κρατουμένην λαγνείαν οὐδὲ τῶν ἐν σκηνῇ τις τεθραμμένων ἀνάσχοιτ' ἂν ἢ φράσαι, ἢ λεγόντων ἄλλων ἀκοῦσαι. Atqui σκηνὴ ibi non eſt tentorium, hoc eſt, Hebraicum אהל, aut סכה, quod Septuaginta, vel, ſi mavis, Helleniſtæ, nunc οἰκίαν vertunt, nunc σκηνὴν, ſed theatrum & ſcena. Notum eſt autem, ſcenicas mulieres, & omnes qui ſcenæ operam darent, quam impudici & laſcivi fuerint. Hi ſunt quos ἐν σκηνῇ τεθραμμένους vocat Theodoretus. Verbum non addam, ne celocem nimis onerem. Ergo ad penſum redeamus. Præter annuas, menſtruas, & diarias uſuras, veteribus notas, & frequentatas, ſunt hodieque & hebdomadariæ in his locis Longobardis, hoc eſt, publicis fœneratoribus ſive trapezitis, uſurpatæ. De quibus apud veteres nihil legi. Ad hoc etiam pertinent, ut, ubi quis pecuniam ab ipſis acceperit ſub uſuris, ſi vel unum non amplius diem aut biduum pecuniam eam retineat, pro tota ſeptimana uſuram perſolvere teneatur. Quod an in veterum annuo & menſtruo fœnore obtinuerit, nos in ſequentibus tractabimus, & jam ſupra aliquid obiter attigimus.

CAPVT III.

Differentia communium & maritimarum uſurarum, deque earum appellatione & modo. Commune fœnus, eoque diverſum à nautico, Græcis ἔγγυον dictum. Quod ἔγγειον vocetur in Atticis ſcriptoribus, id eſſe cum vitio librariorum. Recentiores qui ἔγγειον appellant neſciviſſe quid eſſet ἔγγυον δάνεισμα. Quare ἔγγυα δανείσματα opponantur nauticis. Ἔκδοσις proprie de nautico fœnore. Quid ſit ἔγγυον, & quare communes uſuræ ἔγγυοι appellatæ. Lex Rhodia explicata duobus locis. Quæ ſine periculo creditoris datur

 pecunia.

pecunia, eam dici ἔγγυον. Ideo opponi trajecticia, cujus periculum ſuſcipit creditor. Sola periculi ratione eas uſuras diſtingui, multis probatum. Quid ſit ἔγγειος κτῆσις, & ἔγγειον κτῆμα. An ἔγγειος οὐσία eodem ſignificatu dicatur de ſubſtantia quæ in prædiis ſita eſt. Non omnia quæ in terra fiunt aut contrahuntur, ἔγγεια dici, ſed ea ſola quæ ſoli ſunt, & ſolo inhærent. Ἔγγειον τόκον & ἔγγειον συμβόλαιον vitioſe ſcribi apud Demoſthenem, pro ἔγγυον. De poſſeſſionibus ἐγγείοις. De ſupellectile. Quid ſint ἔπιπλα, ἀπαρτία, τοῦλδος. Quid ſit οὐσία φανερὰ apud Atticos. Eadem nimirum, quæ & ἔγγειος. Quid ἀφανῆ οὐσίαν proprie vocent. Οὐσίας δίκη, quæ. De loquutione, ἐν γῇ, ἐπὶ γῆς, ἐκ γῆς. Tyrius Maximus duobus locis emendatus. Græcos mediii ævi eodem modo pronuntiaſſe diphthongum ει & υ ψιλὸν, inde ἔγγειον corruptum pro ἔγγυον. Quæ ſint ἔγγυα συμβόλαια. Lex Rhodia emendata. Ἔγγυος οὐσία pro ἔγγειος perperam apud Demoſthenem legitur, ut alibi ἔγγειος male pro ἔγγυος. Quo ſenſu Græci διαποντίοις τόκοις nominarint. Quid proprie ſignificent vocabula ἔγγυος, φερέγγυος & ἐχέγγυος. Inde & ἐγγύη appellata, quod ſecuros præſtet eos quibus præſtatur. Ἐπίγυα funes quibus navis ad terram ligatur, inde etiam appellata ἀπὸ τῆς γύης, id eſt, γῆς. Mirifica Scaligeri hallucinatio in expoſitione Græcæ vocis ἔγγυον. Verſus Manilii quomodo exponendi quos idem interpretatus eſt. Novella Iuſtiniani de nautico fœnore à prava ejuſdem interpretatione vindicata. De fœnore quod ſortem intra annum adæquat Manilii verba accipienda. Quamvis ἐγγύῳ fœnori, id eſt, communi, nullum lege modum poſuiſſet Solon, moderationem tamen accepiſſe ex fœnerantium æquitate, & contrahentium conſenſu. Perperam doctum commentatorem legum Atticarum exiſtimaſſe lege aliqua fœnnoris exceſſum apud Athenienſis coercitum. Non

eam mentem eſſe Scholiaſtæ Demoſthenis, cujus
verba ad hoc citavit. Quomodo ea ſint capien-
da. Qui vocentur ἰδιωτικοὶ νόμοι, quos Græci ἀπὸ
τῶν δημοσίων diſcernunt. Non videri aliam legem
rogatam Athenis de uſuris moderandis, quæ dero-
garet antiquæ Solonis legi, qua infinitæ permitte-
bantur. De conſuetudine, quæ eſt νόμος ἄγραφος.
Multa in vita per eam inſtituta & recepta eſſe, at-
que obſervata. Ita nummus inventus, non ulla lege
conſtitutus. Eadem conſuetudine, conſenſu privato-
rum adprobata uſuras, lege ſine modo apud Athe-
nienſes permiſſas, modum per ſe eſſe nactas. Parvos
& pecuniarios uſurarioſque contractus lege non eſſe
obligandos politicis ſemper viſum. In ſcripto jure
Græcis ἰδιωτικοὺς νόμους diſtingui ἀπὸ τῶν δημοσίων,
ſed alia ſignificatione. Grammaticos quoſdem hoc
diſcrimine κύρβεις & ἄξονας diſtinxiſſe, quod in iſtis
ἰδιωτικοὶ, in illis δημόσιοι νόμοι eſſent inſcripti. De
differentia κύρβεων & ἀξόνων obiter diſputatum.
Auctorum ſuper ea re dividia. Ἄξονας fuiſſe verſa-
tiles. Ἄξων, idem quod axis, circa quam rota verti-
tur. Inde & legum axones appellati. Quid ſit κνάδαξ,
& κνάδων. Plutarchus correctus & explicatus. Vnde
κύρβεις appellatæ. & quid proprie fuerint. Κυρβασίας
nomen ex Perſico deductum. Quæ differentia fuerit
apud Athenienſes inter νόμους ἰδιωτικοὺς & δημοσίους.
Leges publicæ, quo ſenſu auctoribus dictæ. Quæ cau-
ſa præcipua ſit legum condendarum. Quæ nocentes
puniunt, ut documento ſint ceteris ne delinquant,
proprie δημοσίας vocatas. Idem nomen & apud La-
tinos Iuriſconſultos tuliſſe. Inde & publica judi-
cia iiſdem quæ ex publicis legibus deſcendunt. Ex-
plicata lex 1. D. de Iudiciis publicis. Δημόσιαι
δίκαι, actiones publicæ, hoc eſt accuſationes, propriè
Græcis dictæ in criminibus publicis. Quorum ani-
madverſio ad exemplum pertineret, & quia cui-
libet

libet è populo eorum accuſatio permitteretur, ideo appellata δημόσια. *Vox etiam* ἔγκλημα *horum criminum propria.* Γραφὴ *quoque Græcis eorundem criminum accuſatio appellata, quæ vox non uſurpatur de privatis actionibus. Ita & Latinos privatas actiones opponere publicis judiciis. Privata quoque judicia publicis diſtincta. Alia etiam populares actiones à publicis, ut Græcis* δημοτικαὶ δίκαι *&* δημόσιαι. *De extraordinariis iudiciis, & cognitionibus proprie dictis. De privatis judicibus & pedaneis. Alia ratione publicum jus à privato deſtingui, quam privata judicia à publicis. Quid juris publici nomine intellexerint Iuriſconſulti, quid privati. Ita fere Græcis* ἴδιον νόμον *proprie jus omne eſſe ſcriptum, &* κοινὸν *ſine ſcripto. Privatæ leges etiam de privilegiis. Perſonales verius dici. Leges quibus omnes tenerentur, non publicas fuiſſe dictas, ſed* γενικὰς, *id eſt generales &* κοινάς. *Lex eſt,* συνθήκη κοινὴ πόλεως: *conventio, hoc eſt* συνθήκη *inter privatos, lex eſt privata. Alio diſcrimine leges publicas Græcis Latiniſque dici quæ pœnas exemplares res reis publicorum criminum irrogarent, & quorum eſſet propterea publica accuſatio. Adulteratores monetæ Græcis Romaniſque publico judicio morte puniti, quamvis pecunia privatorum eſſet inventum. Nummi inventio cur* ἰδιωτικὸς νόμος, *& quo ſenſu Vlpiano vocetur. De* νόμῳ ἀγράφῳ *&* ἐγγράφῳ. *Conſuetudo,* νόμος ἄγραφος, *quæ bipertito in leges etiam generales & communes, & in privatas & peculiares diviſa eſt. Vſurarum modum multis in locis more ſolo introductum. Idem mos induxit Athenis,* μὴ πολλοὺς τόκους λαμβάνειν. *Quo ſenſu Vulpianus dixerit,* πολλοὺς τόκους ἀντὶ τῶν μεγάλων, *multas pro magnis. Quid ſit triplex uſura Iuuenali, & quinæ mercedes Horatio.*

PRÆ-

Præter fœnoris annui, menſtrui, diurni modos diverſos quos in ſuperioribus expoſuimus, non minima quoad modum fuit differentia inter communes uſuras & maritimas, apud Græcos pariter ac Romanos. Sed de Græcis primum, ac de nomine quo inter ſe differunt, deinde & de modo agemus. Commune fœnus vocant ἔγγειον, maritimum ναυτικόν. De ἐγγείῳ quare ſic vocetur videndum. Id alii ἔγγειον appellant, id eſt terreſtre, ad diſtinctionem illius quod *maritimum* dicitur, & in mari exercetur, cum hoc in terra ſcilicet ſoleat agitari. Non immerito tamen hanc vocem ἔγγειον in hoc fœnoris genere ſignificando ſuſpectam habeo, licet recentiores ita ſæpe appellent. At non veteres, niſi ſi fortaſſe cum vitio. Pellectis & examinatis quas ſumus allaturi rationibus quare ita ſentiam, an ita ſentiendũ ſit, lector judicabit. Non enim me moratur quod opponunt quaſi validum argumentum, ἔγγειον τόκον vocari ad differentiam τοῦ ναυτικοῦ, quem & διαπόντιον dixere Græci recentiores, ut Baſilicorum libri, & ἐπιπόντιον, ut collectio Baſilii, Leonis & Conſtantini: ἐπιπόντια δάνειά εἰσι τὰ διδόμενα τοῖς ἐν θαλάττῃ τὰς πραγματείας ποιουμένοις, ut Latini *maritimas* uſuras, & trajecticiam *pecuniam*. Nauticum etiam fœnus appellant. Non poſſum tamen mihi perſuadere Græcos auctores, & Atticos illius ævi τὸ ἔγγειον unquam hoc ſenſu uſurpaſſe. Ἔγγειον κτῆσιν illi vocant urbana prædia & ruſtica, fundoſque, ſed nauticum fœnus nunquam niſi cum errore librariorum. Non ignoro ſic accipi vocem ἔγγειον in conſtitutionibus Juſtiniani, ut in illa quæ eſt de nautico fœnore, his verbis: μεταβάλλειν αὐθὺς τὸ δάνεισμα, καὶ εἰς τὸν τῶν ἐγγείων μεταχωρεῖν τρόπον. Quid ſi & ibi vitium ſit librarii? Alibi ἔγγαιον pro eodem lego, ut in collectione legum Leonis, Baſilii & Conſtantini,

ἐπὶ

ἐαν τις ἐγγράφως ἐγγαίων ἐπὶ τόκων δανείσῃ τινί : alibi ἔγγειον, cum veriſſima ſit de alio fœnore quam nautico, lectio & ſcriptura, ἔγγυον. Certe Pollux duobus locis ubi de uſuris tractat, τὰ ἔγγυα δανείσματα τοῖς ναυτικοῖς opponit. Atqui debebat ἔγγεια nominare, ſiquidem terreſtria opponuntur maritimis. Conſtanter ille ἔγγυα nominat, ut & leges Rhodiæ & navales. Ille igitur lib. VIII, cap. XII, περὶ δανείσματος, ita ſcribit: Δάνεισμα, χρεωφείλημα, ἔγγυον, ναυτικὸν, κατ' ἔκδοσις, ἑτερόπλουν, ἀμφοτερόπλουν, ὑποκίνδυνον, ἐπικίνδυνον. Hæc omnia vocabula ad nauticas uſuras pertinent, ναυτικὸν κατ' ἔκδοσις, ἑτερόπλουν, ἀμφοτερόπλουν, ἐπικίνδυνον, ὑποκίνδυνον. Duo poſtrema nt palam eſt maxime nauticum fœnus diſtinguunt à communi, hoc eſt ἀπὸ τοῦ ἐγγύου, quod tutum eſt ac ſecurum creditori, cum illud contra periculo ipſius eat. Idem lib. III, cap. XXIII, δανείζων ἔγγυα δανείσματα, ναυτικὰς, ἐκδόσεις, ἐπὶ μεγάλοις τόκοις παρακινδυνεύων. Ubi melius legatur, ἔγγυα δανείσματα, ναυτικὰ, ἐκδόσεις. Sic enim ſupra χρεωφείλημα κατ' ἐκδόσεις de nautico fœnore dixit. Ἔκδοσιν quoque de maritimo fœnore proprie uſurpari notavit Suidas: Ἔκδοσις, τὸ ναυτικὸν δάνεισμα, οἱονεὶ ἐξωδόσις. Quæ habet ab Harpocratione, aut Harpocration ab eodem ex quo Suidas ſumpſit. Nec enim Harpocration Suidæ nominnatur inter eos auctores quos compilavit. Vides ἔγγυα δανείσματα & ναυτικὰ, invicem ex adverſo opponi, ut & in ſuperioribus δάνειον ναυτικὸν, & ἔκδοσις opponitur τῷ δανείσματι ἐγγύῳ. Quid ſit ἔγγυον, Grammatici exponunt, & ἀσφαλὲς interpretantur, quod tutum nempe eſt ac ſine periculo. Heſychius, Ἔγγυον, ἐγγυητὴν, ἢ ἀσφαλές. Pro eo ἔγγειον ſcribitur apud Suidam: ἔγγειον, τὸ ἀσφαλές. Et apud Etymologici magni auctorem, ἐγγύη, ἡ ἀσφαλὴς καὶ ἐστηριγμένη δόσις. Quod ille vult dictum παρὰ τῆς γῆς, unde γύη factum eſt. Certe γύας paſſim poetæ Tragici agros & terras arvaque proſciſſa aratro vocitant. Ἐγγύη proprie

proprie Græcis eſt ſponſio, & ἔγγυος ſponſor, qui pro alio ſpondet. Unde iſtud Thaletis vel Chilonis, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. In periculo enim ſunt ac damno plerumque qui pro alio ſpondent, quibus autem ſpondetur & ſatisdatur, ii extra damnum. Inde ἔγγυον debitũ, quod tutum creditori ſponſor præſtitit. Qui pecuniam trajecticiam nautico fœnore collocabant, etiam ſub pignoribus & hypothecis eam dabant, & ſponſores accipiebant, qui bene credi illam repromitterent, ſi modo navis ſalva perveniſſet. Ceterum ſi navis periret, tum periculum pecuniæ creditę ſpectabat creditorem. Nec aliter licebat lege Rhodia ſyngraphas pecuniæ nautico fœnore mutuatæ conſcribi, quam ut periculo creditoris navigaret ea pecunia. Si alia conditio apponeretur qua tutum creditori debitum, & ſine periculo ipſius navigaturum caveretur, nulla erat, & pro irrita habebatur hæc pactio. Verba legis Rhodiæ hæc ſunt: ὁ νόμος κελεύει. τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ δεδανεισμένα ἔγγυα καὶ ἀκίνδυνα μὴ γραφέτωσαν, εἰ δὲ καὶ ἐπιγραφθῶσιν, ἄκυρα ἔστω κατὰ τὸν Ῥόδιον νόμον. τὰ δὲ ἐν ἀγροῖς ἢ ἐν πόλεσι δανειζόμενα ἔγγυα καὶ ἀκίνδυνα ἐπιγραφέτωσαν. *Lex, inquit, hoc jubet, ut quæ in mari fœnerata ſint, tuta & ſine periculo futura creditori non ſcribantur. Si vero & ſcribantur, irrita ſunto, ſecundum legem Rhodiam. Quæ vero in agris aut urbibus mutua dabuntur, ſecura & ab omni periculo vacua conſcribi ac repromitti liceto.* Ex hujus verbis legis clarum eſt, quare ἔγγυα συμβόλαια opponantur maritimis, & nauticis, quæ non poſſunt ita confici, uti tutum reddatur debitum creditori trajecticiam pecuniam fœneranti. Inter leges navales hæc etiam habetur: Οἱ ναύκληροι καὶ οἱ ἔμποροι ὅσοι ἂν χρήσωνται χρήματα ἐπὶ πλοίῳ, ἔγγυα μὴ χρησάτωσαν, καὶ ναῦλα καὶ φορτία. Vetat navicularios & mercatores pecunias mutuari quæ ſecuræ ſint & periculi expertes mutuatori. Hoc enim eſt, ἔγγυα χρήματα χρήσασθαι, eas mutuari pecunias, quorum

nomine

nomine creditori ſatiſdetur, etiamſi navis pereat, non ipſi perituras, ſed debitori. Quæ ſtipulatio nihili eſt, & contra leges navales. Sequitur in eadem lege; Σωθείσης τοῦ πλοίου καὶ τῶν χρημάτων, εἰ μὴ ἐγγένηται τοῖς χρήμασιν ἐκ τῶν θαλαττίων κινδύνων ἢ πειρατῶν ἐπιβολὴ, ἐκ τῶν ἐγγύων ἐπιδότωσαν χρῆσιν ναυτικοῖς. Si navis ſalva redierit, nihilque damni aut jacturæ pecuniis trajecticiis ex maris diſcrimine aut piratarum incurſione acciderit, tum mutuas dare libere poſſint nauticis hominibus qui volent pecunias uſuris communibus, quæ periculo creditoris non dentur, ſed ipſi ſint ἔγγυοι, id eſt, tutæ & extra aleam. Hic eſt eorum verborum ſenſus, quem vulgo male ſequuti ſunt qui ea verterunt. χρῆσιν ἐπιδιδόναι eſt, mutuum dare, χρῆσαι: contra χρήσασθαι mutuo accipere & mutuari. Poſtquam navis igitur ad portum adpulit, communes uſuræ locum tum habent. Quod debitum ἔγγυον dicitur, quia periculum ejus non pertinet ad creditorem, ut in trajecticia pecunia, quæ ad hoc datur ut trans mare vehatur, ideoque majores legitimis uſuras admittit, quia, ubi periculum eſt, ibi etiam vice penſationis grandius lucrum obvenire par eſt, Ex eo die porro periculum creditorem ſpectare incipiebat, ex quo navem navigari convenerat, ut ſcribit Modeſtus, lege II, D. *de Nautico fœnore*. Eæ igitur proprie pecuniæ trajecticiæ dicendæ, quæ mare trajiciunt, non quæ in eodem loco conſumuntur, etiamſi in terra ſint fœneratæ. Non igitur ἔγγειος τόκος hic dici debet, ſed ἔγγυος, qui maritimis uſuris, διαποντίοις, opponi queat. Quia hæ cum periculo creditoris dantur, illæ ſine periculo. Adeo ut pecuniæ creditæ ultra licitum modum uſuras exigere non poſſet qui pecuniam ea lege dederat, ut in urbe ſibi reſtitueretur, ſi periculum quod ex navigatione metuitur, ipſum non tangeret, ut eſt in leg. II, Cod. *de nautico fœnore*. Synopſis Baſilicῶn, lib. VII, tit. VII: ὁ μὴ κινδυνεύων δανειστὴς τοῦ πλοϊσμοῦ τῆς θα-

λάσσης

λάσσης, μείζονα τόκον οὐ λαμβάνει. *Qui non periclitatur creditor è navigatione maris, majores uſuras non capit*, majores ſcilicet communibus. Non igitur accipit maritimas. Quandocunque non ſecuræ ſunt pecuniæ creditori, ibi debentur uſuræ maritimæ ut in trajecticia pecunia. Hinc διαποντίως & ναυτικῶς δανείζειν idem omnino eſt quod ἐπικινδύνως δανείζειν. Scholion vetus, lib. XXIII. Baſilicῶn, tit. de uſuris: Νόμιμος τόκος ἐστὶ διαποντίως τινὸς δανείζοντος ἤτοι ἐπικινδύνως, ἑκατοσταῖος. *Vſura legitima ejus qui trajecticiam pecuniam trans mare vehendam fœneratur, id eſt, cum periculo ſuo, centeſima eſt.* Propterea & Pollux τὸ ναυτικὸν δάνεισμα, & ἐπικίνδυνον, vel ὑποκίνδυνον, interpretatus eſt. Ergo τῷ ἐπικινδύνῳ ſive nautico opponitur, τὸ ἔγγυον, id eſt, tutum, & ſine periculo. Pro quo perperam multis auctorum locis ἔγγειον ſcriptum reperitur, præcipue apud antiquos & Atticos. Si quis enim rem attentius conſideret, non mare ipſum facit ut uſuræ trajecticiæ pecuniæ diſtinguantur à communibus, ſed ſolum periculum crediti quod in ſe recipit fœnerator. Nam etiam ſi quis pecuniam fœneraretur naviculario, aut mercatori trans mare portandam, cujus periculum ipſe non ſuſciperet, uſuræ maritimæ locum non haberent. E contra, ſi quis terreſtri itinere merces, vel argentum tranſvecturo per illa loca, quæ infeſta latronibus forent, crederet, & pecuniæ mutuo datæ periculum ad ſe pertinere conſentiret, poſſet æque magnas uſuras ſtipulari quam in trajecticia pecunia & trans mare vehenda. Periculum igitur, non locus diſcrimen ſtatuit inter modum communium uſurarum, & maritimarum. Quid ergo attinet eas ſic diſcriminare, ut aliæ dicantur ἔγγαιοι, id eſt, *terreſtres*, aliæ *maritimæ*? Certe vulgo vocatæ fuere ναυτικοὶ & διαπόντιοι, quarum in ſe periculum ſuſciperet creditor, quia plerumque ita fieri ſoleret in pecuniis quas mercatores navigaturi fœnore acciperent.

Sed non propterea neceſſe fuit, eas, quæ ſine periculo fœneratoris acciperentur, *terreſtres* & ἐγγείους appellari. Nam & illa trajecticia pecunia in terra ipſa fœnore ſumitur, & in terra poſt peractam navigationem ſolvitur. Si ſine periculo creditoris datur, eſt ἔγγειον δάνεισμα creditori: ſi ad ejus periculum ſpectat quod creditum eſt, aut nauticum eſt fœnus, aut ad nautici exemplum. At ἔγγειον κτῆμα, aut ἔγγειος κτῆσις eſt poſſeſſio fundi. Si quis ſubſtantiam in fundis habeat ac prædiis, tum ἔγγειον οὐσίαν habere poteſt dici, eoque modo diſtingui ab opibus quæ in maritimis negotiationibus ſitæ ſunt, ut apud Lyſian, τοῦ νόμου κελεύοντος τοὺς ἐπιτρόπους τοῖς ὀρφανοῖς ἔγγειον τὴν οὐσίαν καθιστάναι, οὗτος δὲ ναυτικοὺς ἡμᾶς ἀποφαίνει. *Cum jubeat lex tutores pupillorum pecuniam in agros collocare, hic nos navicularios & mercatores reddit.* Hoc eſt, nos cogit mercaturis inſiſtere, & navigare. Ita bona quæ in agris & fundis poſita ſunt, comparat cum his quæ mercimoniis, aut fœnore nautico ſunt occupata. Ita & ἔγγειον κτῆσιν alius auctor apud Suidam dixit de fundis & agris: ὁ δὲ κατεκληρούχει τὴν χώραν, διδοὺς ἑκάστῳ ταλάντειον κλῆρον, οὕτως ὑπολαμβάνων στῆναι τὰ κατὰ τὴν πόλιν προσδεθέντων τῶν ἀνθρώπων ταῖς ἐγγείοις κτήσεσι. *Ille vero regionem viritim dividebat, unicuique aſſignans poſſeſſionem ſex millium drachmarum pretio æſtimandam. ſic ſperans res civitatis ſtabiliri & conſtitui poſſe, cum homines addicti & affixi forent agris colendis.* Ubi ἔγγειοι κτήσεις ipſi agri ſunt, & terræ quæ coluntur, ad verbum *terreſtres poſſeſſiones.* Optimæ Gloſſæ: *Prædia,* ἔγγαια κτήματα. Idem quippe ἔγγαιον & ἔγγειον, illud ἀπὸ τῆς γαίας, hoc ἀπὸ τῆς γῆς. An ita ergo apud Lyſian ἔγγειος οὐσία accipienda eſt, quę opponitur τοῖς ναυτικοῖς? Videtur id nolle Suidas vel ille unde accepit. Cum enim citaſſet verba ſuperius allata, quibus ἔγγειοι κτήσεις nominãtur agri vel fundi, ſubjicit ſtatim, οὐχ οὕτω δὲ οἱ ῥήτορες ἐπλεόνασαν, ἀλλ' ὅταν τὸ ἐν γῇ θέλωσι δηλῶσαι. Deinde

de protinus ſubnectit locum Demoſthenis ex ea adverſus Apaturium, in qua τὸ ἔγγειον συμβόλαιον diſtinguitur ἀπὸ τόκου ναυτικοῦ. Poſt quæ verba citata addit illa Lyſię quę paulo ante attulimus, ubi οὐσία ἔγγειος ſimiliter ἀπὸ τῶν ναυτικῶν diſcernitur. Ergo quiſquis ille eſt, aperte nomine τῆς ἐγγείου οὐσίας ſignificari voluit quidquid in terra poſſidetur, ſive in mancipiis ſit, ſive in pecunia numerata, & aliis mobilibus, præter prædia urbana & ruſtica. Eadem, ut videtur, mens eſt & Phrynicho, in Ecloga dictionum Atticarum, ἔγγιον, inquit, ἐπὶ τοῦ ἐγγύτερον μὴ λέγε, ἀλλ' ἐγγύτερον. ἐπὶ δὲ τοῦ ἐν γῇ, οἷον ἔγγειόν τι κτῆμα, εἴ τις χρῷτο ἄριστα, ἂν χρήσαιτο, ὡς καὶ Δημοσθένης ἔγγειον τόκον λέγει. Vides manifeſte, & iſtum velle quidquid in terra habetur, ſive res ſoli ſit, ſive mobilis, ἐγγείου appellatione Atticis cenſeri. Inde & Demoſtheni ἔγγειον τόκον appellari *terreſtrem uſuram*, quæ in terra exigitur, ad diſcrimen nautici fœnoris quod in mari exercetur, & διαπόντιον vocatur. Uno verbo quæcunque in terra fiunt, contrahuntur, poſſidentur, quæ Græce ἐν γῇ fieri, contrahi, & poſſideri dicuntur, ea omnia ἔγγεια Atticis eſſe voluit, ut ἐγγείους τόκους & ἔγγεια συμβόλαια, cum ἔγγειος κτῆσις ipſa γῆ ſit. Vereor tamen ne illi fruſtra ſint, eoſque deceperit corrupta apud Demoſthenem ſcriptura, qua ἔγγειος τόκος & ἔγγειον συμβόλαιον appellantur. Ad Phrynichum quod attinet, non dubito quin ab aliquo Græculo ſemidocto infimi ſæculi, hæc verba ei adjecta fuerint, & ex margine poſtea in contextum inſerta, ὡς καὶ Δημοσθένης ἔγγειον τόκον λέγει. Cum enim ille Atticiſmi peritiſſimus fuerit, non potuit ignorare, ne vulgares quidem Græcos ἔγγειον aliter uſurpare quam de re ſoli & immobili, & diſtingui ἀπὸ τῶν ἐπίπλων, ideſt mobilibus & ſupellectile. Polybius apud Suidam: Τοιοῦτον ἀπέλιπε τὸν βίον, ὥστε μὴ δυνάσθαι τὴν φερνὴν διαλῦσαι τῇ γυναικὶ πᾶσαν ἐκ τῶν ἐπίπλων, εἰ μὴ τῶν ἐγγείων τινὰς προσαπέδοτο κτήσεων. Ubi perperam ſcribitur,

bitur, τοῦ ἔγγυον. Sic hæc duo mutuo vitio invicem corrumpuntur, ἔγγυον & ἔγγαιον. Mobilia igitur quæ ſunt ἔπιπλα Græcis, quam & ἐπιπόλαιον κτῆσιν appellant, diſtinguuntur ἀπὸ τῶν ἐγγείων. In ἐγγείῳ autem κτήσει non magis numerari poſſunt uſuræ, & ἔγγειοι appellari quam ipſa nomina quorum uſuræ ſunt, immo quam & pecunia numerata. Ἔπιπλα quidem proprie Græcis de ſupellectile quam ἐνδομενίαν & ἐνδουχίαν quoque appellant. Suidas: Ἔπιπλα, ἡ μὴ ἔγγειος κτῆσις. Heſychius: ἔπιπλα, ἱμάτια γυναικεῖα, ἢ χρήματα, ἢ σκεύη τὰ μὴ ἔγγεια, ἀλλ' ἐπιπόλαια. Sic ἐνδουχίαν, Polybius apud Suidam, quæ eadem eſt cum ἐνδομενίᾳ, diviſit ἀπὸ τῶν κτήσεων, id eſt, poſſeſſionibus, quæ ſunt ἔγγειοι κτήσεις. Nam & κτήσεις abſolute eas vocabant. De Publio Scipione, & Quinto Maximo: οὐδ' εἰς τέλος ἐδυνήθησαν, εἰ μὴ καὶ τὴν ἐνδουχίαν ἀπέδοντο καὶ τὰ σώματα. Ab eadem ratione & ἐνδομενίαν appellarunt. Hoc nomine res mobiles atque inſtrumenta domus nuncuparunt, quam & ἀπαρτίαν dixere, quia domum ἀπαρτίζει, plene inſtruit, ac perficit. Nam & ἀπαρτία idem quod ἀπαρτισμὸς, cum nihil deſit nec ſupereſt. Pollux: εἴποις δ' ἂν τὴν πρᾶσιν τῶν ἐπιπλόων, ἢ νεῶν ἀπαρτίαν, ἀγορὰν καὶ παμπρασίαν. Vocamus in idiomate noſtro *Admobiliamentum*. Ἐπίπλοα antiqui dicebant pro ἔπιπλα, ut Herodotus. Pollux idem. & ſic dicta interpretatur, ἃ καὶ πλέων ἄν τις ἐπικομίζοιτο, ὡς ἔγγειος καλεῖται κτῆσις ἡ λοιπή. Ita enim ſcribendum pro eo quod editum eſt vulgo, ἃ καὶ πλέον. Quæ quis ſecum peregre ferre poteſt, aut in navigatione, aut militia hoc nomine veniunt. In militia *vaſa* vocarunt Romani veteres. Unde *convaſare*, & *vaſa conclamare*. Ἀποσκευὴν, Græci antiqui. Recentiores ac ſemibarbari, τοῦλδον. In urbe quæ domi habet ad eam inſtruendam paterfamilias, ea *ſupellex* Latinis, οἰκοσκευὴ, Græcis Conſtantinopolitanis, Antiquis ἔπιπλα. Cujus tamen vocis latiorem ſignificationem agnoſcit Pollux,

Pollux, quam Romani Iuriſ-conſulti *ſupellectilis.* Nam quidquid non eſt ἐγγείου κτήσεως nomine comprehenſum, hoc ille vult ἐπίπλων appellatione contineri, cum ſuppellex excepto auro & argento facto, & veſtibus, rebuſque animalibus, cetera omnia ſignificet. Ἀπαρτία ſupellex eſt. Unde Titulus apud Pollucem in ſcriptis codicibus, περὶ ἀπαρτίας καὶ δεσπότου οἰκίας, de ſupellectile, & patre familias. Citat verſum Hipponactis:

Ἀκήρυκτον δὲ τὴν ἀπαρτίαν ἔχει.

Denique quantum intereſt fundum inter & inſtructum fundi, tantum diſtat ἔγγειος κτῆσις ab ἀπαρτίᾳ, vel ἐπίπλοις, & quocunque alio nomine appellaveris. Illud certe extra controverſiam, apud Lyſian οὐσίαν ἔγγειον non capi poſſe quam de prædiis & agris, ex Attici ſermonis conſuetudine, nec alio unquam ſignificatu illud ἔγγειον Atticos accepiſſe. Diſtinguebant illi inter ἀφανῆ οὐσίαν, & φανεράν. Nomine ἀφανοῦς οὐσίας pecuniam numeratam, mancipia, vaſa, aliamque ſupellectilem, omnia denique, quæ rerum mobilium appellatione Iuriſconſultis noſtris veniunt, intelligebant. Per φανεράν, prædia urbana & ruſtica, τοὺς ἀγροὺς καὶ τὰς οἰκίας. Grammatici: ἀφανὴς οὐσία, ἡ ἐν χρήμασι καὶ σώμασι καὶ σκεύεσι, φανερὰ δὲ ἡ ἔγγειος. Apud Lyſian igitur, οὐσία ἔγγειος nihil poteſt aliud ſignificare quam quæ φανερὰ Atticis vocatur, quæque in prædiis urbanis ac ruſticis conſiſtit. Quinimo οὐσίας nomine hanc ſubſtantiam rerum immobilium & ſoli proprie deſignarunt; ut ex actione apparet quam οὐσίας δίκην appellabant. Harpocration, cujus verba ita ſunt diſtinguenda, quæ vulgo interpunctionis vitio laborant: Οὐσίας δίκη. οἱ δικαζόμενοι περὶ χωρίων ἢ οἰκιῶν πρὸς τοὺς ἔχοντας, οὐσίας ἐδικάζοντο τὴν δευτέραν δίκην, ἡ δὲ προτέρα ἦν τῶν μὲν οἰκιῶν, ἐνοικίου, τῶν δὲ χωρίων, καρποῦ. Secunda actio quam intendebant iis qui agros aut ædes poſſidebant, vocabatur οὐσίας

δίκη. Nam prima erat de fructibus agri & de penſionibus ædium. Secundo loco in poſſeſſionem ipſarum ædium agrorumve admitti poſtulabant. At condemnatis unde petebatur poſſeſſione agri vel ædium petitori decedere, ſi prohiberetur qui judicio vicerat, tertia actione experiebatur quæ vocabatur ἐξούλης δίκη. De qua nos inferius. Alias certum eſt οὐσίας nomine omnia bona Græcis venire, cujuſcunque ſint naturæ, ut vulgo dicitur. Certe οὐσία ἔγγειος Atticis non poteſt aliud ſignificare quam quod diximus, nempe ipſum fundum agrumve, aut quod fundo inædificatum eſt. Ut Lyſias οὐσίαν ἔγγειον, in qua pecunias pupilli collocare jubentur tutores, dividit ἀπὸ τῶν ναυτικῶν, quæ bona ſunt in mercaturis & fœnore nautico conſiſtentia, mobilia nimirum & periculis maris obnoxia, ita Demoſthenes ἔγγεια ſimiliter & ναυτικὰ diſcrevit in exemplo Syngraphæ pro trajecticia pecunia ſcriptæ: καὶ ἐὰν τι ἐλλείπῃ τοῦ ἀργυρίου, ὃ δεῖ γενέσθαι τοῖς δανείσασι κατὰ τὴν συγγραφὴν παρ' Ἀρτέμωνος καὶ Ἀπολλοδώρου, ἔστω ἡ πρᾶξις τοῖς δανείσασι, καὶ ἐκ τῶν τοιούτων ἁπάντων καὶ ἐγγείων καὶ ναυτικῶν πανταχοῦ ὅπου ἂν ὦσι, καθάπερ δίκην ὠφληκότων καὶ ὑπερημέρων ὄντων καὶ ἑνὶ ἑκατέρῳ τῶν δανεισάντων καὶ ἀμφοτέροις. Per ἔγγεια hic, quæ diſtinguuntur ἀπὸ τῶν ναυτικῶν, palam eſt intelligi debere τὴν ἔγγειον οὐσίαν, quæcunque in prædiis qua urbanis qua ruſticis conſiſtit. Conventum cautumque fuerat hac ſyngrapha, ut ſi debitores ad diem non ſolviſſent, ea quæ oppignerata forent, creditoribus liceret vendere. Quod ſi minus ex venditione recepiſſent quam ipſis debebatur, tum ut iidem creditores poſſent, ex aliis bonis immobilibus, mobilibuſque & nauticis debitorum, ubicunque eſſent reperiunda, ſummam ſibi debitam integram recuperare. Plerique Athenienſium partem opum ſuarum in agris ſitam habebant, partem in negotiis maritimis rebuſque nauticis, ut pote ad mare poſiti, & maximas

com-

commoditates utilitateſque ex mercaturis percipere ſoliti. Τὰ ἔγγεια domos & agros ipſis ſignificaſſe cer- tum eſt, nihilque aliud. Quod enim ex Rhetorico citat Etymologici magni auctor, οἱ δὲ ῥήτορες ὅταν τὸ ἐν γῇ θέλωσι δηλῶσαι, ἔγγειον λέγουσι, id non extenden- dum, ut ille quem dixi fecit, ad ea quæ in terra fiunt, acquiruntur & contrahuntur, ut ad uſuras, & contra- ctus ſyngraphaſque, quæ non fiunt de fœnore nau- tico, ſed communi. Nam eum, ut dixi, decepit falſa ſcriptura ἐγγείων τόκων pro ἐγγύων, & ἔγγειον συμ- βόλαιον pro ἔγγυον, apud Demoſthenem. Similiter exponenda eſt & illa explicatio apud Suidã, ἔγγιον διὰ τοῦ ι τὸ ἐγγύτερον, ἔγγαιον κτῆσιν τὴν ἐπὶ γῆς. Forte etiam cum dixit Atticis aliud ſignificare ἔγγειον, nempe τὸ ἐν γῇ, reſpiciebat ad id quod præceſſit in ejus ver- bis, τινὲς δὲ ἐπὶ τοῦ ἐγγυτέρου, deinde ſtatim ſubjicit, οὐχ οὕτω δὲ οἱ ῥήτορες ἔτασσον, ἀλλ' ὅταν τὸ ἐν γῇ θέλωσι δη- λῶσαι. Quidam enim ſcribebant ἔγγειον pro ἔγγιον pro eo quod propius ſignificat. Ita autem loquebantur, ἐκ γῆς, ἐν γῇ, ἐπὶ γῆς abſque articulo. Inde corrigendus Maximi Tyrii locus in oratione utri utiliores Reip. militantes an aratores, ex quo extricare ſe non potuit magnus criticus, & Græce, ut fama eſt, doctiſſimus. Τὸ δὲ καθαρῶς Σπαρτιατικὸν, ἄφετον ἐκ γῆς καὶ ὄρθιον καὶ πρὸς ἐλευθερίαν τεθραμμένον. Quid fuit facilius, quam ita emendaſſe ex veteri ſcriptura quam produxit, ἄφετον ἔγγης? Æque levi ſudore potuit reſtitui quod ſequitur in proxima pagina ſimili modo depravatum, καὶ γὰρ ἐνταῦθα ὄψει ἐλευθερίαν καὶ δυν- μένηθι ἐπὶ τὰ ζῶα. καὶ γὰρ ἐνταῦθα ὄψει ἐλευθερίαν καὶ δυ- λέμων, καὶ βίον ἐξ ἀρεῖης καὶ ἔγγης. Magnum ſcilicet nego- tium fuit reponere, καὶ ἐκ γῆς. Vocat βίον ἐξ ἀρεῖης, mi- litarem vitam, & omnium animalium rapto viventium: βίον ἐκ γῆς, agricolarum victum, & animantium her- ba veſcentium. Atque hæc obiter. Sic κτῆσις, vel οὐσία, ἐν γῇ, vel ἐπὶ γῆς, & quod idem eſt ἔγγειος, terre- ſtres poſſeſſiones, aut terræ inhærentes. Nihil porro

 ineptius

ineptius quam ſi quis credat & ἐγγείους τόκους ſic poſſe dici, & συμβόλαια ἔγγεια, ut perperam legitur apud Demoſthenem in ea contra Apaturium: ἄλλου δὲ συμβολαίου οὐκ ὄντος ἐμοὶ πρὸς τοῦτον, οὔτε ναυτικοῦ, οὔτε ἐγγαίου, παραγραψάμενος δίκην μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι κατὰ τοὺς νόμους τούτους. Ita ſcribitur in vulgatis. Apud Suidam hæc eadem verba ſic leguntur: οὐκ ὄντος ἐμοὶ πρὸς τοῦτον οὔτε ἐγγειόυ συμβολαίου. Utrumque vitioſum eſt, cum vera ſit lectio, οὔτε ἐγγύου συμβολαίου. Cum ſæpe apud Rhetores illos occurreret ἐγγείων & οὐσιῶν ἐγγείων mentio, ex affinitate ſoni & vocabuli ἔγγειον cum ἐγγύῳ, confuderunt in ἐγγύων συμβολαίων & τόκων appellatione. Præterea certum eſt, ante mille annos Græciam non noviſſe ullam pronuntiationis differentiam inter litteram ὑ ψιλὸν, & diphtongos, ει & οι. Sic hæc duo indiſcriminatim librarii ſcribebant, ἔγγυον & ἔγγειον, ex vitioſa, ſed antiqua pronuntiatione quæ tunc obtinebat in Græcia. Pro ἔγγυον etiam quidam ſcripſere ἔγγεον, ubi manifeſtum eſt intelligi ἔγγυον, id eſt ſecurum. Hinc ἔγγεον apud Suidam, τὸ ἀσφαλὲς exponitur. Quod interpretamentum plane convenit dictioni ἔγγυον. Ut ἔγγεος τόκος, & ἔγγεον συμβόλαιον perperam apud Demoſthenem ſcriptum fuit pro ἔγγυον, ita contrario vitio apud eundem ἔγγυος οὐσία vocatur hodie in omnibus ejus editionibus, quæ omnino eſſe debet ἔγγεος. Ita enim editum eſt in Παραγραφῇ pro Phormione: ἡ μὲν γὰρ ἔγγυος ἦν οὐσία τῷ Πασίωνι μάλιστα ταλάντων εἴκοσι, ἀργύριον δὲ πρὸς ταύτῃ δεδανεισμένον ἴδιον πλέον ἢ πεντήκοντα τάλαντα. Vbi palam eſt legi debere, ἡ γὰρ ἔγγεος οὐσία, ut apud Lyſian. Res ſoli, hoc eſt, ἔγγεον οὐσίαν diſtinguit à pecunia quæ in fœnore erat poſita. Ita Stayrico: *Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis*, hoc eſt, ἐγγείῳ οὐσίᾳ καὶ ἀργυρίῳ ἰδίῳ δεδανεισμένῳ. Ita Apuleius in Apologia hęc duo ſimul conjungit, fundos & fœnus, hoc eſt, ἔγγεον κτῆσιν, & δανείσματα. *Et idcicro divitiæ non melius in fundis &*

in

in fœnore quam in ipſo hominum æſtimantur animo. Et apud Senecam Epiſt. XLI. *Multum ſerit, multum fœnerat. Nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum.* Hæc eadem duo divitiarum genera deſignavit Tibullus hoc diſticho:

Divitias alius fulvo ſibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa ſoli.

Congerendi auri per fœnus facultatē intelligit. Quænam ſint igitur ἔγγυα συμβόλαια, quæ proprie ἀπὸ τῶν ναυτικῶν diſcernuntur, lex Rhodia planum facit his verbis: τὰ δὲ ἐν ἀγροῖς ἢ ἐν πόλεσι δανειζόμενα, ἔγγυα καὶ ἀκίνδυνα γραφέτωσαν. *Quæ in agris aut in urbibus ſcribentur ſymbolæa & ſyngraphæ pecuniarum mutuaticiarum, creditori ſecuras eas tutaſque præſtent.* Hic enim ſenſus eſt legis illius, quæ etiam emendari, ut poſuimus, debuit, pro vulgata ſcriptura, τὰ δὲ ἐν ἀγροῖς ἐν ὅροις. Ea re igitur differunt συμβόλαια communia pecuniæ mutuaticiæ, à nautici fœnoris conventionibus & ſyngraphis, quod illa ἔγγυα ſunt creditori, hæc ἐπικίνδυνα. Cavetur quippe eadem lege, τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ δεδανεισμένα καὶ ἔγγυα καὶ ἀκίνδυνα non debere conſcribi. At nemo neſcit συμβόλαια prprie dici Chirographa & ſyngraphas, quibus pecunia ſumpta mutuo cauetur reddenda ſive cum periculo creditoris, ſi detur hac pactione trajicienda, quod eſt συμβόλαιον ναυτικὸν, ſive citra ejuſdem periculum, ut ſolet in συμβολαίοις ἐγγύοις quæ uſuras communes ex pacto convento ſolvunt. Inde & ejuſmodi quoque uſuræ ἔγγυοι debent appellari, non ἔγγειοι, ut vulgo legitur apud Demoſthenem. Ita ipſum mutuum hac conditione datum ut creditorem periculum non reſpiciat, Ἔγγυον δάνεισμα Polluci recte dicitur & χρεωφείλημα ἔγγυον, & diſtinguitur apud eundem ἀπὸ τοῦ ναυτικοῦ. Hujuſmodi autem mutui & contractus ἐγγύου uſuræ etiam ἔγγυοι ſunt cum ipſa ſorte, quia in trajecticiæ pecuniæ συμβολαίοις tam uſuras quam ipſam ſortem amittit

creditor, ſi navis incolumis non redeat. Nihili autem eſt ratio quæ affertur ideo *ἐγγαίους τόκους* eſſe appellandos, quod à maritimis uſuris diſtingui debeant. Nam Græci nunquã *θαλασσίους τόκους* nominant quibus propterea neceſſe ſit quaſi ex adverſo ſtatui *τοὺς ἐγγείους*, id eſt, terreſtres. *Διαποντίους* quidem *τόκους* appellant & *ἐπιποντίους*, non ſimpliciter *ποντίους*, vel *θαλασσίους*, quæ uſuræ trajecticiæ potius pecuniæ ſignificationem habent, quam maritimæ. *Διαπόντιος* enim & *ἐπιπόντιος τόκος*, eſt transmarina uſura in hoc pacta ut pecunia trans mare vehatur. Gloſſæ: *Transmarina*, *διαπόντιος*. Vt in Græco ſubintelligitur *τόκος*, ita in Latino *uſura*. Ἔγγυον igitur eſt ſecurum, tutum, quod non habent pecuniæ trajecticiæ contractus. Inde compoſita Græcis *ἐχέγγυος* & *φερέγγυος* qui poteſt præſtare rem ſalvam alicui futuram. *ὁ ἀσφαλὴς, βέβαιος, ἀξιόπιστος*. Vt contra *ἀνέγγυος, ἄπιστος, ἀβέβαιος*, parum idoneus cui credatur, & qui pro alio ſpondeat. Vetus ſcholiaſtes in Codice ſcripto vitæ Theſei, *φερέγγυον* exponit, *τὸν φέροντα ἐγγύητα πολλὴν, καὶ ἀσφαλῆ ὁμοιότητα*. Et quid aliud facit, *ὁ ἐγγυητὴς* qui pro alio ſpondet quam ut ſecurum præſtet, id eſt, *ἔγγυον* qui ei pecuniam credidit? Quin & *ἐγγύην* quæ ſponſio eſt, *τὴν ἀσφαλῆ καὶ ἐστηριγμένην δόσιν* interpretantur, *ἀπὸ τῆς γύης*, inquit, quæ idem eſt ac *γῆ· δοκεῖ γὰρ ἡ γῆ τῶν ἄλλων στοιχείων στερεωτέρα εἶναι*. Certe & *ἐπίγυον* Grammatici ſimilter *ἀπὸ γύης* id eſt, *γῆς* deducunt. Ἐπίγυα Græci vocant funes quibus navis ad terram religatur, quæ *πρυμνήσια* etiam dicuntur. Illud ſane conſtat, *ἔγγυον* idem eſſe quod *ἀσφαλὲς*, & inde *ἔγγυα δανείσματα, ἔγγυα συμβόλαια*, & *ἐγγύους τόκους* appellari Græcis, ob eas quas attulimus rationes. Miram porro hujus vocis *ἔγγυον* expoſitionem attulit Scaliger *ὁ μακαρίτης* ad illum Manilii locum ubi agit de maritimis uſuris lib. IV.

Navi-

Navigat, & celeres optando ſortibus annos,
Dulcibus uſuris, æquo quoque, tempora vendit.

In poſteriore verſu τὸ *æquo* mere Græcum eſſe notat, & eſſe ἐξ ἴσης, pro portione. *Nam ſane ἀνατοκισμὸς non fit, niſi pro portione ſortis, quando jam uſura ſors facta. In hoc caſu τὸ δάνεισμα ναυτικὸν, vel ſors ipſa vocatur ſemper ἔγγυον, vel τὰ ἔγγυα, in lege Rhodia. Hic igitur intelligit τοὺς τόκους ναυτικοὺς æquari.* Hæc verba ſunt Scaligeri. Ex quibus apparet, nec Manilii mentem eum percepiſſe in illis verſibus, nec quid eſſet ἔγγυον intellexiſſe. Quod enim in ſuperiori obſervatione quæ hanc præceſſit, de nautico fœnore verſus Manilianos accipiendos docet, bene quidem facit, ſed quod ἐγγείους τόκους notat vocari Novella CVI, & legi ἐγγύους debere ait, omnimodo fallitur. Non enim ἔγγειοι τόκοι in ea Novella de nautico fœnore ſunt intelligendi, ſed de communibus uſuris. Dicit enim ibi imperator, mercatori poſtquam navis ejus incolumis ad portum adpulerit, dari viginti dierum ſpatium ad ſuas diſtrahendas merces, & conficiendam pecuniam quam ſuis creditoribus exſolvat, à quibus eam ſub nautico fœnore acceperit. Quod ſi, inquit, diutius pecunia ſic credita maneat penes debitorem, reliqui temporis poſt illos viginti dies elapſos non amplius uſuræ maritimæ debeantur, ſed legitimæ & communes, uſitatæque inter mercatores, hoc eſt, beſſalis, cum centeſima ſolvi ſoleat pro maritimis. Εἰ δὲ μέχρι περαιτέρω τὸ χρέος οὐκ ἀποδιδόμενον, τὸν ἐκ διμοίρου τῆς ἑκατοστῆς τοῖς κυρίοις τῶν χρημάτων διδέναι τόκον, καὶ μεταβάλλειν εὐθὺς τὸ δάνεισμα, καὶ εἰς τὸν τῶν ἐγγείων μεταχωρεῖν τρόπον. Vult itaque debiti naturam mutari, & pro nautico fœnore deinceps deberi τὸ ἔγγειον, id eſt, terreſtre poſt elapſos illos viginti dies. Sic tunc, ſi forte, vocarunt quod veteribus Græcis ἔγγυον ab ſecuritate dicebatur, ut maritimo opponerent. Et rationem mox addit; οὐκέτι τῶν θαλαττίων κινδύνων

δυνῶν τὸν δανειστὴν ἐνοχλούντων. *Cum non amplius pericula navigationis creditorem inquietent.* Non eſt igitur rationis ut eo tempore majores legitimis uſuras percipiat, quo nullam amplius aleam ex periculo maris metuere poteſt. At Scaliger qui ἐγγύων pro ἐγγείων ibi ſubſtituebat, nec mentem Novellæ attendit, nec vim eorum vocabulorum novit. Quod enim ἔγγυον & ἔγγειον ſic videtur diſtinguere, ut nauticum fœnus ab ordinario & communi diſcernitur, in eo hallucinatur. Apud Pollucem, inquit, ἔγγυα, δανείσματα ναυτικὰ, cum ναυτικὸν, καὶ ἔγγειον, ſoleant opponi. Duplex hîc ejus peccatum, & quod ἔγγυα δανείσματα putavit eadem eſſe cum nauticis, & diverſa ἀπὸ τῶν ἐγγείων, & quod in ea Novella ἐγγείους τόκους de maritimis uſuris & trajectitia pecunia putarit accipiendos. Sed nec de anatociſmo verſus illi Maniliani ſumendi ſunt, nec ἔγγυον ſors eſt trajectitiæ pecuniæ cui uſura adæquatur. Nihil in his veri, omnia falſa. Τὸ ἔγγυον δάνεισμα, opponitur τῷ ναυτικῷ, quod jam ſatis probavimus, idemque cum ἐγγείῳ vel ἐγγαίῳ poſteriorum Græcorum, ſi tamen ita loquuti ſunt, & non etiam apud eos mutandum hic nomen in ἔγγυον. Ut ut ſit, res eadem eſt. In verſu Maniliano, τὸ *æquum* eſt ſors ipſa ſive τὸ κεφάλαιον, τὸ ἴσον. Nam in mutuo, τὸ ἴσον redditur, id eſt, ſors, & præterea pro auctario uſura de qua convenit. In nautico fœnore & pecunia trajectitia, poſtquam navis ex navigatione rediiſſet, non ſolum uſura perſolvebatur, ſed etiam ſors. Nemo enim ſortem retinere voluiſſet, cujus uſuræ tam graves penderentur, ut erant maritimæ. Ideo nec τόκοι τόκων, nec ἀνατοκισμὸς in pecunia trajectitia & nautico fœnore locum habuere. Nam in communibus nominibus, uſura non ſoluta interdum ad ſortem addi ſolebat, & uſura ejus tum, ut & ſortis, exigebatur, quæ erat uſura uſuræ, aut etiam renovationem uſurarum quotannis ſtipulabantur creditores. Quod neutrum

fiebat

fiebat in nautico fœnore. Uſuras ſtipulari conſueverat creditor in totum navigationis tempus. Finita navigatione ſors cum uſuris maritimis ſtatim exigebatur. Si navis in mari, aut à piratis capta, aut naufragio ſubmerſa foret, nec ſors, nec uſuræ debebantur. Ideo dicit Manilius, navigare hanc daniſtam, & optando celeres ſortibus annos, non ſolum dulcibus uſuris, ſed æquo quoque, ideſt, ſorte ipſa quæ cum uſura pariter reſtituitur. In aliis nominibus uſura tantum tempora venduntur, non etiam ſorte quæ non redditur quamdiu uſuræ ſolvuntur. De uſura uſuræ, & anatociſmo, quæ perperam viri docti confundunt, & nautico fœnori attribuunt, nos in ſequentibus plura. Poſſumus tamen & alium ſenſum dare verbis illis poëtæ, & forſitan veriorem. Non ſolum, inquit, optando celeres annos ſortibus, hoc eſt celerem ſortis exæquationem, dulcibus uſuris vendit tempora, ſed etiam æquo illa vendit, id eſt, æqualem ſummam exigit ei quam mutuo dedit. Quod fœnus horrendum eſt, ſed olim in trajecticia pecunia uſitatum, quo centum pro centum aliquis accipere dicitur. Fœnus diarium longe majus fuit apud Græcos, ut ex his liquet quæ ſupra notavimus quo duas drachmas in diem in minam capi moris erat. In annum ſepties & amplius ſumma ſortis exæquabatur, utpote cum mina, hoc eſt centum drachmæ, parerent ſeptingentas ac triginta. Verſus ſane Manilii non alium patitur interpretationem. Qui centum dat, ut centum poſt annum accipiat, æquo vendit tempora. *Vendere* autem *tempora* eleganter dicitur fœnerator qui pro temporis commodo quo quis utitur ſua pecunia, pretium & mercedem paciſcitur. Sic Senecæ *venale tempus* eodem ſenſu lib. VII, de beneficiis: *Quid ſunt iſta tabulæ computationes, & venale tempus, & ſanguinolentæ centeſimæ.* Verum de nautico fœnore nos paulo poſt. Adhuc in communi hæremus quod ἔγγυον appellari docuimus. Modum ejus

ejus etſi non limitaverit lege ſua Solon, ſed liberum libidini fœnerantium reliquerit, ſponte tamen ex tacito contrahentium conſenſu fibula illi impoſita eſt. Vir doctiſſimus ad leges Atticas, notat legem tuliſſe Athenienſes ne immenſo fænore pecuniam locarent. Sed ejus legis nec volam nec veſtigium in veterum ſcriptis invenio. Perſuaſit hoc illi Vlpianus interpres Demoſthenis ad extremã Timocratiam, ubi hæc verba leguntur : *εἰσὶ γὰρ ἰδιωτικοὶ νόμοι, οἷον μὴ λαμβάνειν πολλοὺς τόκους.* Profecto ſi lex ulla fuit apud Athenienſes quæ plures, uſuras accipere vetabat, valde vagam & incertam fuiſſe oportet quæ non determinarit quem uſq; ad modum liceret eas exigi. Sed videndum qui ſint hi *ἰδιωτικοὶ νόμοι* quos hic Scholiaſtes *τοῖς δημοσίοις* opponit. Demoſthenes eo loco quem interpretatur, refert cum Solon aliquem accuſaret qui legem ferebat parum civitati utilem, poſt multa quæ reprehenderat in lege quę rogabatur, dixiſſe ad judices, legẽ eſſe fere communem omnibus urbibus Græcię, ut qui argentũ ſignatum, hoc eſt, *νόμισμα* adulteraſſet, morte multaretur. Deinde eos interrogaſſe inſuper, ecquid lex illa juſta & recte ſancita ipſis videretur? Cũ reſpondiſſent omnes, ita eſſe, tunc intuliſſe, *ὅτι αὐτὸς ἡγεῖται ἀργύρεον μὲν νόμισμα εἶναι τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἕνεκα τοῖς ἰδιώταις εὑρημένον, τοὺς δὲ νόμους ἡγεῖται τῆς πόλεως νόμισμα εἶναι.* Per hujuſmodi leges quas Solon dicebat ſibi videri eſſe *νόμισμα τῆς πόλεως* palam eſt eum intellexiſſe *δημοσίους νόμους.* Nam Demoſthenes qui id narrat, & propoſito ſuo cauſæque accommodat, tum perorabat in Timocratem qui legi publicæ derogatum ibat, qua cautum erat ut qui pecunia publica per annum eſſet integrum abuſus, duplam reſtitueret, ſi adhuc altero anno eam deberet, in compedibus haberetur donec ſolviſſet. Solon, cujus exemplo ſe tuetur Demoſthenes, cum adverſus quemdam ſimiliter diceret, qui legem rogabat bono publico contrariam,

riam, hoc argumento eum percellebat. Qui adulterat nummos, morte multatur. Atqui nummi inventio ex privatorum conſenſu nata propriorum contractuum gratia, ut facilius explicarentur. Nunc ergo ſi ii qui facit contra inſtitutum à privatis introductum mortis ſupplicio dignus cenſetur, quid ille mereatur, qui publicas leges offendit ac violat? Lex enim eſt quaſi νόμισμα, ſive nummus civitatis, nummus vero νόμισμα privatorum, quem tamen qni corrumpit capitali ſupplicio dignus apud omnes judicatur. Sophocles in Antigona:

----- οὐδὲν οἷον ἄργυρος,
Κακὸν νόμισμ' ἔβλαστε.

Nullum inſtitutum æque pernicioſum ac nummus, vel argentum ſignatum. Addit Demoſthenes: δεῖ δὴ τοὺς δικαστὰς πολλῷ μᾶλλον, εἴ τις ὃ τῆς πόλεώς ἐστι νόμισμα τοῦτο διαφθείρει καὶ παράσημον εἰσφέρει, μισεῖν καὶ κολάζειν, ἢ εἴ τις ἐκεῖνο ὃ τῶν ἰδιωτῶν ἐστι. Demoſtheni igitur νόμισμα πόλεως vocatur νόμος δημόσιος, lex publica & ad bonum publicum conſtituta. Nummi vero inventio, νόμισμα privatorum propter commercia & contractus inſtitutum. Ad eum locum notavit Vlpianus: ἀντὶ τοῦ, δεῖ κολάζειν ἐκεῖνον εἴ τις διαφθείρει τὸ νόμισμα ἐκεῖνο ὅπερ ἐστὶ τῆς πόλεως, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνον τὸν διαφθείροντα τὸ τῶν ἰδιωτῶν, εἰσὶ γὰρ καὶ ἰδιωτικοὶ νόμοι, οἷον μὴ λαμβάνειν πολλοὺς τόκους, καὶ ἄλλοι τοιουτότροποι, ἀλλ' οὐχ οὗτοι καταλύειν εἰσὶν ἱκανοὶ τὴν πόλιν, ἀλλ' οἱ δημόσιοι. Inter leges & inſtituta privatorum hæc duo ab illo recenſentur, nummi uſus, & multas uſuras non exigere. De uſurarum multiplicium exactione primo videamus. Quis hanc legem privatorum tulit aut ſanxit, ut ἰδιωτικοῖς νόμοις propterea accenſeri debeat? At privata, inquies dicta, quia utilitatem privatorum ſpectabat. Audio id quidem, ſed Solonis lex de uſuris, nullum uſuris modum præſcripſit, licentiamque capiendi ex libidine fœneratorum indulſit. Vnde igitur hæc privata lex

quæ

quæ ſtatuit ne multiplices liceat accipere? Quando aut per quem lata? Conſenſu contrahentium, hoc eſt, dantium accipientiumque mutuum, eam potius conſuetudinem fuiſſe introductam, quam ullam legem ſuper ea re à privatis, vel privatorum bono conſtitutam, prorſus liquet. Quod enim in ἐφέκτῳ τόκῳ uſurarum licentia lege publica permiſſa per ſe ac ſponte conſtiterit, non ulla alia lex illi priori contraria ab ullo ſancita effecit, ſed tacita veluti conventio hominum, qui contrahebant ex more & uſu commerciorum, pro temporum, locorum, & rerum περιστάσει, in quibus, ac de quibus contrahebatur. Age fœnerator, aliquis nolit nummum à ſe moveri minoris, quam ut binas aut ternas in annum centeſimas paciſcatur: Tantam uſuram nemo ſit qui velit promittere, exiſtant alii præterea qui minori lucro contenti ſunt, & æquiores ſeſe oſtendant. Cogentur & duriores τοκισταὶ in hanc modeſtiam fœnoris deſcendere, alias neminem habituri cui poſſint vel teruncium credere. De nummi uſu idem ſenſit Ariſtoteles, ut in priore libro de uſuris probavimus. Κατὰ συνθήκην privatorum inventum primo eſſe tradit, non ulla lege publica in medium productum. Inde νόμισμα ei nomen, quod morem, & inſtitutum conſuetudinemque, potius deſignat quam legem. Quin & νόμος quod pro lege ponitur, non raro & conſuetudinem conſenſu privatorum receptam ſignificat, ut ibidem oſtendimus. Omnium quippe quæ ſunt, τὰ μὲν φύσει ἐστὶ, τὰ δὲ νενόμισται, ut Philoſophi autumant. Hæc duo πρῶτα καὶ ἡγεμονικὰ στοιχεῖα. Quę natura ſunt, eodem modo omni tempore & loco ſeſe habere oportet. At τῶν νενομισμένων duo genera eſſe conſtituunt. Quæ communi conſenſu & compacto nulla lege obligati homines faciunt, conſuetudinis nomine veniunt, & non ſcriptæ legis vicem vimque obtinent. Quæ vero ſanciuntur ſcripto, ut ne quis ea tranſgredi metu ſuppliciorum audeat, νενομισμένα pro-

prie

prie vocarunt *νόμους*. Græci: *Τῶν δὲ νενομισμένων ἃ μὲν συνθέμενοι ἀλλήλοις οἱ ἄνθρωποι αὐτοὶ ἑαυτοῖς πράττουσι, καὶ καλεῖται τὸ τοιοῦτον ἔθος, ἐστὶ δὲ νόμος ἄγραφος· ἃ δὲ φόβῳ τοῦ παραβαίνειν γραψάμενοι, νόμους καλοῦσι, παρὰ τὸ νενομικέναι δεῖν οὕτως ἔχειν.* Ergo ad *ἔθος* pertinent, & *νόμοι ἄγραφοι*, hujuſmodi *ἰδιωτικοὶ νόμοι* Ulpiano memorati circa nummi inventionem & uſum, uſurarumque modum ſponte coërcitum, quem lex ſcripta nullis cohibitum finibus permiſerat. Nam de nummo ita ſcribit Ariſtoteles in 1. *Πολιτικῶν*: *διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγὰς τοιοῦτόν τι συνέθεντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διδόναι καὶ λαμβάνειν, ὃ τῶν χρησίμων αὐτὸ ὂν, εἶχε τὴν χρείαν εὐμεταχείριστον πρὸς τὸ ζῆν.* Hoc itaque unum ex eo genere *τῶν νενομισμένων, ἃ συνθέμενοι ἀλλήλοις οἱ ἄνθρωποι αὐτοὶ ἑαυτοῖς πράττουσι.* Quæ ad *ἔθος* refert & *νόμοι ἄγραφοι* auctor cujus hæc verba ſunt. Nec de uſurarum modo, quo *μὴ πολλοὺς λαμβάνειν τόκους* eadem conſuetudo induxit, aliter judicandum. Et ſane conſentiunt politici philoſophique in ejuſmodi minutis ac pecuniariis uſurariiſque privatorum contractibus melius eſſe, nihil ſcripto comprehendi, nec lege ulla obligari eos publica, ſed permitti arbitrio contrahentium, quia pro temporum rerumque conditione ut variant, propterea pendere debent ab uſu & more, qui temporibus plurimum valet, non à decreti alicujus immutabilis neceſſitate. Plutarchus in Lycurgo: *τὰ μικρὰ καὶ χρηματικὰ συμβόλαια καὶ μεταπίπτοντα ταῖς χρείαις ἄλλοτε ἄλλως, βέλτιόν ἐστι μὴ καταλαμβάνειν ἐγγράφοις ἀνάγκαις μηδ' ἀκινήτοις ἔθεσιν, ἀλλ' ἐᾶν ἐπὶ τῶν καιρῶν, προστιθέντας λαμβάνοντας καὶ ἀφαιρέντας ἃς ἂν οἱ πεπαιδευμένοι δοκιμάσωσι.* Hinc videmus, ſine ullius novæ legis ſanctione rem fœnebrem apud Romanos pro temporibus ita variaſſe, ut, quod ſemunciarium fuerit fœnus ſtante libera republica, poſtea mutato ſtatu imperii, in cer. teſimam uſuram, quæ pro legitima tum habita, converſum ſit. *Ἰδιωτικὸς* igitur *νόμος* apud Atticos, quo uſuris modus eſt impoſitus,

quas in infinitum lege Solonis paciſci licitum erat, non aliter, quam eo quo diximus modo eſt accipiendus. Alias certum eſt, etiam in jure ſcripto ἰδιωτικοὺς νόμους ἀπὸ τῶν δημοσίων fuiſſe diverſos, ſed alia ſignificatione. Nonnulli certe grammatici non alio diſcrimine ſolent diſtinguere κύρβεις & ἄξονας, in quibus leges erant ſcriptæ Solonis. Nam κύρβεις proprie dictos volunt, in quibus publicæ leges inſcriptæ habebantur; ἄξονας, in quibus privatæ. Thomas Magiſter: Ἄξονες, τετράγωνοι ὄντες, εἶχον ἰδιωτικοὺς νόμους ἐγγεγραμμένους, κύρβεις δὲ τρίγωνοι, εἶχον δημοσίους νόμους καὶ ἱεροποιΐας. Eadem ferme habet & Ammonius, niſi quod δημοσίους νόμους non agnoſcit. Ἄξονες, inquit, καὶ κύρβεις διαφέρουσιν. οἱ μὲν ἄξονες ἦσαν τετράγωνοι· οἱ δὲ κύρβεις τρίγωνοι. καὶ οἱ μὲν ἄξονες εἶχον τοὺς ἰδιωτικοὺς ἐγγεγραμμένους· οἱ δὲ κύρβεις δημοσίας ἱεροποιΐας καὶ εἴ τι ἕτερον τοιοῦτον. Vides, ἱεροποιΐας tantum in κύρβεσι fuiſſe ſcriptas, non etiam δημοσίους νόμους, ut addidit Thomas. Alii auctores Ammonio adſtipulantur. Suidas: Κύρβεις, τρίγωνοι πίνακες, ἐν οἷς οἱ περὶ τῶν ἱερῶν νόμοι ἐγγεγραμμένοι ἦσαν πολιτικοί. καὶ ἄξονες δὲ ἐκαλοῦντο οἱ περὶ τῶν ἰδιωτικῶν ἔχοντες τοὺς νόμους. Scholiaſtes Ariſtophanis: Ἄξονες τρίγωνοι, ἐν οἷς ἦσαν οἱ τῆς πόλεως νόμοι, καὶ αἱ δημόσιαι ἱεροποιΐαι. Lege ergo apud Suidam: ἐν οἷς περὶ τῶν ἱερῶν νόμοι ἐγγεγραμμένοι ἦσαν, καὶ πολιτικοί. Alius ſcriptor apud eumdem Suidam: Κύρβεις, αἱ τὰς τῶν θεῶν ἑορτὰς ἔχουσαι, κύρβιές τινες οὖσαι, ἐν αἷς τὰ τῶν θεῶν ἀποκρυπτόμενα ἔδει εἶναι. Videtur iſte κύρβεις dictas putaſſe, ἀπὸ τοῦ κρύπτειν, quod Deorum ceremoniæ arcanæ & tectæ debeant eſſe. Legendum itaque: κρύβιές τινες οὖσαι, ἐπεὶ τὰ τῶν θεῶν ἀποκρυπτόμενα δεῖ εἶναι. Ita ſcribitur apud Etymologici magni auctorem, cujus verba etiam corruptiſſima ſic omnino reſtituenda ſunt: κύρβεις αἱ τὰς τῶν θεῶν ἑορτὰς ἔχουσαι, ἤτοι ἀπὸ κατασκευῆς, εἰσὶ γὰρ κυρβασίαι, ἢ κρύβιες, ἐπεὶ τὰ τῶν θεῶν ἀποκρυπτόμενα δεῖ εἶναι. Sequitur mox: Ἀσκληπιάδης, ὅτι ἀπὸ κύρβεως, τοῦ τὰς θυσίας ὁρίσαντος. ὥς φησι

Φανίας ὁ Ἐρέσιος, ἀπὸ τοῦ ταῦτα κυρωθῆναι τοῖς γράμμασιν. Ita hæc legenda, vulgo corruptiſſima. Aſclepiades κύρβεις dictas voluit à quodam nomine Cyrbe, qui ſacrificiorum morem primus apud Athenienſes prodidit, & definivit. Theopompus, apud Ariſtophanis Scholiaſtem, κύρβιας ſcribit fuiſſe κορυβάντων inventum, & inde nomen. Phanias autem Ereſius, non Epheſius, à verbo κυρωθῆναι τὰς κύρβεις cenſuit appellatas, quod ſacrorum ritus à privatis proditi, lege confirmati fuerant, & in his inſcripti. Subjicit ſtatim Suidas: Ἀριστοφάνης δὲ ὁμοίας εἶναί φησι τοῖς ἄξοσι, πλὴν ὅτι οἱ μὲν ἄξονες νόμους, αἱ δὲ κύρβεις θυσίας εἶχον. Ita etiam heic ſcribendum, pro quo vitioſe habent editi, ὁσίας εἶχον. Ergo leges de ſacris publicis, quomodo eſſent facienda, in κύρβεσιν erant ſcriptæ, civiles leges in ἄξοσι. Scholiaſtes Apollonii ad lib. IV: κύρβεις μὲν οὖν αἱ περιέχουσαι τὰς ἱερὰς ἀναγραφάς. Inter omnes fere convenit, κύρβεις fuiſſe quæ leges ſacrorum continerent. Harpocration: Κύρβεις. Λυκοῦργος, ἐν τῷ περὶ τῆς ἱερείας. κύρβεις φησὶν Ἀπολλόδωρος, ἐν τοῖς περὶ θεῶν, ἔχειν ἐγγεγραμμένους τοὺς νόμους. Aliquid deeſt. Forte ſupplendum, τοὺς περὶ θυσιῶν νόμους. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Nebulas: ἔνιοι δέ φασιν ἰδίως, ἐν οἷς ἱερὰ καὶ θυσίαι περιέχονται, κύρβεις, ἄξονας δὲ τοὺς ἄλλους ὀνομάζεσθαι. Illud quidem conſtat, leges de ſacrorum ritu, & ſacrificiorum, fuiſſe δημοσίας. Nam & in jure non ſcripto, cum hæc homines ſine lege obſervant, ex communi conſenſu publica habentur, & omnium civium communia. Græci: κοινῇ μὲν οὖν ἑαυτοῖς ὡμολογήκασι μυστήρια καὶ τελετὰς, καὶ πανηγύρεις, καὶ ἀγῶνας, καὶ στρατείαν, καὶ γεωργίαν, καὶ πόλεων συνοικισμοὺς, καὶ γάμους, καὶ παίδων ἀνατροφὰς, καὶ ὅσα ἄλλα τούτοις ὅμοια. At cum legibus eadem præcepta ſunt ac ſancita, eæ leges inter δημοσίους νόμους reponendæ, quia univerſam obligant civitatem, & qui contra facit, impius ac malus civis habendus. Præter illas tamen leges alias multas δημοσίας appellatas, &

ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν νόμων diſtinctas, plane liquet, quas tamen inciſas in κύρβεσι non fuiſſe, colligere eſt ex omnibus ſupraſcriptorum auctorum teſtimoniis, ſed ſolas quæ de cærimoniis & publicis ſacris ſancitæ ſunt. Κύρβεις autem & ἄξονας quæ ratio diſcriminaverit, ut non facile conſtat, ita auctores turbant, ut liquido non appareat. Formam non fuiſſe normam quæ invicem eas diviſerit, vel hinc perſpicitur, quod ἄξονας non minus quam κύρβεις quadrangulos faciunt idonei ſcriptores. Trianguli apparebant, cum in angulum inclinati oculis occurrerent. Harpocration de Axonibus: Ἦσαν δὲ, ὥς φησι Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην, τετράγωνοι τὸ σχῆμα. διασώζονται δὲ ἐν τῷ Πρυτανείῳ, γεγραμμένοι καθ' ἅπαντα τὰ μέρη. ποιοῦσι δ' ἐνίοτε φαντασίαν τριγώνων, ὅταν ἐπὶ τὸ στενὸν κλιθῶσι τῆς γωνίας. Hæc evertunt eorum ſententiam, qui ἄξονας & κύρβεις ea re differre ſcripſerunt, quod ἄξονες τρίγωνοι, κύρβεις τετράγωνοι. Rurſus, qui ex materia utrorumque differentiam colligunt, ut κύρβεις lapidei, ἄξονες lignei fuerint, convincuntur auctorum veterum teſtimonio, qui κύρβεις etiam è ligno fuiſſe aſſerunt. Cratinus comicus, cum deflatas & abolitas, antiquataſque, priſcas Draconis ac Solonis leges vellet innuere, tabulis, quibus erant conſcriptæ, ignem fieri, quibus far aut hordeum in ſartagine ſoleret torreri, irridebat.

Αἷσι νῦν φρύγουσιν ἤδη τὰς κάχρυς ταῖς κύρβεσι.

Ergo & κύρβεις è ligno, & quadratæ ſive quadrangulæ non minus quam ἄξονες. Mirum tamen, quod Draconis leges in κύρβεσι ligneis, ut & Solonis, ſcriptas fuiſſe dixit Cratinus. Quippe conſtat ex Demoſthene, in ea contra Euergum, στήλῃ inſcriptas, id eſt, lapidea columna, & etiam tunc extitiſſe: Ταῦτα ἀκούσας ἐγὼ τῶν ἐξηγητῶν, καὶ τοὺς νόμους ἐπισκεψάμενος τοὺς τοῦ Δράκοντος ἐκ τῆς στήλης. Certe & Apollonius lib. IV, κύρβιας de lapideis columnis dixit, ut ibi adnotat doctus Scholiaſtes, ex Apollodoro: Ἀπολλόδωρος δέ φησιν πάσας δημοσίας

μητίαν γραφὴν κύρβεις καλεῖσθαι, ὅτι οἱ ἀρχαῖοι λίθους ἱστάν-τες ἐνέθεσαν τὰ δόξαντα ἐν αὐταῖς ἀναγράφειν. Sed & κύρ-βεις, στήλας ibidem exponit. Cratinus tamen de ligneis intellexit. Puto, eum comice luſiſſe. Locus quippe Demoſthenis ſupra citatus ſatis indicat, in columnis lapideis inciſas fuiſſe Draconis leges, hoc eſt στήλαις. Reſtat tertia differitas, quæ à plurimis notatur, in axonibus alias omnes leges, in κύρβεσιν eas tantum, quæ ad ritus ſacrorum & cerimonias publicas pertinerent, conſignari ſolitas. Id non minus falſum. Nam ecce è Plutarcho certiſſimum eſt, in axonibus Solonis, etiam quæ ad ſacrificia & victimarum ſelectarum pretium ſpectarunt, fuiſſe exarata. Sextidecimi quippe Solonis legum Axonis meminit in Solone, in quo definita erant hoſtiarum pretia: ὡς γὰρ ἐν τῷ ἑκκαιδεκάτῳ τῶν ἀξόνων ὁρίζει τιμὰς τῶν ἐκκρίτων ἱερείων, εἰκὸς μὲν εἶναι πολλαπλασίας. In tanta confuſione & auctorum inconſtantia, ex qua ſe extricare non quiti ſunt viri doctiſſimi, hoc primum pro certo ſtatuendum eſſe opinor, ἄξονας legum Solonis fuiſſe proprios. Nam paſſim, cum de legibus Solonis agunt veteres ſcriptores, aut aliquid ex his citant, nominatim eos Axones ex numero recenſent, primum, ſecundum, tertium, quartum, uſque ad decimum ſextum, qui Plutarcho memoratur in verbis ſupra citatis. Suidas: Ἄξονες. οὕτως ἐκάλεσαν Ἀθηναῖοι τοὺς Σόλωνος νόμους, διὰ τὸ ἐγγεγράφθαι αὐτοὺς ἐν ξυλίνοις ἄξοσι. Deinde & illud conſtare debet, nomen ἀξόνων non convenire aliis ligneis tabulis quam quæ verſatiles eſſent, & περιάγεσθαι circa axem aliquem, ut rotæ plauſtrorum circa axem ſuum vertuntur. Inde enim ἄξονες dicti, & *Axes* Latine vertit Ammianus Marcellinus, qui Græce ἄξονες, lib. XVI, ubi loquitur de temperantia & ſobrietate Juliani in victu: *Primum igitur, factu quod difficile, temperantiam ipſe ſibi indixit, atque retinuit, tanquam adſtrictus ſumptuariis legibus viveret, quas ex rhetris Lycurgi, id eſt, axibus,*

Romam tranſlatas, diuque obſervatas, & ſeneſcentes, paulatim reparavit Sylla dictator. Ita ibi legendum, ex veteribus libris & editionibus, pro quo vulgatum eſt, *ex Lycurgi rhetris & axonibus.* Nec audio viros doctos, qui Axones accipiunt de Solonis legibus. *Rhetras* Lycurgi, Ammianus interpretatur *Axes*, quia leges ac ſcita populi vulgo in ejuſmodi axibus, id eſt, tabulis verſatilibus ſcriberentur ut Athenis. Ῥῆτραι ſunt ipſi νόμοι ſive ψηφίσματα, at ἄξονες ſive axes, erectæ ex ligno machinæ verſatiles, in quibus incidi eas moris erat. Qua de re alibi plura. Ἄξονες igitur axes ſunt, atque ita appellata ligna quadrata in foro erecta, quæ leges Solonis continebant, quia circum axem vertebantur, atque inde nomen illis ἀξόνων inditum. Etymologicum magnum: Ἄξονες, ξύλα ἦν τετράγωνα ἀπὸ τοῦ ἐδάφους μέχρι τοῦ ὀρόφου διήκοντα, καὶ διά τινος περόνης στρεφόμενα, ἐφ' ὧν οἱ Σόλωνος νόμοι ἀπεγράφοντο, τοῖς τῶν ἁμαξῶν ἄξοσιν ὁμοίως, κώδιξι στρεφόμενοι. Qui ſunt iſti κώδικες, quibus verſabantur leges Solonis in lignis quadratis? Mendum eſt, & tolletur legendo, κνώδαξι στρεφόμενοι. Alius auctor apud Etymologicum magnum ita eos deſcripſit, quam deſcriptionem tamen etiam ταῖς κύρβεσιν accommodari vult: Ἀμφοτέρων δὲ τὸ κατασκεύασμα τοιοῦτον· πλινθεῖον μέγα ἀνδρόμηκες, ἡρμοσμένα ἔχον ξύλα, τετραγώνας τὰς πλευρὰς πλατείας ἔχοντα καὶ γραμμάτων πλήρεις, ἑκατέρωθεν δὲ δόνακας, ὥστε κινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι ὑπὸ τοῦ γράφοντος. Corrigendus eſt in his verbis, ἑκατέρωθεν δὲ κνώδακας, ὥστε κινεῖσθαι καὶ περιφέρεσθαι. Perperam apud Suidam ſcribitur, qui eadem habet, κνώδοντας pro κνώδακας. Alii enim κνώδοντες, alii κνώδακες. Græcis κνώδων eſt enſis mucro, unde & pro enſe à poëtis uſurpatur. At *cnodax*, qua voce etiam utitur Vitruvius, fibula eſt ferrea, velut ſubſcudica, in capitibus axium vel ſcaporum adfixa & adplumbata, per quam in armillis ſcapi vel axes verſantur. Κνωδάκων mentio in hoc ſenſu apud Heronem. Utrumque tamen

tamen ab eadem origine fluere videtur, κνώδων & κνώδαξ. Nam κνώδων eſt mucro teli, κνώδαξ acutum quid è ferro, ut fibula ferrea, quæ immittitur in armillam. Heſychius: Κνώδαξ, κέντρον ἄξονος, γνώμων. Ita ſcribendum. Ἄξων certe non eſt, niſi ſit verſatilis, id eſt, ligneas circa tabulas habeat quæ per cnodacas in axe verſentur. At κύρβεις dicuntur de quibuſlibet pilis vel columnis quadratis, cujuſcunque ſint materiæ, vel ligneæ, vel lapideæ, vel etiam æneæ. Ita quidem etiam appellarunt ἄξονας, quia ἄξονες etiam κύρβεις poſſunt appellari, ſed non è converſo omnes κύρβεις ſunt ἄξονες. Fateor neceſſe non eſſe ut ἄξονες ſint lignei ut hoc nomen ex merito poſſint habere, ſed certe oportet circa axem verſari ut recte dici queant hoc nomine. Nam Pollux ἄξονας fuiſſe χαλκοῦς tradit, lib. VIII, cap. X; Ἄξονες δὲ τετράγωνοι χαλκοῖ ἦσαν, ἔχοντες τοὺς νόμους. At contra eidem κύρβεις τρίγωνοι ſunt σανίδες πυραμοειδεῖς, ἐν οἷς ἦσαν γεγραμμένοι οἱ νόμοι. Alii tamen, & magno quidem numero, non deſunt, qui ἄξονας ligneos, κύρβεις lapideos aſſerant. Plutarchus in Solone, ſua adhuc ætate memorat extitiſſe reliquias Solonis axium, & ligneas quidem, quæ in Prytaneo ſervabantur. Ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτοὺς ἔδωκε, καὶ κατεγράφησαν εἰς ξυλίνους ἄξονας ἐν πλαισίοις περιέχουσι στρεφομένους, ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν Πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο. Corrupta verba. Legendum: ἐν πλαισίοις κνώδαξι στρεφομένοις, vel περόνῃ στρεφομένοις. Hæ diſcordiæ auctorum facile conciliari, ſi forte, poſſunt, ſi dicamus ſuggeſtus illos legibus inſcriptos, duabus partibus conſtitiſſe, axibus & tabulis ligneis quadratis, & in ſummo pyramidali figura acuminatis, quæ circum axes vertebantur. Axes forſitan ipſi ahenei fuerint. Et hinc eſt quod χαλκοῦς eos fuiſſe dicat Pollux, cui multum in his credo. Erecti igitur axes ænei, in extremo capite adplumbatam fibulam habuere ferream, vel æneam, quæ inibat armillam, quam in ſummo pyrami-

ramidis ligneæ apice fuiſſe palam eſt, in qua verſabatur tota pyramis, hoc eſt, lignei aſſeres circa axem compaginati forma quadrata, & in altum ſurgentes apice pyramidali, ut in axe opera cnodacis & armillæ facilius verſari poſſent. Hinc eſt, quod ἄξονας æneos facit Pollux, qui aliis omnibus lignei. Hinc κύρβεις Cratino lignei, quos quidam æneos eſſe volunt, atque etiam lapideos. Inde illa confuſio in veterum ſcriptis indiſcriminatim, modo κύρβεις, modo ἄξονας nominantium machinas illas quibus inciſæ Solonis leges. Nec ſane mirum, cum hæ duæ totius partes fuerint, ἄξων & κύρβις. Nam ἄξων revera axis, cujus & formam & uſum habuit ad verſandos illos ligneos aſſeres qui circumpoſiti axi erant. Κύρβις ipſa compaginatio laterculorum pyramidalis ab ipſa forma ſic appellata. Κυρβασία enim Græcis id omne quod acuminatum more pyramidis vel tiaræ Perſicæ, ejus præcipue, quam regibus ſolis geſtare licitum erat, quam ὀρθὴν vocabant. Heſychius: Κυρβασία, ὀρθὴ τιάρα, ταύτῃ δὲ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνῃ ἐχρῶντο. Perſæ hodie vocant دولبند *Dulband*, hoc eſt, vinculum capitis. Vulgo *Turban*. Sed cui placeat κυρβασίαν inde appellatam? Pro criſta galli comicis ea vox uſurpata. Non abludit Arabicum قنبر & قنبرة *Cunbur* & *Cunbura*, de criſta galli, atque etiam galeritæ. Ipſam alaudam ſic etiam vocant. Si Perſicum ab origine prima id verbi foret, nihil propius vero quam ex ea facta eſſe κύρβις & κυρβασία. Certe κύρβις ab illa forma. Sic nihil plane differet κύρβις & ἄξων, illud à forma κυρβασίας, iſtud ab axe in qua circumvertebatur. Heſychius: Κύρβις, ςήλη τρίγωνος, ἢ ξύλινος ἄξων, ἐν ᾧ τὸ παλαιὸν οἱ νόμοι ἐγράφοντο. Etymologici auctor de Axone & κύρβει; Αμφοτέρων ἦν τὸ χαλκοειδὲς σχῆμα τοιοῦτον. Eadem utriuſque concinnatio, & cum non differant niſi nomine, una eademque res

diverſa

diverſa habuit vocabula, alterum quo ex parte totum denominatum eſt, alterum à forma. Hæc veriſſima eſſe, auſim præſtare. Falſum proinde, ita eſſe diſtinguenda, quod autumant plerique veterum, ut in altero cerimoniæ & feriæ deſcriptæ fuerint, in altero leges privatæ. In axonibus quippe illis Solonis, quæ & κύρβεις appellatæ, non ſolum ἰδιωτικοὶ νόμοι & δημόσιοι fuere inſcripti, ſed etiam quæ ad ſacra pertinerent. Nihil prohibet autem, & columnas lapideas, hoc eſt, στήλας, quæ eamdem in ſummo formam pyramidis exhibuerint, etiam appellatas eſſe κύρβεις. Sic vere dici poteſt, omnem pilam hac figura, ſive lignea ſit, ſive lapidea, ſive verſatilis, ſive immobilis, vocari κύρβιν, non aliam autem ἄξονος nomine vocandam quam quæ lignea ſit & circa axem verſatilis. Atque hæc obiter. Nihil enim ad uſuras. Videndum nunc quid diſcriminis fuerit inter νόμους δημοσίους & ἰδιωτικούς, hoc eſt, inter ſcriptas leges publicas, privataſque. Id paucis explicat Demoſthenes in Timocratea: Ἐστὶν δύο εἴδη, περὶ ὧν εἰσὶν οἱ νόμοι κατὰ πάσας τὰς πόλεις, ὧν τὸ μέν ἐστι, δι' ὧν χρώμεθα ἀλλήλοις, καὶ συναλλάττομεν, καὶ περὶ τῶν ἰδίων, ἃ χρὴ ποιεῖν διωρίσμεθα, καὶ ζῶμεν ὅλως πρὸς ἡμᾶς αὐτούς, τὸ δ', ὃν τρόπον δεῖ τῷ κοινῷ τῆς πόλεως ἕνα ἕκαστον ἡμῶν χρῆσθαι, καὶ πολιτεύεσθαι, καὶ κήδεσθαι τῆς πόλεως. *Duo genera ſunt, de quibus leges in omni civitate conſtituuntur: alterum, quo vitæ uſum & contractus invicem miſcemus, & de rebus privatis, quæ agenda ſunt, decernimus, & omnino nobis ipſis vivimus: alterum, quomodo ſingulos ſeſe gerere deceat erga rempublicam, ſi cives eſſe boni velint, & curam civitatis habere.* Ergo quæ bonum publicum ſpectant leges, & in commune conſulunt, eæ publicæ habendæ: quæ vero tantum privatorum rationem habent, eæ privatæ. Paulo poſt idem orator, ut leges aliquæ publicæ videantur, eas definit δι' οὗ ἐστιν, ἢ μικρὰν ἢ μεγάλην εἶναι τὴν πόλιν. *In quibus ſita eſt ſalus aut pernicies civitatis.* Quæ ſint illæ, mox declarat: Εἰσὶ

 δὲ

δὲ οὗτοι εἰσιν; Οἵτε τοὺς ἀδικοῦντας τιμωρούμενοι, καὶ ὅσοι τοῖς ἐπιεικέσι τιμὰς διδόασιν. *Quæ vero illæ leges ſunt? Quæ improbos ſupplicio afficiunt, & bonis honores decernunt.* Quæ ad exemplum igitur pertinent, ſive incitandis bonis ad præmia ob benefacta, ſive deterrendis à flagitio malis pœnæ metu, ea omnia publici boni cauſam habent, & leges, quæ de his conditæ ſunt, δημόσιοι νόμοι Græcis ſunt appellati. Nam ut idem Demoſthenes in ea κατὰ Ἀριστογείτονος, dixit, quæ prima eſt, duo ſunt, ὧν ἕνεκα πάντες τίθενται οἱ νόμοι, τοῦ τε, μηδένα μηδὲν, ὃ μὴ δίκαιόν ἐστι, ποιεῖν, καὶ τοῦ τοὺς παραβαίνοντας ταῦτα κολαζομένους, βελτίους τοὺς ἄλλους ποιεῖν. *Leges omnes ſanciuntur in civitate duabus de cauſis, ut ne quis, quod non juſtum eſt, faciat, &, qui fecerint, puniantur, ut exemplo alios reddant meliores.* Inde ea pars legum, quæ punit nocentes, & exempla in eos edit, præcipue δημοσίων νόμων nomen tulit apud Græcos, ut apud Romanos *legum publicarum.* Ea crimina δημόσια quoque appellata, quibus aut pœna capitis irrogari ſolita, aut aliqua alia in corpus coërcitio vel pecuniaria multa, ſed in publicum redigenda, cum infamia, qua notabantur eorum criminum rei. Judicia quoque, quæ de his reddebantur, *publica* in jure Romano dicuntur. Cur ita vocata, Juriſconſultus Macer dicit, leg. 1, D. de publicis judiciis. *Non omnia,* inquit, *judicia, in quibus crimen vertitur, & publica ſunt, ſed ea tantum quæ ex legibus publicorum judiciorum veniunt, ut Iulia majeſtatis, Iulia de adulteriis.* Poterat brevius & melius, *quæ ex legibus publicis veniunt.* Atq; ita Græci vertunt: Ἐκ τῶν δημοσίων νόμων ἐλθόντα. Nam dicere, ea publica eſſe judicia quæ veniunt ex legibus publicorum judiciorum, parum abeſt, quin idem ſit, ac ſi quis dicat, publica judicia eſſe publica judicia. Sed certum eſt, non alia eſſe ac dici *judicia publica* quam quæ ex legibus publicis deſcendunt. *Publica lege reus fieri* dicitur in leg. 1, D. de Sicariis, qui reus

pera-

peragitur alicujus criminis eorum quæ publica appellantur. Publicæ quippe illæ leges, quæ de publicis criminibus latæ. At publica crimina dicta, ut Græcis δημόσια ἀδικήματα, non, ut quidam hodierni voluere Iuriſconſulti, quod eorum olim cognitio & animadverſio ad populum pertineret, ſed quia, ut jam ante diximus, caſtigatio hujuſmodi delictorum exemplo omnibus prodeſt, ne ea committant. Hinc *exempla* Latine pro gravioribus pœnis, quæ documento ſunt cæteris, ne delinquant, ut notat Donatus ad Terentium. Præterea etiam *publica* videntur appellata, ut habetur in Inſtitutis IV, cap. ult. *quod cuivis ex populo executio eorum plerumque datur.* Ita & apud Atticos δημόσια hæc omnia fere ἀδικήματα, quorum ἐνόχους, id eſt, reos, ἐξῆν καὶ παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι. Inde & δημόσιαι δίκαι executiones publicorum judiciorum Atticis nuncupatæ, ut ἰδιωτικαὶ δίκαι, actiones privatorum judiciorum. Lex apud Demoſthenem: Ὅσων δίκη πρότερον ἐγένετο, ἢ εὔθυνα, ἢ διαδικασία περὶ του ἐν δικαστηρίῳ, ἢ ἰδίᾳ, ἢ δημοσίᾳ. Perperam quidam hic legunt, ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ. Ut & infra apud eumdem in alia lege vitioſe ſic etiam ſcribitur, cum ſit vera lectio: Ὁπόσαι ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐπράχθη, ἢ δίκη ἐδικάσθη ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ, ἄκυρα εἶναι. Quæcunque judicia ſive privata, ſive publica. Ulpianus in Scholiis ad eamdem Timocrateam: Τὰς δίκας καλεῖ τὰς κριθείσας ἐν τῷ δικαστηρίῳ, εἴτε δημοσίας, εἴτε ἰδιωτικάς. Διαίτας δὲ τὰς παρὰ τοῖς διαιτηταῖς πέρας λαβούσας. Judicia hæc publica ex legibus publicis veniebant, eorumque δίκαι ſive γραφαὶ cuilibet dabantur adverſus reos publicorum hujuſmodi ἀδικημάτων. Hæc enim ſpecifica, ut vocant, differentia apud Græcos inter δημοσίας δίκας & ἰδιωτικάς, quod publicarum executio cuilibet è populo erat permiſſa. Pollux, lib. VIII, cap. VI: Ἀπροστασίου δὲ κατὰ τῶν οὐ νεμόντων προστάτην μετοίκων, ἀλλ' αὐτὴ μὲν δημοσία, ὥσπερ καὶ ἡ τῆς ἐπιτροπῆς. ἐξῆν γὰρ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἐπίτροπον ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων ὀρφα-

ὀρφανῶν. Hoc etiam fuit civilium actionum & criminalium ſive privatorum & publicorum judiciorum apud Gręcos diſcrimē, quod in criminalibus judiciis publicis γραφαὶ proprie dicebantur *inſcriptiones* quibus in crimen ſubſcribebatur, quibuſque nomen alicujus edebatur accuſandi, quia ſcripto vel libello deferebant nomen ejus qui accuſabatur, crimen ipſum, & ex qua lege, ſubſcribebantque libellum quem judici erant daturi. Hinc γραφὴ, κατηγορία Græcis exponitur. Hinc *ſubſcriptionē edere* alicujus criminis adverſus aliquem, & *ſubſcribere crimen*, vel *in crimen*. Et titulus eſt in jure qui ad judicia criminalia pertinet, *de accuſationibus & inſcriptionibus*, περὶ κατηγοριῶν καὶ γραφῶν. Satis fuiſſet Græce dicere περὶ γραφῶν. Hinc apud Rufinum, lib. xi hiſt. Eccleſ. cap. xxv, *inſcriptus*, pro accuſato: *Ille de injuria conjugis, immo potius ſua, ardentius inflammatus inſcriptum tyrannum ad tormenta deducit.* Palliatæ comœdiæ Latini comici, dicunt *ſcribere dicam*, & *ſubſcribere dicam*, quod Græcis, à quibus ſumpſerunt, ſimpliciter eſt γράφεσθαι. *Scribam*, aut *ſubſcribam tibi dicam*, ut eſt apud Plautum, γράψομαί σε. Nam δίκη quidem communis eſt civilium & criminalium, vel privatorum publicorumque criminum, ſed γραφὴ, id eſt, inſcriptio, propria publicorum judiciorum. Pollux, poſt enumerationem publicorum judiciorum & criminum: Ταύτας τὰς δίκας ἢ ὅσαι τοιαῦται, ἐκαλοῦντο γὰρ γραφαὶ καὶ δίκαι, οὐ μέντοι καὶ αἱ δίκαι γραφαὶ, ἐξῆν τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι. Hinc in Inſtitutis ſcribitur, lib. iv: publica judicia *per actionem non ordinari ſolita, nec quicquam habere ſimile cum aliis judiciis privatis.* Hinc *actiones privatæ*, quæ proprie privatorum judiciorum, opponuntur judiciis publicis, in leg. 1 D. de Stellionatu: *Stellionatus actio neque publicis judiciis, neque privatis actionibus continetur.* Δίκαι igitur proprie Græcis actiones privatæ, γραφαὶ autem criminum ſubſcriptiones & executiones.

cutiones. Iſæus περὶ Ἀγνίου κλήρου, ταῦτα καὶ οἱ νόμοι κελεύουσιν, οὐ μὰ Δία, οὐ γραφὰς ἐμὲ φεύγειν περὶ ὧν δίκας ἰδίας εἶναι πεποιήκασιν. *Hæc leges jubent, non per Iovem, ut excipiam criminum ſubſcriptiones, in his de quibus actiones privatas eſſe voluerunt.* Ut δημόσιοι autem νόμοι leges de publicis criminibus latæ, diſtinguebantur ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν apud Græcos, ita apud Latinos *publica* & *privata judicia* eodem prorſus modo opponebantur, vel privatæ publicæque leges. Cicero, lib. III de legibus: *Iuris diſceptator, qui privata judicet, judicarique jubeat, prætor eſto. Is juris civilis cuſtos eſto.* Privata illa, quæ prætor judicat, diſcernuntur à publicis judiciis, quæ ex legibus publicis deſcendebant. Si quæ alia erant crimina de quibus extra ordinem judicare leges juberent, quamvis eſſent capitalia, quia ex publicis legibus non veniebant, non tamen dicebantur publica. Græci Juriſconſulti ἁμαρτήματα ea vocabant, id eſt, delicta. Gloſſæ Nomicæ: Ἁμάρτημα δὲ ἡ κατὰ τοῦ ἁμαρτήσαντος ἐπίτασις, ἔγκλημα δὲ ἐπὶ πολιτικῶν δικαστηρίων κατὰ τοῦ πλημμελήσαντος κινούμενον. Inde & ἐγκληματικὰ δικαστήρια in iiſdem Juridicis Gloſſis, quæ eadem cum publicis ſive δημοσίοις. Ἐγκλήματα tamen Græcis de omnibus omnino criminibus dicuntur, tam publicis, quam quæ talia non eſſent. Atque ita plane in Baſilicis & apud Harmenopulum ἐγκληματικὰ δικαστήρια non ſunt tantum publicorum judiciorum, ſed omnium criminum quæ extra ordinem plectebantur. Et fallitur ille Gloſſarum Nomicarum auctor, qui de publicis proprie ſumi notat. Græci quoque δημόσια ἀδικήματα vocant & diſtingunt ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. Hermogenes, περὶ στάσεων, capite de definitione: πρεσβεύων τις παρέθετο τῷ στρατηγῷ τὴν θυγατέρα, ἐβιάσατο αὐτὴν ἐκεῖνος, καὶ δημοσίων μὲν ἀδικημάτων ὁ πατὴρ αὐτὸν ἐπανελθὼν κρίνει, ὁ δὲ τὰς μυρίας καταθέσθαι ἀξιοῖ, τοῦτο γὰρ ὥρισται τοῦ βιαίου. Ex quibus liquet Athenis pecuniaria fuiſſe judicia privata, ut publica crimina capitalia.

talia. Violaverat ille prætor puellam ſibi ab eo commendatam cui populus legationem mandaverat. A legatione pater reverſus crimen illi objicit publicum. Quare? Nempe quia legati publici puellæ vim attulerat. Negat ille ſibi intendi debere niſi privatum, & paratus eſt ſolvere decem millia drachmarum, quibus lege obnoxius qui virginem per vim compreſſerat. Midias pugnum alicui duxerat. Publici criminis reus peragitur, non quod verberaſſet hominem civem, hoc enim crimen privatum, ſed quod die feſto ac ſollemni. Aliter publica crimina & judicia definiunt Romanæ leges, ut paulo poſt dicam. Publica judicia criminum capitalium quædam Romanis dicta, quædam etiam extraordinaria. An eadem fuerint, videndum. Nam & Tribonianus pro publicis aliquando ſubſtituit extraordinaria. Qui ad hæc notant, Juſtinianum omnia judicia voluiſſe eſſe extraordinaria, ut habetur Inſtit. cap.xv. de interdictis, parum diſtinguunt inter diverſa extraordinaria. Non enim unius generis. In publicis judiciis, & aliis extraordinariis, nulla obſervabatur actionū formula, ut in interdictis. Ad hoc inſtar omnia etiam privata redegit judicia Juſtinianus, ut ſupervacua in his eſſet formularum conceptio. Publica igitur judicia olim veteri jure extra ordinaria, non tamen ſola. De his cognoſcebatur extra ordinem. A quibus? A majoribus judicibus, ut præſidibus provinciarum, & præfectis prætorio, & urbis. Non igitur erant juris ordinarii, ſed ad cognitionem pertinebant majorum Iudicum, qui extra ordinem de his cognoſcebant. An quia per actiones non ordinabantur, nec certa formularum conceptione criminum inſcriptiones, de quibus in his judiciis quærebatur, erant alligatæ? Omnes interdicti, hoc eſt, juris ordinarii actiones Juſtinianus ad hoc inſtar redegit, ut ſic quoque debeant extraordinariæ dici. Alia tamen in veteri jure extraordinaria judicia & publica, ut ſequentia declarabunt. Marcianus,

nus, lib. 11 Judiciorum publicorum, fures nocturnos extra ordinem judicatos & punitos oſtendit, leg. 11 D. de furibus balneariis. *Sed ſi interdiu*, inquit, *furtum fecerunt, ad jus ordinarium remittendi ſunt.* Id eſt, ad judices privatos, qui de privatis delictis judicant jure ordinario. Sic accipiendum *jus ordinarium* in vita Claudii apud Suetonium: *Cum decurias rerum actu expungeret, quemdam interpellatum ab adverſariis de propria lite, negantemque cognitionis rem ſed ordinarii juris eſſe, agere cauſam confeſſum apud ſe coëgit, proprio negotio documentum daturum quum æquus judex in alieno negotio futurus eſſet.* Ordinabat tunc decurias judicum Claudius, aliis albo eraſis, aliis in album allectis, aliis retentis. Hoc agenti quidam ex his judicibus, quos retinuerat, aut de novo adlegerat, interpellatus ab adverſario de propria lite, ut nimirum de ea Cæſar cognoſceret, negavit ille rem cognitionis eſſe, ſed juris ordinarii. Hac audita ejus exceptione, Claudius agere eum cauſam ſtatim apud ſe coëgit, illum nempe judicem. Ubi *cognitio* opponitur *juri ordinario*. Illa enim magiſtratuum & maximorum judicum, hoc vero ordinariorum & privatorum, delegatorum, eorumve qui dati fuerant à prætore. Ita ſemper accipitur in priſcis auctoribus *cognitionis* vox. Idem Suetonius in eodem Claudio: *Etiam cognitio falſi teſtamenti recepta eſt, in quo & ipſe ſignaverat.* Quia extra ordinem de falſo teſtamento cognoſcebatur à majore judice, non à dato vel delegato, jure nec ordinario. Hæ ſunt cognitiones magiſtratuum, de quibus idem de eodem Cæſare: *Cognitionibus magiſtratuum ut unus è conſiliariis frequenter interfuit.* Quinam illi eſſent magiſtratus, Dio ſignificat, & nominat conſules, prætores ac præfectos. Hi cum apud ſe reos cauſam agere juberent, nec eam remitterent ad jus ordinarium, *extra ordinem cognoſcere* dicebantur, & hæc proprie *cognitio* dicta. Nec dubito, quin Tribonianus,

nianus, in titulo Digeſtorum *de extraordinariis cognitionibus*, illud *extraordinariis* de ſuo adjecerit. Satis enim erat dixiſſe, quomodo & veteres paſſim loquuti ſunt, *de cognitionibus.* Quo nomine extra ordinem reddi judicium indicatur. Nam & Calliſtratus *de cognitionibus* ſex libros ſcripſerat, nec addiderat, *extraordinariis.* Paulus lib.v ſententiarum, ſub titulo ad legem Fabiam: *Et olim quidem hujus legis pœna ſummaria fuit, ſed tranſlata eſt cognitio in præfectos urbes, itemque præſidis provinciæ extra ordinem meruit animadverſionem.* Idem eſt judicium extra ordinem, & cognitio. Ulpianus, lib.ix, de Officio proconſulis, in collatione legum Moſaicarum, Tit.de Plagiariis: *Frequens eſt etiam legis Fabiæ cognitio in Tribunalibus præſidum.* Et paulo poſt: *Sed enim jam eo perventum eſt conſtitutionibus, ut Romæ quidem præfectus urbis ſuper ea re cognoſcat, ſi intra miliarium centeſimum ſit in via commiſſa. Enimvero ſi ultra centeſimum, præfectorum prætorio erit cognitio. In provincia enim eſt præſidum provincialium. Nec aliter procuratori Cæſaris hæc cognitio injungitur, quam ſi præſidis partibus in provincia fungatur.* Nunquam aliter hæc vox uſurpatur. Ulpianus, leg. iii D. de Stellionatu: *Stellionatus accuſatio ad præſidis cognitionem ſpectat.* Idem, leg. ii D. Expilatæ hæreditatis: *Si expilatæ hæreditatis crimen intendatur, præſes provinciæ cognitionem ſuam accommodare debet.* Hæc omnia ex libris ejus de officio proconſulis deſumpta ſunt. Capitolinus, de Marco Antonino: *Senatum multis cognitionibus & proprie ad ſe pertinentibus judicem dedit.* Ergo cognitiones, Principum & Senatus propriæ ſunt, ſed & præſidum Provinciarum, ut proconſulum, & legatorum principis pro prætore, ſed & præfectorum urbis & prætorii: Quintilianus, lib.iii, cap.x: *Principum autem & ſenatus cognitionibus frequens eſt, & populi fuit.* Suetonius, de Nerone: *Cognoſcendo eum morem tenuit.*

tenuit. Fruſtra igitur à Triboniano additum, in Titulo *de cognitionibus*, quo eas voluit dici *extraordinarias.* Nullæ enim ordinariæ proprie dictæ. Imo à jure ordinario ſemper diſtinctæ. Cognitiones illæ quidem fuere de *criminibus extraordinariis*, de quibus eſt titulus in Digeſtis. Quæ omnia crimina ad cognitionem præſidis pertinebant, & merebantur animadverſionem extra ordinem. Ideo ad ejus cognitionem remittebantur, quæ tamen differebant à publicis. Et falluntur, qui putant, publica crimina fuiſſe extraordinaria. Nam ſub illo titulo de extraordinariis criminibus nullum publicum recenſetur. Exempli gratia, ſtellionatus crimen & expilatæ hæreditatis, extra ordinem animadverti ſolita, & ad executionem præſidis pertinebant, non tamen erant publica. Ea ſunt crimina quæ *majoris abollæ* à Satyrico vocantur:

— Nunc audi facinus majoris abollæ.

Id eſt, extraordinarium, & tale de quo debeat cognoſcere judex paludatus vel chlamydatus, quales erant præſides vel præfecti. *Cinctos judices* eos appellat Anianus, & à privatis diſcernit. Vocantur θεματικοὶ κριταὶ in quadam Novella Conſtantini Porphyrogenetæ. Quod perperam de pedaneis judicibus quidam accipiunt. Verum de his alibi. Idem Juvenalis præfecto urbis abollam dat.

— Rapta properabat abolla
Pegaſus. —

Suetonius regi Ptolemæo *purpuream abollam*, in vita Caligulæ. Nonio veſtis eſt militaris, hoc eſt, chlamys vel paludamentum. Quoties igitur crimen aliquod merebatur majorem animadverſionem, ut capitis aut famæ, cognitio erat præſidis. Omnia igitur illa crimina, de quibus tituli in Digeſtis ſequuntur poſt titulum *de extraordinariis criminibus*, uſque ad titulum *de publicis judiciis*, ad cognitionem præſidis ſpectabant. In quibus enim criminibus actio non dabatur

ex edicto perpetuo, extra ordinem plecti ſolebant, & præſes de iis cognoſcebat. Minora & pecuniaria *ad jus ordinarium* remittebantur, vel, quod idem erat, *ad forum*, in provinciis *ad curiam*. Paulus de pœnis paganorum, ſub titulo de Abigeis, in collatione legum Moſaicarum, & Romanarum: *Fortuita incendia ad forum remittenda ſunt, ut damnum vicini ſarciatur.* Id eſt, ad jus ordinarium. Ergo non fortuita, extra ordinem objiciebantur apud Præſidem. Ulpianus, lib. VIII, de officio proconſulis, in eadem collatione, ſub titulo de furibus; *Fures ad forum remittendi ſunt, diurni, nocturnique extra ordinem audiendi.* Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, *apud præſidem audiendi, & extra ordinem puniendi.* Cujus legis pars legitur leg. I D. de furibus balneariis. *Ad forum* dixit Ulpianus, quod Marcianus, leg. II D. eod. *ad jus ordinarium.* Paulus, lib. V ſententiarum, ſub titulo de abactoribus: *Si ea pecora, de quibus quis litigat, abegerit, ad forum remittendus eſt.* Hoc eſt, ad jus ordinarium. Inde *forenſes actiones*, quæ jure ordinario litigantibus competunt, leg. I D. de incendio. *Et quamquam ſint de his facinoribus etiam criminum executiones, attamen recte prætor fecit qui forenſes quoque actiones criminibus iſtis præpoſuit.* Ab extraordinariis igitur iſtis criminibus, de quibus nullæ actionum formulæ editæ edicto perpetuo, diverſa erant *publica Iudicia*, quæ non dicebantur *extraordinaria*, quamvis Tribonianus pro publicis ſuppoſuerit alicubi extraordinaria. Non erant publica crimina, niſi de quibus lege certa erat conſtituta quæſtio, quæ & prætor certa lege ſortiebatur. Quintilianus, lib. III, cap. X: *Quod nunc in publicis judiciis non accidit, quoniam prætor certa lege ſortitur. Principum autem & Senatus cognitionibus frequens eſt, & populi fuit. Privata quoque judicia ſæpe unum judicem habere multis & diverſis formulis ſolent.* Loquitur ibi de cauſis duplicibus, in quibus ali-

quis gemini criminis reus agitur, ut ſi quis ſacrilegii ſimul & homicidii accuſetur. Hoc in publicis judiciis locum habere non poſſe ait, ubi prætor certa crimina lege ſortiebatur, ut nimirum alius quæſtionem de homicidio, alius adulterio ſortito haberet. Cicero in ſecunda Verrina: *Ecce autem, illis diebus, cum prætores deſignati ſortirentur, & M. Metello obtigiſſet, ut is de pecuniis repetundis quæreret.* Nam judicium de pecuniis repetundis erat publicum. Nullum autem conſtat fuiſſe publicum, quin lege aliqua quæſtio de eo eſſet conſtituta, & criminis nomen & pœnæ deſignans. Quod non fuit in extraordinariis. Nam pœnam pro arbitrio imponebat qui de his cognoſcebat præſes. Hinc de ſtellionatu ſcribit Ulpianus, pœnam ejus nullam fuiſſe legitimam, hoc eſt, lege conſtitutam, quia nec legitimum crimen erat. Non enim ordinarium fuit, quia nulla de eo formula actionis interdicto perpetuo prodita eſt: nec publicum, quia nulla lex publica pœnam ejus determinavit. Ideo actio ejus, ut ait Juriſconſultus, leg. 1 D. eodem, neque publicis judiciis neq; privatis actionibus continebatur. Cum nec privatum eſſet nec publicum crimen, palam eſt utiq;, fuiſſe extraordinarium; cujus nimirũ cognitio ad præſidem pertinebat. Ergo publica judicia diverſa ab extraordinariis, & à privatis. In privatis certæ fuere interdictorum formulæ quibus actor agebat, in publicis certæ leges quibus accuſator crimen intendebat, in extraordinariis neutrum. In privatis dicebat actor, ὁρίζομαι τήνδε τὴν ἀγωγήν, *hac actione ago*, vel *hanc actionem intendo.* In publicis, ὁρίζομαι τόνδε τὸν νόμον, *hac lege reum poſtulo.* In illo Quintiliani loco, quem paulo ante citavimus, tria habemus judiciorum genera. *Publica*, de quorum exercitatione ſortiebantur inter ſe prætores. *Extraordinaria*, de quibus princeps & ſenatus cognoſcebat, & in provinciis præſides, præfectus etiam urbis intra centeſimum urbis, &

præfectus prætorio ultra centeſimum. Tertia, *privata*, quæ certis actionum formulis ex edicto perpetuo continebantur. Ius hoc erat ordinarium, & judices, qui hujus juris habebant poteſtatem, dicebantur *privati*. Suetonius, in Claudio: *Iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidiſſent, reſtituit actiones.* Anianus, ad Pauli lib. 1 ſextentiarum, *privatos* etiam *Iudices* vocat qui judicia exercebant privata, & diſtinguit eos à *cinctis judicibus*, qui publica: *Qui apud cinctos*, inquit, *aut privatos judices fuerit de calumnia objectione convictus.* Quod Paulus dixerat: *Et in privatis & in publicis judiciis.* Vocat cinctos qui jus gladii habebant, ut præſides ac præfectos. At privati etiam alio nomine dicebantur *pedanei*, ad differentiam præſidum qui de tribunali jus dicebant. Unde *tribunalia præſidum*, à jure ordinario paſſim diſtinguuntur. Græci vocant χαμαιδικαστάς. Heſychius: Σήλεκτος, χαμαιδικαστής. De *Selectis* judicibus quales fuerint, jam aliis dictum. *Pedaneos judices* idem Anianus apud Paulum interpretatur qui ex delegatione cauſas audiunt quos dicit Paulus, *ſi pecunia corrupti dicerentur, plerumque à præſide aut curia ſubmoveri, aut in exilium mitti, aut ad tempus relegari.* Ex quibus planum eſt, eos eſſe judices, apud quos in provinciis privatæ controverſiæ diſceptari ſolitæ, *Curiales* nimirum ſive *Decuriones*. Πολιτικοὺς δικαστὰς Novellæ Græcorum appellant, & diſtinguuntur ἀπὸ τῶν θεματικῶν, qui ſunt præſides provinciarum. Ita & *pedanei magiſtri* dicti, ludimagiſtri triviales, ut diſtinguerentur à majorum gentium profeſſoribus artium, qui de ſuggeſtu prælegebant. Græci vocant eos χαμαιδιδασκάλους. Hinc apud nos pædagogis nomen. Hæc notio *pedaneorum judicum*, hoc eſt, χαμαιδικαστῶν, qui diſcernebantur ab iis judicibus qui de tribunali jus dicebant, oſtendit, veriorem eſſe ſententiam eorum qui *pedaneos* eos ſenatores dictos voluere, qui magiſtratum

curulem nondum geſſiſſent, quia pedibus itarent in curiam, cum honoris gratia illi, qui cepiſſent, curru ſolerent in curiam vehi. Prætor autem urbanus privatis his judiciis præerat, aut judices eos dabat, qui controverſias inter privatos finirent. Διαιτηταὶ Juſtiniano dicuntur, & opponuntur τοῖς θεματικοῖς in Novella Conſtantini Porphyrogenetæ. Hinc *jus ordinarium* & *interdictum* idem. Frontinus: *De poſſeſſione controverſia eſt, de qua ad interdictum, hoc eſt, jure ordinario, litigatur.* Aggeno, *per interdictum litigare.* Item, *interdicti formula. Et de hac controverſia plurimum interdicti formula litigatur.* Inde, *ad interdictum venire*, apud Petronium, id eſt, in jus ad prætorem: *Negavi circuitu agendum, ſed plane jure civili dimicandum, ut, ſi nollet alienam rem reddere, ad interdictum veniret.* Ubi *jus civile*, eſt *ordinarium*. Nam erant privata judicia Romæ, quibus omnibus præſidebat prætor, &, quos ex his vellet, judices dabat. In triplici foro diſceptatas fuiſſe privatas lites, aliquot locis ex Martiale colligere eſt. Sed quoniam de pœnalibus præcipue agimus, ea quoque *privata delicta* dicebantur de quibus privati judices judicabant. Inde titulus in digeſtis *de privatis delictis*, poſt quem omnes, qui ſequuntur, uſque ad titulum *de extraordinariis criminibus*, privatorum delictorum ſpecies continent. In his quædam erant de quibus licebat etiam criminaliter agere, quamvis prætor forenſem actionem propoſuiſſet. Si in crimen ſubſcribere quis mallet, quam ad interdictum venire, hoc eſt, privatam actionem intendere, extra ordinem apud eos judices, qui de criminibus extraordinariis cognoſcebant, accuſationem inſtituere poterat, aut apud eos qui de publicis, ſi lex certa eſſet quæ publicum id crimen eſſe juberet. Inter privata judicia & crimina interdictum fuit *vi bonorum raptorum*. Si quis bona ſibi vi rapta poſſet probare, ſi privatam perſecutionem

nem eligeret, non denegabat ei actionem prætor, cujus & edictum de eo propoſitum erat in perpetuæ juriſdictionis albo. Quia vero & lex Julia *de vi privata*, ea quæ vi committuntur, ad publicum judicium voluit pertinere, ſi quis ſe vim paſſum quereretur, judicio publico poterat experiri. Prætor edictum propoſuit, de incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata, adverſus eos qui aliquid rapuiſſent ex hujuſmodi caſibus. Liberum in his erat cuique, aut privato judicio rem perſequi, aut extraordinario, non vero publico, quia nulla lex erat publica lata de his criminibus. Interdicto *de his quæ per turbam fiunt*, ſi damnum alicui datum eſſet quod pecunia poſſet ſarciri, jure ordinario litigabatur. Quod ſi ex hoc, ut ait Paulus ſub illo titulo, corpori alicujus, vitæ, membriſque nocitum eſſet, extra ordinem vindicabatur, non publico judicio, quia nulla lex publica pœnam hujus criminis determinaſſet. Capitalia igitur omnia crimina aut extra ordinem judicabantur, aut publico judicio, ſi eſſet ulla de eorum pœna lex publica lata. In publicis quilibet accuſator admittebatur, exceptis perſonis quibus jure non id licitum. In extraordinariis is tantum, cujus intererat, agere poterat. Alia ſignificatione hæc loquutio *extra ordinem*, tam in privatis judiciis quam in extraordinariis atque etiam publicis locum habuit. In omnibus quippe his judiciis cauſarum is ordo erat receptus, ut priores prius diſceptarentur, quæ ſecundo & tertio loco introductæ eſſent, ſuo quæque in ordine venirent dijudicandæ. Servius ad illud:

— Si omnes uno ordine habemus Achivos.

Vno reatu. Et eſt hoc ex antiqua tractum ſcientia, quia in ordine dicebantur cauſa propter multitudinem vel tumultum feſtinantium, cum erat annus litium. Juvenalis: *Expectandus erit, qui lites inchoet, annus.* Hæc ratio movit Veſpaſianum, ut ſorte eligeret judices, qui privata etiam judicia extra ordinem terminarent.

rent. Suetonius in ejus vita: *Litium ſeries ubique majorem in modum excreverat, manentibus antiquis intercapedine Iuriſdictionis, accedentibus novis ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit per quos rapta bello reſtituerentur, quique judicia centumviralia, quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem judicarent redigerentque ad breviſſimum numerum.* Judicia centumviralia privata, in quibus controverſiæ civiles terminabantur ſerie & ordine, cum non ſufficerent omnibus dijudicandis, & longiſſimum eſſet tempus expectandum iis qui poſterius ad interdictum venerant, donec abſoluti eſſent priores, ſorte elegit, qui extra ordinem etiam pecuniarias & civiles actiones judicarent. Hoc in privatis. In extraordinariis quoque judiciis & cognitionibus idem obtinuit, ut ordo in his cauſarum ſervaretur. Quod neglexit Nero in cognoſcendo, quem tradit Suetonius, *cognoſcendi eum morem tenuiſſe, ut continuis actionibus omiſſis, ſingillatim quæque per vices cognoſceret.* Videndum igitur quænam cauſæ tam in privatis quam in publicis judiciis ab ordinis obſervatione eximerentur, & extra ordinem, quamvis poſterius eſſent introductæ, prius tamen ventilandæ eſſent. In pœnalibus, ii quibus calumniæ crimen objiceretur, extra ordinem, id eſt, non expectato ordine, audiebantur. Paulus, lib. I, ſub titulo de Calumniatoribus: *Et in privatis & in publicis judiciis omnes calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur.* Quod Anianus recte exponit, *non expectata ordinis ſententia.* Hinc *extraordinarii rei* vocabantur, tam in privatis, quam in publicis judiciis; quibus cauſa erat dicenda extra ordinem, & non ſuo loco. Hæc eſt ratio cur Tuccii judicium, apud Cælium, in Epiſtola ad Ciceronem, prætermiſſis prioribus reis, extra ordinem exerceretur, non quod lege Plotia de vi accuſatus eſſet, ſed quod calumniæ convictus. Quod di-

ſerte verba Cælii oſtendunt: *Scito C. Sempronium Ruſum mel ac delicias tuas, calumniam, maximo plauſu tuliſſe. Quæris qua in cauſa? M. Tuccium accuſatorem ſuum poſt ludos Romanos, reum, lege Plotia de vi, fecit. quod videbat, ſi extraordinarius nemo reus acceſſiſſet, ſibi hoc anno cauſam eſſe dicendam.* Et fruſtra laborant doctiſſimi Juriſconſulti in cauſa quærenda cur hic Tuccius extra ordinem reus factus ſit. Alia fuit ratio Miloniani judicii, quod & ipſum extraordinarium, ſed alio modo. Cum enim eſſent leges & quæſtiones ordinariæ de cæde ac de vi conſtitutæ, de quibus inter ſe ſortiebantur deſignati prætores, Pompeius Conſul novam legem tulit de vi, qua & nominatim cædem in Appia via factam comprehendit, qua & id quoque ſancitum, ut populi ſuffragio quæſtor crearetur qui de Milonis cauſa extra ordinem cognoſceret. Ex his omnibus conſtare poteſt, quid diſcriminis fuerit inter extraordinaria crimina & publica. Nam publica ſuos prætores habebant, & ex lege certa exercebantur, & ſic quaſi ordinaria erant ac legitima. Nihil horum in extraordinariis, quibus hoc nomen erat, quod non ad jus ordinarium, quo civiles & pecuniariæ cauſæ diſceptabantur, ſpectarent, ſed apud majores judices, ut præſides & præfectos, dijudicarentur. Hi autem ſolebant & de pluribus cauſis civilibus extra ordinem cognoſcere, ut de fidei commiſſis, aliiſq; multis, ſicut patet ex titulo Digeſtorum de extraordinariis cognitionibus. Quarum *cognitionum* numerum Calliſtratus, qui de his ſcripſerat, nec extraordinarias vocaverat, ut Tribonianus, in quattuor genera ſummatim dividit. Aut enim, inquit, de honoribus ſive muneribus gerendis in præſidum Tribunalibus *agitatur:* aut de re pecuniaria *diſceptatur:* aut de exiſtimatione alicujus *cognoſcitur:* aut de capitali crimine *quæritur.* Capitalia autem crimina omnia dividebantur in extraordinaria, & publica. Nec ulla ut diximus publica

blica Romano jure habita ac dicta ſunt, quam de quibus certæ leges eſſent latæ, quibus ut publica eſſent, & cuivis è populo perſecutio eorum daretur, ſimul cautum fuit, conſtitutis etiam quæſtoribus ſive prætoribus, ut Romæ, qui de his cognoſcerent. Adeo vero diverſa fuere judicia extraordinaria; & publica, ut Paulus Juriſconſultus duo μονόβιβλα diverſa de his compoſuerit, alterum *de extraordinariis judiciis*, alterum *de publicis judiciis*, ut apparet ex Indice auctorum ex quibus digeſtum eſt opus Pandectarum. Extraordinaria judicia tam civiles & pecuniarias cauſas, de quibus extra ordinem diſceptabatur, ad ſe vocabant, quam criminales, quæ animadverſionem coërcitionemque extraordinariam requirebant. At judicia publica nulla niſi criminalia, aut capitis pœnam, aut infamiam cũ damno pecuniario irrogantia. Apud Athenienſes autem omnia capitalia crimina δημόσια ſunt appellata, & δημόσιοι νόμοι leges publicæ quæ de his erant conſtitutæ. Reſtat de popularibus actionibus, ut aliquid dicamus. Titulum de his ultimum poſuit Tribonianus poſt omnium extraordinariorum criminum titulos, & ante titulum de publicis judiciis. Ad eum titulum, ſcribunt celeberrimi Juriſconſulti, notandum eſſe, publicarum actionum alias eſſe civiles, alias criminales. Civiles, ſeu pecuniarias, eſſe populares, ut albi corrupti, ſepulcri violati, dejecti vel effuſi, apertarum tabularum ante familiæ quæſtionem, criminales vero alias. Ego nego, publicas aliquas actiones dici in genere quæ dividantur in civiles ac pecuniarias, hoc eſt, populares & criminales. Publica actio proprie diceretur publicorum judiciorum. At ea per actiones non ordinabantur. Privatorum judiciorum actiones, privatæ, non publicæ, dictæ. Populares etiam aliæ à publicis. Hæ quippe nullæ. Si autem populares actiones etiam publicæ appellarentur, inde ſequeretur, & popularia judicia eſſe publica nominanda.

 Quod

Quod nunquam factum. Popularia quidem judicia erant etiam extraordinaria, quia eorum cognitionem præſes habebat, qui de his extra ordinem cognoſcebat, non tamen publica. Præterea omnia judicia popularia fuere pecuniaria, non criminalia. Nulla certe ex his capitalia. Hoc peculiare habebant præter pecuniaria alia judicia, quod non ſolum ei, cujus intererat, actionem popularem movere licebat, ſed cuilibet è populo. Verum is è multis præferebatur, cujus intererat. Miror, doctiſſimum Juriſconſultum in libello, quo explicavit rationem ordinis in Pandectis digerendis à Juſtiniano ſervati, in titulo de popularibus actionibus, notare, ita dictas eſſe quod cuilibet de populo competerent, quales ſunt fere, inquit, extraordinariæ, de quibus ſupra. Id eſt, omnes ii tituli qui ſequuntur poſt titulum de extraordinariis criminibus. Quo nihil falſius. Primum non ſic dictæ, quod cuilibet de populo competerent, ſed quod *ſuum jus populo tuerentur*, ut eſt in leg. 1 D. eodem. Ab eo quod jus populi tuerentur, cuilibet de populo earum perſecutio permiſſa eſt. Ceterum civiles omnes & pecuniariæ fuere, nullæ capitales. Majores eas judices habere debere dicit Paulus, leg. XXXII D. de receptis. Ideo extra ordinem de his præſes debebat cognoſcere. Actio de termino moto eſt pecuniaria & popularis. Huic delicto pœna conſtituta eſt quinquaginta aureorum, lege Agraria, quam Cæſar tulerat adverſus *παροριστάς*. Hæc pœna quinquaginta aureorum non fuit in lege Cæſaris, ſed pro ea *quina ſeſtertia*, aut *ſeſtertium quinque millia nummum*. Non enim veteres pœnas iſtas pecuniarias per aureos enuntiabant, ſed per ſeſtertios nummos. Quod ubique in aureos mutavit Tribonianus. Verum de his alibi. Modeſtinus ſcribit, leg. 1 D. eodem. *Terminorum avulſorum non pœnam pecuniariam eſſe, ſed pro conditione admittentium coërcitione tranſigendum*. Ergo eo tempore non

non erat amplius populare hoc judicium, ſed extraordinarium tantum. Quod etiam ex Paulo conſtat in collatione legum Moſaicarum. *In eum, inquit, qui per vim terminos dejecit vel amovit, extra ordinem animadvertitur.* Ex reſcripto Adriani, quod ſtatim ſubjicitur ex lib. IX Ulpiani, de Officio proconſulis, pro conditione perſonæ, & commiſſi merito, aut ad tempus relegabantur, aut ad opus publicum dabantur, aut verberibus coërcebantur. Ubi pecuniariæ multæ locus non erat, ibi nec actioni populari. Sepulcri violati actionem edicto ſe daturum prætor propoſuit, centum aureorum ei qui agere volet. Ergo & illa popularis. In eum, qui album ſuum corrupiſſet, quod juriſdictionem perpetuam contineret, ſe daturum judicium quingentorum aureorum, prætor edixit. Quod judicium populare eſſe dicitur, leg. VII D. de Juriſdictione. Paulus, lib. III Sentent. cap. XIII: *Eum qui album raſerit, corruperit, ſuſtulerit, mutaverit, quidve aliud propoſitum edicendi gratia turbaverit, extra ordinem punitur.* Nempe multa pecuniaria non jure ordinario infligenda, ſed à præſide qui de eo delicto extra ordinem cognoſcit. Anianus capitaliter puniendum intellexit, non expectata ordinis ſententia, quod eſt falſum. Niſi quis dixerit, capitale hoc crimen poſtea factum eſſe conſtitutionibus principum. Tum non amplius eſſet populare, ſed extraordinarium tantum. Idque verius. Idemque diximus & de termino moto, cujus judicium erat olim populare lege Agraria Julii Cæſaris, poſtea factum extraordinarium conſtitutionibus ſequentium Principum. Populare etiam judicium in eos redditum eſt, qui publicæ aquæ rivos violarent, condemnandos in dena milia æris, ex quibus pars dimidia præmium accuſatori daretur, cujus opera maxime convictus eſſet, qui adverſus ſenatuſconſultum de Rivis aquæ publicæ non violandis feciſſet. Pars ergo altera dimidia in pu-

blicum

blicum redigebatur. Vide Frontinum de aquæ ductibus. Hoc ſollenne & in omnibus fere popularibus actionibus fuit, ut accuſatori multæ pecuniariæ, in quam rei condemnabantur, pars daretur, pars publico ærario adplicaretur. Non tamen ſemper lex ſtatuebat, quanta pars ex multa, qua reus erat condemnatus, accuſatori eſſet danda. Hoc enim pendebat à judicantis extra ordinem arbitrio, qui plus aut minus, prout ipſi æquum eſſet viſum, ex dignitate aut vilitate accuſantis, decernebat. Et id fere perpetuum in hujuſmodi judiciis extraordinariis, ut pœnæ modus pecuniariæ, ſive majoris coërcitionis, officio judicis, cujus ea de re cognitio erat, permitteretur. Pleraque autem ſenatuſconſulta in hujuſmodi delictis popularibus multam tantum, quæ in publicum eſſet redigenda, taxabant, nihil de eo præmio quod eſſet accuſatori tribuendum, dicebant, quod arbitrio judicis relinquebatur. Et poſſem hujus rei multa exempla proferre, niſi alio properarem. Quod igitur incertum eſſet, quantum ex ea actione emolumenti in accuſatorem eſſet rediturum, ideo dicitur, leg. VII D. de popularibus actionibus; *eum, qui habet has actiones, non intelligi eſſe locupletiorem*. Id doctores non intellexerunt, qui notant, non haberi locupletiorem qui hanc actionem movet, niſi poſt litem conteſtatam. At ego dicendum aio, ne poſt litem quidem conteſtatam. Quis enim in ſuis bonis numeret, quod incertum eſt an ſit, omnino habiturus, non ſolum quantum? Nam plerumque judex ne pecuniariam quidem multam imponebat his delictis popularibus, ſed, ut erat extraordinarium horum judicium, ex cauſa, & perſona, & facto, graviorem pœnam ſtatuere ſolebat. Quid ſi ſervus delictum hoc commiſiſſet, inſciente domino, quem dominus nollet defendere, eique capital eſſet, nihil ad accuſatorem redibat. Ponamus, ſemper aliquid ex ea actione ſperaſſe qui eam intendebat, quia

non

non certum id erat quod eſſet percepturus, idcirco non intelligebatur locupletior qui hanc habebat actionem. In actione furti aliud eſt. Qui eam habet, rem certam vindicat, quam ſibi ſurreptam debet demonſtrare, ut æſtimatæ duplum à fure recipiat. Damnum quoque quod lege Aqualia debet ſarciri in duplum, certum eſt ei qui actione legis illius agit. Hæc cauſa eſt cur & pro actione furti, item pro eo qui in legem Aquiliam commiſit, fidejuſſor accipi poſſit, leg. LVI D. de fidejuſſoribus. Certum eſt enim quod debent qui ea delicta commiſerunt. Statim in eadem lege ſubjicitur, non eamdem eſſe cauſam popularium actionum. Incertum eſt quippe, quid debituri ſint ex condemnatione, qui actione populari conveniuntur. At fidejuſſores in rem, quæ certa eſſet, accipiebantur, ut ſciretur in quantam ſummam eſſent obligati. Nam & in rebus capitalibus fidejuſſores ſiſtendi, qui vadimonium pro reo promittebant, in certam æris ſummam ſe obligabant. Apud Livium, lib. III, de Cæſone: *Vades dare placuit. Vnum vadem trium millium æris obligarent.* In privatis quoque delictis idem ſervatum eſt, ut diceretur quanti vadimonium eſſet, quod fidejuſſor præſtabat. Paulus in collatione legum Moſaicarum, ſub titulo quemadmodum injuriarum agatur: *Qui injuriarum aget, certum dicat, quid injuria factum ſit, & taxationem ponat, non minorem quam quanti vadimonium fuerit.* Ex ea igitur leg. VII D. de actionibus popularibus, qua, qui eas actiones habet, non intelligitur locupletior, clare poteſt intelligi, actiones illas fuiſſe tantum pecuniarias. Si aliqua principis conſtitutione pœna delicti popularis, quæ antea eſſet pecuniaria, capitalis decerneretur, ex populari judicio fiebat extraordinarium. Quod ſi in imponendo nomine popularibus actionibus, ea ſola ratio valuiſſet, qua cuilibet è populo erant permiſſæ, & quia populi jus ſpectaret ea res propter quam darentur,

rentur, certe majorem partem & judicia publica dicenda fuiſſent popularia. Utrumque enim habebant pleraque publica. Quædam & ex his, quæ extraordinaria appellata, populi jus ſpectabant, quibus tamen popularium nomen haud datum, nec erant popularia. Ut Dardanarii, qui annonam flagellabant, varie extra ordinem ſolebant puniri, aut negotiationis interdictione, aut relegatione, aut ad opus publicum damnatione. Populare hoc fuiſſe judicium, non dicitur in titulo de extraordinariis judiciis. In omnibus aliis, quæ erant popularia, hoc fere notatum eſt. Ut leg. III D. de ſepulcro violato: *hæc actio popularis eſt*. Et leg. III de termino moto: *Et ejus actionem, petitionem, ei qui volet eſſe, jubet*. Popularem eſſe actionem his verbis ſignificatur. Item, leg. VII D. de Juriſdictione, diſerte declaratur judicium de albo corrupto populare fuiſſe. In aliis, in quibus id non exprimitur, non ea fuiſſe popularia prorſus exiſtimandum eſt. Græci non δημοσίαν ἀγωγὴν appellant, ſed δημοτικὴν, ut in Synopſi Baſilicῶn, lib. LII. Alibi tamen δημοσίας ἀγωγὰς vocant, quæ ſunt populares, ut lib. VIII: Ἐπὶ τῶν δημοσίων ἀγωγῶν οὐ δίδοται διοικητὴς εἰ μὴ ἐπὶ τῆς τυμβωρυχίας, καὶ ὅτε τις κινεῖ τὸ περὶ βίας δημοσίας ζημιούμενος ἰδιωτικῶς. Ubi confuderunt illi interpretes, quæ ad publica judicia pertinent, & quæ ad populares actiones. In publicis quidem judiciis multa verſantur, quæ ad ſalutem publicam pertinent, non tamen ideo popularia appellata. Populi ærarium etiam publicum dictum, non populare, quamvis Græcis vocetur & δημόσιον. Sed qui populi ærarium expilaſſet, non poſtularetur populari actione. Qui annonam populi intervertit, & fraudat, non accuſatur ulla populari actione, ſed lege Julia de annona, quod publicum eſt judicium, non populare. Ergo populares actiones in iis rebus tantum locum habuere, in quibus populi jus læderetur, quarum pœna eſſet pecuniaria, eaque

ſine

ſine infamia, cujus tamen rei actio cuilibet è populi competeret, à majoribus judicibus, non à privatis, extra ordinem dijudicanda. Multa hic ſcio me obſervaſſe quæ contra receptas doctorum opiniones faciunt. Si quis ex novis doctoribus paratus eſt vetera defendere, per me licet, dum & mihi velit licere mea tueri. Alia porro notione *jus publicum* dicitur apud Juriſconſultos quam *judicium publicum*, leg. 1 D. de Juriſdictione. Extra jus publicum, quod in ſacris & ſacerdotibus magiſtratuque conſiſtere dicit, reliquum jus omnino privatum nuncupat, ac tripartitum eſſe vult, collectum ex naturalibus præceptis, gentium & civilibus. In inſtitutis Juris *jus publicum*, id eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat, *privatum* quod ad privatorum utilitatem pertinet, quod ſimiliter tripertitum eſſe ibi dicitur. Eodem ferme ſignificatu Ariſtoteles ἴδιον νόμον de omni jure privato, quod ſcriptum eſt, ac diſtinguitur à jure non ſcripto, quod ille κοινοῦ νόμου nomine appellavit, uſurpat. Ἴδιος, inquit, νόμος ἐστὶν καθ' ὃν γεγραμμένον πολιτεύονται, κοινὸς δὲ ὅσα ἄγραφα παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ. Hæc maxime generalis privati juris ſive privatarum legum appellatio, ut maxime ſpecialis eſt quæ leges in favorem ſingulorum latas hoc nomine nuncupat. Ea ſunt *privilegia* quaſi privæ vel privatæ leges. Iſidorus in Originibus: *Privilegia ſunt leges privatorum, quaſi privata leges. Nam privilegium inde dictum, quod in privatos feratur lex.* Inſtituta juris perſonalis has leges appellant, quæ ſunt, ut ita loquar, ἰδιωτικά. Nec multo magis κυρικὴ eſt ea ſignificatio, qua conventiones privatorum, quibus inter ſe contrahunt, ἰδίους vocant νόμους Græci. ἡ συνθήκη ἴδιός ἐστι νόμος. Ut contra lex illa qua populus omnis tenetur eſt κοινὴ τῆς πόλεως συνθήκη, ut Demoſtheni dicitur in prima contra Ariſtogitonem. Leges autem, quibus univerſa civitas tenetur, quæque publico omnium conſenſu latæ ſunt, non *publica*

blica leges propterea vocatæ, nec δημόσιοι νόμοι, ſed generales potius, hoc eſt, γενικοὶ, ut habetur in Inſtitutionibus lib. 1, quæ κατὰ πάντων ἐκτείνονται προσώπων τε καὶ πραγμάτων. Quidam tamen & δημοσίους νόμους appellarunt, quæ jus aliquod cum religione conjunctum decernebant, quo omnes cives tenerentur, ut de ſacris, de votis, de feriis, de ſepulcris, & ſi quid ejuſmodi eſt. Hinc Grammatici, de quibus ante notavimus, diſtinxere inter ἄξονας & κύρβεις, quod in his νόμοι δημόσιοι inſcripti eſſent, in illis ἰδιωτικοί. Per δημοσίους alii intellexere τοὺς περὶ ἱερῶν νόμους, περὶ θυσιῶν, καὶ ἱεροποιιῶν. Hi γενικοὶ etiam νόμοι, quia generaliter omnes obligant cives. Leges illæ porro generales latiſſima ſignificatione ſumptæ, comprehendunt ἰδιωτικοὺς & δημοσίους νόμους, publicas privataſque leges, quæ dividuntur ea diſtinctione quam jam ante expoſuimus. Una ex publicis illis legibus apud Athenienſes fuit cujus abrogationem ſuadebat Timocrates, adverſus quem peroravit Demoſthenes Euctemonis nomine. Cui ſimilis apud Romanos publica quoque lex Julia de reſiduis, quæ in eos animadvertebat qui pecunias publicas adminiſtraverant, & ad reliqua non reſpondebant. Lex Attica in vincula conjici eos jubebat qui ſi publico ærario obnoxii forent ex cauſa adminiſtrationis pecuniariæ, altero anno, poſtquam uſi eſſent pecunia publica, non eam reſtituerent. Pœnam vinculorum tolli volebat Timocrates, cum publica ea lex eſſet, ei derogari non poſſe pertendit Demoſthenes. Quod eo argumento ſic nititur probare. Privata lex eſt, & privatorum inventum, nummi uſus, ex conventione inter ſe privatorum ad contractus facilius explicandos proditus. At leges publicas violare, longe majus crimen habendum eſt quam nummum adulterare, quem conſuetudo & mos privatorum contractuum gratia induxit. Nam & multæ, inquit, civitates adulterino ac falſo nummo publice palamque utuntur, argentum

tum plumbo & ære miſcentes, quæ tamen incolumes manent, nihilque earum ſtatus ob eam rem detrimenti patitur, cum certum ſit, eas, quæ legibus uſæ fuerint malis, bonaſque corrumpi & aboleri apud ſe ſiverint, non potuiſſe ullo modo ſervari. Hæc cum ita ſe habeant, ſi morte multari conſtat apud omnes fere civitates qui nummum adulterant; quanto magis exempla in eos ſtatui oportet qui leges publicas & ad ſalutem reipublicæ latas corrumpunt? Nummus, ut dicit Solon, in ea Demoſthenis peroratione, νόμος eſt privatorum, at νόμος civitatis eſt νόμισμα. Supplicium capitis, quod adulteratoribus monetæ irrogabatur, an apud Athenienſes ex lege publica decerneretur, alius dubitaret, non ego. De Romanis certum eſt, publico judicio pœna capitali fuiſſe plexos, ex capite legis Corneliæ de falſis, quæ publica fuit. Non omnia profecto judicia, quæ Athenienſibus publica, talia & Romanis fuiſſe conſtat. Omnia capitalia crimina Athenis ἀδικήματα δημόσια dicta, ut ſupra docuimus, non item Romanis, quamvis omnia illa extraordinaria fuerint, quæ non e[r]at publica, quia extra ordinem plectebantur, & ad majorem judicum cognitionem pertinebant. De quibus erant publicæ leges, quæ & omnibus earum accuſationem permittebant, ea tantum publica habita Romano jure. Apud Athenienſes vero etiam de criminibus non capitalibus leges latæ publicæ dictæ ſunt, ſi res de qua latæ eſſent, foret publica. Lex erat, ut ſupra dicebam, qua ſanciebatur, ut is, qui pecunia publica annum uſus eſſet, duplam reſtitueret. Si altero anno adhuc eam deberet, in vinculis eſſet, donec exſolveret. Hic δημόσιος νόμος. Videntur etiam infames fuiſſe uſque ad ſolutionem, ex ea lege, quæ ſancit, τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ, ἄτιμον εἶναι μέχρις ἂν ἐκτίσῃ. Ceterum cum lege illa Attica publica, eadem plane fuit, ut ante diximus, Lex Julia de reſiduis, publica nempe, ex qua judicium

quoque in eum, qui ea tenebantur, reddi ſolitum. Ea lege damnatus, amplius tertia parte, quam debebat, puniebatur, ut eſt in leg. IV D. ad legem Juliam de peculatu. Nec omnia igitur judicia publica de capitalibus, nec omnia crimina capitalia publicis judiciis vindicabantur. Multa tamen in his differentia Juris Attici & Romani. Ex oratione Demoſthenis contra Timocratem conſtat, περὶ κλοπῆς, & κακώσεως γονέων crimina, furti & maletractationis, fuiſſe publica, cum tamen Romanis legibus furti perſecutionem publico judicio dari jus non fuerit, quippe cujus accuſatio publice non eſſet cuilibet permiſſa. Unde leg. III D. de Judiciis publicis, ſcriptum eſt, *interdum evenire, ut præjudicium judicio publico fiat, ſicut in actione legis Aquiliæ, & furti, & vi bonorum raptorum, & interdicto unde vi, & de tabulis teſtamenti exhibendis: Nam in his de re familiari agitur.* Sed nec, extra ordinem omnes fures audiri, leges jubebant, & cauſa cognita puniri. Id enim in balneariis tantum, & nocturnis, hiſque qui ſe telo defenderent & effractoribus, aliiſque ſimilibus, obtinuit. Pollux etiam, lib. VII, cap. VI, κακώσεως & κλοπῆς actiones, inter judicia privata refert, & ἰδιωτικαῖς δίκαις accenſet. Sed eum puto falli. Nam & Harpocration diſerte ſcribit, in hoc judicio κακώσεως, ἐξεῖναι παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι. Quæ nota eſt perpetua judicii publici apud Athenienſes. Quod & Demoſthenes in Timocratea confirmat: καθηγείσθω δὲ οἷς ἔξεστι. De furto ſic conciliari debet. Quædam furta Athenis morte plectebantur, ut nocturna. Item ſi quis è Lyceo, Academia, aut Cynoſarge pallium aut ampullam eſſet furatus, vel aliud quid leviſſimum, θάνατος ἡ ζημία. Quia ſacra nimirum erant illa gymnaſia. Quin &, ſi quis ex portu aliquid ſurripuiſſet, ὑπὲρ δέκα δραχμὰς æſtimandum, mortis pœna id luebat. Hæc omnia itaque furta, ut & τοιχωρύχων & βαλαντιοτόμων, inter δημόσια ἀδικήματα repone-

reponebantur, eorumque erat δημοσία δίκη, quæ cuilibet competebat. Aliorum furum, qui dupli condemnabantur, ἰδία δίκη tantum fuit, ut diſerte in eadem oratione contra Timocratem ſcribitur: εἰ δέ τις ἰδίαν δίκην κλοπῆς ἁλῷη, ὑπάρχειν μὲν αὐτῷ διπλάσιον ἀποτῖσαι τὸ τιμηθέν. Ubi ἰδία δίκη eſt *privata actio*, non ut interpretatur doctiſſimus enarrator legum Atticarum, *propria & ſpecialis furti*, qua quis furti tantum, non etiam alterius criminis, reus peragitur. Ita ἰδία δίκη apud Atticos, ſemper opponitur δημοσίᾳ, privata actio publicæ, hoc eſt, accuſationi. Apud eos enim capitalium omnium criminum, ut ea δημόσια appellata ſunt, ſic etiam δημόσιαι erant δίκαι, publicæ perſecutiones & accuſationes. De κακώσει autem, cujus nomine privatam actionem competere ſcripſit Pollux, non illa eſt κάκωσις γονέων accipienda, cujus publicam liquet fuiſſe accuſationem, ſed κάκωσις γυναικός. Nec igitur dubium, quin publicum crimen apud eoſdem fuerit adulteratio monetæ, quia capital id fuit adulteratori, quamvis pecunia ſignata ex conſuetudine privata in uſum venerit. Νόμισμα quippe, ut in ſuperiore libro oſtendimus, non eſt lex, ſed conſuetudo, vel mos & lex non ſcripta. Inde nomen hoc hæſit nummo, quia ex privatorum conſenſu & more inſtitutus ſit. Quod ἰδιωτικὸν hunc νόμον notat Ulpianus fuiſſe quo nummus inventus eſt, non eo ſenſu accipiendũ eſt, ut νόμος ἰδιωτικὸς differat à δημοσίῳ νόμῳ ea ratione quam ſupra expoſuimus. Nec enim de lege privata ſcripta videtur intellexiſſe, quæ diverſa fuerit à lege publica ſcripta, ſed de non ſcripta, quem νόμον ἄγραφον Græci appellant, eumque definiunt, ὅνπερ ἡ χρονία συνήθεια συναινέσει τῶν χρωμένων ἰσχυροποιήσασα καὶ εἰς μίμησιν ἀνήγαγε τοῦ ἐγγράφου νόμου, *quam longa & inveterata conſuetudo conſenſu utentium comprobavit, & ad ſimilitudinem juris ſcripti adduxit.* In eo jure ſine ſcripto quædam generalia ſunt ac communia, & ad omnes pertinentia,

quæ juri publico ſcripto reſpondent, alia particularia & utilitatem privatorum ſpectantia. Ut qua veſte uti cives ſinguli debeant, pro conditione perſonarum, ætate & ſexu, quo victu, qua tonſura, & aliis ſimilibus. Nummi quoque uſum ab hujuſmodi privatorum inſtituto & conſenſu ad contractus introductum fuiſſe, vult Demoſthenes, & in eadem eſt ſententia Ariſtoteles. Huic ἀγράφῳ νόμῳ ἰδιωτικῷ, & alium ſimilem Ulpianus adjungit, quo tacite veluti inter ſe convenerunt contrahentes privati de maximis uſuris non accipiendis. Εἰσὶ δὲ, inquit, καὶ ἰδιωτικοὶ νόμοι, οἷον μὴ λαμβάνειν πολλοὺς τόκους. Et ſane in multis provinciis ac civitatibus olim non lege ulla, ſed more modus uſurarum ſtatuebatur. Hinc Juriſconſulti in bonæ fidei judiciis morem regionis judici ſpectandum eſſe præcipiunt in uſuris imponendis. Sic Athenis, cum lex Solonis in infinitum capere eas permitteret, mos tamen & conſuetudo non ſcripta, non maximas capi debere inſtituit. Nec aliter ſane poſſunt exponi verba illa Ulpiani, ſi de Athenienſium legibus & moribus eum loquutum intelligere libeat. Quod vix aliter mihi ſit veriſimile. Certum quippe eſt, nullam legem ſcriptam modum apud Athenienſes uſuris ſtatuiſſe. Quod ſi ad ſua tempora reſpexit, & jus Romanum, aliud erit. Nam imperatores ſæpe modum uſuris præſcripſerunt, & quo tempore illa ſcripſit Ulpianus, ſiquidem ille rhetor fuit qui Juliano imperante vivebat, legitimæ uſuræ in imperio Romano fuere centeſimæ. Sed cum ille Demoſthenem exponat, non eſt probabile, de alio ἰδιωτικῶν νόμων genere voluiſſe loqui, quam qualis in nummi inventione ab ipſo auctore quem interpretatus eſt, traditur. Dum πολλοὺς τόκους vocat, ex more ſæculi ſui potius loquutus eſt, quam ex Attico. Nam dixiſſet, μὴ μεγάλους τόκους λαμβάνειν, ut ipſe Demoſthenes dixit in prima Olynthiaca: Οἱ δανειζόμενοι ἐπὶ μεγάλοις τόκοις. Sic Maximus Tyrius, ſermone 11.

ὥσπερ

ὥσπερ γὰρ τῶν ἐπὶ χρηματισμοῦ παραβαλλομένων ἐν θαλάττῃ, οἱ τόκοι μέγαλοι τῶν δανεισμάτων. Quem locum in ſequentibus lõge aliter exponendum docebimus quam fecit doctus interpres. Ita apud Pollucem, de trajectitiæ pecuniæ fœneratore: ἐπὶ μεγάλοις τόκοις παρακινδυνεύων. Græci Juriſconſulti, qui Latinum jus verterunt, μείζονας τόκους appellant, quæ *majores*, & *ampliores uſuræ* Romanis. Sæculo Ulpiani ſtata ac legitima uſura fuit centeſima. Qui uſuram tunc ſimpliciter nominaſſet, haud poterat de alia intelligere quam de centeſima. Qui plures centeſimas exigebat, ut moris fuit aliquando plures exigi ab improbis fœneratoribus, is πολλοὺς τόκους accipere dicebatur. Atque ita accipiendum apud Satyricum:

— Et triplicem uſuram præſtare paratus
Circuit, ac fatuos non invenit. —

Ubi *triplex uſura*, eſt terna centeſima, ut *quadriplex* eſſet quaterna, & *quincuplex* quina. Nam de quinis centeſimis accipiendus ille locus Horatii:

Et quinas capiti mercedes execat.

Quæ verba infra pluribus explicabimus, parum intellecta interpretibus. Quæcunque autem ſupra fuſius de differentia legum privatarum & publicarum diſſeruimus, ne quis parum ad rem facere cenſeat, neceſſario dicenda fuere, ut elucidaretur ille ἰδιωτικὸς νόμος, quo, ne plures, aut majores, quam æquum eſſet, uſuræ acciperentur, conſtitutum fuiſſe Ulpianus ſcripſit.

CAPUT IV.

Multa privatarum legum genera & nomina Athenis. Sic dictas omnes quæ pœnales non eſſent, & publicam accuſationem criminis cuilibet non permitterent. Si lex ulla Athenis modum fœnori poſuiſſet, modum etiam tranſgredientes puniſſet. Leges fœne-

bres Romæ appellata quibus utrumque cavebatur. Nulli tales ὁριστικοὶ νόμοι Athenis, præter eam Solonis legem quæ fœnus liberum eſſe jubebat. Νόμος ἐδικαλικὸς Vlpiani de modo uſurarum, lex non fuit ſcripta, ſed conſuetudo. In uſuris dotis, cujus reſtitutionem maritus differret, certum lege Attica fuiſſe præſcriptum modum. Per occaſionem de Iure Attico dotium nonnulla notata. Mulieres Athenis dotem viris dabant. Secus fuit Heroum ævo. Euripides à Scholiaſte ſuo reprehenſus. In eodem errore, ſi error eſt. Virgilius & Ovidius. Et hic obiter correctus. Falſum eſſe Euripidis Scholiaſtem. Vtrumque Heroicis temporibus factum, ut uxores viris & viri uxoribus dotem darent. Ἕδνα appellari Homero utramque dotem. Ἀνάεδνοι mulieres quo ſenſu eidem dictæ. Qui dicantur ἰδιωταί. Omnia nomina, quibus utraque dos appellata, doni ſignificationem habuiſſe. Quid ſint ἀντίφερνα, & ἐπιμείλια, & ἐπίφερνα, & παράφερνα, & ἐξώπροικα, & peculium, & ὑπόβολον, & donatio ante nuptias. An hæc in uſu fuerit apud veteres Iuriſconſultos. Mos apud Germanos quo viri uxoribus dotem dabant. Eumdem fuiſſe & Francorum aliorumque ex Germania populorum qui Romanum Imperium occuparunt. Hunc morem etiam habuiſſe antiquiſſimos Iudæos. Dos idem quod donatio ante nuptias. De ejus origine, & quomodo in ὑπόβολον recentioris ævi degeneraverit. De Dotario, vel Doario Gallorum. De ὑποβόλου varia ſignificatione. De ὑποβολοθεωρέτρῳ. Dotis uſuras Athenis, quam maritus non reſtitueret divortio facto, lege præſcriptas fuiſſe ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς. In exponenda illa uſura error viri docti notatus. De penſionibus ædium locatarum, quid tum reddere ſolitæ eſſent. De loquutione, μάλιστα τρία τάλαντα, qua ſumma excurrens ſupra tria talenta ſignificatur. E contra de ſumma quæ deficeret ad rotundum numerum integrandum, dixiſſe,

dixiſſe, ὁμοῦ τρία τάλαντα. *Vſuram* ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς
etiam in aliis contractibus fuiſſe apud Athenienſes
uſitatam quam in rei uxoriæ actione. Ea uſura in
dote, quam maritus non redderet, σίτου *nomine ap-*
pellata. De actione προικὸς, *& actione* σίτου. *Suidas*
emendatus. Quomodo differant ἀπόλειψις *&* ἀπο-
πομπὴ *in divortiis. Nullam actionem fuiſſe dictam*
Athenis δίκην προικὸς σίτου, *ſed duas eſſe diverſas,*
non uno tempore agitandas, προικὸς, *&* σίτου. *Error*
viri doctiſſimi reprehenſus. Verba Demoſthenis cor-
recta. Σῖτον, *in actione rei uxoriæ, uſuram proprie*
eſſe, &, in pecunia numerata ſolvi. In alia actione,
qua filii puberes matrem pro dotis reditu alere coge-
bantur, frumenti demenſum ſignificaſſe. Quid ſit
σιτομέτριον, *& demenſum, &* σιτηρέσιον, *&* ἐπιμήνια.
Theocriti verſus explicatus. Harpocration emenda-
tus. Mulieres Athenis in perpetua tutela. Hi, quo-
rum ſub auctoritate erant ac poteſtate, dicti earum
κύριοι. *Quibus lex præcipue id jus daret. Demoſthe-*
nes expoſitus & emendatus. Quænam mulier ἐπί-
κληρος *dicatur, quæ* ἐπὶ προικί. Ἐπίκληρον *dota-*
lem non bene verti. Græce etiam ἐπιπαμαλίδα *vo-*
cari, & μοίνδαν, *quæ aliis eſt* ἐπίκληρος, *&* ἐπικλη-
ρῖτις. *Filii, domini matris, & bonorum ejus, ſi ma-*
ritus obiiſſet, & ipſi virilem ætatem attigiſſent. Si
viveret vir, ipſe uxoris κύριος, *non bonorum, ſed*
filii ejus, ſi modo eſſent ſuæ tutelæ. Id multis con-
firmatum. Quid ſit proprie ὀπύειν *&* ὀπύεσθαι. *Lex*
Solonis emendata. Liberi in virili ætate conſtituti
dominium & matris & bonorum accipiebant, ipſi-
que menſtruum demenſum debebant. Id ita demum
obtinuiſſe, ſi mater à liberis ſeceſſiſſet. Si una vive-
ret in eadem domo, omnia bona cum iiſdem parti-
cipaſſe. Quid ſit προῖκα ἐπιφέρεσθαι, *&* προῖκα ἀποχά-
φειν. *De permutatione vel* ἀντιδόσει *facultatum apud*
Athenienſes uſitata. Demoſthenes explicatus, & lex

Attica expoſita. De differentia σίτου quem liberi pro dote matri dabant, & quem maritus uxori divortio facto. Vſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, una de mediocribus, ac media inter ſummas ac minimas. Ideo & maritum ex lege talem ſolviſſe uxori ob dotem non redditam. Non pœnam hanc fuiſſe ipſi irrogatam à lege ob retentionem dotis, ut putavit Molinæus, ſed mercedem legitimam pecuniæ, cujus uſum ex dote retenta haberet. Communem hanc apud Athenienſes vulgo extitiſſe uſuræ modum. Dotis ob adulterium repudiatæ retentionem viro Athenis permiſſam. Iure Romano ſextam tantum partem dotis ob adulterium vir retinebat. Paulo eſſe dimidiam, aut tertiam. Hoc verius videri. De uſuris quas vir mulieri pendebat divortio facto, ſi moram in reddenda dote faceret. Cur dotis, quæ in pondere ac menſura conſtat, reſtitutio, annua, bima, trima die fieret. Videri idem factum in æſtimatione, ſi eam pro dote maritus redderet. De rei uxoriæ actione quæ dabatur mulieri ad repetitionem dotis. Eam inter bonæ fidei actiones fuiſſe, & locum habuiſſe ad eam dotem repetendam quæ pondere, numero ac menſura contineretur. At actio ex ſtipulatu, ad eas dotes data, quæ ſtatim exigerentur, eaque ſtricti juris fuit. Quid ſit res uxoria, & cur dos ſic appellata. Ex utraque unam feciſſe Iuſtinianum, & tempus triennii, quod habuit maritus ad dotem reddendam, quæ pondere, numero, ac menſura conſtabat, ad annum coarctaſſe. Olim veteri Iure Romano, qui dotem promiſerat, quæ in pondere, numero ac menſura conſtaret, idem ſpatium ſolvendæ habuiſſe, quod maritus poſt divortium reddendæ, nempe annua, bima, trima die. Retentiones dotis quæ à marito variis de cauſis licitæ erant, Iuſtinianum ſuſtuliſſe. Vlpianus correctus in Regulis. Quid ſit repenſatio. Moderatiores longe uſuras Romanis in uſu quam Græcis fuiſſe.

EX diſtinctione, quam ſupra attulimus, legum privatarum & publicarum apud Athenienſes & apud Romanos, cũ publicæ apud illos pœnales fuerint, nec aliorum criminum quam quorum publica volenti permitteretur accuſatio, ceteras omnes fuiſſe privatas conſtat. Earum varia nomina apud Atticos & genera, de minimis quibuſque rebus latarum, & in omnes profeſſiones & corpora. Fuere ἐμπορικοὶ νόμοι, ναυτικοὶ, γεωργικοὶ, στρατιωτικοί. Et in his quidem στρατιωτικοῖς aliquot leges erant publicæ, quarum γραφὴ fuit δημοσία, quia publico judicio de his militum delictis cognoſcebatur, eorumque perſecutio cuilibet è populo crimen exequi volenti dabatur, ut λιποστρατίου & λιποταξίου, & τοῦ ῥίψαι τὴν ἀσπίδα, adverſus deſertores, & qui ordinem non ſervarant in acie, & qui clypeum abjecerunt. In nauticis ſimiliter legibus & quaſdam fuiſſe liquet publicas, ut λιποναυτίου, & ἀναυμαχίου, & alias. Ita & in ceteris. Ἀστικῶν etiam νόμων meminit Heſychius, quas videtur ἀπὸ τῶν ἐμπορικῶν diſtinguere. Ἀστικοὶ, inquit, νόμοι οἱ κατὰ τὴν Ἀθηναίων πόλιν, ἤσαν γὰρ καὶ ἐμπορικοί. Sed fallitur. Nam ἀστικοὶ dicuntur νόμοι leges quæ non τὸ ἄστυ reſpicerent, ſed τοὺς ἀστοὺς, id eſt, cives, ut ξενικοὶ & μετοικικοὶ, quæ de advenis erant, & urbis inquilinis. Hæc enim opponuntur, ἀστὸς & μέτοικος. Inter leges μετοικικὰς fuit & δημόσιος, περὶ ἀπροστασίου. Pollux: Ἀπροστασίου δὲ κατὰ τῶν οὐ νεμόντων προστάτην μετοίκων, ἀλλ' αὐτὴ μὲν δημοσία ὥσπερ καὶ τοῦ ἐπιτροπῆς. De metœcis qui ſibi patronum non adoptaſſent. Ita & θητικοὶ νόμοι, & δουλικοὶ fuere, atque etiam ἐρανικοί, de collegiis ac ſodalibus eraniſtarum. Pollux: καὶ μὴν, καὶ ἐρανικαὶ δίκαι, καὶ νόμοι ἐρανικοὶ, καὶ κοινὸν ἐρανιστῶν. Si ulla igitur lex Athenienſibus lata unquam fuit de modo fœnori ponendo, adverſus fœneratores eum modum tranſgredientes pœnam ſimiliter continuiſſet conſtitutam, & δανειστικοὶ νόμοι hæ leges dictæ fuiſſent,

 ſent,

ſent, ut Latinis *leges fœnebres*, quartum apud Livium extat mentio lib. xxxv. Atqui nulla alia lex de uſuris legitur Athenis unquam ſancita præter eam Solonis quæ liberum fœnus permittit voluntati fœnerantium. Huic contraria ex diametro foret, quæ modum aliquem ei licentiæ, quam Solon indulſit, imponeret. Νόμος itaque ille ἰδιωτικὸς, de quo Ulpianus ad Demoſthenem ſcribit, introductum fuiſſe, ne quis multiplices caperet uſuras, ἄγραφος plane extitit, & conſuetudini, non legi ulli ſcriptæ, modum illum uſuris præſcriptum debet. Caſus tamen fuit, in quo determinavit lex Attica, quis uſuræ modus capi deberet. In dote nimirum, quæ uxori dimiſſæ à viro erat reddenda, aut ſi non redderet, uſura pendenda ejus ſummæ qua dos æſtimata eſſet. Quo melius hoc intelligatur, nonnulla ſunt dicenda de jure dotium Attico. Notum eſt, apud Athenienſes dotem dediſſe viris mulieres, aut eos à quibus nuptum dabantur. Olim in Græcia Heroum temporibus alius mos obtinuit. Nam mariti dotem dabant uxoribus. Unde ἀλφεσίβοιαι Homero dicuntur mulieres quæ magnam dotem à conjugibus erant nactæ, quia bona eorum tunc maximam partem in bucero pecore. Hinc data occaſio Scholiaſtæ veteri Euripidis, reprehendendi poëtæ ſui, quod contra morem Heroicorum temporum mulieres dote viros emere dixerit in Medea, ubi ea ſic loquitur, miſerias muliebris ſexus deplorans:

Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
Λαβεῖν.—

Ad quem locum ita illa Scholiaſtes notat: χρημάτων λέγει τῶν εἰς τὴν φερνήν. τοῦτο δ' Εὐριπίδης ἀπὸ τῆς καθ' αὐτὸν συνηθείας λέγει. οἱ δ' ἥρωες οὐχ οὕτως ἐποίουν τοὺς γάμους, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐναντίων αὐτοὶ ἐδίδοσαν, καθάπερ καὶ αὐτὸς ἐν ἄλλοις παρίστησι καὶ Ὅμηρος, Πρῶτ' ἑκατὸν βοῦς δῶκεν, ἔπειτα δὲ χίλια. ἔστι δὲ ἀναχρονισμός. οἱ γὰρ ἥρωες τοὐναντίον παρεῖχον.

χιν. Idem Euripides in Phaëthonte Tragœdia, de viro, quem magna dote redemerat uxor, cui propterea addictus ſerviebat, ita loquitur:

Ἐλεύθερος δ' ὤν, δοῦλός ἐστι τοῦ λέχους,
Πεπραμένον τὸ σῶμα τῆς φερνῆς ἔχων.

Hoc eſt, quod in re ſimili Comicus dicit,

Argentum accepi, dote imperium vendidi.

Eodem errore vel ἀναχρονισμῷ peccaverit & Virgilius, dum Didonem facit, dotem Æneæ promittentem,

Dotaleſque tuæ Tyrios permittere dextræ.

Similiter erraverit Ovidius in Epiſtola Hypſipyles ad Jaſonem, quam ita inducit ſcribentem:

Dos tibi Lemnos erit, terra invidioſa colenti,
Me quoque dotales inter habere potes.

Sic enim eum locum pridem emendavimus ex veteri ſcriptura, quæ habuit, *quod tales*, cum ſine ſenſu legatur in vulgatis, *me quoque jam tales.* Non ſolum, inquit, dos tibi erit Inſula Lemnos, cujus ſum regina, ſed me quoque non dominæ & uxoris poteris habere, ſed ancillæ loco, & inter dotales ancillas. *Dotalis ſervi* mentio apud Plautum, & apud Apuleium, & in jure noſtro. Et *res dotales* paſſim quæ in dotem dantur. Scholiaſtes Græcus notat, Euripidem aliis locis decorum ſervaſſe, de dote à viris in mulieres collata, quemadmodum fiebat Heroum ſæculo. Certe & Euſtathius ex eodem obſervat, non ſolum φερνὴν ſignificare quod mulier adfert pro dote viro, ſed & quod vir mulieri dat. Ἔτι ἰστέον καὶ ὅτι ἕδνα ἐστὶν ὅτε καὶ τὰ τοῖς ἀνδράσι διδόμενα λέγεται, ὡς πολλαχοῦ φαίνεται. οὕτω δὲ καὶ φερνή, οὐ μόνον ἡ τῆς γυναικὸς ἐκ πατέρων, ἀλλὰ καὶ ἡ τοῦ ἀνδρός, ὡς δηλοῖ καὶ αὐτὸ Εὐριπίδης ἐν τῷ, γάμων φερνὰς διδοὺς αἵμασι. Vides φερνὴν etiam vocari, τὴν παρὰ τοῦ ἀνδρὸς δόσιν, hoc eſt, dotem, qualem ſolitam à marito uxori dari, Heroicis temporibus vult ille Scholiaſtes. Utrumque tunc temporis uſitatum, ut & viri uxoribus, & uxores viris dotem darent, contra quam opinatus eſt ille criticus,

ex

ex Homero licet colligere, apud quem utraque dotis datio nomine ἕδνων appellatur. Viri ἀπερείσια ἕδνα dant puellis quas in uxores ducunt. Rurſus ἀνάεδνοι puellæ dicuntur quas patres ſine dote collocant. Ut ille apud Homerum qui Caſſandram ſibi petit ἀνάεδνον. Indicium quippe erat maximi amoris quo puellam quis proſequeretur, cum vel ſine dote eam à patre ſibi dari poſtularet. De Othryoneo, qui

Ἤτεε δὴ Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην
Κασσάνδρην ἀνάεδνον.——

Id eſt, ἄπροικον, ſine dote, διὰ τὸν πρὸς ἐκείνην ἔρωτα. At contra ἀνάεδνος ea etiam dicitur cui vir nihil dotis dat, apud eumdem Homerum. Pollux: τὴν μέντοι οὐ λαβοῦσαν ἕδνα, ὀνομάσαις ἀνάεδνον Ὁμηρικῶς. Nam ſive ἕδνα nulla acciperet à patre, ſive nulla à marito, ex æquo, ἀνάεδνος eſt. Agamemnon, Iliad. ι, in remittenda Briſeide ad Achillem, cum multa etiam ei polliceretur quibus placari poſſet, offert illi & unam ex filiabus in matrimonium, quam ἀνάεδνον duceret, id eſt, ſine dote quæ ab eo veniret, cui tamen pater ampliſſimam ſe daturum promittebat:

Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην, ἀνάεδνον ἀγέσθω
Πρὸς οἶκον Πηλῆος, ἐγὼ δ' ἐπὶ μείλια δώσω
Πολλὰ μάλ', ὅσσ' οὔπω τις ἑῇ ἐπέδωκε θυγατρί.

Ubi vides, patres in filiabus locandis etiam Heroum ævo, dotem promittere maritis. Μείλια hic vocat quæ alibi ἕδνα appellat, ut in Odyſſ. Α:

Ἂψ ἴτω εἰς μέγαρον πατρὸς μέγα δυναμένοιο,
Οἱ δὲ γάμον τεύξουσι, καὶ ἀρτυνέουσιν ἔεδνα
Πολλὰ μάλ', ὅσα ἔοικε φίλης ἐπὶ παιδὸς ἕπεσθαι.

Hinc ἐεδνωτὰς idem poëta princeps vocat τοὺς πενθερούς, τοὺς ἕδνα δόντας τοῖς γαμβροῖς. Pater nimirum puellæ etiam ἐεδνωτής, & quicunque alius præterea ex propinquis per virilem ſexum cognatione junctus. Itaque ſive profecticia dos ſit quam pater mulieris dare ſolet jure Romano, ſive adventitia quæ à quocunque alia

detur,

detur, ea ἕδνον Græcis, & ἑδνωταὶ, qui eam dant, dicunt, aut promittunt. Et recte veteres critici obſervant, apud Homerum non ſolum ἕδνα ſignificare quæ à muliere dotis nomine viro dantur, ſed etiam quæ mulieri à viro, adeo ut mutuæ donationes inter virum & uxorem nuptiarum cauſa reciprocatæ hac appellatione veniant, τὰ ὑπὸ τῶν νυμφίων ἀλλήλοις διδόμενα. Quinimmo & utrumque eodem nomine appellatum, & omnia vocabula, quibus id expreſſum, cum eadem ſignificatione, doni vel muneris. Nam quæ *dos* Latinis dicitur, ea ex Græco δὼς, quod donum vel δόσιν ſignificat. Δὼς ἀγαθὴ, ἅρπαξ δὲ κακὴ, Heſiodo. Προὶξ Homeri ætate non fuit in uſu pro dote, ut poſteris Græcis, ſed pro dono accipiebatur. Προὶξ, δωρεά. Unde & προῖκα, gratis, quod etiam adverbialiter dicitur, δωρεάν. Homerus μείλια vocat ἕδνα, quæ vir uxori donat. Ea ſunt δῶρα ex interpretatione Grammaticorum. Pollux ἕδνα interpretatur τὰ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς διδόμενα δῶρα. Grammatici docent, contractum eſſe ex ἡδανὸν, quod eſt *dulce*. Quod enim dulcius dono? Inde & μείλια appellata eadem nuptialia dona dotis nomine data, quæ ſunt μειλίγματα. Φερνὴ etiam munus vel donum, à ferendo, quæ & Æolice φερίνα. Inde φερνίον ſporta, in qua aliquid fertur. Tam id ergo quod uxor afferebat marito, quam quod maritus uxori, eodem nomine vocabatur, & donationis vel doni notionem habebat. Hinc Juſtinianus, leg. xx D. de donationibus ante nuptias: *Ideo enim & antiqui juris conditores inter donationes etiam dotes connumerant*. Sane dos ab origine, δὼς eſt, id eſt, δόσις, vel donatio. Φερνὴ dos eſt quam mulier infert. Φερνὴ quoque Euripidi, qua vir mulierem donaret nuptiarum cauſa. Unde & ἀντιφερνὴ poſterioribus Græcis appellata eſt donatio ante nuptias quæ doti reſpondebat, quaſi dos quam vir mulieri propter nuptias dabat. Proprie mutua eſt dos, non, ut viri magni cenſent, quæ datur uxori dotis nomine

vel

vel propter dotem. Sic ἀντιδωρεὰ, & ἀντίχαρις, & ἀντίδωρον pro remuneratione vel gratiæ relatione, quæ mutuam gratiam & mutua munera ſignificant, ut ἀντιφερνὴ, mutua eſt dos. Falſum eſt igitur, quod ille Euripidis vetus Scholiaſtes reprehendit in præſtantiſſimo Tragico, eum ignoraſſe morem Heroum, qui dare dotem mulieribus ſolerent, non ab his accipere, cum utrimque id fieri ſolitum ex Homero liqueat. Sed cum ambo invicem ſibi dotem ac dona vice dotis, darent, ideo mulier ea dare potius dicta eſt, & vir accipere, quia vir dominus fieret utriuſque dotis, & quam ipſi dediſſet uxor, & quam ipſe uxori, quæ & ipſa cum omnibus, quæ attulerat, bonis in poteſtatem ejus concederet. Quapropter cum divortio facto res ſuas vir & uxor ſibi habent, & auferunt, non mulier viro partem ſuam reſtituere dicitur, ſed mulieri vir, quia in poteſtate utramque dotem habuit, & ex maſſa, quod ſuum eſt, ipſe ſumere, &, quod ſuum, mulieri reddere debet. In jure tamen Attico, quo utebantur Athenienſes Euripidis ætate, non apparet, nec facile conſtat, quid viri mulieribus contulerint donationis nomine propter nuptias, vel dotis, ut etiam veteres Græci loquuti ſunt, quod reſponderet doti mulierum, quæ tunc προὶξ & φερνὴ dicebatur. An univerſa bona ex paterna & materna hæreditate, quæ in matrimonii conjunctione & conſortio communia fiebant ejus quam in uxorem ducerent, φερνῆς vel ἀντιφερνῆς nomine appellata ſunt, ut mulierum quoque φερνὴ, vel προὶξ omnia bona comprehendebat quæ in matrimonium communia utrique conjugatorum futura afferebat? De Heroum matrimoniis videndum an hoc liceat affirmare. Nam qui & conjugium ſuum expetendum mulieribus jactant, opes ſuas magna ambitione ſolent enumerare ac recenſere, quibus beare pactas ſibi puellas queant, eaque ἕδνα vocant. Unde & πολύεδνοι puellæ quæ maritos divites nactæ fuerant. Et cum divitiæ

vitiæ eorum in bubus conſiſterent, inde ἀλφεσίβοιαι mulieres, quibus viri obtigerant iis copiis opulenti. Ex parte mulierum hoc idem aſſeri poſſet, omnia quæ haberent in dotem ceſſiſſe, ſive ἐπίκληροι eſſent, hoc eſt, unicæ hæredes, ſive in dotem certam bonorum portionem viventes adhuc parentes ipſis dicerent, & conſtituerent. Rurſus aliud, quoad viros attinet, ut opinemur, ſuadet Homerus ipſe Iliad.ι. Ibi enim narrat quomodo Agamemnon ad placandum Achillem unam ex filiabus ipſi in matrimonium offerat, & ea quidem conditione ut ipſe pater filiæ ingentem dotem det, ſeptem nempe urbes ditiſſimas & ad mare ſitas, Achilles contra nihil de ſuo donet illi aut conferat dotis aut ἕδνων nomine, ſed ἀνάεδνον ducat. Ex quibus colligere eſt, non omnia bona in dotem dediſſe tunc mulieribus viros, neque etiam certe mulieres viris. Nam & hæ plurima extra dotem ſibi ſolebant reſervare, vel illi qui eas elocabant parentes, quique dotem dabant. Ἐξώπροικα Græci recentiores vocarunt, & παράφερνα, Galli *peculium*, ut habetur apud Ulpianum leg. IX D. de jure dotium. Ubi notant doctiſſimi Juriſconſulti Gallorum, eam vocem eſſe antiquam, ut *combenna*, *petoritum*, & *alauda*. Sed falluntur egregie. Pura puta vox Latina, quam Galli eo ſenſu uſurparunt de rebus mulieris peculiaribus, quæ extra dotem eſſe, atque ad uſum ſuum in domo mariti propria ſe habere vellent. Exempli gratia, ex jure Attico, apud Demoſthenem, cum pater ejus teſtamento uxorem amico ducendam reliquiſſet, cum dote, quam ipſi conſtituerat, octoginta minarum, præter dotem, domum ipſi aſſignavit habitandam, æſtimatam tribus millibus drachmarum, præterea aurum, veſtes, & mundum muliebrem, aliaque vaſa, pretio omnia taxata decem millium drachmarum. Hæc omnia, χρυσὸς, ἐκπώματα, κόσμος γυναικεῖος, extra dotem, & ἐξώπροικα, nec in dote computanda. Idem moris fuiſſe

Heroum

Heroum ævo vetuſtiſſimi critici fidem faciunt. Nam quidam ex his ἐπιμείλια apud Homerum legebant eo verſu, quem ſupra citavimus, ἐπιμείλια δώσω, ac de paraphernis intelligebant, Agamemnonem nimirum præter dotem promittere inſuper luculenta ἐπιμείλια, hoc eſt, ſeptem urbes quæ ibi memorantur. Euſtathius: Ἀρίσταρχος ἐν μέρει λόγου λαμβάνει, τὸ ἐπιμείλια, ὡς τὸ ἐπιφέρνια. Ubi ἐπιφέρνια ſunt quæ recentiores παράφερνα, quæ ad dotem, hoc eſt, præter & extra dotem dantur, ἐπὶ προικί. Qui de dote ipſa accipiendum Homeri locum voluere, ut Apollodorus, diviſim legerunt, ἐπὶ μείλια δώσω. Nam μείλια dona in dotem data, ἐπιμείλια, ſupra dotem. Grammatici: Μείλια, τὰ προικῷα πράγματα. ἐπιμείλια, τὰ ἐξωπροικα. Sed verior Apollodori lectio. Ita enim Homero, ἐπὶ χλωρηΐδα νῶτα, ἐπὶ ἦρα φέρουσα, ἐπὶ ζαμβρὲς κηλίουσα. Præterea verbum ἐπιδιδόναι de dote quæ datur, Atticis, ut proprium, uſurpatum, & ἐπίδοσις προικὸς, dotis datio. Quin & ſequens verſus ita legi debere in præcedente, oſtendit:

— Ἐγὼ δ᾽ ἐπὶ μείλια δώσω

Πολλὰ μάλ᾽ ὅσσ᾽ οὔπω τις ἑῇ ἐπέδωκε γυναικί.

Heroico ergo ſæculo idem circa viros obſervatum, ut circa mulieres, in mutuis dandis dotibus, Homerus idoneus teſtis eſt. Cujus moris in jure Attico quantum ex ſcriptis oratorum, & comœdia priſca ac nova conjectare eſt, nullum veſtigium reperio. Dona quædam poſt nuptias & ante nuptias à ſponſis in ſponſas collata invenio, ſed quæ nihil ad dotem illam mutuam virorum ſive ἀντίφερνον pertineant. Ὀπτήρια dicebantur, quæ ſponſus ſponſæ dabat ἀνακαλυπτηρίων die, qui tertius à nuptiis, cum ſponſa ſe videndam præberet, & in publicum prodiret, quorum mos uſque ad infima Græciæ tempora manſit ſub θεωρήτρου nomine. Fuere & ἐπαύλια quæ pater ſponſi novæ maritæ cum magna pompa ferenda dabat poſtridie nuptiarum, eo nomine,

nomine, quod in domo ſponſi manſiſſet. Eodem die & alia ipſe novus maritus ſponſæ offerebat, quaſi ob pretium virginitatis cujus ſpolia proxime præterita nocte retulerat, quæ Comici Græci διαπαρθένια vocant, τὰ ὑπὲρ τοῦ τὴν παρθενίαν ἀφελέσθαι. Hoc Germanorum eſt *morgengaba*, non ὑπόβολον, ut perperam Cujacius & poſt eum multi exiſtimarunt. Quæ pluribus exequeremur, ſi hoc ageremus. Uno verbo dici poteſt, ut non una cauſa *hypoboli* & *morgengabæ* fuit, ita & diverſum utriuſque muneris dandi fuiſſe tempus. Illud ante nuptias, hæc poſt dari ſolebat, & ex diverſa utrumque cauſa. Fatendum tamen eſt, utramque donationis ſpeciem, licet cauſa & tempore ab origine diſparem, in parem poſtea cecidiſſe donandi propter nuptias legem, ſive nuptias antecederet, ſive ſubſequeretur. Et ſciendum eſt præterea, per hujuſmodi munera, quæ vel ante, vel poſt nuptias aliqua ex cauſa mariti uxoribus dabant, dotem dare eos creditos. Nam, ut ante notabamus, *dos* nihil aliud quam donum vel munus. Omnia etiam vocabula, quæ Græci habent ad dotem ſignificandam, ſive quam viri mulieribus, ſive quam mulieres viris dabant, non alia cenſentur notione. Tacitus, de moribus Germanorum dotem dari non ab uxore marito, ſed à marito uxori, refert. *Dotem*, inquit, *non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant; munera non ad delicias quæſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves ac frænatũ equum, cum framea gladioque.* Non dicit, quibus in rebus dos uxori à marito offerri ſolita conſtiterit. Ita hæc concepit, quaſi vellet munera illa dotis vicem fuiſſe, nec eſſe à dote diſcernenda. Aliud tamen videntur ſuadere quæ ſequuntur: *Atque invicem ipſa armorum aliquid viro affert.* Nam, ſi ea munera, quæ vir affert, dotis locum habent, & ea, quæ dat mulier viro, eſſent pro dote accipienda. Ait tamen ibidem: *In*

 hac

hac munera uxor accipitur. Quaſi hæc dos fuerit, in quam mulier acciperetur. Atque idem porro mos de dote uxoribus danda, Gothorum, VViſigothorum, Longobardorum, Francorum, aliorumque populorum qui imperium Romanum poſtea invaſerunt, ut leges eorum oſtendunt. Legibus VViſigothorum dotis titulo non poterat maritus plus uxori conſtituere ac conferre quam decimam partem bonorum. Longobardis quartam licebat dare, quam dotem ſive donationem propter nuptias vocabant *morgengabam*, hoc eſt, donum matutinale. Græcis recentioribus ὑπόβολον dicebatur. Lege Salica maritus ſimiliter dotem uxori dicere ſolebat. Hinc in Formulis Marculfi, *Libellus dotis*, quam uxori vir dabat. Et variæ eorum libellorum formulæ ibi proponuntur. Nec mobilia ſolum, ſed immobilia, in dotem conſtituebantur. Sic *dotem* vocat Apollonii Tyrii hiſtoria τὰ ἕδνα ac munera quæ proci promitterent puellis: *Sed ne videar vos ſæpius differre, ſcribite in codicillis nomina veſtra, & dotis quantitatem.* Vetuſtiſſimus hic mos fuit, & omnium fere gentium. Nam & Geneſ. xxxiv, cum Sychem peteret in uxorem Dinam Jacobi filiam, quam vitiaverat, ſe tantum dotis eſſe daturum pollicetur, quantum patri placeret. Vocat מהר ומתן, *dotem & donum*. Septuaginta utrumque φερνῆς nomine complexi ſunt, πληθύνατε τὴν φερνήν. Arabes etiam مهر *mahar* dotem vocant, & omne donum, quod ſtatim ſolvitur ac repræſentatur. Hinc alter interpres pro *mahar* vertit نقد, quod aliquando numeratam pecuniam ſignificat. Certe pretium, cujus ſolutio non differtur, ſic vocant. Nam & origo verbi Hebraici celeritatem, & feſtinationem deſignat. Sed hæc alibi. Dos igitur à viris mulieri donanda, res antiquiſſima, & omnium pæne ſæculorum. Doti Heroicæ atque etiam Hebraicæ & barbaricæ, quam viri dabant

mulieri, aut eorum nomine quorum erant in poteſtate, ut pater Hæmoni apud Euripidem, maxime ſimilis fuit *donatio ante nuptias* appellata in jure Romano ſub medii ævi Imperatoribus, quam Juſtinianus *propter nuptias* vocandam ſtatuit. Ea plane ἀντίφερνη, vel ἀντίφερνον, ut etiam ipſe vocat Juſtinianus, leg. xx Cod. quo ſupra. Græci Juriſconſulti προγαμιαίαν δωρεὰν appellant. Apud antiquiores Juriſconſultos, qui ſub prioribus Imperatoribus vixerunt, nulla hujus extat mentio. Ideo & in Digeſtis nullus de ea titulus. Non fuiſſe porro tunc in uſu, necdum formam accepiſſe qualem habuit poſteriorum principum ævo, vel ex eo, quod jam dicam, manifeſtum eſt. Ulpianus in Regulis ſcribit, virum propter mores mulieris graviores, hoc eſt, adulterium, ſextam partem dotis ejus retinuiſſe. Si tunc donatio ante nuptias vigorem ex lege obtinuiſſet, ſimiliter & mulier, ut mariti mores graviores eo modo puniret, retinere debuiſſet aliquam partem donationis ante nuptias. Hoc non factum. Quid igitur? In ea dote, quæ in diem reddenda erat, præſentem, pœnæ cauſa, debuit reddere. Quæ vero præſens reſtitui debebat, tantum ex fructibus cum ea reddebat quantum quadriennii reditus ejus dotis valebant. Nulla igitur tunc donatio ante nuptias nota. Ex conſuetudine primum originem habuit, deinde, inveterato uſu aucta & firmata, tandem legibus Imperatorum ad eum modum formamq; reducta eſt, quam ſub extremo imperio habuit, non ſemper eodem ſtatu ac nomine, ſed vario, pro principum libidine. Semper moris fuit, ut in ſponſalitiis ſponſus annulum ſponſæ daret, quaſi futurarum nuptiarum pignus & arram. Inde *arræ ſponſalitiæ* appellatæ. Annulus ille ὑπόβολον Græcis, hoc eſt, pignus, appellatum. Omne quippe pignus, quod datur alicui ad fidem faciendam, eique veluti ſupponitur, dictum eſt ὑπόβολον, de quo in ſequentibus. Qui ſe volebant commendare majore erga ſpon-

ſam liberalitate, ut amorem ſuum teſtificarentur, præter annulum & alia monilia magni pretii dabant, quæ puellis grata eſſe noverant. Sed & veſtes auratæ, variæque gemmæ, & ãlia pretioſa, *Sponſaliorum* nomine data, eodem accedebant, quæ ad mundum muliebrem ſpectarent. Hinc Tacitus, cum munera, quæ dare ſolebant Germani ſuis ſponſis, diverſa eſſe notaret ab his quæ Romani darent, ita ſcribit: *Munera non ad delicias muliebres quaſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves & frenatum equum.* Ergo dotem ab illis muneribus plane diſtinxit, cum tamen plerique doctorum velint, dotem & munera apud eum rem eamdem eſſe. Sic in Geneſi δῶρον & φερνὴ diverſa, מתן & מהר, cum utrumque à marito daretur. Dos apud Germanos, quam vir dabat, in agris, ſi forte, conſiſtebat. Ea omnia munera ὑποβόλου appellatione venerunt. Πρὸ γάμου δῶρα, vel unica voce, προγάμεια Græci vocitant. Pollux: ἡ δὲ πρὸ γάμου θυσία, προτέλεια καὶ προγάμεια. Οὕτω δ' ἂν καλοῖτο καὶ τὰ πρὸ γάμου δῶρα. Quidam & majoris affectus erga ſponſam teſtandi gratia, non mobilia ſolum, ſed etiam immobilia ac res ſoli, donabant. Hæ donationes ut voluntariæ primo, ita nec omnium. Mox, cum pluribus frequentarentur, ex more jus factum, & in ſtipulationem etiam deductæ. Nam puduit pleroſque, cum exempla extarent eorum qui præiverant ad bene merendum de ſponſis ſuis, non ſequi jam ſectum tramitem, ne viderentur minus ſuas amare quam qui hujuſmodi donationibus amoris ſui magnitudinem oſtendiſſent. Conſuetudinem nondum ſatis firmam, & plerumque ex hac inſtabilitate litium cauſas ferentem, placuit principibus lege adſtringere, & omnibus communem facere, modumque earum definire, plenamq; formam his imponere. Quæ antea πρὸ γάμου δῶρα, & Caro leg. VII Cod. de donationibus *ante nuptias munera* vocantur, quæq; in annulo & monilibus mobilibuſque aliis ὑποβόλου nomi-

nomine conſiſtebant, tranſierunt cum eadem *hy-poboli* appellatione in nomen donationum ante nuptias. Sidonio Apollinari *ſponſalicia donatio*, quæ eadem cum ante nuptias donatione, & ſcriptum de his inſtrumentum *hypobolicum*. Ita enim ſcribendum, non *hyperbolicum*, quamlibet libri ſcripti hoc mordicus retineant. Circa hujus Sidonii tempora Anthemius ita jura earum donationum ſponſaliciarum ordinavit, ut, quantum ex dote lucraretur maritus, tantum mulierem ex donatione ante nuptias lucrari decerneret, non eadem quantitate, ſed proportione. Nondum enim jus erat, dotibus exæquari donationes ante nuptias, quod poſtea conſtituit Juſtinianus. Ergo, ſi quacunque ſumma in pactionem dos, & donatio ante nuptias deductæ forent, etſi impares eſſent, non parem pecuniæ numerum, ſed parem partem totius ſummæ lucro alterius, qui ſuperſtes foret, ceſſuram ſanxit. Ut vera æqualitas eſſet, non in quoto tantum, ſed etiam in quanto, Juſtinianus ſtatuit ut cum dote ſemper pariaret ante nuptias donatio, & alia more ſuo innovavit, circa has donationes. Quam prudenter, viderint Juris prudentiores. Nimia quippe æqualitate nihil interdum iniquius. Non diu duravit in eodem ſtatu hæc donationum ratio, ſed in aliud genus degeneravit cum eodem ὑποβόλου nomine apud poſteriores Imperatores. Ὑπόβολον vocarunt, non augmentum dotis, ut placere video doctiſſimis Juriſconſultis, ſed eamdem plane rem quæ Gallis *doarii*, hoc eſt, *dotarii* nomine nuncupatur. Nec dubito quin Galli noſtri ex imperio Conſtantinopolitano per expeditiones tranſmarinas belli ſacri eum morem dotariorum ad ſua revexerint. Ad conſtituendum in bona viri tale mulieri hypobolum ratio habebatur quantitatis ipſius dotis quam mulier afferebat. Si nongentos aureos in dote haberet, hypobolum in trecentis conſtituebatur, ut conſtat ex libro cui titulus, Μικρὸν κατὰ στοιχεῖον. οἷον, inquit,

inquit, ἂν μία λίτρα ὑπάρχῃ ἡ προῖξ, τὸ τρίτον τῆς λίτρας, ὅπερ ἐστὶν νομίσματα κδʹ, καὶ τοῦτο μὲν παρὰ τοῖς νέοις ὡς ἄρτι κρατεῖ, παρὰ δὲ τοῖς παλαιοῖς τὸ ὑπόβολον ἕως τοῦ ἡμίσεως τῆς προικὸς ἐψηφίζετο. Apud eumdem Μικροῦ auctorem τὸ ὑπόβολον non ſtatim confirmari poſt nuptias dicitur, ſed locum tantum habere ſi vir prior deceſſerit. Quod plane noſtris *dotariis* convenit. De his hypobolis etiam conventum pactum fiebat in inſtrumentis nuptialibus, ut tertia pars bonorum, quæ vir in communionem contuliſſet, hypobolo cederet, mulieri poſt mortem viri tradendo. Formularium Notariorum Græcum in inſtrumento dotali: Εἰ δὲ οὗτος πρὸ αὐτῆς ἄπαις καὶ ἀδιάθετος φθάσῃ ἀποθανεῖν, ἵνα λαμβάνῃ αὕτη χάριν ὑποβολοθεωρήτρου αὐτῆς τὸ τρίτον τῆς ἐπιδοθείσης αὐτῷ μερίδος ἐκ γονικῆς κληρουχίας. In alio exemplo ſcriptum eſt, τὸ τρίτον τῆς ἀδελφικῆς αὐτοῦ μερίδος. Hodie in Gallia non tertiam partem, ſed dimidiam, hoc tale hypobolum occupat bonorum quæ viri propria dicuntur, & hoc *dotarium* vocatur *conſuetudinarium*, ut diſtinguatur à *præfixo*, quod vocant, certa conſtituta pecuniæ quantitate hypoboli nomine, quam poſt mortem viri mulier accipit ab ejus hæredibus una cum dote. Quod genus hypoboli etiam Græcis iiſdem infimi imperii notum fuit. Nam certe olim hypobolum idem plane erat, cum donatione ante nuptias, quæ aut dotem exæquabat, aut pro portione dotis in certam ejus partem à marito dari debebat & in commune conferri. Unde & ὑπόβολον dictum Græci recentiores argutantur, ἀπὸ τοῦ ὑποβάλλειν, quia tantum pro pactione dotis inferre teneretur, & ſubjicere bonorum communitati. Sed hoc hypobolum poſtea abolitum, & tranſiit in formam moremque *dotarii* vulgo vocati. Quæ certa, ut dixi, ſumma eſt, quam vir ex bonis ſuis conſtituit propriam mulieri futuram ſi prior ipſe deceſſerit. Hanc differentiam Balſamo explicavit ad Nomocanonem Photii, Tit. XIII, de

Laicis. Τὸ παλαιὸν, inquit, οὐκ ἀπὸ συμφώνου ἐδίδοτο τὸ ὑπόβολον, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ νόμου. Εἴ τι γὰρ ἡ γυνὴ ἐδίδου χάριν προικὸς, τοσοῦτον καὶ ὁ ἀνὴρ εἰς τὴν κοινὴν περιουσίαν ἀναγκάζεται, ὅθεν καὶ ὑπόβολον ὠνομάσθη. Τοῦτο δὲ ἀνῃρέθη, καὶ σήμερον τοιοῦτον ὑπόβολον ὁ ἀνὴρ οὐ δίδωσιν, ἀλλ' ἀπὸ συμφώνου δίδωσί τι μέρος ὅσον συμφωνήσῃ ἐκ περιλαβούσης τῇ γυναικί. Utrumque genus hypoboli confudit Harmenopulus lib. IV, cap. X. Ad hoc ultimum genus pertinet quod dixit, ὅτι τὸ ὑπόβολον οὐ μετὰ τὸν γάμον αὐτίκα κυροῦται, ἀλλὰ δεῖ τὸν ἄνδρα θανάτῳ προαπελθεῖν τῆς γυναικὸς, καὶ οὕτω τοῦτο λαβεῖν ἀποσώζειν. Quæ in prima parte capitis leguntur, ad aliam ſpeciem ſpectant hypoboli, quod idem eſt cum donatione ante nuptias. Atque ita vocatum vult, quod quaſi doti ſupponatur, tanquam minus dote. Quæ mera ſunt nugamenta. Nam ὑπόβολον dictum eſt unde ſupra diximus. Notandum porro, ὑποβολοθεώρετρον juncto nomine in ea Inſtrumenti formula vocari, cum diſtincta fuerint θεώρετρον & ὑπόβολον. Nam viduæ ὑπόβολον tantum accipiebant, virgines ὑπόβολον & θεώρετρον, quod ultimum ob pretium virginitatis ipſis competebat. Quod ad ante nuptias donationem attinet, vel dotem quam mariti uxoribus Heroicis temporibus dabant, non magis eam apud Atticos in uſu fuiſſe quam apud Romanos prioribus reipublicæ & imperii ſæculis, certum eſt. In Atticis ſcriptoribus mentio fit tantum προικὸς, id eſt, dotis, quam mulieris nomine dabant, qui vel ex lege, vel ex conſanguinitate id præſtare debebant, ejuſque κύριοι audiebant. Hæc dos, ut eo revertamur unde digreſſi ſumus, cum reſtituenda erat à marito poſt divortium, niſi ſtatim reſtitueretur, uſuras ejus pendebat, quarum modum lex definierat ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς. Hujus legis mentio extat in ea contra Neæram Demoſthenis: κατὰ τὸν νόμον, ὃς κελεύει, ἐὰν ἀποπέμπῃ τις τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν. *Si quis uxorem dimittat, dotem reddito: ſi non reddat,*

uſuras pendito in novem obolos. Docuimus jam ante, minimam uſuram Athenis tũ habitam quæ ἐπὶ δραχμῇ vocabatur, quæ dat in menſem in minam drachmas ſingulas, hoc eſt, duodecim denarios in centũ annuos. Dimidio major eſt quæ novem obolos reddet menſtruos, hoc eſt, drachmam unam cum dimidia, quæ ſeſquicenteſima eſt Latinorum. Doctiſſimus vir, qui luculentum commentarium ad leges Atticas ſcripſit, id intelligendum eſſe notat de minima dote, quæ erat centum quinquaginta drachmarum, quantam præcipit dandam ταῖς θήσσαις à Zygitis Solon. Nam luculentiores, inquit, dotes majus etiam pro rata fœnus dabant. Mira prorſus hæc ſunt, & quæ viro tam ſolide docto excidiſſe nollem. Quaſi uſura, quæ ἐπὶ δραχμῇ appellatur, non detur intelligenda de alia capitis ſumma quam centum drachmarum. Quod idem eſt, ac ſi quis pertenderet, uſuram, quam vocamus *quinque in centum*, non aliter eſſe accipiendam, nec de alia, quam quæ pro ſorte centum aureorum præſtaretur annua. Hoc ridiculum eſt. Quantamcunque ſummam in ſorte imagineris, ſi pro eo pendas duodecim in centum drachmas annuas, ratione unius drachmæ ſingulis menſibus præſtandæ, ea uſura ἐπὶ δραχμῇ dicetur. Nam ſi in ſorte fuerint mille cum ducentis drachmæ, uſura, quæ reddet duodecim drachmas quot menſibus, & in annum centum & quadraginta quattuor, ſimiliter ἐπὶ δραχμῇ τόκος appellabitur. Idem erit in uſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς dicta. Quis non videt, eamdem proportionem & in omnibus aliis uſurarum modis quamlibet magnis ſervari debere? Vitioſiſſima igitur ratiocinatio, qua vir doctus liquere vult, minimam dotem fuiſſe tres ſeſquiminas, ſive centum quinquaginta drachmas. Verum quidem eſt, minimam dotem quam ὁ ζυγίτης genere propinquus, orbæ & inopi puellæ, quæ θῆσσα erat, dare debuit lege Solonis, ſi eamdem in uxorem nollet ducere, non exceſſiſſe centum quinquaginta drachmas.

drachmas.

drachmas. Harpocration: Ἐπάναγκες δὲ τοῖς ἔγγιστα γένους, τὰς θήσσας ἢ λαμβάνειν πρὸς γάμον, ἢ πέντε μνᾶς διδόναι, ὡς καὶ Ποσείδιππός που ὁ Κωμικός φησι. Sed hoc de ditioribus genere proximis, quales cēſum haberent quo πεντακοσιομέδιμνοι dicebantur. Hi inopibus puellis & dote illocabilibus, quæ θῆσσαι eſſent, ſi modo cognatæ quoque, quingentas drachmas dotis dare tenebantur, trecentas Equites, οἱ ζευγῖται, qui minimus cenſus fuit, centum quinquaginta, hoc eſt, ſeſquiminam. Error igitur calculi eſt, cum vir ille doctus, dotem minimam fuiſſe dicit tres ſeſquiminas, ſive centum quinquaginta drachmas. Nam tres ſeſquiminæ idem valent quod quadringentæ quinquaginta minæ. Sed hoc puſillum eſt peccatum. Etiam ſi ergo certum ſit, minimum dotis modum eum eſſe quem diximus, male tamen, ex eo id colligi poſſe putavit, quod lex jubebat, dotem non reddentem poſt divortium, pendere ejus uſuras ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, ac de hujus minimæ dotis modo debere intelligi. Hæc enim uſura æque locum habet in maxima dote quam orbæ dabant ditiſſimi, quæ fuit quinq; minarum. Quarum fœnus ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς ſexaginta drachmas annuás conficiebat. Peſſime idem verba Demoſthenis accepit, in prima contra Aphobum, ubi legis hujus meminit ad hunc modum, μὴ γήμαντος δ' αὐτοῦ τὴν μητέρα ἐμὴν, ὁ μὲν νόμος κελεύει τὴν προῖκα ὀφείλειν ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, ἐγὼ δ' ἐπὶ δραχμῇ τίθημι. Aphobus ille, contra quem agit Demoſthenes, teſtamento patris ejus, uxorem accipere rogatus fuerat Demoſthenis matrem, cum dote octoginta minarum. Dotis ſummam acceperat ex teſtamento, uxorem non duxerat, & dote illa fruebatur jam per annos duodecim. Debitor illius ſummæ erat Demoſtheni Aphobus, & uſuræ præterea duodecim annorum, qualem in dotibus, quas retinebat maritus, lex admittebat, ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς. Pono, inquit Demoſthenes, vel magis modicam mihi à te uſuram deberi, & pro τῶ

ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς teneri tantum præſtare τὸ ἐπὶ δραχμῇ τόκον. Si quis & ſortem octoginta minarum, & uſuram ejus ſummæ computet duodecim annorum, conficient, inquit, maxime tria talenta. Γίγνεται δὲ, ἄν τις συντεθῇ τό, τε ἀρχαῖον, καὶ τὸ τῶν δώδεκα ἐτῶν, μάλιστα τρία τάλαντα. Deeſt vox quæ omnino reponenda eſt, καὶ τὸ τῶν δώδεκα ἐτῶν ἔργον, *& uſura duodecim annorum*. Vir ille, quem dixi, eruditus, hunc locum exponens, ad illam minimam ſuam dotem centum quinquaginta drachmarum quaſi ad ſcopulum hæſit. *Demoſthenes*, inquit, *de jure ſuo decedens, has centum quinquaginta drachmas nonniſi unam drachmam vult parere.* Hoc falſiſſimum eſt. Nam centum quinquaginta drachmæ, uſura quam ἐπὶ δραχμῇ appellat Demoſthenes, pariunt drachmam cum dimidia menſtruam, hoc eſt, decem & octo drachmas annuas. At uſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς ex ſorte centum quinquaginta drachmarum annuas dat drachmas viginti ſeptem. Hoc falſo ratiocinio inductus, non mirum, ſi bene calculum ponere non potuit in computanda ſumma ſortis & uſurarum quam ſibi ab Aphobo deberi intendit Demoſthenes. *Verum*, inquit, *non eſt de fœnore & ſorte octoginta minarum, tot enim minarum dos erat; quoquo te vertas modo. Itaque & his domus ſua obventionem, quam locare tenebatur Aphobus tutor Demoſtheni teſtamento datus, adjungere neceſſe eſt, ut ſua his conſtat oratoris verbis auctoritas.* Sedeamus ad calculos, ac videamus, an ipſe recte eam rationē putaverit. Nam bene ſubducta ſumma, niſi fallor ipſe, inveniemus, etiam ſi non cōputetur pretium domus, fœnus & ſortem octoginta minarum majorem numerū datura, quam eum qui à Demoſthene ponitur. Octoginta minæ ſortis fœneratæ ſub uſura ἐπὶ δραχμῇ, quam in dote matris ſe tantum exigere ponit Demoſthenes, quod erat fœnus Athenis moderatiſſimum, pariunt ſingulis annis drachmas nongentas ſexaginta ſex. In duodecim annos ex hac uſura

redibunt drachmarum undecim millia quingenta ac viginti. Si cum ſorte jungantur octoginta minarum, quæ octo millia drachmarum efficiunt, exibunt novemdecim millia drachmarum cum quingentis. Quæ ſi ad rationem talentorum ſubducantur, habebis tria talenta, & mille quingentas drachmas. Atqui tria tantum talenta ex uſuris cum ſorte junctis effici dicit ibidem Demoſthenes. Notandum tamen, non τρία τάλαντα ſimpliciter eum dicere, ſed μάλιστα τρία τάλαντα. Per illud μάλιστα ſummam excurrentem denotavit, cum rotundum tantum numerum voluerit deſignare. Nam certe meminit tantum eo loco orator ſummæ ſortis octoginta minarum, cujus uſuræ junctæ cum capite duodecim annorum eam ſummam redderent. Quid igitur opus, aliam ſuper hanc ſummam addere, ut tria habeamus talenta, cum abſque domus computatione plus etiam reperiamus? Quod ſi domus etiam reditum ex penſione adjunxeris, tanto major exurget ſumma quæ ſupra numerum à Rhetore poſitum excurret trium talentorum. Domus enim illa, ut ibidem narrat Demoſthenes, æſtimata fuit tribus millibus drachmarum, quæ annuas reddunt trecentas ſexaginta drachmas. Hæ in duodecim annos colligent quattuor millia trecentas viginti drachmas, quæ adplicatæ ad novemdecim millia drachmarum cum quingentis, fere quattuor talenta componunt, octoginta tantum drachmis minus. Sed pone, non tantum potuiſſe ex ejus penſione colligi quantum ſors faceret pecuniæ numeratæ qua domus erat æſtimata. Nam certe non tantum reddunt ædium locatarum penſiones. Quippe ex Iſæo περὶ τοῦ Ἀγνίου κλήρου conſtat, Athenis tum domum æſtimatam vel emptam tribus millibus drachmarum & quingentis, locari vulgo ſolere in annum trecentis drachmis. Quæ paulo minor eſt merces quam uſura pecuniæ numeratæ, & fœneratæ τόκου ἐπιδεκάτου. De binis ædibus ibi loquitur, una empta

empta tribus drachmarum millibus, altera quingentis, quæ non plus mercedis ex penſione redderent annua, quam tres minas. Utcunque ſit, ex viri docti calculo ne ad tria quidem talenta aſcendere potuit ea quam inſtituit ſupputatio, quæ in noſtra ſuperat, etiam ſi quis domus penſiones non addat. Eſto, hoc illi inciderit ex eo errore, quo putavit, centum quinquaginta drachmas ſtatum eſſe modum minimæ dotis, in qua proprie locum haberet uſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς appellata, & quo perperam ſibi perſuaſit, in dote matris Demoſthenis centum & quinquaginta drachmas unam tantum drachmam ſingulis menſibus parere. Saltem debuerat cogitare, dotem illam, quæ eſt octoginta minarum, non fuiſſe de minimis, nec eſſe comparandam cum illa, quam minimam dicit, centum quinquaginta drachmarum. Et tamen in illa magna dote uſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς æque locum habuit atque in minima. Non poteſt excogitari hallucinatio major in re aperta, & facili, quã hæc eſt. Μάλιστα τρία τάλαντα apud Demoſthenem ſunt decem talenta, & quod excurrit. Contra, ſi dixiſſet, ὁμοῦ τρία τάλαντα, aliquid deeſſet ad ſummam trium talentorum. Ita loquuntur Attici ſcriptores. Idem Demoſthenes in eadem contra Aphobum: ταύτας τοίνυν τὰς ἔχει τὰς τριάκοντα μνᾶς ἀπὸ τοῦ ἐργαστηρίου, καὶ τὸ ἔργον ὀκτὼ ἐτῶν, ὃ ἐὰν ἐπὶ δραχμῇ τις θῇ μόνον, ἄλλας ὁμοῦ τριάκοντα μνᾶς εὑρήσει. *Has habet triginta minas ex officina, & earum fœnus octo annorum. quod ſi quis ponat fuiſſe vel in drachmam ſolam, alias triginta minas inveniet confectas.* Pro minima igitur uſura ex his quæ tum ordinariæ, ponit centeſimam, quæ ἐπὶ δραχμῇ dicebatur. Ait Demoſthenes, hujuſmodi uſuram intra octo annos ex triginta minis ſortis, triginta minas lucri efficere, hoc eſt, ſortem adæquare. Ducentis vicenis drachmis minus invenio, hoc eſt, duabus minis ac viginti drachmis. Nam mina duodecim drachmas annuas parit, in centeſimæ fœnore.

Triginta

Triginta ergo minæ pariunt annuas drachmas trecen-
tas ſexagenas. Quæ ſi per octo multiplicentur, effi-
cient drachmas duo millia octingentas, quæ ſunt mi-
næ viginti octo, & octoginta drachmæ, non autem tri-
ginta minæ. Quia autem ſingulis mẽſibus ſolvebantur
uſuræ, in octaeteride, tres menſes ἐμβόλιμοι intercala-
bantur. Anno enim utebantur ſolari, menſibus autem
lunaribus, ut Geminus teſtatur, quod nos alibi pluri-
bus adſtruemus. Pro tribus illis menſibus intercala-
ribus computandæ veniunt minæ in octomeſtri ſpa-
tio nonaginta. Nam ſingulæ minæ ſingulis menſibus
drachmam dant. Triginta minæ in tres menſes da-
bunt nonaginta drachmas, quas ſi addideris duobus
illis millibus drachmarum octingentis & octoginta,
occurrent tibi drachmæ duo millia nongentæ ac ſe-
ptuaginta, hoc eſt, viginti & novem minæ cum ſeptua-
ginta drachmis. Ne triginta minæ ſint, triginta mo-
do drachmæ obſtant. Tantula ſumma non potuit pro-
hibere oratorem, quin rotundas integras triginta nu-
meraret minas. Immo ſi quis recte capiat Demoſthe-
nis verba, non triginta minas præciſe eum dixiſſe re-
periet, ſed fere triginta; ἄλλας ὁμοῦ τριάκοντα μνᾶς εὑρήσ.
Alias fere triginta minas inveniet. Ita enim Attici il-
lud ὁμοῦ ſumebant pro *fere*, & *propemodum*. Idem De-
moſthenes, in ea contra Ariſtogitonem: εἰσὶν ὁμοῦ δισ-
μύριοι Ἀθηναῖοι, id eſt, ἐγγὺς δισμυρίων. Non enim erant
δισμύριοι, ſed circiter viginti millia. Sic τοῦ τίκτειν ὁμοῦ
mulier eſſe dicitur, quæ vicina eſt partui, non in ipſo
pariendi articulo. Menander: — Ἤδη γὰρ ἐστι τοῦ τίκτειν
ὁμοῦ. *Iam enim illa prope partum eſt*. Ergo ὁμοῦ eſt *prope*.
Nam & ἐγγὺς τοῦ τίκτειν, de ea quæ prope partum eſt,
Græci ceteri dicunt, ut Attici, ὁμοῦ τοῦ τίκτειν. Artemi-
dorus lib. v: Ἔδοξέ τις γυνὴ νοσοῦσα κύειν, ἤδη τε ὠδίνειν,
καὶ ἐγγὺς τοῦ τίκτειν εἶναι. Sicut ὁμοῦ quod deficit ſignifi-
cat, ita μάλιστα quod ſuperſit, quo minus integra ſit ac
rotunda. Viri autem optimi & præſtantiſſimi error ex
eo

eo ipſi objectus eſt, quod imaginatus ſit, uſuræ ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς ſortem eſſe legitimam centum ac quinquaginta drachmas, hoc eſt, minam cum dimidia. Quæ ſumma fœnore poſita quod ἐπὶ δραχμῇ dicitur, reddet ſingulis menſibus ἐννέα ὀβολοὺς, hoc eſt, drachmam cum dimidia. Hoc modo nihil differret uſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, & uſura ἐπὶ δραχμῇ. Atqui aperte eas diſtinguit Demoſthenes in dote matris repoſcenda, ubi dicit, ſi de jure ſuo nihil remitteret, poſſe eam repetere cum uſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, quam lex in uſuris, quas maritus pro dote non reddita pendebat, permitteret, ſed contentum ſe eſſe uſura ἐπὶ δραχμῇ. Extat exemplum apud Iſæum hujus uſuræ ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς. Non enim ſolum in dotibus pervulgata tunc erat, quas mariti retinerent, ſed etiam communiter uſitata in aliis contractibus uſurariis. Cum leviſſima eſſet omnium uſurarum quæ apud Athenienſes tum temporis erant notæ, quæ ἐπὶ δραχμῇ dicebatur, ὁ τόκος ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, una fuit de mediocribus atque inter maximas minimaſque media. Verba hæc Iſæi oratione περὶ τοῦ Ἀγνίου κλήρου: χρέα δὲ ἐπὶ τόκοις ὀφειλόμενα περὶ τετρακισχιλίας, ὧν τὸ ἔργον ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι δραχμαί. Drachmarum quattuor millia reddunt quotannis fœnore ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, ſeptingentas & viginti drachmas, quæ ſub uſura ἐπὶ δραχμῇ, redderent tantum quadringentas octoginta drachmas. Budæus in libro de aſſe hoc exemplum vult eſſe τόκου ἐφέκτου, quam uſuram *ſupraſextam* perperam indigetat. Atqui non bene ex toto res convenit. Ἔφεκτος τόκος ſignificationem habet, ut ante docuimus, annui fœnoris, quod ſextam partem ſortis in annum uſuræ nomine præſtat. At τόκος ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς relationem habet ad menſtruum fœnus, cujus uſuræ ſunt novem oboli in ſingulos menſes in minam, eadem proportione ad omnes ſummas ſervata. Sed nec uſquequaque invicem reſpondent. Si ad annuas uſuras utrumque fereratur fœnus,

ἔφεκτος

ἐφιλος τόκος ex centum ac viginti denariis dabit an-
nuos vicenos, cum τόκος ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς ex centum
præſtet tantum duodevicenos. Hæc uſura, ut maxi-
me tum ſollemnis & uſitata, dotium non redditarum
penſioni lege fuit præſcripta, qua minorem maritis
præſtare non liceret, retinentibus dotem mulierum,
quas aut ipſi dimiſiſſent, aut quæ ſponte divortium fe-
ciſſent. Proprio nomine hoc genus uſuræ Atticis σῖτος
appellabatur. Et ſic exponendus Heſychius, cum in-
ter varias σίτου interpretationes τόκον etiam explicat
& μισθὸν his verbis: Σῖτος, τροφὴ σίτου, καὶ κρεῶν, καὶ τό-
κος, καὶ ὁ μισθός. Ita enim legenda ſunt. Ea vox σῖτος
non in aliis rebus τόκον ſignificat, quam in dotium uſu-
ra, quæ proprie σῖτος Atticis dicebatur. Harpocra-
tion: Τιμαχίδας δὲ ἡγεῖται, παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς σῖτον λέ-
γεσθαι τὸν τόκον, ἀγνοεῖ δὲ, ὅτι ἓν ἀνθ' ἑνὸς οὐδέποτε παρ' αὐτοῖς ὁ
τόκος σῖτος καλεῖται. Reprehendit Timachidam,
quod putarit, σῖτον uſurpari apud Atticos de omni uſu-
ra, & idem eſſe illis omnino σῖτον quod τόκον. Hoc enim
eſt quod dicit Harpocration, ἓν ἀνθ' ἑνός. Sed ille falſus
eſt. Non enim de qualicunque fœnore ea vox Atti-
cis accepta, ſed de uſura quæ dimiſſis mulieribus, ex
dote, quam non redderet maritus, ad earum alimen-
tum præſtabatur. Sic cum ἐπωβελίαν Grammatici τό-
κον interpretantur, non ita id accipiendum, quaſi ea
vox uſuram ſignificet ἓν ἀνθ' ἑνὸς, ſed de quodam uſuræ
ſpeciali genere ſumenda, quam Plato in Republica
ſua admiſit, de qua ante ſatis multa. Idem Harpocra-
tion σῖτον exponit τὴν διδομένην πρόσοδον εἰς τροφὴν ταῖς
γυναιξὶν ἢ τοῖς ὀρφανοῖς. Sed in mulieribus reditus ille
qui ad eas alendas præbebatur, ex dotis uſuris venie-
bat, quæ penes maritum, à quo dimiſſa fuerat, reman-
ſerat. Dimiſſæ mulieri à viro, vel quæ virum reliqui-
rat, actio primum dabatur adverſus virum de dotis re-
petitione, quæ dicebatur δίκη προικός. Si vir eam non
redderet, ſed retinere mallet, tum agebat mulier
actione

actione cui nomen σίτου δίκη, qua uſuras pro dotis uſu poſtulabat. Eas uſuras lex definierat τόκον ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, hoc eſt, duodeviginti in centum annos denarios, vel menſtruos unum cum dimidio. Suidas: Σῖτος, τροφή. καὶ σίτου δίκη, ὅταν γυνὴ ἀπόλειψιν ποιησαμένη, ἢ καὶ ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἀποπεμφθεῖσα, μὴ ἀπολαμβάνῃ τὴν προῖκα, καὶ διαγένηται χρόνος, καὶ δίκην εἰσάγῃ πρὸς αὐτὸν, καὶ ἀπαιτῇ προῖκα καὶ τροφὰς ἀφ' ἧς ἀπηλλάγη ἡμέρας. αὕτη καλεῖται δίκη σίτου. Corrupiſſima hæc hodie extant in editionibus Suidæ, quæ nos ſic emendavimus. Vulgo enim legitur: ὅταν γυνὴ ἀποδικεῖν ποιησαμένη. Veriſſimum eſt quod repoſuimus, ἀπόλειψιν. Hoc enim vult: ſive vir mulieri repudium mittat, ſive ipſa divortium faciat, locum eſſe alterutri earum actionem, qua dotem repetat, aut dotis uſuras. Ἀπόλειψις dicebatur cum mulier à viro recedebat, & ἀποπομπὴ cum repudiabat vir uxorem. Lex Solonis jubebat τὴν γυναῖκα τὰ τῆς ἀπολείψεως γράμματα παρὰ τῷ ἄρχοντι θεῖναι, μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν, *libellum divortii ponere ipſam in re præſenti, non per alium, apud prætorem.* Eo libello exponebat cauſas mulier quamobrem à viro divorteret. Quod habetur autem in verbis Suidæ, mulierem ea actione petere προῖκα καὶ τροφὰς, dotem & alimenta, ab eo die quo à viro divortiſſet, cave ita accipias, quaſi utrumque ſimul poſtularet. Nam, ſi dos non redderetur, actione quam intendebat περὶ προικὸς, tum movebat actionem σίτου, qua uſuras poſcebat ex dote, quibus ſe aleret. Demoſthenes in priore contra Aphobum: Οὐ γὰρ διδόντος τούτου σῖτον τῇ μητρὶ, τὴν δὲ προῖκα ἔχοντος, οὐδὲ τὸν οἶκον μισθοῦν ἐθέλοντος, ἀλλὰ μετὰ τῶν ἄλλων ἐπιτρόπων διαχειρίζειν ἀξιοῦντος, ἐποιήσατο λόγους περὶ τούτων ὁ Δημοχάρης. Id eſt, *cum iſte uſuras matri non perſolveret, & dotem ejus penes ſe haberet.* Nam σῖτος eſt proprie τόκος dotis non reſtitutæ. Ergo aut dos reddebatur, aut uſuræ pendebantur, non utrumque ſimul, ut præter dotem reſtitutam etiam alimenta

præſta-

præſtarentur dimiſſæ. Id clariſſime patet ex ea contra Neæram ejuſdem Demoſthenis: ἐκβάλλει τὴν ἄνθρωπον, ὡς ἐνιαυτὸν συνῳκηκότας αὐτῇ, κύουσαν, καὶ τὴν προῖκα οὐκ ἀποδίδωσι. λαχόντος δὲ τοῦ Στεφάνου αὐτῷ δίκην σίτου εἰς ᾠδεῖον τῆς προικὸς κατὰ τὸν νόμον, ὃς κελεύει, ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μή, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς ᾠδεῖον εἶναι, δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ. Ex his verbis liquido conſtat de his quæ ſupra notavimus. Si quis mulierem dimiſiſſet, & dotem non reſtitueret, δίκῃ σίτου agebat vel mulier ipſa, vel ejus nomine ὁ κύριος, hoc eſt, qui dotem dederat. Ea σίτου δίκη, ſive de alimentis actio, eo pertinebat, ut dotem non reddens uſuras præſtaret mulieri ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς, hoc eſt, duodeviginti in centum annuos denarios. Quod diſerte lex jubebat, cujus verba ibi allegantur, ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μή, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν. Dos repetebatur προικὸς δίκῃ: uſuræ dotis, σίτου δίκῃ. Idque etiam confirmat Iſæus in oratione ὑπὲρ τοῦ Πύῤῥου κλήρου, ſub finem: ὁποίαν δίκην σίτου, ἢ τῆς προικὸς αὐτῆς ὑπὲρ τῆς ἐγγυητῆς γυναικὸς, ἐδικάσατο τῷ ἔχοντι τοῦ Πύῤῥου κλῆρον οὗτος. Hæc ideo adnotavi, ne quis abripiatur in ſententiam viri clariſſimi, qui ad leges Atticas, ex his duabus actionibus unam facit, eamque vocat δίκην προικὸς σίτου. Quinimmo ita etiam corrigit in verbis Demoſthenis ſupra allatis, δίκην τῆς προικὸς σίτου κατὰ τὸν νόμον, ubi vulgo legitur, δίκην σίτου εἰς ᾠδεῖον τῆς προικὸς κατὰ τὸν νόμον. Quod ſane mirum, cum ipſe ibidem agnoſcat duas mulieri in divortio, datas actiones diverſas, unam, pro dote repetenda, alteram, ut victus ipſi ſuppeditetur. Harum prior δίκη προικὸς, poſterior δίκη σίτου vocabatur. Idemque liquet ex eodem Demoſthene, paulo poſt: καὶ ἀφίσταται τῆς προικὸς, καὶ τὴν δίκην τοῦ σίτου ἀνείλετο. Item ex Polluce, lib. III, cap. III: περὶ γάμων, & δίκη κακώσεως, προικὸς, σίτου. *Et actio maletractationis, dotis, & uſurarum dotis.* Nam revera quidem pro

victu & alimentis uxori dandis hæc actio *σίτου* inſtituta, ſed tamen uſurarum tantum petitionem habuit, quæ in alimenta converterentur. Et certe illæ uſuræ ad victum petitæ, hoc quippe prætexebatur, ſed in nummis, non in ſpecie alimentaria datæ. Separatæ itaque hæ duæ actiones, &, ſi priore dotem obtinuiſſet mulier, non erat ſecundæ locus, quæ tunc dabatur, ſi noluiſſet dotem reddere maritus. Nulla itaque actio utroque junctim nomine nuncupata legitur Atticis *δίκη προικὸς σίτου*, ut ſibi perſuaſit vir adprime doctus. Verba igitur Demoſthenis alio vitio laborant, ex quibus, ut ſanitati reſtituantur, ſola vox *προικὸς* expungenda eſt, hoc modo: *Λαχόντος δὲ τοῦ Στεφάνου αὐτῷ δίκην σίτου εἰς ᾠδεῖον κατὰ τὸν νόμον.* Non de dote quippe actionem illam movit Stephanus, ſed de victu, id eſt, de uſuris dotis. Et male doctus interpres ita vertit, *cum vero Stephanus ei diem dixiſſet apud Odeum de dote.* Immo de victu tantum. Nam dotem reddere noluiſſe maritum Neæræ, ante dictum eſt. Non poterat autem cogi maritus ad reſtitutionem dotis, ſi uſuras mallet pendere. Si neutrum vellet, cogebatur ad uſuras præſtandas actione *σίτου*. Ita porro emendanda illa eſſe, exploſis duabus vocibus, *τῆς προικὸς*, verba legis, quæ ibi ſubjiciuntur, oſtendunt: *κατὰ τὸν νόμον, ὃς κελεύει, ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς ᾠδεῖον εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ.* Eadem infra repetuntur: *καὶ λαχόντος αὐτῷ Στεφάνου εἰς ᾠδεῖον δίκην σίτου.* His adde quod ſola *δίκη σίτου* in *ᾠδείῳ* apud Archontem diſceptari poterat, cum *δίκη προικὸς*, ſi apud eumdem Archontem eſſet perſequenda, in alio tamen *δικαστηρίῳ* ventilaretur. Etenim, cum lex jubet nominatim, *δίκην σίτου* in *ᾠδείῳ* diſceptari debere, eo ipſo oſtendit, *δίκην προικὸς* in alio loco quam in Odeo, & in alio *δικαστηρίῳ* ſolere dijudicari. Pollux, lib. VIII, cap. VI: *Τὰς δὲ ἐπὶ τῷ σίτῳ δίκας ἐν ᾠδείῳ ἐδίκαζον*

σῖτος

σῖτος δέ ἐστιν αἱ ὀφειλόμεναι τροφαί. Suidas, in voce ᾠδεῖον. Ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ δικαστήριον τοῦ ἄρχοντος, διεμετρεῖτο δὲ καὶ ἄλφιτα ἐκεῖ. Etſi enim, ut dixi, non in ſpecie ali- menta mulieri præberet maritus, ſed uſuram dotis, ad alimenta, cum tamen actio, quæ ob id à muliere vel ejus κυρίῳ inferebatur, σίτου cauſam prætenderet, & no- men præferret, ideo in Odeo apud Archontem ea res dijudicari ſolebat, ut ex legis verbis planum eſt: ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς ᾠδεῖον εἶναι, δικάσασθαι. Quibuſdam perſonis lex jubebat dari σῖτον in ipſa ſpe- cie, quaſi demenſum, ut matri à filio qui ex ephebis exceſſiſſet, cum poſſeſſionem ex lege bonorum acci- peret. Quod vocabant σῖτον μετρεῖν, hoc eſt, demen- ſum dare. Legis Atticæ mentio habetur apud Demo- ſthenem in ea quæ κατὰ Στεφάνου poſterior eſt: καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ δίετες, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Inde σιτομετρεῖν, unica voce, & σιτομέτριον. Gloſſæ veteres: σιτόμετρον, *cibarium, diarium*. Hinc *diaria ſervorum* Satyrico. Sed cum diaria ſervis dabantur, hoc eſt, cibaria in diem ad victum quotidianum, non ad menſuram frumenti ſo- lebat dari, ſed àd pondus aliquot farris libræ. De quo alibi. At *demenſum* Terentio τὸ σιτομέτριον. Ubi dubi- tat Donatus, utrum à menſe dictum ſit quod ſervi qua- ternos modios frumenti accipiebant in menſem, vel à metiendo. Sed quis non videt, à demetiendo dictum? Gloſſæ: *Demenſum*, ἀπομέτρημα. Theocritus ἁρμα- λιὰν ἔμμηνον vocat hoc ſervorum demenſum, in Ei- dyllio XVII:

Ἁρμαλιὰν ἔμμηνον ἐμετρήσαντο πενέσται.

Σιτομέτριον ἔμμηνον alii dixerunt. Alii etiam ἐπιμήνιον. Optimæ Gloſſæ nondum editæ: Ἐπιμήνια, *cibaria*. Ita accipienda *Epimenia* apud Satyricum:

— Et veteres, Afrorum epimenia, bulbi.

Non enim ſunt ſacrificia menſtrua, ſed cibaria. Atque ita plane ἐπιμήνια accipiuntur apud Arrianum in diſ- ſerta-

ſertationibus Epicteti lib. II, cap. VII, πέμψαι θέλουσα Γρατίλλῃ ἐξωρισμένῃ τὸ πλοῖον τῶν ἐπιμηνίων. *Navem cibariorum.* Quam quotmenſibus ſcilicet ad eam mittere ſolebat. Ita enim ſcribendum in Arriano, non, ut eſt vulgo, τὸ πλεῖον. Inde explicandus & alius ejuſdem Theocriti verſiculus, ex Eid. XV, cujus mentem, qui ſe putant optime vidiſſe, non viderunt:

— οὐκ ἀλέγω μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.

Cujus hic ſenſus eſt, non vereor, ne mihi in demenſo admetiendo tanquam ancillæ tuæ inanem menſuram præbeas, ut modio iniquo ac nimis deruto abraſam. Hinc illud Juvenalis explicandum:

Servorum ventres modio caſtigat iniquo.

Mulier illa, quæ verſum iſtum apud Theocritum pronuntiat, eidem homini, à quo increpita fuerat, jam dixerat, πασσάμενος ἐπίτασσε. Tum imperabis nobis, cum ut ſervas tuas, nos ales. Nunc dicit, ſe non vereri, ne vacua ac nimis deraſa ſibi ab eo menſura in demenſo præbendo unquam detur. Non enim ſe ancillam ejus eſſe, nec unquam futuram. Atque hæc obiter. Ita ergo & matri demenſum præbere lex jubebat, ubi poſſeſſionem bonorum accepiſſent, & matris ipſius domini fierent, hoc eſt, κύριοι, filios qui ex ephebis exceſſerant. Quod & ex Harpocratione confirmari poteſt in voce ἐπιδιετὲς, citatis his Hyperidis verbis: Ἐπειδὴ δὲ συνεγράφην ἐγὼ, καὶ ὁ νόμος ἀποδέδωκε τὴν κομιδὴν τῶν καταλειφθέντων τῇ μητρὶ, ὃς κελεύει κυρίους εἶναι τῆς ἐπικλήρου καὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης τοὺς παῖδας, ἐπειδὰν ἐπιδιετὲς ἡβῶσιν. Ita enim ſcribendum. De qua correctione aliis etiam in mentem veniſſe video. Nam vulgo male excuditur, τοὺς ἄπαιδας. Lege Attica non ſolum bonorum, ſed etiam matris ipſius domini fiebant liberi mares, poſtquam ἐφηβείας tempus egreſſi eſſent. Per duos annos in ἐφηβείᾳ erant, atque ephebi dicebantur, ab anno duodevigeſimo ad vigeſimum, quo anno tutelam matris & bonorum omnium, quæ ipſi relicta

licta fuerant, accipiebant. Nam Athenis mulieres in
perpetua erant tutela, & ſub eorum auctoritate, qui
κύριοι ipſarum, vocabantur. Hi præcipue fuere, quibus
jus permittebat, ut eſſent κύριοι mulierum etiam
nuptarum, pater, avus paternus, frater ex eodem pa-
tre. Si horum nullus eſſet, maritus fiebat κύριος, nul-
lis exiſtentibus liberis qui poſſent eſſe κύριοι, ut erant
lege qui ex ephebis exceſſiſſent. Nam hujuſmodi li-
beri mares excludebant omnes alios, præter patrem,
avum paternum, & fratrem mulieris ex eodem patre,
ut colligi poteſt ex oratione Demoſthenis priore con-
tra Stephanum, apud quem hæc lex refertur: Ἣν ἂν
ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι, ἢ πατὴρ, ἢ ἀδελφὸς
ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖ-
δας γνησίους. ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ,
τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ τοῦτον κύριον
εἶναι. Eruditus commentator legum Atticarum hæc
verba ita reddidit: *Ex ea, quam in legitimam uxorem
deſponſarit pater, aut germanus frater, aut avus pa-
ternus, legitimos liberos tollunto. Si nullus horum ſu-
perſit, & virgo orba ſit, nubito ei qui judicio obtinue-
rit. Si orba non ſit, tutor eam deſponſato.* Pejor ho-
rum verborum expoſitio ne dedita quidem opera po-
terat dari. Videor animadvertiſſe ex doctiſſimis ejus
notis in leges Atticas, κύριον poni pro marito, ubique
fere eum árbitrari, ac ſemper ita reddere. In lege quam
ſupra explicavimus, quæ mulieris à viro expulſæ no-
mine dat poteſtatem ejus κυρίῳ dotis repetendæ, aut
uſuræ pro dote petendæ, ibi certe κύριος mulieris
non poteſt videri ejus maritus: καὶ σίτου εἰς ᾠδεῖον εἶναι
δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τὸν κύριον. Ibi ſaltem recte
interpretatus eſt vocem κύριος. Cur non hic ſimili-
ter ubi idem ſignificat? Non enim magis queat hic
obtinere alia interpretatio. Ex vi quippe hujus legis
contendit Demoſthenes, ſe cum fratre debere eſſe
κύριον τῆς μητρὸς, & demenſum ei admetiri unde vivat.

Vult igitur lex illa, eam legitimam eſſe uxorem, quam pater, aut avus paternus, aut frater ex eodem patre, viro deſponſaverit, ex eaque legitimos liberos procreari. Quamdiu quis illorum vivit, is eſt mulieris κύριος. Si vir eam dimiſerit, actio ei datur adverſus virum, nomine mulieris, pro repetitione dotis aut uſurarum petitione. Atque is eſt κύριος, cui poteſtatem eam lex concedit, quam ante citavimus, & explicavimus ex oratione contra Neæram. Si nullus eorum ſuperſit, neque pater, neque avus paternus, neque frater ex eodem patre, qui eam deſponderunt, tunc ἐπίκληρος mulier eſt ac dicitur. Quod ſequentia apud Demoſthenem teſtantur, ὁπότε τοίνυν μηδεὶς φαίνεται ζῶν τούτων, τότε ἀνάγκη ἐπίκληρον τὴν μητέρα ἡμῶν εἶναι. Vivente aliquo eorum per quem deſponſata eſt, ἐπίπροικος mulier appellatur. Nam cum pater aut frater ex eodem patre, aut avus paternus puellam elocabant, quod ἐγγυᾷν dicebant, ut Latinis *deſpondere*, dotem etiam ei dabant, quam & repetebant ſi mulier à viro divorteret, aut, ſi in matrimonio ſine liberis defuncta eſſet, ad eumdem, qui dederat, dos redibat, ut ex hac lege manifeſtum eſt, τὴν ὁμολογηθεῖσαν προῖκα γίνεσθαι εἰς τὸν ἐγγυήσαντα, εἴ τι ἔπαθεν γυνὴ πρὶν γενέσθαι παῖδας αὐτῇ. De nuptis id etiam nomen uſurpatum hæc lex oſtendit, & Grammatici veteres obſervant. Suidas, ὅταν παῖς ὀρφανὴ πατρὸς καὶ μητρὸς, ἀδελφῶν τε οὖσα ἔρημος, καὶ ταύτῃ τύχῃ ὑποκειμένη οὐσία, ταύτην καλοῦσιν ἐπίκληρον, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ἤδη γεγαμημένην, ὅταν ἡ ἐπὶ οὐσίᾳ ὅλη καταλελειμμένη. Quæ jam viro nupta à patre relinquitur cum ſola dote fratribus ſuperſtitibus, quam dotem vel pater ipſe, vel aliquis ex fratribus ei conſtituerit, ἐπίπροικος appellabatur, ut jam diximus, quia ex bonis paternis nihil niſi dotem auferebat. At defunctis patre, fratribus, relicta ſola cum univerſorum bonorum hæreditate, ea ἐπίκληρος erat. *Dotalem* verti à viro docto, non poſſum probare. *Dotales* enim ſer-

vus

vu s&ancilla eſt, qui in dotem dati ſunt, & partem dotis faciunt. Ἐπιπροίκους ſaltem ita reddi, plus haberet rationis, etſi ne hoc quidem aptum. Ἐπίπροικος enim dicitur, quæ ἐπὶ προικὶ, cum ſola dote relicta eſt, fratribus reliquam hæreditatem poſſidentibus. Cui vero univerſa hæreditas obvenit, ſive innuptæ, ſive jam nuptæ, non poteſt hoc nomine appellari. *Vnicas* vulgo appellamus, atque *hæreditarias*. Græci etiam ἐπιπαματίδας vocarunt, ἐπὶ πάμασι relictas ſolas, id eſt, bonis & hæreditate. Nam τὰ πάματα *bona*, ἀπὸ τοῦ πεπᾶσθαι, *poſſidere*. Unde in Ara quam primi edidimus, παμάτων φείδευ Πανός. Ubi *pecora* πάματα Panis, à poëta vocantur. Quare μάνδαν eamdem appellarint, neſcio. Nunc perſequamur verba legis. Vivente patre, vel avo paterno, vel aliquo ex fratribus, mulier deſponſata ex eorũ conſenſu, ac dote data, ut ἐπίπροικος dicitur, ita κύριον habet eum qui dotem dedit, eamque viro deſpondit. Sequitur: ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν. Hæc plane mendoſa videtur. Nam, ἐπίκληρός τις ᾖ, non eſt rectum. Dicendum fuit ſimpliciter: ἐὰν ἐπίκληρος ᾖ. Scribe igitur, ἐὰν μὲν ἐπικληρῖτις ᾖ. Ita eam Attici etiam vocarunt, atq; illi ipſi rhetores, quæ alias ἐπίκληρος. Harpocration: ἡ δ᾽ αὐτὴ καὶ ἐπικληρῖτις. Si igitur ἐπίκληρος ſit hæc mulier, & unica hæres bonorum, quem κύριον habebit? Ἐὰν μὲν ἐπικληρῖτις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν. Ut dominum habeat. Quem illum? Vertit doctus interpres legum Atticarum: *Si nullus horum ſuperſit, & virgo orba ſit, nubito ei qui judicio obtinuerit.* Non de virgine orba, ſed de muliere nupta omnium bonorum hærede, in hac lege agi, jam docuimus, & quæſtio eſt, quem κύριον habere debeat, defunctis quos habitura eſſet ſi viverent, aut patre, aut fratre germano, aut avo paterno. Vox omnino hic excidit, quæ ſi abſit, nullus horum verborum ſenſus idoneus exiſtere poſſit. Lege ergo meo periculo: ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπικληρῖτις ᾖ, τὸν ἄνδρα κύριον ἔχειν. Si nemo horum

rum ſit, & ſit mulier univerſorum hæres, virum habeat κύριον. Subjungitur in lege: ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι. Quæ interpres reddit: *Si orba non ſit, tutor eam deſponſato.* Quæ falſiſſima eſt interpretatio. Nulla enim in his ſignificatio tutoris. Aliud quippe ἐπιτρέπειν, aliud ἐπιτροπεύειν. Si virum habeat ἐπίκληρος orba, hunc lex vult eſſe κύριον, ſi non ſit, & fato conceſſerit, eum κύριον jubet eſſe ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, cui vir nimirum moriens teſtamento uxorem ſuam reliquerit, ac nuptum dederit. Hoc veriſſimum ex jure & more Attico. Vir Athenienſis ſupremis tabulis uxorem ſuam, ſive liberos haberet, ſive ſine liberis moreretur, cui vellet amicorum, ſolebat interdum ducendam præcipere. Iſque κύριος & mulieris & bonorum fiebat, donec liberi mares, ſi eſſent ex priore matrimonio, attigiſſent ætatem virilem. Ita Demoſthenis pater moriens uxorem ſuam cum univerſa ſubſtantia reliquit Aphobo, cum dote octoginta minarum, & domo quam habitaret, & alia ſupellectile qua uteretur. Si quis autem filius extaret ex ἐπικλήρου, & priore marito, ubi ad annum vigeſimum ætatis pervenerat, & alterum τῆς ἐφηβείας impleverat, κύριος erat matris bonorum, non ſecundus maritus, ut conſtat ex altera parte ejuſdem legis, quæ ſtatim allegatur in ea contra Stephanum: καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ διετές, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Hæc pars legis ultima connectenda eſt ſuperioribus verbis quæ expoſuimus. Una quippe lex erat, hoc modo: Ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν ἐπικληρῖτις ᾖ, τὸν ἄνδρα κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι. Καὶ ἐάν τις ἐξ ἐπικλήρου γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ διετές, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Una igitur hæc lex fuit, quam perperam in duas divulſit vir longe eruditiſſimus. Filius, qui pubertatis metas exceſſerat, ac ſuæ tutelæ jam erat, non ſolum dominium bonorum matris accipiebat, ſed

etiam

etiam ipſius κύριος fiebat, ſi maritus defunctus eſſet, ut ex his, quæ ſequuntur apud Demoſthenem, perſpicuum eſt: ἐκεῖνο ὁ μὲν νόμος κελεύει τοὺς παῖδας ἡβήσαντας κυρίους τῆς μητρὸς εἶναι, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Hic igitur ordo κυρίων in mulieribus nuptis. Pater, aut frater, aut avus paternus, qui dotem dederat, mulieris ἐπιτρόπου κύριος erat. Si nullus horum eſſet, maritus habebatur κύριος. Si maritus deceſſiſſet, is fiebat κύριος cui teſtamento uxorem ſuam cum dote conſtituta aſſignaſſet. At omni caſu ſi liberi extarent, tam in priore quam in ſecundo matrimonio, ubi ex ephebis exceſſiſſent, quod vigeſimum ætatis annum egreſſis contingebat, in bonorum matris poſſeſſionem mittebantur, & accipiebant eorum dominium, ac κύριοι exiſtebant, matrique demenſum debebant. Sic fiebat, ut maritus, ſi viveret, κύριος quidem mulieris haberetur, & bonorum, uſque ad virilem ætatem liberorum qui ex ſe & uxore nati forent. Poſt virilem eorum ætatem ipſe quidem κύριος uxoris manebat, liberi autem ſuæ tutelæ facti, bonorum matris κύριοι exiſtebant. Si vero obiiſſet maritus, tum & matris & bonorum κύριοι habebantur liberi mares. Iſæus in oratione πρὸς Ξεναίνετον: Θαυμαστὸν γὰρ ἦν, εἰ τὴν ἐμὴν μητέρα ἔχοντι Ἀπολλοδώρῳ ἢ Ἀριστομένει οὐκ ἂν οἷόν τε ἦν τῆς ἐκείνης κύριον γενέσθαι κατὰ τὸν νόμον, ὃς οὐκ ἐᾷ τῆς τοῦ ἐπικλήρου κύριον εἶναι ἄλλον ἢ τοὺς παῖδας ἐπὶ διετὲς ἡβήσαντας, καὶ κρατεῖν τῶν χρημάτων. Ita enim hæc legenda, quæ de ſecundo marito vel vitrico intelligenda, quo excluſo liberi ex priore matrimonio mares καὶ ἡβήσαντες ἐπὶ διετὲς, bonorum matris, quæ erat ἐπίκληρος, fiebant κύριοι. Nec vitricum tantum, ſed patrem ipſum iidem liberi, qui alterum ἐφηβείας annum impleſſent, excludebant, ipſoque vivo bonorum matris poſſeſſionem habebant, ut clarum eſt ex eodem Iſæo in ea περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου, ubi caſus proponitur, in quo patruus, ducta in uxorem fratris filia, ut genere proximus, non tamen bonorum ejus κύριος

futurus dicitur ex lege, ſed liberi ex utroque nati, poſtquam legitimæ virilitatis annos acceſſerint, ut ex his verbis facile comprobatur: εἰ γὰρ ἔζη μὲν ἡ ἐμὴ μήτηρ, θυγάτηρ δὲ Κίρωνος, μηδὲν δὲ ἐκεῖνος διαθέμενος ἐτελεύτησεν, ἦν δὲ ἀδελφὸς οὗτος αὐτῷ, μὴ ἀδελφιδοῦς, συνοικῆσαι μὲν ἂν τῇ γυναικὶ κύριος ἦν, τῶν δὲ χρημάτων οὐκ ἄν, ἀλλ' οἱ παῖδες ἐκ τούτου καὶ ἐξ ἐκείνης, ὁπότε ἐπὶ δίετες ἡβήσειαν. Sic enim & ibi ſcribendum, non, ut vulgo eſt, ἡβώσιν. Ita omnino jure Attico κύριοι erant bonorũ matris ἐπικλήρου liberi virilis ætatis, ac ſuæ tutelæ, maritus autem mulieris tantum κύριος, ſed & bonorum priuſquam liberi ad virilem ætatem perveniſſent, ſi nemo extaret ex illis quos lex κυρίους eſſe jubebat, ut ſi quis genere proximus, præter patrem, avum paternum, aut fratrem ex eodem patre, qui mulierem deſpondiſſet & dotem eidem conſtituiſſet. Nam & genere proximi, quibus lex nubere volebat ἐπικλήρους, id eſt, orbas, vel unicas hæredes, vel etiam facultatibus defectas, quibus dotem dabant, ſi ducere eas nollent, ipſi quoque κύριοι bonorum, quæ in dotem eis dederant, habebantur. Quinimmo & ἐπικλήρου ipſius erant κύριοι priuſquam nuptum elocaretur. Lex apud Plutarchum in Solone: τὴν ἐπίκληρον, ἂν ὁ κρατῶν καὶ κύριος γεγονὼς κατὰ τὸν νόμον, αὐτὸς μὴ δυνατὸς ᾖ πλησιάζειν, ὑπὸ τῶν ἔγγιστα τοῦ ἀνδρὸς ὀπυίεσθαι. Id eſt, proximis mariti agnatis nubere. Nam, ὀπύειν, eſt, *uxorem ducere*; ὀπύιεσθαι, *nubere*. Nollem virum doctiſſimum ad leges Atticas vertiſſe, *cum mariti agnatis concumbito*. Mirum, ſi cum omnibus agnatis viri illa debuit concumbere. Legendum in verbis legis, non ὑπὸ τῶν, ſed ὑπὸ τοῦ. Præterea ὀπύιεσθαι antiqua Attica lingua proprie eſt γαμεῖσθαι & *nubere*, & ὀπύειν *uxorem ducere*, non *coire*. Heſychius: ὀπυομένη, γαμουμένη. Ὀπύειν, γαμεῖν. At ſi vidua mater eſſet, & liberi ejus eam adepti forent ætatem cui lex id permittebat, & bonorum ſimul matriſque evadebant κύριοι, ſed matri demenſum menſtruum in frumento ad

cam

eam alendam præbere tenebantur. Quod ita demum judico obtinuiſſe, ſi mater à liberis ſeceſſiſſet. Nam ſi maneret in eadem domo, quid opus illi σῖτον admetiri, quæ una cum ipſis viveret, & particeps eſſet omnium, & ſic dotis uſum fructum haberet? Idque lex etiam diſertè jubebat, ut colligere eſt ex his in oratione adverſus Phænippum: ἀλλὰ τί γὰρ ἐγὼ, Φαίνιππε, μενούσης μὲν τῆς μητρὸς ἐν τῷ οἴκῳ, καὶ ζώσης, καὶ προῖκα ἐπενεγκαμένης, οὐκ ἀπογράφω τὴν προῖκα χρέος αὐτῇ, οὐδὲ παρακρούομαι δικαστὰς, ἀλλ' ἐῶ μετέχειν τῆς ἐμαυτοῦ τὴν μητέρα ἄν τε Φαινίππου, ἄν τε τὴν ἐμαυτοῦ ἔχω οὐσίαν, ὅτι οἱ νόμοι ταῦτα κελεύουσι. Ex his verbis legem Atticam condidit doctiſſimus earum enarrator ad hunc modum: Μενούσης τῆς μητρὸς ἐν τῷ οἴκῳ, καὶ ζώσης, καὶ προῖκα ἐπενεγκαμένης, οὐκ ἀπογράφειν τὴν προῖκα χρέος αὐτῇ, ἀλλὰ μετέχειν τῶν παίδων τὴν μητέρα. Quæ ita Latine reddidit: *Manente domi cum liberis matre, dote non repetita, liberi propter dotem fœnus ne pendunto, ſed mater bona illorum participato.* Nihil ſani neque in Græcis, neque in Latinis. Προῖκα ἐπενεγκαμένη, eſt quæ dotem attulit mulier. Nam ἐπιφέρεσθαι προῖκα mulier Atticis dicitur quæ dotem marito affert. At ἀπογράφειν τὴν προῖκα χρέος αὐτῇ, non eſt, *fœnus pendere propter dotem*, ſed, in deſcriptione bonorum ſuorum danda, inter æs alienum recenſere dotem quæ matri debetur. Jam vero, quid illa ſibi velint, μετέχειν τῶν παίδων τὴν μητέρα, neſcio. Matrem participem eſſe liberorum ſignificat, nihil aliud. At in oratione Demoſthenis qui contra Phænippum dicit, matrem ſe ſinere ait ſecum ſua bona participare. Breviter dicam quid ſit. Corpus Athenis fuit trecentorum, qui ceteros cenſu ſuperabant, & quibus pro ratione cenſus majora onera ſuſtinenda in Rep. ac munia graviora obeunda incumbebant. Si quis ex illo ordine gravatũ ſe conquereretur, & alium poſſet oſtendere immunem & liberum ab omni functione publica, qui tamen haud paulo ditior eſſet, lex ei permit-

tebat

tebat ſubducere ſe ex illo grege, & illum alterum, quem ſe multo eſſe locupletiorem contendebat, in locum ſuum ſubrogare. Quod ſi ille fatebatur ſibi ampliores eſſe facultates, in trecentorum collegium tranſibat, ille alter pauperior ex eo numero & corpore eximebatur. Quod ſi negaret, ita eſſe, tum cogebatur permutare cum altero facultates, quæ permutatio vocabatur ἀντίδοσις. Qui volebat videri pauperior, ne in illum ordinem allegeretur, cui majores in remp. collationes ex cenſu imminebant, in deſcriptione bonorum, quæ ab utroque danda erat, plerumque fraudem faciebat, multa ſubtrahendo, nonnulla celando, & æs alienum, quod non erat, fingendo. Nam ratio bonorum habebatur deducto ære alieno, quo facultates minui certum eſt. In hac igitur ἀντιδόσει cum deſcriptionem dediſſet Phænippus bonorum ſuorum, nomina multa retulerat, quorum debitor eſſet. Inter alia matri dotem ſe debere poſuerat. Hoc ut revinceret, & perperam allegari probaret qui contra Phænippum de ἀντιδόσει agebat, hoc debitum non debere in ære alieno computari, ſuo exemplo docet. Se quoque matrem habere ut Phænippum, cui dotem etiam deberet. Sed quod illa in eadem domo maneret, & una cum ipſo bona ſua participaret, in deſcriptione, quam dediſſet, hoc tanquam æs alienum non recenſuiſſe. Nam ſive, inquit, mea retineam, ſive in Phænippi bona permutatione facta tranſeam, meam matrem, quamdiu mecum manebit, una vivere ſinam, & participem eſſe omnium quæ habeo, Phænippum quoque, cujus mater ſimiliter una in domo cum ipſo degeret, idem facere debere, quia leges id juberent. Ex quibus perſpici liquido poteſt, liberos qui κύριοι eſſent matris, & bonorum paternorum poſſeſſionem ex lege accepiſſent, pro dote, quæ ei deberetur, non aliter demenſum coactos dare quam ſi mater à liberis receſſiſſet, & una cum his vivere recuſaſſet. Videtur

porro

porro differentia eſſe in σίτου nomine, quem liberi pro dote dare matri tenebantur, & quem mariti dabant actione περὶ σίτου, pro dote quam non reddidiſſent uxori repudiatæ. In ſpecie ipſa σῖτον dabant liberi, cum lex diſerte ſanciat, σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Contra lex, quæ virum cogit dotem dimiſſæ reddere, σῖτον pro dotis uſura in pecunia perſolvendum eſſe plane evincit, & quidem fœnore ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς appellato, hoc eſt, ſeſquicenteſima. Ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τοκοφορεῖν. Et ſane in ea actione σίτου, qua maritus unde dos repetitur, ſi nolit reddere, uſuras pro ea præſtat, σῖτον, interpretatur Harpocration τὴν διδομένην πρόσοδον ταῖς γυναιξὶν εἰς τροφὴν, reditum, id eſt, uſuram dotis, quæ datur mulieribus ad alimenta. In pupillis ſimiliter, quorum bona tutores adminiſtrarent, σῖτος eodem ſenſu acceptus eſt pro uſuris quas tutores deberent, ut ex eodem Harpocratione colligitur. Σῖτος, inquit, καλεῖται ἡ διδομένη πρόσοδος εἰς τροφὴν ταῖς γυναιξὶν, ἢ τοῖς ὀρφανοῖς. Aliud fuit in liberis qui matrem alere debebant quæ in eadem domo cum his non maneret. Nam pro dote, quam ea attulerat, ſi τὸν σῖτον in ſpecie præberent, legi ſatisfaciebant. Satis quippe viſum eſt legis auctori, ſi tantum admetirentur ſingulis menſibus frumenti, quantum ſufficeret matri exhibendæ. Hinc judicia de dote menſtrua erant, ut & ἐρανικὰ atque ἐμπορικὰ, hoc eſt, ſingulis menſibus reddebantur, ut apud Pollucem legere eſt. Ex eo autem, quod maritus, ſi nollet dotem reddere, actione περὶ σίτου conveniebatur ad præſtandas dotis uſuras, colligo, hoc in ipſius arbitratu fuiſſe utrum vellet. Ideo etiam majores minimis uſuras, niſi eam redderet, ab eo pro dote exigendas legem ſtatuiſſe crediderim, ut mulieri conſuleret, atque etiam ut ne liberet marito dotem ejus retinere, cum leviori fœnore poſſet pecuniam alii debere. Mulier vero vix poterat reſtitutam ſibi dota-

lem

lem pecuniam grandioribus uſuris occupare, quam quas pro dote retenta vir ipſi lege pendere cogebatur. Ex uſuris quippe, quæ tunc tuto ac citra periculum creditoris inter honeſtiores perſonas exercebantur, maximæ in uſu fuere, quæ ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς dicebantur. Mediæ enim erant inter ἐπίτριτον τόκον, quod fœnus in trajecticia pecunia communiter eo tempore uſurpari conſueverat, & uſuram centeſimam ſive ἐπὶ δραχμῇ, quæ paſſim in more fuit, & pro leviſſima tunc habita eſt. Fallitur enim Molinæus, qui putat, nullibi reperiri etiam apud Græcos uſuræ ſeſquicẽteſimæ exemplum, quæ eſt uſura ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς. Quod enim ex Solone adfertur, apud Athenienſes fuiſſe permiſſam in rei uxoriæ actione, pro pœna eam impoſitam à lege ſpecialiter, & in caſu ſpeciali vult. Sed quam id ſit verum, quæ ſupra docuimus, fidem faciunt. Apud Æſchinem, contra Timarchum, etiam hujus uſuræ fit mentio, ut maxime tunc communis: Ἦρξε δ' ἐν Ἄνδρῳ πριάμενος τὴν ἀρχὴν τριάκοντα μνῶν, δανεισάμενος ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τῆς μνᾶς. Ceterum mulieris ob adulterium repudiatæ dotem viro Athenis licuit retinere, ac lucrari, ex lege quæ ſanciebat, τῆς μοιχευθείσης τὴν προῖκα εἶναι τοῦ ἀνδρός. Jure Romano, ut legitur apud Ulpianum, in Titulis, cap. de Dotibus, retentio dotis viro dabatur propter mores. *Morum autem nomine*, inquit, *graviorum quidem ſexta retinetur, leviorum octava. Graviores mores ſunt, adulteria tantum, leviores, omnes reliqui.* Ergo ſexta pars tantum dotis uxoris adulterio convictæ penes virum remanebat. Legimus tamen apud Paulum, lib. II Sententiarum, *adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis, ac tertia parte bonorum, ac relegatione in inſulam placuiſſe coherceri.* Certum quidem eſt, in rei uxoriæ judicio, quod erat bonæ fidei, hanc formulam fuiſſe uſitatam, *quod melius, æquius.* Ergo, ſi æquius melius viſum fuiſſet judici vel arbitro qui de re uxoria judicabat, partem

partem dotis poſt divortium retinebat maritus, aut omnem reddebat. Cicero in Topicis, lib. VI: *In primiſque in arbitrio rei uxoriæ, in quo eſt, quod melius, æquius, parati eſſe debent.* Ad quem locum notat Boëthius: *Si viri culpa divortium factum eſt, æquius melius eſt, nihil apud virum manere. Si mulieris eſt culpa, æquius meliuſque eſt ſextam retineri.* Ex quibus planum eſt, non ob mores graviores uxoris ſextam retineri, ſed ob leviores tantum, ſi nempe aliquam cauſam divortio præbuiſſet, quamvis non propter adulterium. Pluſquam ſextam partem dotis penes virum remanſiſſe, ſi adulterium uxoris divortio cauſam dediſſet, liquet ex hiſtoria quam narrat Valerius, lib. VIII, cap. II, de C. Titinnio, qui Fanniam impudicam de induſtria uxorem duxerat, ut eam pro tali crimine mox repudiatam dote ſpoliaret. Marius ſumptus inter eos judex rei uxoriæ, *mulierem impudicitiæ ream ſeſtertio nummo, Titinnium ſumma totius dotis damnavit.* Et paulo poſt eadem mulier Marium in Minturnenſibus paludibus latitantem ſervavit, *memor quod impudica judicata eſſet, ſuis moribus: quod dotem ſervaſſet, illius religioni acceptum ferri debere.* Ex his omnibus liquido perſpicitur, plus quam ſextam partem dotis amiſiſſe mulieres adulterii reas, divortio propter hoc ſecuto. Ergo dimidia pars fuerit, vel tertia, ut ſcribit Paulus, quam apud virum relinquebant adulterii convictæ. Quas uſuras præſtare mulieri cogeretur maritus divortio facto, apud Romanos, ſi moram in reddenda dote feciſſet, non lego. Dotem, ſi pondere, numero menſura contineatur, annua, bima, trima die reddi ſolitam ſcribit idem Ulpianus in regulis, niſi, ut præſenti die ſolveretur, conveniſſet. *Reliquæ,* inquit, *dotes ſtatim redduntur.* Idcirco autem res in dotem datas, quæ pondere, numero, menſura conſtant, tribus penſionibus à marito reddi oportere placuit, quia periculo mariti eſſent, ut eſt in lib. XLII D. de jure

jure dotium. *In hoc enim dantur*, ut diſerte ibi Gaius dicit, *ut eas maritus ad arbitrium ſuum diſtrahat, & quandoque, ſoluto matrimonio, ejuſdem generis & qualitatis eas reſtituat, vel ipſe vel hæres ejus.* Nullum igitur in mora reſtitutionis earum rerum mulieri periculum, quia quandocunque eas reſtituturus ſit, ut in mutuo, debet ejuſdem generis ac bonitatis res reddere. Cetera, quæ in ipſa ſpecie reddi debent, ne deteriora fortaſſe tempore apud maritum fierent ejus incuria, ideo ſtatim ea redduntur. Quæ tamen ratio non mihi arridet. Nam maritum in rebus dotalibus quamdiu apud eum remanent, tam dolum quam culpam præſtare oportet, eamque diligentiam adhibere, quam in ſuis rebus exhibet, ut conſtat ex lib. XVII D. de jure dotium. Alia igitur ratio fuit, quæ rerum dotalium in pondere, numero, & menſura conſiſtentium reſtitutionem in diem permiſit, reliquarum repræſentavit. Quæ in ſpecie reddenda ſunt, quia extant, & ſtatim vindicari poſſunt, idcirco & mulieri nulla interpoſita mora traduntur. Quæ vero genere eadē reſtitui par eſt, quia iis maritus tanquam ſuis abuſus eſt, nec in rerum ſunt natura, ſpatium ei dari convenit, ut in eorum locum, quæ conſumpſit, alia quærat ſubſtituenda ac reſtituenda. Nam, ſi pecunia numerata in dotem data eſt, tempore, quo reſtitutio dotis divortio facto erit facienda, non habebit fortaſſe unde ſolvat. Ut, qui mutuum accepit, non ſemper, cum ſors ab ipſo repetitur, habet unde eam reponat, ideo perſolutis uſuris, non inquietatur de ſorte. Ita ergo & datum viro tempus ad dotem reſtituendam, quæ pondere, numero, & menſura conſtat, triennii die, æquis penſionibus. Reliqua dos ſtatim erat reddenda. Quid ſi in dotem data æſtimata acceperit maritus, & æſtimationem quam corpora ipſa malit reddere, atque etiam poſſet, quia ex pacto id ejus optioni relictum, an etiam pretium rerum dotalium, quia ex

his eſt, quæ pondere, numero, ac menſura continentur, annua, bima, trima die poterit reddere? Non dubito, poſſe. Nam rerum periculum, quæ æſtimatæ datæ ſunt, ad eum pertinet, æque atque aliarum rerum, quæ pondere, numero, ac menſura conſtant. Præterea vir æſtimata dote accepta æſtimationẽ ipſam in dote, non res, habere exiſtimatur. Harpenopulus, lib. IV, tit. de jure dotium. Poſtremo & dari etiam ei tempus convenit ad pecuniam conquirendam & conficiendam. Mulier itaque, cujus ex pacto convento electio erit, utrum malit petere rem, an æſtimationem: ſi rem petat, ſtatim eam exiget: ſi malit æſtimationem, maritus eam præſtabit annua, bima, trima die. Quid ſi poſt triennum non reddiderit, quas uſuras pro mora ſolvet? Quærendum, an & in ſingulis penſionibus ſingulorum annorum uſuras quoque pendere debuerit. Pone, maritum teneri ad reſtituenda decem millia, tam pro pretio rerum æſtimatarum dotis, quam pro aliis quæ pondere, numero, ac menſura conſtant, eaque omnia annua, bima, trima die reddere debere. An ſolas æquas penſiones illius ſummæ in triennii ſpatio perſolvet, & nihil uſurarum nomine præſtabit? Quid ſi interim pecuniam dotalem fœnore occupatam habeat? An æquum eſt, mulierem tamdiu expectare, & ſuum abſque uſuris poſt triennium demum recipere? Verius nullas ſolviſſe niſi ex mora triennii. Olim rei uxoriæ actio, quæ mulieri dabatur ad dotis repetitionem poſt divortium, inter bonæ fidei actiones, non inter eas quæ ſtricti juris ſunt, reponebatur, ut planum eſt ex Inſt. lib. IV, cap. VI. Ea actione non dos univerſa petebatur, ſed ea tantum, quæ pondere, numero, ac menſura conſtabat, quæque non ſtatim, ſed annua, bima, trima die à marito erat reſtituenda. Græci juris interpretes *τὴν περὶ τῆς ἀναλήψεως τῆς προικὸς ἀγωγὴν*, actionẽ de receptione aut repetitione dotis, vocant. Gloſſæ Nomicæ: *Ρεπετίτιων, ἀνάληψις.*

Ῥεπετιτεύειν, ἀναλαμβάνειν. Alia fuit actio olim mulieribus dari ſolita ad exigendam dotem, ſoluto matrimonio, quæ ex ſtipulatu vocabatur, & ſtricti juris erat, totamque dotem, etiam quæ conſiſtebat in pondere, numero, & menſura, ſi ita conveniſſet, ſtatim repoſcebat. Græci τὴν προῖκα ἀπαιτοῦσαν ἀγωγὴν appellant. Hæc in ſolidum movebatur, & de omni dote, ſi omnem ſtatim reddi ſtipulatione conveniſſet. At ſi, qui dotem dediſſet, non etiam de his, quæ pondere, numero, & menſura conſtant, ut præſenti die redderentur, ſtipulatus eſſet, ſola dos reliqua ſic petebatur. Altera autem actione de repetitione dotis, pondere, numero, ac menſura conſtantis, in quantum facere poſſet, maritus condemnabatur. Ulpianus, tit. de dotibus: *Dos, ſi pondere, numero, menſura contineatur, annua, bima, trima die reddetur, niſi, ut præſens reddatur convenerit. Reliquæ dotes ſtatim redduntur.* Ad has igitur dotes, quæ ſtatim reddebantur, actio τὴν προῖκα ἀπαιτοῦσα inſtituta fuit, quæ actio ex ſtipulatu dicitur. Ad illam vero, quæ pondere, numero, menſura continetur, repetendam, altera actio, cui de *Reuxoria* nomen fuit, valebat. Ita enim vocatur in veteribus libris Juſtiniani, Cod. *de Reuxoria.* Idem in ipſa lege: *Et natura quidem, ex ſtipulatu actionis hæc intelligatur, Reuxoria in poſterum ceſſante.* Gloſſæ Nomicæ: Ῥεξωρεία, ἀγωγὴ περὶ τῶν τῆς γυναικὸς πραγμάτων. Item: Ῥεξωρεία, τὸ ἐκ τῆς γυναικὸς κινούμενον. Et apud Theophilum, legendum ex ſcriptis lib. IV, cap. VI, Καὶ ῥεξωρεία πάλαι. ἥρμοζε δ' αὕτη μετὰ διάλυσιν τοῦ γάμου τῇ γυναικὶ κατὰ τοῦ οἰκείου ἀνδρὸς, ἐπὶ ἀναλήψει τῶν προικιμαίων πραγμάτων. *Reuxoria* vox compoſita pro *Res uxoria*. Sic *Fœnogræcum*, pro *Fœnum Græcum.* Et in Claudio Suetonii vetuſtiſſimi libri *Ferotauros* unica voce appellant, quos editiones *Feros tauros. Res uxoria* proprie appellabatur dos ipſa, quia ad uxorem pertinebat. Nam, ut ait Boëthius, ad Topica Ciceronis,

Dos,

Dos, licet matrimonio conſtante in bonis viri ſit, eſt tamen in uxoris jure, & poſt divortium velut res uxoria peti poteſt. Actionis *rei uxoriæ* nomen non eſt auditum Romæ ante divortium Carvilianum. Hujus erat mentio frequens in libris Juriſconſultorum quos compilavit Juſtinianus, quæ nulla in ejus digeſtis inde compilatis hodie comparet. Apud Modeſtinum in collatione legum Moſaicarum ſub Titulo de depoſito: *Sic enim & in fiduciæ judicio, & in actione rei uxoriæ, & dolus & culpa deducitur.* Dediſſes hunc locum Triboniano in ſua collectione digerendum, ſine dubio repoſuiſſet, *Sic enim & in pignore, & in dote.* Nam & *fiduciæ* nomen ubique ex ſcriptis Juriſconſultorum, ut infra dicam, expunxit, & rei pariter uxoriæ mentionem abolevit, quia ejus actionem ſuſtulit Juſtinianus, ex utraq; actione, ex ſtipulatu & rei uxoriæ, una facta, quæ ex ſtipulatu ob rem uxoriam repetendam ageret. Quod in rei uxoriæ actione præcipuum fuit, hoc eſt, bonæ fidei beneficium, huic accommodavit, quæ antea ſtricti juris erat. Sic ſi quis vere æſtimet, utramque ſuſtulit, novamque inſtituit veteri juri plane incognitam. Quam bene, viderint Juriſconſulti. Triennii tempus, quod antea ex rei uxoriæ actione doti reddendæ datum marito fuerat, in eo dotis genere quod in quantitate conſiſtebat, ad annuam diem reduxit. Præſentem diem, quæ reliquis dotibus exigendis, in pondere, numero, ac menſura non conſiſtentibus, præſtituta fuerat, per actionem ex ſtipulatu, ſolis rebus, quæ ſolo continentur, illico reſtituendis, præſcripſit. Si maritus autem moram faceret mobilibus intra annum & immobilibus ſtatim reddendis, uſuram æſtimationis omnium rerum, quæ non eſſent immobiles, præſtare eum voluit à die ſoluti matrimonii: immobilium, & rerum ſoli fructus quos percepiſſet, penſiones ædium, vecturas navium, & quæſtum civilium annonarum, & omne omnino commodum quod ex

rebus dotalibus quæſiſſet, bona fide reſtituere eum voluit. Quales uſuras à marito præſtari velit, ſi res moventes vel incorporales intra annum reſtituere ſuperſederit, etiamſi non dixiſſet, ſatis tamen appareret. Cum enim bonæ fidei hanc actionem eſſe ſtatuat, eas deberi palam eſt, quas in bonæ fidei cõtractibus etiam non pactas obſervari moris fuit. Olim quidem judices pro arbitrio ex more regionis, ubi contractum erat, eam conſtituere ſolebant, ut patet ex leg. I, & XVII, D. de uſuris. Verum ex modo, quem Juſtinianus tum uſuris poſuerat, non poterant trientes excedere, hoc eſt, *τρίτην ἑκατοστῆς*. Quod argumento leg. XXXI, Cod. de jure dotium, poteſt probari, qua ſanxit idem imperator, eum, qui dotem ſpopondit vel promiſit, poſt biennnium à contracto matrimonio uſuras uſq; ad tertiam partem centeſimæ præſtare. Quidni igitur & uſuras, quas ob moram tardius reſtitutæ dotis ſocero vel uxori ſuæ gener præſtare jubetur, ſi poſt annum in reſtitutione ceſſaverit, ad eum modum deberi dicamus? Nec pluribus opus, cum diſerte id conſtituerit Juſtinianus lege unica, Cod. de Re uxoria. Adeo autem jus idem in redditione dotis & datione, ſi ab his, qui hoc vel illud præſtare debebant, mora fieret, ſtatui par fuit, ut conſtet, veteri Romanorum jure idem præſtitutum ſpatium ſolvendæ doti quæ promiſſa eſſet, & reddendæ, ſi conſiſteret in pondere, numero ac menſura. Inſignis ea de re locus extat in Excerptis Polybii de Scipione, qui cum dotem deberet patris ſororibus, eamque poſſet, ut leges jubebant, annua, bima, trima die ſolvere, ut liberalitatem ſuam teſtaretur & affectum erga propinquas, univerſam præſenti die ſolvit. Ea porro dos erat quæ in pecunia numerata conſiſtebat. Verba Polybii: *κατὰ δὲ τοὺς Ῥωμαίων νόμους δέον ἐν τρισὶν ἔτεσιν ἀποδοῦναι τὰ προσοφειλόμενα χρήματα τῆς φερνῆς ταῖς γυναιξὶ, προδοθέντων τῶν πρώτων ἐπίπλων εἰς δέκα μῆνας κατὰ τὸ παρ' ἐκεί-*

νοις

νοις ἔθος, εὐθέως ὁ Σκιπίων συνέταξε τῷ τραπεζίτῃ τῶν κʹ καὶ εʹ ταλάντων ἑκατέρᾳ ποιήσασθαι τὴν ἀνταπόδοσιν ἐν τοῖς δέκα μησί. Una penſione ſolvit, quod tribus poterat. Mirum vero, Juſtinianum in pari cauſa & favore, immo etiam jure, dandæ dotis ac reddendæ, ſpatium redditionis ex triennio ad annum redegiſſe, cum promiſſæ dotis ſolutioni terminum ex eodem triennio legibus antiquis præſtituto ad biennium revocaſſet. Cui porro dubium eſt, quin jure veteri, quo vir rerum dotalium, quæ pondere, numero, & menſura continentur, reſtitutionem tribus penſionibus, annuæ, bimæ, & trimæ diei facere, rei uxoriæ actione interpellatus cogebatur, ſi poſt triennium ceſſaret, uſuras ex more regionis, ut in contractibus bonæ fidei mos erat, teneretur præſtare? Quinimmo, ſi ſingulis annis inferre penſionem ſuperſederet debitam, illius anni uſuras puto debuiſſe, &, ſi per triennium nihil ſolviſſet, & adhuc poſt illud ſpatium moraretur, ex die diſſoluti matrimonii ſolvendarum reum eſſe dici poſſe. Hoc appareret ex libris veterum Juriſconſultorum, ſi integri ad nos perveniſſent. Conſtat etiam ex verbis Polybii, quæ ſupra retulimus, ſingulas penſiones non poſt finem anni ſed decimo menſe ſolvi ſolitas, forte ut, ſi non eſſet ſoluta, in fine cum uſuris poſſet exigi ab eo cui debebatur. Ad hoc veteris juris inſtar & Juſtinianus, cum triennale ſpatium ad annum reduceret ad reſtitutionem dotis, quæ conſtabat in pondere, numero, & menſura, ſi poſt annum moram reſtitutioni necteret maritus, ex tempore diſſoluti matrimonii uſuras deberi pronuntiavit, & quidem trientes. Quas uſuras videtur Juſtinianus omnibus bonæ fidei contractibus præfiniſſe, quæ olim ex more regionis arbitrio judicis conſtitui moris erat, dum ne legitimarum modum tranſirent. Eæ tunc centeſimæ. Ergo à centeſima inferiores omnes, non etiam ſuperiores, licebat in bonæ fidei judiciis moram facientibus imponere,

 ipſa

ipſa etiam centeſima comprehenſa. De quo infra pluribus. Ceterum, ut retentione dotis vir uxorem puniebat ob mores graviores, ita vir ab uxore ſimiliter puniebatur ob pares mores reſtitutione dotis præſenti die, quæ in longiorem diem rei uxoriæ actionem ſuſpendebat. Locus Ulpiani, ex corpore regularum ejus, vulgo inquinatiſſimus, ſic eſt repurgandus: *Mariti quidem mores puniuntur in ea quidem dote quæ ad diem reddi debet, ita: Propter majores mores præſentem dotem reddit, propter minores ſenum menſium die. In ea autem quæ præſens reddi ſolet, tantum ex fructibus jubetur reddere, quantum in illa dote quadriennii redituum repenſatio facit.* Gloſſæ veteres: *Repenſare*, ἀντιστῆσαι, ἀνταδοῦναι. Inde *repenſatio*, ἀντιποίκασις, ἀντιστάθμισις, quæ eſt æſtimatio vel pretium quod æquivalet reditibus fundorum in quadriennio percipiendis. Retentiones ex dote, quæ à marito antiquitus fiebant, aut propter liberos, aut propter mores, aut propter impenſas, aut propter res donatas, aut res amotas, omnes ſuſtulit Juſtinianus, prædicta leg. unica Cod. de Re uxoria. Sed hæc non ſunt hujus loci, & ſcribimus non de jure dotium, ſed de dotium uſuris. Hinc vel maxime perſpicuum eſt, quanto moderatiores uſuræ in uſu Romanis fuerint quam Græcis, cum ex eadem cauſa moræ in reddenda dote factæ Græci uſuram permiſerint ratione duodeviginti denariorum in centum, quæ jure Romano trientes in eodem caſu licitæ, dantes in centum quattuor annuos denarios. Rationem hujus differentiæ infra reddimus.

CAPUT V.

De nauticis & maritimis uſuris. Sola periculi ratione eas à communibus fuiſſe diſtinctas, & nomen inde habuiſſe. Majorem etiam modum iiſdem propterea competiſſe. Ideo & ἐγγύους appellatas communes, quia creditori

creditori ſecura, non ἐγγείους, hoc eſt, terreſtres. Quid ſit κατάγγεον & ὑπόγγεον οἴκημα. Quid ἔγγειον κτῆμα vel οἴκημα. Alia ratio exponenda vocis ἔγγυον in uſuris communibus. Vſuras quaſi ſpondere & fidem præſtare pro ſorte. Qui eas ſemel ſolvit, non poſſe amplius creditum inficiari. Locus Theophraſti explicatus. Veriorem videri expoſitionem quæ ἔγγυον pro tuto & ſecuro accipit. Nautici fœnoris modum Athenis intra ἐπίπεμπτον τόκον, ut plurimum, ſtetit. Non id tamen perpetuum fuiſſe nec eſſe potuiſſe. Vſuras variare, pro temporibus ac locis, ac rerum etiam ipſarum, quæ mutuo dantur, conditione. Ante Iuſtinianum nullum fœnori nautico modum fuiſſe præſcriptum. Cur iniquum videatur in omni navigatione pares uſuras exigi, quod voluit Iuſtinianus. Cur leviores uſuræ nauticæ Athenis uſitatæ quam olim Romæ ante Iuſtinianum. Non recte videri, eum imperatorem eaſdem uſuras ſtatuiſſe exigendas in navigationem annuam, atque in trimeſtrem. Græcis Atticis antiquis non aliter appellatas fœnoris maritimi uſuras quam nauticas. Qui ex Græcis διαποντίους & ἐπιποντίους τόκους dixere, ſub imperio Romano vixiſſe, atque ita eas appellaſſe, ut trajecticiam pecuniam exprimerent. Ἔγγυα δανείσματα & ναυτικά, oppoſita. Demoſthenes emendatus. Quid ſit διακεχρησμένον. Apud eumdem oratorem ἔγγειος οὐσία diſtincta à nominibus. Ἔκδοσις oratoribus Atticis de pecunia trajecticia, & δάνεισμα κατ᾽ ἔκδοσιν. Ἐκδοῦναι ἔκδοσιν. Ναυτικὸν ſimpliciter, fœnus nauticum, vel pecunia ſub uſuris maritimis credita. Ναυτικοῖς δανείζειν, & ναυτικοῖς ἐργάζεσθαι. Demoſthenes correctus. Cur ἐκδόσεως nomine appellatum nauticum fœnus. Lex Attica explicata de negotiatoribus frumentariis. Non licuit fœneratoribus pecuniam ſub uſuris nauticis alicui mercatori frumentario locare, niſi ea conditione, ut frumentum ex ea pecunia coëm-

ptum Athenas importaret. Fœneratores legem impoſuiſſe his quibus pecuniam dabant trajecticiam, quos in portus adpellere, & quas regiones petere deberent. Aliarum mercium quam frumenti negotiatores non fuiſſe coactos eas deferre in emporium Athenienſium. Ad hoc etiam invitatos fuiſſe immunitate vectigalium. Pecuniam trajecticiam ἔκδοτον dictam ob periculum cui exponebatur. Tyrius maximus explicatus. Quid ſit ἐν θαλάττῃ παραβάλλεσθαι. Quid παράβολος, & παραβολεύσασθαι, & parabolari apud veterem interpretem Epiſtolarum Pauli. Lege Rhodia non licuit aliter pecuniam trajecticiam fœnerari quam cum periculo creditoris. Hac in re leges Romanæ Rhodiis contrariæ. Lege Rhodia controverſias omnes nauticas decidi voluiſſe imperatores Romanos jam inde ab Auguſto. Lex Antonini, qua id confirmavit, aliquot locis emendata & explicata. Legem Rhodiam tum demum valuiſſe ubi nulla lex Romana contrarium juberet. Ex lege Rhodia ante Antoninum Pium naufragia ad fiſcum & publicanos pertinuiſſe. Id mutaſſe eumdem Antoninum. Lex ejuſdem Cod. de Naufragiis emendata. Etiam apud Athenienſes, ut apud Rhodios, non aliter ſyngraphas de trajecticia pecunia conſcribi ſolitas, quam ut periculum rei creditæ creditorem reſpiceret. De vario apud Athenienſes nautici fœnoris modo. Syngrapha nautica apud Demoſthenem expoſita, & aliquot locis correcta. Quis locus in Boſporo dicatur ἐφ' ἱερόν. Quid ſit σύλη Atticis. De ἀνδροληψίᾳ, & jure repreſaliorum. Tempeſtates circa caniculæ ortum majores excitari ſolitas. Ægæum mare procelloſum fuiſſe ob multitudinem inſularum quibus eſt quaſi conſitum. Quid differant ἐμβάλλειν & εἰσβάλλειν. Quid ſit ἐμβολὴ navis. Quid ſit ἐξελέσθαι φόρτον, merces nempe exonerare, & contrarium τοῦ ἐμβάλεσθαι. Ariſtoteles in ſecundo Oeconomico explicatus, Harpocration emen-

emendatus. Prout majus incurrendum eſſet in navigatione periculum, ita majores uſuras in pactionem trajecticiæ pecuniæ deductas. Fœnus nauticum in Seſto oppido Helleſponti fuiſſe ἐπόγδοον, hoc eſt, in octavam ſortis partem. Demoſthenes emendatus in oratione ad Polyclem. Nauticum fœnus non fuiſſe diarium. Quid ſit κατάγειν τὰ πλοῖα. Alia multa.

Diximus de communibus uſuris, quas apud Athenienſes non ulla lex ſcripta, ſed ſola conſuetudo ex uſu ac ratione commerciorum in contractibus intra modum coëgit, cum lex infinitas eas permitteret. Nunc dicendum de maritimis ac nauticis, quas & ipſas in eadem civitate mos & uſus, ut citra certos limites conſiſterent, præſtitiſſe videtur, cum licentia in hoc genere fœnoris liberior ſemper & effuſior apud omnes fere populos conceſſa fuerit quam in communi, propter periculi rationem. Quæ ſola cauſſa fecit ut diſtinguerentur tam nomine quam modo ab his quæ citra periculum ſui auctoris in pactionem venirent. Quid enim opus erat, has uſuras *maritimas* & *nauticas* indigetare, niſi quia ſub hac appellatione intelligi dabatur, periculum earum, ut ipſius ſortis, auctorem fœnoris ſpectare? Alias totidem uſurarum genera & appellationes fingendæ fuiſſent, quot res ſunt quarum gratia homines mutuam ſumunt pecuniam. Qui ad agros mercandos fœnebre mutuum acciperet, uſuræ inde profectæ dicendæ forent *agreſtes*. Pecunia ad ædes emendas ſumpta ſimiliter inde appellatas uſuras dare debuit. Atque ita de ceteris. Nam & *trajecticia pecunia* idcirco dicitur, quæ trans mare vehenda accipitur, & uſuræ, quæ ex pacto in eam pecuniam præſtantur, *maritimæ* & *nauticæ* vocantur, qui tamen nummi in terra dantur, atque in terra redduntur, uſuræque eorum pariter eodem loci ſolvuntur, non in ipſo mari.

Ex quibus perſpici poteſt quam inepte recentiores Græci ἐγγείους τόκους appellarint uſuras communes, quaſi *terreſtres*, cum vox ἔγγειον veteribus, de ſolis, ut jam ſupra notavimus, poſſeſſionibus, quæ ſolo continentur, uſurpata ſit. Ut enim κατάγειον οἴκημα & ὑπόγειον ſubterraneum eſt habitaculum, ita ἔγγειον κτῆμα vel οἴκημα, ſoli ipſius poſſeſſio dicitur, vel ædes in eo locatæ ac fundatæ. Ceterum ut recentioribus Græcis ἔγγειος τόκος dictus eſt, ita compilatori legum Navalium, quem recentem eſſe conſtat, δάνειον ἐπὶ γῆς appellatur, & diſtinguitur à maritimo, cap. xv, περὶ δανείου ἐπὶ γῆς καὶ θαλάσσης. At Græci veteres ἐγγύους eas uſuras, non ἐγγείους recte nominarunt, hoc eſt, tutas ac ſecuras creditori. Quia autem ἔγγυος Græcis idem etiam ſignificat quod ἐγγυητὴν & fidejuſſorem, ſubtilius fortaſſe quam verius aliquis poſſet exiſtimare, ἐγγύους τόκους in communi fœnore appellari, quod uſuræ quaſi pro ſorte ſpondeant, ac fidem præſtent. Qui enim uſuras ſolvit, eo ipſo fatetur ſe principalem ſummam debere, propter quam eas pendit. Non integrum igitur illi ſit, creditum abnegare, quem ſemel uſuras ejus ſummæ conſtiterit præſtitiſſe. Hinc Theophraſtus, in characteriſmo ἀπιστίας, incredulum illum, & qualem ibi deſcribit, teſtes ait vocaſſe, quoties uſuras pro debito reciperet, ne inficiari amplius poſſent de ſumma ſortis, cujus nomine mercedem jam perſolviſſent: Καὶ τοὺς ὀφείλοντας αὐτῷ ἀργύριον μετὰ μαρτύρων ἀπαιτεῖν τοὺς τόκους, ὅπως μὴ δύνωνται ἔξαρνοι γενέσθαι. Cujus loci mentem non eſt aſſequutus doctiſſimus interpres & commentator. Ita ergo in communi fœnore ἔγγυοι τόκοι dici potuerint, quod ἔγγυοι fuerint pro ipſa ſorte, fidemque debiti fecerint. In nautico fœnore τόκοι non ſunt ἔγγυοι, quia uſuræ ſimul cum ſorte ſolvuntur, navigatione finita. Verius tamen puto, ἔγγυον eſſe in his uſuris communibus, ſicut Græci interpretantur, ἀσφαλές. Nam & ἔγγυον δάνεισμα dicitur, ipſum nempe mutuum, non

tantum

tantum ἔγγειος τόκος. Ad cujus differentiam, ἐπικίνδυνον dixere & ἐπιπόντιον δάνεισμα, quod ita trajiciendum & trans mare portandum accipitur à mercatore, ut fœnerator, qui id mutuum dedit, periculum creditæ ſummæ in ſe reciperet, ſi quod infortunium navi contigiſſet, vel à tempeſtate, vel à piratis, vel ex furtis, vel alio quocunque caſu. Pecuniæ igitur ſic datæ uſurarum modus per ſe ex contrahentium mutua, quam mos & uſus induxerant, conſenſione intra ἐπίπεμπτον τόκον ut plurimum Athenis ſtetit. Ita communis fœnoris ἔφεκτος τόκος ab eodem tacito contrahentium conſenſu veluti legem accepit. Quod non tamen ita perpetuum fixumque fuit, ac ſi lex eam menſuram uſuræ utrique fœnori præfiniviſſet. Nam, pro ratione temporum & rerum ipſarum, cum in eodem ſtatu non poſſit nec debeat manere uſurarum temperamentum, ſed variandum ſit, modo ampliores, modo minores, ut erant commercia, accipi, jus & æquum fuit. In quo conſuetudinem lege ipſa multo juſtiorem eſſe ac meliorem non dubitem pronuntiare, quatenus lex eamdem omni tempore & loco regulam ſervare optime poſſit, circa res quæ parem modum ubique, & in omnibus eumdem tenorem habere aptæ ſunt. Ubi vero res ex vi naturæ ſuæ variant, quomodo lex, quæ immutabilis eſt, recte eas reget ac moderabitur? Si mutetur lex, id non fieri poteſt niſi ut nova lege tollatur. At infra breve ſpatium ea tempora, ſi forte, poſſunt incidere, ut vetus revocanda ſit, nova abrogata. Quis finis erit tandem? Melius ergo conſuetudini, legis non ſcriptæ vicem obtinenti, ea permittentur decidenda, quæ aliam atque aliam formam ſubinde recipiunt, quibus mos & uſus ita ſe accommodant, ut ipſa ejus variatio pro norma ſit rebus variantibus. Ante Juſtinianum nauticum fœnus apud Romanos ſemper liberum fuit uſque ad infinitam uſurarum licentiam, cum tamen commune in ea republica

blica nullo non tempore reſtrictum ſuis limitibus fuerit. Ad centeſimam uſuram placuit illi imperatori id reducere. Quaſi in omnibus navigationibus, ad quas pecunia trajecticia ſumebatur mutua, eadem periculi eſſet ratio, idem tempus eſſet conſumendum, donec ſalva navis in portum rediiſſet. Quid vero iniquius, quam pares uſuras exigi ad navigationem, quæ non eſſet ante annum, vel etiam biennium, peragenda, & ad eam quam trimeſtre ſpatium finiret? Hoc temporis intervallum, quod navigando impenditur, longius breviuſque, fecit ut uſurarum in pecunia trajecticia modus pæne ſtatus ac ſollemnis, levior fuerit apud Athenienſes quam apud Romanos ante Juſtinianum. Nam apud Romanos, teſte Paulo, lib. II Sententiarum, cap. XIV, de uſuris, *Trajecticia pecunia propter periculum creditoris quamdiu navigat navis, infinitas uſuras capere poteſt.* Apud Athenienſes autem, ut ex Xenophonte jam ſupra notavimus, & in ſequentibus id ſumus confirmaturi, *ναυτικὸς τόκος*, fuit *ἐπίπεμπτος*, id eſt, *quintarius*, nempe in quintam ſortis partem, quod vulgo dicimus *viginti in centum*, cum commune fœnus eamdem uſuram daret in centum ac viginti. Quod aliquis miretur, cum communes uſuræ Atticis tanto majores receptæ fuerint, quam Romanis. Sed hæc ratio eſt. Navigationes Athenienſium omnes fere Boſporum petebant, aut, cum longiſſime ibant, Pontum. Ut breves erant, ita minoribus obnoxiæ periculis. Nam in longo navigationis tempore, frequentiora ſolent incurrere pericula, tam à piratis, quam à tempeſtate. Si in Ægyptum, aut in Syriam etiam navigarent, breviori ſpatio id iter conficiebant, quam Romani, qui ſi & in Pontum ire navi vellent, ut ſæpe faciebant, vix anno abſolvebant, quod trimeſtri ſpatio perficiebatur Athenienſibus. In Græciam ituris Romanis, ut in eam creberrimæ mercatoribus navigationes, plus temporis inſumendum

dum erat, quam Græcis Pontum petituris. Quid de India loquar, quam & Romani mercatores jam ab Imperio Auguſti frequentabant, & cum Perſis commercia miſcebant? An æquum fuit mercatori ad navigationem Indicam pecunias mutuato, non majores uſuras promittere ſuo fœneratori, quam ſi Siciliam aut Africam eſſet ex Italia trajecturus? At lege Juſtiniani, quæ modum fixit trajecticiæ pecuniæ fœnori, quocunque vela daturus eſſet mercator, & in quantumcunque temporis ſpatium, non plus licuit fœneratori ab eo uſurarum nomine exigere quam centeſimam in omne navigationis tempus. Quod non fieri debuit. Nam præter periculum ratio etiam fuit habenda temporis, ut in omni uſura fit. Pone, aliquem ex longa navigatione non redire ante annum & quattuor menſes. Quippe & ipſe Juſtinianus, in Novella de nautico fœnore, fatetur, interdum ultra annum navigationem extendi. Fœnerator ille, qui pecuniam dedit, poſt annum illum & quattuor menſes non plus à mercatore cum nave incolumi reverſo recipiet, ultra ſortem, quam centeſimam. Atqui potuiſſet idem fœnerator citra periculum ex communi fœnore, cui beſſes uſuras Juſtinianus permiſit, ſi negotiator aut trapezita id exercerent, tantumdem lucrari intra illud tempus quo navigavit navis. Et, quod magis iniquum eſt, ſi navis intra menſem unum aut alterum reverſa foret, eamdem centeſimæ ſummam taxavit idem imperator. Hanc iniquitatem haud multo poſt vidit idem, & correxit. Verum de his infra, ubi nauticum fœnus ex Romanorum jure & more explicabimus. Nunc in Græcia ſumus, & quidem Athenis, apud quas, ut etiam Romæ, ſola periculi ratio diſcrimen inter nauticum fœnus & commune conſtituit. Nulla quippe re alia Græcis hoc ab illo diſcretum eſt, cum modo tum nomine. Commune ἔγγυον appellatum, id eſt, tutum. Ergo nauticum dubium & anceps, & periculo credi-

toris

toris navigans. Ideo & major in hoc modus admiſſus quam in altero. In ἐγγύῳ enim communiter uſura uſitata, τόκος ἔφεκτος. In nautico, ἐπίπεμπτος. Notandum porro apud Atticos non alio nomine nauticum fœnus fuiſſe appellatum quam ναυτικὸν, non, ut apud Græcos recentiores reperitur, διαπόντιον & ἐπιπόντιον, quaſi ſic vocaretur ad diſtinctionem ἐγγείου ſive terreſtris, quod nullum hoc nomine notum fuit Græcis, apud quos, ut ante obſervabamus, τὰ ἔγγεια, id eſt, res ſoli, opponuntur τοῖς ἐπίπλοις, id eſt, ἐπιπολαίᾳ κλήσει, hoc eſt, mobilibus. Scriptores itaque Græci, qui ἐπιπόντιον & διαπόντιον δάνεισμα vocant, vixere ſub Romanorum imperio, & loquutionem Romanam, qua *trajecticiam pecuniam* dicunt, quæ in fœnus nauticum datur, ita exprimere videntur voluiſſe. Pollux, lib. III, cap. IX: ἔγγυα δανείσματα, ναυτικά. Item, lib. VIII, cap. XII, quod eſt περὶ δανείσματος, ita ſcribit: Δάνεισμα, χρεωφείλημα, ἔγγυον, ναυτικόν. Nuſquam διαπόντιον aut ἐπιπόντιον vocat. Cap. XI ejuſdem libri, ναυτικὴν συγγραφὴν appellat quæ de nautico fœnore conſcripta eſt. Sed & ναυτικοὶ τόκοι Demoſtheni vòcantur uſuræ nauticæ. Diogenes Laërtius, in vita Zenonis, ναυτικῶς δανείζειν, hoc eſt, *ſub uſura nautica fœnerari*, de ipſo Zenone: Φασὶ δ' αὐτὸν ὑπὲρ χίλια τάλαντα ἔχοντα ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἑλλάδα, καὶ ταῦτα δανείζειν ναυτικῶς. *Ferunt, eum, cum in Græciam venit, habuiſſe ſupra mille talentum, eaque fœnore nautico collocaſſe.* Sic ναυτικῶς ἐργάζεσθαι, Demoſtheni in ea contra Apaturium: μέτρια δ' ἔχων τούτοις πειρῶμαι ναυτικῶς ἐργάζεσθαι. Ita legendum, non, ut vulgo eſt, ναυτικοῖς. Dicit, cum mediocres haberet facultates, ſe maritimis uſuris & quæſtibus animum adjeciſſe. Ἐργάζεσθαι ſimpliciter eſt *quæſtum facere*. Ergo ἐργάζεσθαι ναυτικῶς, ut δανείζειν. Quinimmo τὰ ναυτικὰ apud Oratores Atticos ſimpliciter uſurpantur de bonis, quæ in fœnore nautico poſita ſunt. Demoſthenes, in priore contra Aphobum, bona,

quæ pater reliquerat, ſic enumerat, & quidem quæ in fœnore tam ἐγγύῳ quam ναυτικῷ conſiſtebant, hoc modo: ναυτικὰ δὲ ἑβδομήκοντα μνᾶς ἔκδοσιν παρὰ Ξούθῳ, τετρακοσίας δὲ καὶ διχιλίας ἐπὶ τῇ τραπέζῃ τῇ Πασίωνος, ἑξακοσίας δὲ ἐπὶ τῇ Πυλάδου, παρὰ δὲ Δημομέλει τῷ Δήμωνος υἱεῖ χιλίας καὶ ἑξακοσίας, κατὰ διακοσίας δὲ καὶ τριακοσίας ὁμοῦ τὸ τάλαντον διακεχρημένον. Nomina uſuraria recenſet quæ patri debebantur, cum deceſſit, & primo quidem τὰ ναυτικὰ, id eſt, ſub uſuris maritimis credita. Deinde τὰ ἔγγυα apud trapezitas collocata, Paſionem & Pyladem. Hæc tuta nomina, ad menſam data. Mox numerat, quæ non menſariis locata, ſed privatis fœnore data, & nominatim quidem Demoteli Demonis filio. Poſtremo æs memorat, variis, quos non nominat, creditum per minutas ſummas, ducentarum aut trecentarum drachmarum, quæ omnes collectæ talentum fere conficerent. Κατὰ διακοσίας δὲ καὶ τριακοσίας ὁμοῦ τὸ τάλαντον διακεχρημένον. Vitioſa hæc ſcriptura & legendum omnino, διακεχρησμένον. Quod eſt, per partes variis creditum. Idem tamen mendum, quod mireris, hæſit in lexico Harpocrationis, apud quem legitur, dum hunc ipſum locum oratoris explicat, Διακεχρημένον, ἀντὶ τοῦ κατὰ μέρος δεδανεισμένον. Atqui certiſſimum eſt, reſcribi debere, διακεχρησμένον. Nam, ut aliud κεχρημένον, aliud eſt κεχρησμένον, idem in compoſitis obtinet. Κεχρησμένον ἀργύριον eſt *mutuo datum*, unde χρήστης, *creditor*. Κεχρημένος, eſt *indigens*, qui aliqua re opus habet. Heſiodus: Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει. Sed ad rem. In ſyngrapha nauticæ pecuniæ apud eundem Demoſthenem ναυτικὰ & ἔγγεια ſic opponuntur, ut illa ſignificent pecuniam in nautico fœnore poſitam, hæc poſſeſſiones quæ ſolo continentur. Καὶ ἐκ τούτων ἁπάντων ἐγγείων τε καὶ ναυτικῶν. Sic & in παραγραφῇ ὑπὲρ Φορμίωνος, apud eumdem, ἔγγειος οὐσία diſtinguitur à nominibus: Ἡ μὲν γὰρ ἔγγειος οὐσία Πασίωνι μάλιστα τάλαν-

των

των εἴκοσιν ἀργύριον δὲ πρὸς τούτῳ δεδανεισμένον ἴδιον πλέον ἢ πεντήκοντα τάλαντα. Vix tamen aliter mihi perſuadeo, quin melius ſit legi in Syngrapha trajecticiæ pecuniæ, καὶ ἐκ τούτων ἁπάντων, ἐγγύων τε καὶ ναυτικῶν. Ubi ἔγγυα ſunt nomina ſub communibus & tutis uſuris locata, ναυτικὰ maritimis & creditoris periculo data, ut non uno loco ea diſtinxit magnus auctor Pollux, & ſolidioris doctrinæ laude omnibus præferendus, qui ὀνομαστικὰ conſcripſere. Ναυτικὸν ergo abſolute pro pecunia ſub uſuris nauticis credita. Poſſemus itaque & ſine emendatione locum Xenophontis, quem ſupra emendabamus, ſic interpretari: ὦ μὲν δίκα μναῖ εἰσφορὰ γίνονται, ὥσπερ ναυτικὸν, σχεδὸν ἐπίπεμπτον αὐτῷ γίγνεται, τριώβολον τῆς ἡμέρας λαμβάνοντι. Ἔκδοσιν etiam Attici proprie dixerunt de pecunia trajecticia ſive nautico fœnore, quam vocem Grammatici interpretantur quaſi ἔξω δόσιν, quod nimirum, ut eos puto intellexiſſe, pecunia foras daretur, & ad navigandum, non, ut in urbe conſumeretur, ut in ἐγγύῳ fœnore. Atque hæc eſt notio trajecticiæ pecuniæ Latinis, quæ in hoc, ut mare trajiciat, datur. Harpocration: Ἔκδοσις, τὸ ναυτικὸν δάνεισμα, οἱονεὶ ἔξω δόσις. Citatque Demoſthenem contra Aphobum, & is eſt locus quem paulo ante attulimus: ναυτικὰ δὲ ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς, ἔκδοσιν παρὰ Ξούθῳ. Ubi forſitan melius eſſet ſcribere, καὶ ἔκδοσιν. Ita enim Pollux vocat lib. VIII, cap. XII: Δάνεισμα, ἔγγυον, ναυτικὸν, καὶ ἔκδοσιν, vel καὶ ἐκδόσεις. Sic potius ſcribendum, quam, ſicut vulgatum eſt, καὶ ἐκδόσεις. In Demoſthene nihil muto. Sic alibi loquutus eſt, ut in ea contra Callipum: Ἐκεῖνος γὰρ τετταράκοντα μνᾶς ἔκδοσιν ἐκδοὺς εἰς Θρᾴκην Μεγακλείδῃ τῷ Ἐλευσινίῳ καὶ Θρασύλλῳ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, μεταδόξαν αὐτῷ μὴ ἐκεῖσε πλεῖν, μηδὲ κινδυνεύειν. Ubi vides, ἔκδοσιν ἐκδοῦναι proprie de nautico fœnore dici, & periculo creditoris navigaturo. Sed & μνᾶς ἔκδοσιν δοῦναι ita dici uti hic, ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς ἔκδοσιν παρὰ Ξούθῳ. Similior adhuc

adhuc eſſet loquutio, ſi legeretur, ἔκδοσιν ἐκδοθέντα παρὰ Ξύθῳ. Idem lib. III, cap. IX: χρέως δανείσματα, ὀφειλήματα, ἐκδόσεις. ἐκδιδόναι, ἔγγυα δανείσματα, ναυτικά. Ergo δάνεισμα κατ' ἔκδοσιν, vel ἔκδοσις, idem quod fœnus nauticum. Nec ea tamen hujus vocis notio eſt quam ſibi fingunt Grammatici, ut ſit quaſi ἔξω δόσις. Nam ἔκδοσις eſt ſimpliciter locatio vel elocatio, de rebus quæ commodantur mercede conſtituta, hoc eſt, elocantur. Hinc ἐκδιδόντες Atticis, ſunt locatores publicorum operum, οἱ ἐργολαβοῦντες, mancupes, redemptores & conductores. Ergo & ἐκδιδόναι eſt *locare*, &, *mercede pacta aliquid dare utendum*. Sic pecuniæ, quæ dantur in fœnus, quod eſt merces pro uſu, locari à dantibus dicuntur Latine, & conduci ab accipientibus. Unde *conducti nummi* Horatio, ut ante notavimus, fœnore ſumpti. Attici autem, ſi forte, κατ' ἐξοχὴν de nautica uſura hanc locationem ſive ἔκδοσιν uſurparunt, utpote quæ mercedem majorem exigeret, quam communis & ἔγγυος. Hinc ἐκδιδόναι verbum, hoc eſt, *locare*, abſolute pro, *pecuniam mutuam dare in nauticum fœnus*, in lege Attica, quam allegat Demoſthenes in πρὸς Λάκριτον παραγραφῇ, his verbis: Ἀργύριον δὲ μὴ ἐξεῖναι ἐκδοῦναι Ἀθηναίων, καὶ τῶν μετοίκων τῶν Ἀθήνησι μετοικούντων μηδενὶ ἂν ὅτοι κύριοι ὦσιν εἰς ναῦν, ἥτις ἂν μὴ μέλλῃ ἄξειν σῖτον Ἀθήναζε, καὶ τἆλλα τὰ γεγραμμένα περὶ ἑκάστου αὐτῶν. ἐὰν δέ τις ἐκδῷ παρὰ ταῦτα, εἶναι τὴν φάσιν καὶ τὴν ἀπογραφὴν τοῦ ἀργυρίου πρὸς τοὺς ἐπιμελητάς. Ubi ἐκδοῦναι ἀργύριον eſt pecuniam ſub nauticis uſuris mutuam dare, id eſt, elocare. Non vetat ea lex, ut perperam notavit ad leges Atticas eruditiſſimus commentator, mercatoribus pecuniam credere, qui alibi quam Athenis negotiarentur. Quod eſt abſurdum. Nam illi ipſi mercatores, qui frumentum Athenas devehere lege jubentur, alibi quam Athenis negotiabantur, utpote qui aliunde illud frumentum Athenas importare neceſſe haberent. Cæterum

rum nec de omnibus mercatoribus ſcripta lex, ſed de ſolis σιτεμπόροις, id eſt, frumenti negotiatoribus. Lege igitur erat vetitum ne quis Athenienſis civis vel metœcus in eam navem, quæ proficiſceretur ad frumentum apud exteros coëmendum, pecuniam, cujus dominus eſſet, ſub fœnore nautico locaret, niſi quæ frumentum illud, quod ex ea pecunia emptum foret, Athenas eſſet importatura. Solebant enim, qui mutuam pecuniam dabant navicularii aut mercatoribus, eos in ſuas leges adſtringere, ne in alios portus cum mercibus appellerent quam de quibus pacto conveniſſent, ut conſtat ex hac lege: Τοὺς ναυκλήρους καὶ τοὺς ἐπιβάτας πλεῖν εἰς ὅτι ἂν συνθῶνται ἐμπόριον. Hoc enim in ſyngrapha fœneraticia expreſſe cavebatur, ut apparet ex ſyngrapha Androclis & Naucratis apud Demoſthenem: Καὶ ἀπάξουσι τὰ χρήματα τὰ ἐκ τοῦ Πόντου ἀντιφορτισθέντα Ἀθήναζε πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ πλοίῳ ἅπαντα. Vetantur ergo illa lege ſupraſcripta Athenienſes, tam cives, quam metœci, pecuniam fœnerari mercatoribus ad mercatum frumenti in Helleſpontum navigaturis alia conditione, quam ut frumentum, quod ex ea pecunia coëmiſſent, Athenas importarent. Si contra pactum venirent, graviſſima multa afficiebantur, ut lex eadem, quam paulo ante attulimus ex oratione contra Dionyſodorum, manifeſtum facit: Πλεῖν εἰς ὅ,τι ἂν συνθῶνται ἐμπόριον, εἰ δὲ μὴ, ταῖς μεγίσταις ζημίαις ἐνόχους εἶναι. Vulgo in ejuſmodi ſyngraphis duplum pecuniæ ſtipulari ſoliti creditores, ſi in alios portus, quam de quibus conveniſſent, navis deduceretur, aut aliud quid conventioni contrarium facerent, ut ex ſyngrapha, quæ legitur in eadem oratione contra Dionyſodorum, perſpicuum eſt, ἐὰν δὲ μὴ παράσχωσι ἐμφανῆ τὰ ὑποκείμενα καὶ ἀνέπαφα, ἢ ποιήσωσί τι παρὰ τὴν συγγραφὴν, ἀποδιδότωσαν διπλάσια τὰ χρήματα. Cujus rei illuſtre exemplum ſuppeditat illa pactio ſyngraphæ Dionyſodori apud Demoſthenem. Dionyſodorus & ſocius ejus Parmeniſcus

meniſcus pecuniam ſub uſuris nauticis & navis hypotheca à Dario & Pamphilo rogarunt mutuam, ea conditione, ut in Ægyptũ navigarent, & ex Ægypto Rhodum aut Athenas, uſuram pacti ſe ſoluturos in alterutro harum urbium Emporio. Darius & Pamphilus negarunt ſe dare poſſe ter. mille drachmas, quas petebant fœnore, alia lege atque omine, quam ut Athenas rediret navis, ibique ſors & uſuræ redderentur. Quia nimirum leges vetabant cum frumentariis negotiatoribus aliter paciſci, aut aliis conditionibus pecuniam fœnerari. Verba Syngraphæ: Ἀθήνηθεν εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἐξ Αἰγύπτου Ἀθήναζε. Non contenti fœneratores his legibus obligare, ipſos etiam mercatores & navicularios, ſi qui eſſent fortaſſe, qui ſua pecunia, non mutuaticĩa, negotiarentur ac navigarent, lege adſtrinxerunt, ne fas haberent alio frumentum peregre emptum invehere quam Athenas: ἐάν τις Ἀθηναίων ἐμπόρων ἢ ναυκλήρων ἄλλοθί ποι σιτηγήσῃ ἢ Ἀθήναζε, θάνατος ζημία ἔστω. Morte ſolitos multari, probatur ex Demoſthenis adverſus Phormionem Oratione his verbis: τῶν δὲ νόμων τὰ ἔσχατα ἐπιτίμια, προστεθεικότων εἴ τις οἰκῶν Ἀθήνησιν ἄλλοθί που σιτηγήσειεν ἢ εἰς τὸ Ἀττικὸν ἐμπόριον. Ut pœnis graviſſimis deterrebantur Attici cives & inquilini negotiantes alio quam in Atticum emporium frumenta invehere, ita ad hoc etiam invitabantur immunitate. Theophilus lib. I, cap. II: Οἷον ἡ τῶν Ἀθηναίων πόλις ἐνέχεται ἐπιστάκτῳ σίτῳ, οἷα λεπτόγεως οὖσα, καὶ μέγιστον ἦν παρ' αὐτοῖς ἐλάττωμα, τὸ τῆς σιτοδείας πάθος. Ὁ τοῦτο τοίνυν βουλόμενος καταπαῦσαί τι ἄν, ἐνομοθέτησεν, ἢ ὥστε τοὺς σιτεμπόρους ἀτελείας ἀξιοῦσθαι. Ita legendus ille locus ex veteribus codicibus. Ob penuriam frumenti, quo Attica laborabat ex ſoli ſui ſterilitate, quia λεπτόγεως, hæ leges latæ ſunt, quæ aliarum rerum ac mercimoniorum negotiatores nihil attingebant. Nulla igitur lex prohibuit, ut putavit vir eruditus, mercatoribus pecuniam credere qui alibi quam Athenis ne-

gotiarentur. Quod ne de frumentariis quidem verum eſſet, qui non potuiſſent Athenas frumentum importare niſi alibi eſſent negotiati. Sed peregre coëmptum in alias regiones illud devehere non poterant, quia cogebantur Athenas deferre. Quod in aliis mercibus non obſervabatur, nec vetitum erat. Qui hujuſmodi mercatoribus pecunias fœnerabantur, ſuo periculo id faciebant, non eorum quibus dabatur, ut in alio fœnore mos juſque eſt. Atque inde fortaſſe pecuniam trajecticiam ἔκδοσιν Attici vocarunt, quaſi projecticiam & expoſiticiam, utpote quę in caſus incertos & pericula daretur, ac velut exponeretur. Unde ἔκδοτος, πρόδοτος, Heſychio: & ἐκδιδόναι, προδιδόναι. Quod ego certe malo ita dictum, quam ut ἐκδιδόναι, ſit *elocare*. Id enim de pecunia, quæ quocunque modo fœnore datur, dixiſſent, ut Latini. Hinc Pollux, ut fœnus ναυτικὸν à communi diſtinguat, ut hoc ἔγγυον, id eſt, *tutum*, appellat, ita illud ἐπικίνδυνον vocat. Δάνεισμα ἔγγυον, ναυτικὸν, τὸ κατ' ἔκδοσιν, ἑτερόπλουν, ἀμφοτερόπλουν, ὑποκίνδυνον, ἐπικίνδυνον. Idem, lib. III, cap. XXIV: δανείζων ἔγγυα δανείσματα, ναυτικὰ, κατ' ἔκδοσιν, ἐπὶ μεγάλοις τόκοις παρακινδυνεύων. Ita enim & eo loco ſcribendum, non, ut vulgo eſt, ναυτικὰς ἐκδόσεις. Nam ἔκδοσις abſolute eſt nauticum fœnus. At ναυτικὰ & hîc δανείσματα, ut alibi, opponit τοῖς ἐγγύοις. De eo autem, qui fœneratur trajecticiam pecuniam, hæc dicuntur, ἐπὶ μεγάλοις τόκοις παρακινδυνεύων, *periclitans ſub magnis uſuris.* Ideo enim majores uſuræ huic fœnori competebant, quia periculo creditoris dabatur, ut toties jam dictum eſt. Inſignis de hoc nautico fœnore locus apud Maximum Tyrium occurrit, diſſertatione II. Quem inſigniorem facit doctiſſimi interpretis verſio, quæ ſenſum auctoris non expreſſit. Ὥσπερ γὰρ, inquit, ἐπὶ χρηματισμῷ παραβαλλομένων ἐν θαλάττῃ, οἱ τόκοι μεγάλοι τῶν δανεισμάτων, οὕτω καὶ τῶν ἐπεξιόντων τοῖς θυμοῖς οἱ μεγάλοι τόκοι τῶν συμφορῶν. *Qui magno fœnore ſe obſtringunt*, La-

tina

tina habet interpretatio. At in nautico fœnore non eorum eſt pecuniæ creditæ periculum, ſed creditorum. Præterea παραβάλλεσθαι ἐν θαλάττῃ non eſt *periculo maris ſe exponere.* Qui enim navigant, periculo quidem maris ſe exponunt, & vitæ periculum adeunt, ſed qui pecunias fœnerantur ſub nauticis uſuris, non ipſi vitam ſuam periculo maris exponunt, ut pote qui ſæpius non una navigent. Igitur quamvis in portu maneant, nihiloſecius παραβάλλονται ἐν θαλάττῃ, hoc eſt, *in mari periclitantur,* non vitæ, ſed pecuniæ, quam crediderunt, cujuſq; adeo periculum ipſos reſpicit, tam in ſorte quam in uſuris. Non ipſos navigaſſe interdum qui pecuniam trajecticiam crederent, oſtendit Demoſthenes in oratione contra Apaturium his verbis: Οὔπω δὲ ἔτη ἐστὶ τρία ἀφ' οὗ τὸ μὲν πλεῖν καταλέλυκα, μέτρια δὲ ἔχων, τούτοις πειρῶμαι ναυτικοῖς ἐργάζεσθαι. Sic igitur vertenda fuere verba politiſſimi ſcriptoris: *Vt eos, qui ob quæſtum periclitantur in mari, magnæ inſequuntur uſuræ, ita illos qui iracundiæ indulgent, magnæ ingruunt calamitates.* Παραβάλλεσθαι abſolute ac ſimpliciter idem eſt, quod παρακινδυνεύειν. Quod enim Pollux dixit de pecuniæ trajecticiæ fœneratore, ἐπὶ μεγάλοις τόκοις παρακινδυνεύων, idem hic apud Maximum ἐπὶ μεγάλοις τόκοις παραβαλλόμενος. Petronius:

Qui pelago credit, magno ſe fœnore tollit.

Ὁ παραβαλλόμενος ἐν θαλάττῃ δανειστὴς, ὁ τῇ θαλάττῃ τὰ χρήματα πιστεύων. De fœnore nautico intellexit. Nam *pelago credere*, eleganter dixit pro pecuniam credere ſub uſuris maritimis. Παραβάλλεσθαι autem idem eſſe quod παρακινδυνεύειν, idem Pollux oſtendit, lib. III, cap. XXVIII, περὶ τῶν ἐπικινδυνώδους καὶ ἐπικινδύνου. Ubi παρακινδυνεύειν & παραβάλλεσθαι in parallelo ponit. ῥήματα δὲ τῶν μὲν τοιοῦτα μόνα, τολμᾶν, θρασύνεσθαι, παρακινδυνεύειν, παραβάλλεσθαι, ἀπονενοῆσθαι. Inde παράβολος, παρακινδυνευμένος, projectæ ac deſperatæ audaciæ homo, idemque quod ἀπονενοημένος. Et adverbia apud eumdem ſynonyma,

nyma, capite eodem: παρακινδυνευτικῶς, παραβεβλημένως, ἀπονενοημένως. Suidas παραβάλλεσθαι exponit, πρὸς κίνδυνον ῥίπτειν ἑαυτὸν, citatque ex Polybio χρήσεις quæ eam ſignificationem adſtruunt. Ab illo παραβάλλεσθαι nomen παράβολος de audace ac temerario apud Ariſtophanem in Veſpis:

Πονηρὸς εἶ πόῤῥω τέχνης, καὶ παράβολος.

Id eſt, *deſperatus, perditus.* Male vulgo vertunt. Inde παράβολοι apud Socratem in Hiſtoria Eccleſiaſtica, *qui ad beſtias depugnabant.* Et παραβόλως, *temere, audacter,* ut, παραβόλως μάχεσθαι, apud Heſychium: Παραβαλλόμενος, ὁ παρακινδυνεύων, ὁ παραβόλως μαχόμενος. Ab eo nomine παράβολος, & aliud verbum παραβολεύεσθαι, idem plane quod παραβάλλεσθαι, quo uſus eſt Apoſtolus in Epiſtola ad Philippenſes cap. II. Ubi vetus interpres, ex antiquiſſimo Codice Bibliothecæ Puteanæ, *Parabolatus eſt de anima ſua,* reddidit, ut pluribus ad locum dicturi ſumus, non ut vir magnus, aliis oculis fortaſſe quam ſuis uſus, in Epiſtola ad Scaligerum ſe legiſſe teſtatur, *parabolanus fuit.* Certe & *parabolani,* & *parabolarii,* etiam inde appellati, ſed verbo *parabolari* pro παραβολεύσασθαι etiam uſi ſunt Latini illius ævi. Gloſſæ veteres παραβολεύσασθαι interpretantur *periculum facere.* & Heſychius παραβολευσάμενος, εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδούς. Ut παραβολεύσασθαι τῇ ψυχῇ dixit Apoſtolus, *capitis & vitæ periclitari,* ita & παραβάλλεσθαι τῇ κεφαλῇ Attici, & παραβάλλεσθαι τῷ ἀργυρίῳ. Unde παράβολον Ariſtoteli pecunia quæ deponebatur in judicio ab utraque litigantium parte, quod incertum foret utrius damno depoſita eſſet. Phrynichus in Ecloga dictionum Atticarum: Παραβόλιον, ἀδόκιμον τοῦτο. Τῷ μὲν οὖν ὀνόματι οὐ χρῶνται οἱ παλαιοὶ, τῷ δὲ ῥήματι. φασὶ γὰρ, οὕτω παραβάλλομαι τῇ ἐμαυτοῦ ψυχῇ. ἐχρῆν οὖν κἀπὶ τούτων λέγειν, παραβάλλομαι ἀργυρίῳ. Qui deponit pecuniam in judicio, pecuniæ ſuæ periculo ſponſionem eam facit. inde

παρά-

παράβολον, & παραβόλιον, hujuſmodi ſponſio, de qua adhuc infra, ubi de ſacramento & πρυτανείοις dicam. Certe & pecunia trajecticia παραβόλιον eſt creditori, quia in incertos caſus eam dat, & παραβάλλεται ἐν θαλάττῃ τὸ ἀργύριον, *pecunia periclitatur in mari.* Ideo & ἔκδοσιν Attici de hujuſmodi fœnore dixerunt, & pecuniam ἔκδοτον, quæ ſic daretur. Lege Rhodia non licebat aliter pecuniam trajecticiam fœnore dare quam ut periculum ejus reſpiceret creditorem: Τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ δεδανεισμένα ἔγγυα καὶ ἀκίνδυνα μὴ γραφέτωσαν. *Quæ in mari mutuo dantur, tuta & citra periculum creditori reddenda, ne ſcripto caveantur.* Qua in re legi Rhodiæ derogarunt Romanæ leges, quæ admiſerunt, trajecticiam etiam pecuniam ſine periculo creditoris accipi poſſe, ſed eo caſu Juriſconſulti ſcribunt, majus legitima uſura fœnus non deberi, ut planum eſt ex leg. 11 D. de nautico fœnore. Ea tamen lex eſt Rhodia, qua nauticas omnes controverſias decidi Imperatores Romani voluerunt jam inde ab Auguſto, qui primus hanc illis auctoritatem adrogavit. Lex Antonini id confirmavit, quæ in corpus Digeſtorum relata eſt, ſub titulo De lege Rhodia. Quæ quia Græca eſt, & aliquot mendis laborat, afferre hic integram, & explicare, etiam emendare, non gravabimur, modo alii non gravate id ferant qui hos excurſus damnant. Sed illis hominibus nos non ſcribere profitemur. Ita igitur lex habet: Ἀξίωσις Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Ἀντωνῖνον βασιλέα. Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε, ναυάγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν ἐν ταῖς Κυκλάδαις οἰκούντων. Ἀντωνῖνος εἶπεν Εὐδαίμονι, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. Τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμων ἐναντιοῦται. Τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν. Ex quibus cognoſcimus, hactenus hanc legem valere juſſam in nauticis controverſiis dirimendis, ubi nulla alia lex Romana ipſi eſſet contraria. Cujus rei exem-

exemplum in trajecticiæ pecuniæ fœnore evidens eſt, ubi lex Rhodia vetat alia conditione mutuam eam dari, quam ut periculum creditorem ſpectet, cum lex Romana prævaluerit, quæ permittit etiam ſic poſſe credi, ut ſine periculo creditoris naviget. Nunc verba legis expendamus. Antoninus in ea dicit ſe dominum eſſe orbis, legem autem maris: ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. An non & mare pars eſt orbis, τοῦ κόσμου? Ponamus aliquid eſſe diſtincti orbem inter & mare, cur diviſum ſibi imperium Imperator eſſe vult cum lege, ut legi cedat mare in dominationem, ſuum vero ſibi ſit in terra regnum? Quæ nam illa lex cum qua dividuum facit imperium? An Rhodia? Non poteſt. Nam de illa nihil adhuc dictum. Et abſurdum eſt, cum tot ſint leges, & majoris etiam momenti atque auctoritatis quam Rhodia, κατ' ἐξοχὴν eam appellari legem. Sequitur ſtatim, poſtquam dixit legem eſſe dominam maris, ſe autem orbis, quod velit lege Rhodia res nauticas dijudicari, in quibus non alia lex Romana ei derogabit. Ergo & aliæ leges Romanæ æque dominæ maris ac Rhodia, & quidem etiam magis, quatenus in utriuſque ἀντινομίᾳ Rhodiæ & Romanæ, Romana prævalere jubetur. Et Romanas quidem imperator vocat ſuas: ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων νόμων αὐτῷ ἐναντιοῦται. Ridiculum præterea videtur, legem cujus ipſe Imperator dominus, dicere dominari in mari. Nam ſi lex in mari dominatur, Imperator autem legis dominus eſt, non lex ſed Imperator ipſe per legem quam ſanxit, dominatur. Nec quicquam intereſt utrum veteri legi auctoritatem det princeps, an novam ferat. Qui poteſt legi antiquæ vim tribuere, aut abrogatam reponere, idem eſt ac ſi novam conderet. Quam enim ratam eſſe jubet, poterat ſi vellet irritam facere, & tollere. Quod autem Imperator ſe dominum orbis eſſe prædicat, an aliter orbem regit ac temperat, quam per leges? Cum legibus ipſe
ſolutus

ſolutus ſit ut ſuperior, nulla lex, vel in mari, vel in terra poteſt figi, vel fingi ſupra ipſum. Si lex ulla eſt maris domina, per eam ipſe dominus eſt maris. Si dominus eſt orbis, per leges in orbe dominatur. Non aſſequi igitur me fateor quis ſit horum verborum ſenſus, ὁ δὲ νόμος. Nec capio quod ad eam legem notavit doctiſſimus interpres, qui illius loci hanc ſententiam eſſe vult: *Mundi ſive terræ lex, princeps ipſe quidem eſt: lex maris ex lege Rhodia petenda, in his in quibus nulla ipſius principis lex contraria eſt.* Eam ſententiam non puto conſtare ex his verbis: *Ego quidem orbis dominus, lex vero maris, Lege Rhodiorum terminentur controverſiæ maris.* Qui ſenſus eſt orationis Græcæ de verbo ad verbum expreſſæ. Si dicere id voluiſſet Antoninus, quod eum dixiſſe contendit celeberrimus Juriſconſultus & meus quondam doctor, ita loqui debuit: *Ego dominus orbis, lex Rhodia autem maris. Ea lege decidatur quidquid in maritimis rebus ambiguum & controverſum emerget.* At ut verba hodie in lege concepta ſunt, legem illam quæ domina eſſe maris dicitur diverſam eſſe oportet à lege Rhodia, qua res maritimas finiri debere ſanxit Imperator. Nam illa videtur generalis, hæc ſpecialis. Nec probabilior eſt nupera viri doctiſſimi cum interpunctio, tum explicatio, aliorum opinionibus. Ita ille vellet diſtingui in libro de mari clauſo: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος. Ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, cum hac interpretatione, *ſed vero lex, ſeu mos ille maris, ex lege Rhodiorum nautica judicetur.* Quæ ego me non percipere fateor. Ergo in hac eadem lege tam paucis verbis νόμος & morem ſignificabit, & legem? Quid vero illud eſt, ut νόμος νόμῳ dijudicetur? Si νόμος ille maris, qui ex lege Rhodia dijudicari debet, pro conſuetudine accipitur, quis illum morem invexit, ut res maritimæ terminentur lege Rhodiorum? Scio, conſuetudinem inveteratam eſſe pro lege, & le-

gis non ſcriptæ inſtar habere, & plerumque hujuſmodi conſuetudines antiquas ac receptas lege ſolere à principibus confirmari. Sed hic quid ſimile? Si ulla talis conſuetudo obtinuit, ut lege Rhodia rerum maritimarum judicia diſceptarentur, eam ipſi Rhodii, cum mari dominarentur, introduxerunt, & quidem lege per vim data. Non enim aliter id impetraſſent à nolentibus obtemperare. At poſtquam Romani gentium domini & terrarum orbis facti ſunt, an legibus Rhodiis obſtrictos ſe putarunt? Quis hoc poſſit ſibi perſuadere? Primus Auguſtus contemplatione æquitatis earum legum ſecundum eas de rebus maritimis judicia reddi voluit. Cum enim longa dominatione ac poſſeſſione maris ſcientiſſimi viderentur Rhodii & callentiſſimi juris maritimi, leges eorum de rebus maritimis mutuati ſunt Romani jam inde ab Auguſto, qui primus earum accipiendarum auctor fuit. An non & ſimiliter olim Romani Athenas miſerunt, qui leges quibus tenerentur inde referrent? Leges ſumptuarias eorum Lacedæmoniis acceptas quidam ferunt. Antequam autem Auguſtus legibus Rhodiis auctoritatem addidiſſet, non fuiſſe puto morem Romanis, ut ſecundum leges illas maritima judicarent. Cum reſtrictione autem, tam ille, quam ceteri principes eas valere in maritimis rebus ſanxerunt, ſi nulla alia Romana lex iis eſſet contraria. Præterea ſi hæc mens fuit eorum legis verborum, ut lege Rhodia mos maris judicaretur, quid opus fuit Antonino in hoc reſponſo ad Eudæmonem, ſe principem ac dominum orbis terrarum dicere? Quo pertinebit illa relatio ac σχέσις particularum quæ in Græco ſermone ſolemnis eſt, τοῦ μὲν, & τοῦ δὲ? Qualis inde ſenſus exoriturus eſt? *Ego quidem dominus orbis, conſuetudo vero vel mos maris lege Rhodia finiatur.* An non ſimpliciter potuit dicere ſe velle res maritimas diſceptari ac judicari ex lege Rhodia? Non ignorabant quibus hoc reſponſum dabat

bat

bat eum orbis eſſe dominum. Certum etiam erat non alium id jubere poſſe, ut lex Rhodia in mari obtineret, quam dominum orbis, hoc eſt, terræ pariter ac maris. Quod enim τελείαν στιγμὴν ponit poſt, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, Græcanicus loquendi mos id non fert. Nam poſt μὲν in continenti ad ſenſum integrandum ſine ulla interruptione ac diſtinctione debet ſequi altera particula, quæ huic reſpondet, δέ. ὁ μὲν, ὁ δέ. Poſtremo quod vult verbum κρίνεσθαι jungi cum νόμος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ut nimirum mos à lege judicetur, etſi hoc per ſe abſurdum, alia etiam ratione non poſſe ſtare oſtendam. Mendum quippe eſt nondum à quoquam obſervatum in illis verbis: Τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ. Quæ mente prorſus carent ſic enuntiata. Non enim exprimitur, quæ res judicari debeat lege Rhodiorum Nautica. Miror neminem adhuc vidiſſe legi debere: Τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τὰ ναυτικά. Hoc eſt, res maritimæ ac nauticæ. Eam emendationem confirmat Harmenopulus lib. II Tit. XI: περὶ ναυτικῶν. Τὰ ναυτικὰ, inquit, πάντα καὶ ὅσα κατὰ θάλασσαν κρίνεται, Ῥοδίῳ τεμνέται νόμῳ, καὶ κατὰ τοὺς Ῥοδίους δικάζεται νόμους, ὅταν μὴ ἄλλος νόμος ἐναντιούμενος τοῖς τῶν Ῥοδίων νόμοις εὑρίσκηται. Quæ non dubito ſumpta eſſe ex illa lege Antonini, ἀξίωσις. Nam è libris Baſilicorum omnia ea habere, quæ ſub illo titulo περὶ ναυτικῶν retulit, veteres libri teſtantur. Clariſſimus vir qui nuper commentationem edidit ad illam legem, ita etiam uno ſpiritu illa legit: ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ. Quod quale ſit, profecto fateor me videre non poſſe. Quid enim eſt, ὁ νόμος κρινέσθω τῷ νόμῳ? Quæ iſta balbuties eſt, & ſtribligo? An hoc dignum lege & reſcripto Principis in quô omnia candida & aperta eſſe debent? At quid magis involutum & αἰνιγματῶδες, quam legem lege judicari? Tanto magis abſurdum fuerit ſi alio ſenſu prius memo-

memoratum νόμον accipiamus, quam poſteriorem. Vult nimirum νόμον illum priorem eſſe jus maris, vel jus prætenſum in mari, quod jus ſecundum legem Rhodiam judicari ſanxit Antoninus. Hoc adeo mihi videtur alienum, ut debere non putem diutius in eo confutando morari. His omnibus recto examine penſitatis non difficulter doctiſſimus amicus noſter ſuam illius legis emendationem probavit, ἐγὼ μὲν κόσμου κύριος, ὁ δ' ἄνεμος τῆς θαλάσσης. Quam ſi non occupaſſet, non aliter poteram cogitare, nec aliud excogitare. Duo ſunt, quæ in libello Imperatori dato expoſuit Eudæmon, ſe naufragium feciſſe, & poſt naufragium direptos fuiſſe à publicanis Inſularum Cycladarum. Ad primum reſpondet imperator ſe quidem eſſe orbis dominum, maris autem ventum. Non potuiſſe itaque impedire ne naufragium facerent, cujus cauſam vento in mari dominanti ac tempeſtati deberent imputare. Ad alterum quod ſe direptos à Publicanis conquerebantur, id ex lege Rhodia judicari ait oportere, qua omnes controverſiæ nauticæ dirimi deberent, niſi alia lex contraria eſſet inter Romanas Rhodiæ illi. Ventos in mari imperare adeo agnoverunt veteres illi Romani, ut aliquando tempeſtatibus hoſtias immolarint, & ædes voverint, ut Lucius Scipio, cum ad Corſicam claſſis Romana tempeſtate vexata eſt, & pæne amiſſa tota. Vetus de ea re inſcriptio. DEDIT AEDE TEMPESTATIBVS MERETO. At tempeſtates ex vento. Apud Virgilium Æneas tempeſtatibus ſacrificat, — *& tempeſtatibus agnam*. Antiphanes comicus juxta eamdem ſententiam ἄνεμον dominum eſſe omnium rerum, quæ in mari ſunt & navigant, dixit:

Ἐπὶ χρήμασ' Ἰνδῶν ἔμπορος φρονεῖ μέγα
Ὧν ἐστι πάντων οὗτος ἄνεμος κύριος.

Mercator opibus navigans Indus tumet
Quas ſæpe ventus dominus harum diſſipat.

Proper-

Propertius de Borea:

Hic Deus & terras, & maria alta domat.

Ergo ventus maris dominus. Apud Virgilium, cum Neptunus in gratiam Æneæ motam in mari tempeſtatem ſedaret, jubet Æolo dici per ventos, quos faceſſere jubebat, Non illi imperium pelagi, ſed ſibi eſſe ſorte datum. Hoc ille quidem poëtice, & ſerviens hypotheſi. At revera pelagi imperium pænes ventos, & ipſorum regem Æolum. Nam ipſe Neptunus quid aliud quam mare? Aut ſi illius Dei hoc regnum eſt, quam impune ac licentioſe illud inſultant, illudunt, inequitant, & inquietant venti? Quod attinet ad res naufragii, quas publicani diripuerant, jure an injuria eas ſibi vindicaſſent, ex lege Rhodia id dijudicandum reſpondit Antoninus, niſi obſtaret in contrarium lex alia. Quod hic etiam obiter examinandũ. Nam & hac parte lex vitium habet in his verbis, quæ ſine dubio corrupta ſunt. Exponunt ſe naufragium feciſſe ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, & expilatos eſſe à publicanis Cycladum. Qui hoc poſſet ſubſiſtere? Pro ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, vir idem doctiſſimus cui debetur recta illius legis emendatio, corrigebat, ſed non pari atque in illa altera ſucceſſu, ἐν τῇ Τηλίᾳ. Si pro ipſa inſula Telo accipiamus, non eſt Græcum Τηλίαν dicere, quæ Τῆλος eſt. Deinde abſurdum in ipſa Inſula naufragium dici factum, quod in ipſo mari accidit. Si pro mari ſumatur, nec minus ridiculum eſt. Nulla enim Τηλία θάλασσα uſpiam memoratur antiquis. A celeberrimis Inſulis nomina mari indita, ut *Carpathium*, *Rhodiacum*, *Creticum.* Quis vero unquam audivit *Telium*, vel *Teliacum?* Præterea hæc Inſula non inter Cycladas, ſed inter Sporadas recenſetur, & in Carpathio mari ponitur. Adeo autem obſcura, ut nec ejus Ptolemæus meminerit. Omnino ſcribendum putem, ναυάγιον ποιήσαντες ἐν παραλίᾳ διηρπάγησαν ὑπὸ τῶν δημοσιωνῶν τῶν ἐπὶ Κυκλάδων οἰκούντων. Nam ita etiam corrigendum, ὑπὸ τῶν

δημο-

δημοσιωνῶν. Δημοσιῶναι ſunt publicani, non οἱ δημόσιοι, nempe qui publicum redimunt, τὸ δημόσιον ὠνοῦντες, ut τελῶναι, qui τὰ τέλη conducunt. Gloſſæ: *Publicanus*. δημοσιώνης, τελώνης. In aliis: Δημοσιώνης, *Publicanus*. Vir doctiſſimus, clariſſimuſque idem Juriſconſultus in eo commentario, quem nuper dedit ad illuſtrandam hanc legem de Imperio maris, deque jure naufragii colligendi, recte quidem vidit, per δημοσίους non poſſe intelligi publicanos, ſed quod ſervos publicos civitatum accipi debere putavit in eo non me habere poteſt ſuæ ſententiæ adſtipulatorem. Quid enim hic facerent ſervi iſti publici, aut quam ad rem naufragorum reliquias inquirerent, & ſibi, aut ſuis civitatibus eas vindicarent? Deinde cur hi δημόσιοι τὰς κυκλάδας οἰκεῖν dicantur, nulla cauſa. Nam cur non potius δημόσιοι τῶν κυκλάδων ſimpliciter vocentur, quam δημόσιοι οἱ τὰς κυκλάδας οἰκοῦντες? Publicani vero quia non ſunt originarii Cycladum, ſed ibi plurimum ſunt, ad vectigalia & portoria colligenda, ideo δημοσιῶναι τὰς κυκλάδας οἰκοῦντες dicuntur. Intendebant iſti publicani Cycladum, naufragia quæcunque ex alto in littus expellerentur eorum locorum quorum publicum redemiſſent, ad fiſcum pertinere, eaque vindicabant. Idque ita obtinuiſſe videtur eo tempore, quo ſupplicem libellum iſti mercatores Antonino obtulerunt adverſus publicanos, qui bona ex eorum naufragio, ut ad fiſcum pertinentia, ſibi adplicaverant. Ideo ut ſuam cauſam facerent commendatiorem, & magis favorabilem, non ſe in alto naufragium feciſſe, quo caſu ad littus expulſa navis fiſci foret, ſed in ipſo littore navem fregiſſe obtendunt. Qui caſus aliud jus videtur poſtulare. Quid enim ſi quis in portu ipſo naufragium feciſſet, an fiſco navis eſſet vindicanda, quaſi ſi in alto naufragata, in littus ejecta fuiſſet? Quæ res difficultatem reciperet, & ambiguum relinqueret, utrum idem jus tam in hanc eſſet fiſco, quam in

illam,

illam, quæ in medio mari longe à portu & littore periiſſet. Antoninus autem eos remittit ad legem Rhodiam, qua res nauticas Auguſtus voluit terminari, niſi aliqua ex Romanis legibus contrarium ferret. Lex Rhodia autem naufragia fiſci eſſe, & ad publicanos pertinere ſanxerat. Non enim de alia lege poteſt illa intelligi quæ à Græcis Rhetoribus paſſim allegatur, τὰ ναυάγια τῶν τελωνῶν εἶναι. At quod in collectione navalium legum Græca, quæ vulgo extat ſub nomine legis Rhodiæ, κατ' ἐκλογὴν, ſectione L habetur, περὶ τῶν πραίδας ποιούντων ἐκ τοῦ ναυαγίου, ex Romana lege venire, non ex Rhodia, palam eſt. Vox πραῖδα, pro quo σύλαι Rhodii dixiſſent, oſtendit Romanam eſſe conſtitutionem. Adde, quod de fiſco nihil illa conſtituit, ſed de privatis qui aliquid ex rebus naufragii rapuerint, quos quadrupli condemnari jubet. Ceterum mercatores illi Nicomedienſes ſciebant, jus tunc eſſe, ut naufragia ad publicanos pertinerent: ideo proponunt ſe navem fregiſſe in ipſo littore, παραγιαλίᾳ, cum jam terram attigiſſent. Antoninus ipſe cum eos ad legem Rhodiam remiſit, nondum legem tulerat de naufragiis ne ad fiſcum pertinerent. Eam poſtea tulit, & hoc modo legem Rhodiam in hoc themate abrogavit. Lex ejus eſt quam in Codicem regeſſit Juſtinianus ſub titulo de Naufragiis, quæ vulgo Conſtantino tribuitur. Antonini Pii eſſe ſtilus oſtendit, veteres libri teſtantur, & non minimum argumentum ei rei comprobandæ eſt, quod in Codicem Theodoſianum non eſt relata ſub eodem titulo *de Naufragiis*. Quod ſine dubio factum eſſet, ſi Conſtantini foret. *Si quando naufragio navis expulſa fuerit ad littus, vel ſi quando reliqua terram attigerint, ad dominos pertineat, fiſcus meus ſeſe non interponat. Quod enim jus habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Eam obiter & inſigni menda liberavimus, qua hactenus lectum eſt, *vel ſi quando aliquam*

quam terram attigerint. Quod erat ineptum. Nam illa aliqua terra ſemper littus eſt. Sed cum libri omnes ſcripti præferant, *vel ſi quando reliquam terram attigerint*, non difficile fuit conjectare eſſe legendum, *vel ſi quando reliqua terram attigerint.* Per *reliqua* intelligit τὰ λείψανα, partes navis diſſolutæ. Sic *reliqua corporis*, pro reliquiis. *Reliqua debitorum*, λοιπάδες, & ſimilia. Poſſet & legi, ſi quis mallet, *ſi quando reliquiæ.* Sed illud melius, quod & mendo occaſionem præbuit. Si navis integra quæ ſubmerſa eſt, ad littus expulſa fuerit, aut aliquanto poſt tempore reliquiæ ejus terram attigerint, ad dominos tam navis, quam ejus reliquiæ quandocunque terram tetigerint, pertineant. Ante hanc legem Antonini, Fiſcum, & qui jus fiſci habebant publicanos naufragia ſibi vindicaſſe certum eſt, idque ex more maris & legis forſitan Rhodiæ perpetua obſervatione, cui in hac parte hæc lex Antonini derogavit, ut aliæ leges Romanæ etiam illud legis Rhodiæ caput non eſſe obſervandum decreverunt, quo trajecticiam non aliter mutuam dari licuit, quam cum periculo creditoris. Quod idem Athenis obtinuiſſe ex eo colligo, quia tam ſollicite ἔγγυα δανείσματα & ναυτικὰ diſtinxerint. Ut inde conſtet, communia nomina ſecura fuiſſe creditori, ναυτικὰ δὲ omnia ἐπικίνδυνα. Sed & non aliter ſcribi ſolitas ſyngraphas de nautico fœnore, quam ut hanc pactionem continerent, ſalva nave reddendas pecunias creditas, perdita non exigendas, ex Demoſthene in παραγραφῇ πρὸς Ζηνόθεμιν conſtare poteſt, his verbis: Οὐσῶν δὲ τῶν συγγραφῶν ὥσπερ εἰώθασιν ἁπασῶν, σωθείσης τῆς νεὼς ἀποδοῦναι τὰ χρήματα, ἵνα ἀποστερήσωσιν τοὺς δανειστάς, τὴν ναῦν καταδῦσαι ἐβουλεύσαντο. Ergo inde ſequebatur, ἐὰν πάθοι τι ἡ ναῦς, μὴ ἀπαιτεῖσθαι τοὺς δανεισαμένους τὰ χρήματα. *Si quid navi accidiſſet, non exigendam eſſe à debitoribus pecuniam fœneratam*, ut eſt in argumento ſupraſcriptæ Demoſthenis orationis. Vide & argumentum oratio-

orationis adverſus Phormionem in his verbis: τὴν γὰρ συγγραφὴν κελεύειν παθόντος τι χρῆναι τὴν θάλατταν τῆς νεὼς ἀπηλλάχθαι τοῦ ὀφειλήματος τὸν Φορμίωνα. Quod de modo fœnoris diximus communiter ἐπίπεμπτον fuiſſe, hoc eſt, in quintam ſortis partem, non ſemper ita fuit præciſe obſervatum, ſed interdum etiam majus aliquanto in pactionem deduci ſolebat, ex variis περιστάσεσι. Prout eſſet anni tempeſtas, qua navigationem auſpicabatur qui pecuniam ſumebat, aut prout ad propiora, aut longinquiora loca navigaturus eſſet, aut etiam perinde ut eſſent maria, per quæ iturus erat, infeſta piratis, aut pacata; ita graviores, aut leviores uſuræ in pactionem veniebant. Minores etiam exigebantur in ἑτερόπλουν navigationem, quam in ἀμφοτερόπλουν. Navigatio ἀμφοτερόπλους eſt Ἀθήνηθεν εἰς Πόντον καὶ ἐκ Πόντου Ἀθήναζε, *Athenis in Pontum, & ex Ponto Athenas.* Ἑτερόπλους tantum Ἀθήνηθεν εἰς Πόντον. In ea Demoſthenis pro Chryſippo, quæ vulgo πρὸς Φορμίωνα inſcribitur, Chryſippus Phormioni pecuniam trans mare vehendam in Pontum navigaturo dat minas viginti, ſive quod idem eſt, bis mille drachmas, recepturus ab eodem cum ex navigatione rediiſſet Athenas, δισχιλίας ἑξακοσίας δραχμάς, hoc eſt, viginti illas minas cum drachmis ſexcentis, pro fœnore pecuniæ trajecticiæ. Quæ uſura major eſt τοῦ ἐπιτετάρτου τόκου, atque etiam duplici centeſima, quę in minas viginti quadringentas octoginta tantum drachmas debet. Erit igitur bina centeſima cum ſemiſſali, τόκος ſcilicet ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς καὶ τρισὶν ὀβολοῖς, vel ἡμιδράχμῳ. Quæ gemina centeſima cum ſemicenteſima, ſexcentas drachmas annuas fœnoris loco præſtat. Alias pecuniæ trajecticiæ fœnus vulgo tunc ἐπίπεμπτον fuiſſe notavimus ſuperius ex Xenophonte. In alio Demoſthenis loco ex oratione πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν, Androcles & Naucrates pecuniam fœnerantur Artemoni & Apollodoro Athenis navigaturis Menden & Scio-

 nen,

nen, & poſtea in Boſporum, & ſi vellent, per ſiniſtram Ponti oram Boryſthenem uſque, & inde Athenas redituris. In eam navigationem mercatores ſuprafcripti mutuantur ab Androcle & Naucrate argenti ter mille drachmas, uſuram pacti ducentas viginti quinque drachmas in millenas. Quod fœnus paulo majus ἐπιπέμπτῳ. Nam ducentæ viginti quinq; drachmæ non mille drachmarum quintam partem efficiunt, ſed mille centum ac viginti quinque. Hæc uſura non uſque ad binas centeſimas progreditur. Binis quippe centeſimis mille drachmæ reddunt ducentas quadraginta. Mirum, hoc genus fœnoris, neq; cum ea ratione, quæ ἐπὶ δραχμῇ vocatur, neque cum illa, qua pars ſortis, pro uſura nominatur, rotunde convenire, nec poſſe ullo modo deſignari alterutra earum appellationum. Nam majus eſt τοῦ ἐπιπέμπτῳ, minus τοῦ ἐπιδεκάτῳ. Bina centeſima etiam minus eſt, quod ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς appellatur, majus autem eſt ſeſquicenteſima, quæ ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς nomen habet. Nullam certe ejus appellationem certam ac definitam poſſum reperire. Ceterum in eadem ſyngrapha ſtatim adjicitur, ſi poſt Arcturum, hoc eſt, Arcturi ortum è Ponto enavigarint ad locum, qui vocabatur ἐφ' ἱερὸν, & erat in Boſporo, depectos eſſe ſupradictos fœneratores, in mille drachmarum ſortem trecentas fœnoris nomine ſolvi. Ita enim legendum, ἐπὶ τριακοσίαις ταῖς χιλίαις, non ut eſt vulgo apud Demoſthenem, ἐπὶ τριακοσίαις ταῖς τρισχιλίαις. Nec de fœnore hic remittitur, ut cenſet vir doctus ad leges Atticas, ſed contra augetur. Et idem plane fœnus eſt, cum eo cujus mentio in ea pro Chryſippo, ubi uſura trajecticiæ pecuniæ conſtituitur ſexcentarum drachmarum in bis mille. Atque ita plane legitur in eadem ſyngrapha, quæ iterum producitur in eadem oratione: Ἐπὶ τριακοσίαις ταῖς χιλίαις. In eadem porro ſyngrapha, ἐὰν δὲ μετ' Ἀρκτοῦρον ἐκπλεύσωσιν ἐκ τοῦ Πόντου Ἐφ' ἱερὸν, verba

iſta

iſta non ſunt exponenda, ut idem vir eruditiſſimus cenſet, *ubi Athenienſes non violent, ſed potius ſacroſancti ſint.* Immo, Ἐφ᾽ ἱερὸν, ad locum Boſpori ſic dictum. De quo eſt apud Harpocrationem & Suidam: Ἐφ᾽ ἱερὸν, Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος, ἱερόν ἐστι τῶν δώδεκα θεῶν, ἐν Βοσπόρῳ, ὡς Τιμοσθένης ἐν τοῖς περὶ λιμένων. Portum fuiſſe Boſpori ita appellatum, quod in eo templum eſſet duodecim Deorum, inde liquet. Habetur & hodie locus ille apud Demoſthenem in oratione πρὸς Πολυκλέα, περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος. Καὶ τοῦ στρατηγοῦ ἅμα Τιμομάχου προστάξαντος πλεῖν Ἐφ᾽ ἱερὸν ἐπὶ τὴν παραπομπὴν τοῦ σίτου καὶ μισθὸν οὐ διδόντος. Falſus eſt etiam, cum eo refert verba quæ ſequuntur: ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλωσιν μείναντες ἐπὶ νηὶ ἡμέρας δέκα ἐν Ἑλλησπόντῳ, ἐξελόμενοι, ὅπου ἂν μὴ συλαῶσιν Ἀθηναῖοι. Quod ipſe interpretatur, *appulerint eo, ubi Athenienſes non violent.* Primum Atticum non eſt, συλαῶσιν pro συλῶσιν. Deinde disjunctim in omnibus exemplaribus legitur, σύλαι ὦσιν. Pro quo legendum eſt ex Harpocratione, in verbo σύλας, Ἐξελόμενοι ὅπου ἂν σύλαι ὦσιν Ἀθηναίοις. Vocabulum eſt Attica forma percuſſum, σύλη pro σύλησις, expilatio, deprædatio, ut αὔξη pro αὔξησις, ὀφειλὴ pro ὀφείλημα, ἄνθη pro ἄνθησις, ὄσφρη pro ὄσφρησις, & talia ὅσα κόνις. Ita & πώλας iidem Attici Rhetores dixere ἀντὶ τῶν πωλήσεων, ut σύλας, ἀντὶ τῶν συλήσεων. Harpocration: Πώλας, ἀντὶ τοῦ πράσεις. Sunt πωλήσεις. Citat Hyperidem, qui eo uſus eſt. In legum Rhodiarum collectione Græca, quæ hodie extat, etiam σύλην pro σύλησιν poſitum reperire eſt tit. III: Περὶ πλοίου ἀπὸ κλεπτῶν ἢ πειρατῶν σύλην ὑπομείναντος, id eſt, σύλησιν. Uſus eſt & hac eadem voce σύλαι pro συλήσεις, idem Demoſthenes in oratione περὶ Στεφάνου τῆς τριηραρχίας, his verbis, quæ valde notanda ſunt: Ἐπειδὰν γάρ τις μισθωσάμενος τριηραρχίαν ἐκπλεύσῃ, πάντας ἀνθρώπους ἄγει καὶ φέρει, καὶ τὰς μὲν ὠφελείας ἰδίᾳ καρποῦται, τὰς δὲ δίκας τούτων ὁ τυχὼν δίδωσιν

ὑμῖν, καὶ μόνοις ὑμῖν ἀδυνάτως ἐστὶν ἄνευ κηρυκείου βαδίσαι, διὰ τὰς ὑπὸ τούτων ἀνδροληψίας, καὶ σύλας κατεσκευασμένας. Quæ peſſime reddidit doctus interpres: *Soliſque vobis nuſquam ſine caduceo ire licet, propter inſtitutas illorum culpa, & corporum, & bonorum veſtrorum comprehenſiones.* Τριηραρχία munus Athenis fuit, graviſſimum & magnis conſtans ſumptibus, trieris ad bellum inſtruendæ & complendæ. Qui eas conducebant navium præfecturas, abutebantur ea poteſtate ad expilandos in mari ac capiendos quoſcunque prehendere poſſent, prætextu ἀνδροληψίων. Cum quis homicidii reus aufugerat Athenis in aliam civitatem, Athenienſes negotium dabant ſuis Trierarchis ac navium bellicarum præfectis, ut quoſcunque in mari poſſent ex illa civitate homines comprehendere, caperent, atque abducerent, ipſorumque bona diriperent, ἀνδροληψίου nomine. Quod jus *repreſaliorum*, vulgo vocamus. Junxit ergo hic Demoſthenes ἀνδροληψίας & σύλας, quia diripiebant eos & eorum naves expilabant adverſus quos ſibi eſſe jus ἀνδροληψίου prætendebant. Et hoc prætextu multos ex ſociis ſpoliabant innoxios & immerentes. Qui, ut ſe vindicarent, quoſcunque etiam Athenienſes privatis navibus navigantes capere poſſent, par pari eis rependebant,& abducebant, navigiaque eorum expilabant. Ob eas injurias quas illæ civitates ab Athenienſim Trierarchis accipiebant, non audebant privati, nec ipſi mercatores, ex urbe quoquam navigare ſine caduceo. Adverſus igitur hujuſmodi civitates, quæ homicidii convictos, aut læſæ majeſtatis reos nollent ad ſupplicium reddere, Ἀνδρολήψια & σύλας habere ſe intendebant, hoc eſt, jus hominum ex illis civitatibus quocunque loco poſſent apprehendi, capiendorum, & bonorum, quæ ad eos pertinerent, diripiendorum, tanquam adverſus hoſtes. Ex eo jure & more explicanda ſunt, quæ in hac ſyngrapha habentur περὶ συλῶν, quas Athenienſibus dari

contra

contra aliquem hic perhibetur. Σύλας enim, hoc eſt, συλήσεις τινὶ eſſe κατά τινων dicebant, cum jus illi eſſe dicerent eos expilandi & ſpoliandi in mari. Harpocration in voce Ἀνδροληψία, τὸ ἁρπάζειν ἄνδρας ἐκ τινὸς πόλεως, ἐνεχύραζον γὰρ τὴν ἔχουσαν πόλιν τὸν ἀνδροφόνον, καὶ μὴ παρέχουσαν αὐτὸν εἰς τιμωρίαν. Prædis, quaſi pignoribus captis civitatis illius homines adverſus quam ἀνδροληψίας jus erat, agebant, ferebant. Hinc σῦλον, ἐνέχυρον interpretatur Heſychius. Nam & ἀνδροληψία & σῦλαι ſimul fiebant, præhenſio hominum, & bonorum deprædatio, vel captio. Adverſus hoſtes quoque hæ σῦλαι & ἀνδροληψίαι legitima. Auctor argumenti alterius ad Timocrateam; κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἐγράφη ψήφισμα, πλοῖα σῦλα πολεμίων εἶναι. Forte legendum κατάσυλα. Nam ἄσυλα dicebantur πλοῖα, in quæ jus non eſſet συλᾶν, quæ deprædari & expilare non liceret. Inde igitur verba Syngraphæ exponenda: ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλωσιν μείναντες ἐπὶ κυνὶ ἡμέρας δέκα ἐν Ἑλληςπόντῳ, ἐξελόμενοι ὅπου ἂν μὴ σῦλαι ὦσιν τοῖς Ἀθηναίοις. Quæ ſic vertenda ſunt: *Si vero non ingreſſi fuerint mare Ægeum, expectantes decem à canis ortu dies in Helleſponto, nave exonerata eo loci ubi Athenienſibus direptiones conceſſæ non ſunt, atque inde Athenas reverſi fuerint tum eas uſuras perſolvunto, de quibus in ſyngrapha convenerit anno præterito.* Prior pactio fuit de uſuris ſolvẽdis ratione ducentarum ac viginti quinque drachmarum in centum. Deinde majores uſuræ impoſitæ eadem cautione, ſi poſt Arcturum è Ponto enavigarent, propter majus ſcilicet periculum, quod creditoribus imminebat ex ſera & in exortum arcturi tracta enavigatione è Ponto. Nam eo tempore, quo oritur Arcturus navigationis ſuæ ut plurimum deſinebant mercatores, domumque redibant. Boedromion quippe menſis qui Septembri reſpondet, quo tempore fere Arcturus oritur, terminus erat navigationum Atticarum. Ideo ab eo menſe Munichionem uſque, quo

menſe iterum ſe mari committebant, ac vela dabant mercatores Athenienſes, in urbe deſidebant, & lites ſuas diſceptabant, ut videre eſt apud Demoſthenem in παραγραφῇ adverſus Apaturium. Periculoſa igitur poſt Arcturum navigatio. Ea de cauſa & majores uſuræ in nautico fœnore competebant, ſi quis poſt Arcturi ortum è Ponto enavigaret. Poſtremo adjecta & tertia pactio in ſyngrapha, cum minoris fœnoris exactione, ſi mercatores iſti decem dies poſt caniculæ exortum in Helleſponto ſubſiſterent, nec Ægæum intrarent, navemque interim exonerarent in aliquem portum, in quo Athenienſibus συλᾶν jus, hoc eſt, direptionis non daretur. Ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλωσιν prorſus patet accipiendum de ingreſſu in Ægæum ex Helleſponto. Hoc enim εἰσβάλλειν. Doctus interpres qui vertit, *ſi onerarint*, aliud agebat. Ἐμβάλλεσθαι, hoc dicitur. Unde ἐμβολὴ navis onus atque entheca, & *ſacra embole*. Ita accipienda vox ἐμβολὴ in lege Rhodia XXVIII: Ἐὰν πλοῖον ἐν τῇ ἐμβολῇ ἐμποδισθῇ ὑπὸ τοῦ ἐμπόρου ἢ κοινωνικοῦ. Id eſt, in nave oneranda. Perperam Leunclavius, *in portu* vertit. Alii non melius, *tempore publicæ tranſvectionis*. Ne ἐμβαλεῖν quidem dicebant de his quæ in navem inferebantur, & imponebantur, ſed ἐμβάλλεσθαι & ἐνθέσθαι. Unde ἐνθήκη navis & ἐμβολὴ idem. Ægæum porro mare valde procelloſum eſſe, ex ſcriptoribus Græcis ſcimus. Cujus rei cauſam aſſignant, frequentes inſulas, quibus quaſi conſitum eſt. Hinc fluctuoſum exiſtere & undabundum, utpote inter terras coërcitum, fluctibus ſe frangentibus ad littora quibus hinc inde coarctatur. Dionyſius de Ægæo:

Οὐ γάρ τις κείνῳ ἐναλίγκια κύματ' ὀφέλλει
Ὑψόθι μορμύρων ἕτερος πόρος ἀμφιτρίτης.

Circa canis autem ortum ſæpe magnas in mari tempeſtates excitari, Euctemon apud Geminum & Ptolemæum tradit. Ideo ſolebant mercatores è Ponto navigantes, ut ex hac ſyngrapha videre eſt, ut plurimum

mum in Helleſponto decem dies poſt caniculæ ortum morari, nec ſe Ægæo committere donec effectus ſideris tranſiſſet. Addit præterea auctor fœneraticiæ ſyngraphæ, ſi per id tempus quo in Helleſponto expectant, ad ea loca appulerint & merces exonenarint, in quibus Athenienſes jus συλῶν non habent, ἐξελόμενοι ὅπου ἂν μὴ σῦλαι ὦσιν Ἀθηναίοις. Hic ἐξελέσθαι non eſt ſimpliciter adpellere, ſed excenſionem facere, ac merces in terram exponere, navemque exonerare. Nihil frequentius hac loquutione hoc ſenſu apud Demoſthenem, ut in hac ipſa oratione, παρὰ Λακρίτου παραγραφὴν, καὶ ἐπισκοποῦμεν εἴ τι ἐξαιροῦνταί ποθεν ἐκ πλοίου, ἢ πεντηκοστεύονται. Pridem adpulerant, ſed nondum quidquam ex navis mercium expoſuerant in terram. Idem in ea contra Dionyſodorum: καὶ πυθόμενος τὰς τιμὰς, τὰς ἐνθάδε τοῦ σίτου καθεστηκυίας, ἐξαιρεῖται τὸν σῖτον ἐν τῇ Ῥόδῳ, κἀκεῖ ἀποδίδοται. *Frumentum in Rhodo inſula exonerat, & ibi vendit.* In eadem oratione paulo poſt: Τόν τε σῖτον ἐξελόμενος εἰς Ῥόδον ἀπέδοτο. Additur in Syngrapha, ut ibi exponant, ubi σῦλαι μὴ ὦσι τοῖς Ἀθηναίοις, hoc eſt, jus deprædationis non ſit Athenienſibus. Soliti quippe illi quocunque in loco ubi σύλας jure ſe habere putarent naves diripere, ad quoſcunque pertinerent. Sed dices; Quid? an non iſti mercatores Athenienſes? Cur igitur timent eorum creditores ne diripiantur ab Athenienſibus? Immo Phaſelitæ fuere, non Athenienſes, & videntur eo tempore Athenienſibus datæ σῦλαι contra Phaſelitas. Iſti quidem Phaſelitæ negotiatores vinarii Athenis exierant ad mercatum, & pecuniam ab Athenienſibus fœneratoribus ſumpſerant mutuam nautico fœnore, nec alibi locorũ deprehenſos eos diripere ac ſpoliare potuiſſent Athenienſium Trierarchi, quia navis eorum ac merces pignori obligata civibus erant Athenienſibus, qui pecuniam his fœnerati fuerant. Si tamen deprehenſi fuiſſent ab aliquo portu, aut urbe revertentes, in quam jus συλῶν

δημοσιωνῶν. Δημοσιῶναι ſunt publicani, non οἱ δημόσιοι, nempe qui publicum redimunt, τὸ δημόσιον ὠνοῦντες, ut τελῶναι, qui τὰ τέλη conducunt. Gloſſæ: *Publicanus*, δημοσιώνης, τελώνης. In aliis: Δημοσιώνης, *Publicanus*. Vir doctiſſimus, clariſſimuſque idem Juriſconſultus in eo commentario, quem nuper dedit ad illuſtrandam hanc legem de Imperio maris, deque jure naufragii colligendi, recte quidem vidit, per δημοσίους non poſſe intelligi publicanos, ſed quod ſervos publicos civitatum accipi debere putavit in eo non me habere poteſt ſuæ ſententiæ adſtipulatorem. Quid enim hic facerent ſervi iſti publici, aut quam ad rem naufragorum reliquias inquirerent, & ſibi, aut ſuis civitatibus eas vindicarent? Deinde cur hi δημόσιοι τὰς κυκλάδας οἰκεῖν dicantur, nulla cauſa. Nam cur non potius δημόσιοι τῶν κυκλάδων ſimpliciter vocentur, quam δημόσιοι οἱ τὰς κυκλάδας οἰκοῦντες? Publicani vero quia non ſunt originarii Cycladum, ſed ibi plurimum ſunt, ad vectigalia & portoria colligenda, ideo δημοσιῶναι τὰς κυκλάδας οἰκοῦντες dicuntur. Intendebant iſti publicani Cycladum, naufragia quæcunque ex alto in littus expellerentur eorum locorum quorum publicum redemiſſent, ad fiſcum pertinere, eaque vindicabant. Idque ita obtinuiſſe videtur eo tempore, quo ſupplicem libellum iſti mercatores Antonino obtulerunt adverſus publicanos, qui bona ex eorum naufragio, ut ad fiſcum pertinentia, ſibi adplicaverant. Ideo ut ſuam cauſam facerent commendatiorem, & magis favorabilem, non ſe in alto naufragium feciſſe, quo caſu ad littus expulſa navis fiſci foret, ſed in ipſo littore navem fregiſſe obtendunt. Qui caſus aliud jus videtur poſtulare. Quid enim ſi quis in portu ipſo naufragium feciſſet, an fiſco navis eſſet vindicanda, quaſi ſi in alto naufragata, in littus ejecta fuiſſet? Quæ res difficultatem reciperet, & ambiguum relinqueret, utrum idem jus tam in hanc eſſet fiſco, quam in illam,

illam, quæ in medio mari longe à portu & littore periiſſet. Antoninus autem eos remittit ad legem Rhodiam, qua res nauticas Auguſtus voluit terminari, niſi aliqua ex Romanis legibus contrarium ferret. Lex Rhodia autem naufragia fiſci eſſe, & ad publicanos pertinere ſanxerat. Non enim de alia lege poteſt illa intelligi quæ à Græcis Rhetoribus paſſim allegatur, *τὰ ναυάγια τῶν τελωνῶν εἶναι*. At quod in collectione navalium legum Græca, quæ vulgo extat ſub nomine legis Rhodiæ, *κατ' ἐκλογὴν*, ſectione I. habetur, *περὶ τῶν πραίδας ποιούντων ἐκ τοῦ ναυαγίου*, ex Romana lege venire, non ex Rhodia, palam eſt. Vox *πραῖδα*, pro quo *σύλαν* Rhodii dixiſſent, oſtendit Romanam eſſe conſtitutionem. Adde, quod de fiſco nihil illa conſtituit, ſed de privatis qui aliquid ex rebus naufragii rapuerint, quos quadrupli condemnari jubet. Ceterum mercatores illi Nicomedienſes ſciebant, jus tunc eſſe, ut naufragia ad publicanos pertinerent: ideo proponunt ſe navem fregiſſe in ipſo littore, *παραιγιαλίᾳ*, cum jam terram attigiſſent. Antoninus ipſe cum eos ad legem Rhodiam remiſit, nondum legem tulerat de naufragiis ne ad fiſcum pertinerent. Eam poſtea tulit, & hoc modo legem Rhodiam in hoc themate abrogavit. Lex ejus eſt quam in Codicem regeſſit Juſtinianus ſub titulo de Naufragiis, quæ vulgo Conſtantino tribuitur. Antonini Pii eſſe ſtilus oſtendit, veteres libri teſtantur, & non minimum argumentum ei rei comprobandæ eſt, quod in Codicem Theodoſianum non eſt relata ſub eodem titulo *de Naufragiis*. Quod ſine dubio factum eſſet, ſi Conſtantini foret. *Si quando naufragio navis expulſa fuerit ad littus, vel ſi quando reliqua terram attigerint, ad dominos pertineat, fiſcus meus ſeſe non interponat. Quod enim jus habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Eam obiter & inſigni menda liberavimus, qua hactenus lectum eſt, *vel ſi quando aliquam*

quam terram attigerint. Quod erat ineptum. Nam illa aliqua terra ſemper littus eſt. Sed cum libri omnes ſcripti præferant, *vel ſi quando reliquam terram attigerint*, non difficile fuit conjectare eſſe legendum, *vel ſi quando reliqua terram attigerint.* Per *reliqua* intelligit τὰ λείψανα, partes navis diſſolutæ. Sic *reliqua corporis*, pro reliquiis. *Reliqua debitorum*, λοιπάδες, & ſimilia. Poſſet & legi, ſi quis mallet, *ſi quando reliquia.* Sed illud melius, quod & mendo occaſionem præbuit. Si navis integra quæ ſubmerſa eſt, ad littus expulſa fuerit, aut aliquanto poſt tempore reliquiæ ejus terram attigerint, ad dominos tam navis, quam ejus reliquiæ quandocunque terram tetigerint, pertineant. Ante hanc legem Antonini, Fiſcum, & qui jus fiſci habebant publicanos naufragia ſibi vindicaſſe certum eſt, idque ex more maris & legis forſitan Rhodiæ perpetua obſervatione, cui in hac parte hæc lex Antonini derogavit, ut aliæ leges Romanæ etiam illud legis Rhodiæ caput non eſſe obſervandum decreverunt, quo trajecticiam non aliter mutuam dari licuit, quam cum periculo creditoris. Quod idem Athenis obtinuiſſe ex eo colligo, quia tam ſollicite ἔγγυα δανείσματα & ναυτικὰ diſtinxerint. Ut inde conſtet, communia nomina ſecura fuiſſe creditori, ναυτικὰ omnia ἐπικίνδυνα. Sed & non aliter ſcribi ſolitas ſyngraphas de nautico fœnore, quam ut hanc pactionem continerent, ſalva nave reddendas pecunias creditas, perdita non exigendas, ex Demoſthene in παραγραφῇ πρὸς Ζηνόθεμιν conſtare poteſt, his verbis: Οὑτωσὶ δὲ τῶν συγγραφῶν ὥσπερ εἰώθασιν ἅπασαι, σωθείσης τῆς νεὼς ἀποδοῦναι τὰ χρήματα, ἵνα ἀποστερήσαιεν τοὺς δανειστάς, τὴν ναῦν καταδῦσαι ἐβουλεύσαντο. Ergo inde ſequebatur, εἰ πάθοι τι ἡ ναῦς, μὴ ἀπαιτεῖσθαι τοὺς δανεισαμένους τὰ χρήματα. *Si quid navi accidiſſet, non exigendam eſſe à debitoribus pecuniam fœneratam*, ut eſt in argumento ſupraſcriptæ Demoſthenis orationis. Vide & argumentum oratio-

orationis adverſus Phormionem in his verbis: τὴν γὰρ συγγραφὴν κελεύειν παθούσης τι κατὰ τὴν θάλατταν τῆς νεὼς ἀπηλλάχθαι τοῦ ὀφειλήματος τὸν Φορμίωνα. Quod de modo fœnoris diximus communiter ἐπίπεμπτον fuiſſe, hoc eſt, in quintam ſortis partem, non ſemper ita fuit præciſe obſervatum, ſed interdum etiam majus aliquanto in pactionem deduci ſolebat, ex variis περιστάσεσι. Prout eſſet anni tempeſtas, qua navigationem auſpicabatur qui pecuniam ſumebat, aut prout ad propiora, aut longinquiora loca navigaturus eſſet, aut etiam perinde ut eſſent maria, per quæ iturus erat, infeſta piratis, aut pacata; ita graviores, aut leviores uſuræ in pactionem veniebant. Minores etiam exigebantur in ἑτερόπλουν navigationem, quam in ἀμφοτερόπλουν. Navigatio ἀμφοτερόπλους eſt Ἀθήνηθεν εἰς Πόντον καὶ ἐκ Πόντου Ἀθήναζε, *Athenis in Pontum, & ex Ponto Athenas.* Ἑτερόπλους tantum Ἀθήνηθεν εἰς Πόντον. In ea Demoſthenis pro Chryſippo, quæ vulgo πρὸς Φορμίωνα inſcribitur, Chryſippus Phormioni pecuniam trans mare vehendam in Pontum navigaturo dat minas viginti, ſive quod idem eſt, bis mille drachmas, recepturus ab eodem cum ex navigatione rediiſſet Athenas, δισχιλίας ἑξακοσίας δραχμάς, hoc eſt, viginti illas minas cum drachmis ſexcentis, pro fœnore pecuniæ trajecticiæ. Quæ uſura major eſt τοῦ ἐπιτετάρτου τόκου, atque etiam duplici centeſima, quę in minas viginti quadringentas octoginta tantum drachmas debet. Erit igitur bina centeſima cum ſemiſſali, τόκος ſcilicet ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς καὶ τρισὶν ὀβολοῖς, vel ἡμιδράχμῳ. Quæ gemina centeſima cum ſemicenteſima, ſexcentas drachmas annuas fœnoris loco præſtat. Alias pecuniæ trajecticiæ fœnus vulgo tunc ἐπίπεμπτον fuiſſe notavimus ſuperius ex Xenophonte. In alio Demoſthenis loco ex oratione πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν, Androcles & Naucrates pecuniam fœnerantur Artemoni & Apollodoro Athenis navigaturis Menden & Scio-

nen, & poſtea in Boſporum, & ſi vellent, per ſiniſtram Ponti oram Boryſthenem uſque, & inde Athenas redituris. In eam navigationem mercatores ſupraſcripti mutuantur ab Androcle & Naucrate argenti ter mille drachmas, uſuram pacti ducentas viginti quinque drachmas in millenas. Quod fœnus paulo majus ἐπιπέμπτου. Nam ducentæ viginti quinq; drachmæ non mille drachmarum quintam partem efficiunt, ſed mille centum ac viginti quinque. Hæc uſura non uſque ad binas centeſimas progreditur. Binis quippe centeſimis mille drachmæ reddunt ducentas quadraginta. Mirum, hoc genus fœnoris, neq; cum ea ratione, quæ ἐπὶ δραχμῇ vocatur, neque cum illa, qua pars ſortis, pro uſura nominatur, rotunde convenire, nec poſſe ullo modo deſignari alterutra earum appellationum. Nam majus eſt τοῦ ἐπιπέμπτου, minus τοῦ ἐπιτετάρτου. Bina centeſima etiam minus eſt, quod ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς appellatur, majus autem eſt ſeſquicenteſima, quæ ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς nomen habet. Nullam certe ejus appellationem certam ac definitam poſſum reperire. Ceterum in eadem ſyngrapha ſtatim adjicitur, ſi poſt Arcturum, hoc eſt, Arcturi ortum è Ponto enavigarint ad locum, qui vocabatur ἐφ' ἱερὸν, & erat in Boſporo, depectos eſſe ſupradictos fœneratores, in mille drachmarum ſortem trecentas fœnoris nomine ſolvi. Ita enim legendum, ἐπὶ τριακοσίαις ταῖς χιλίαις, non ut eſt vulgo apud Demoſthenem, ἐπὶ τριακοσίαις ταῖς τρισχιλίαις. Nec de fœnore hic remittitur, ut cenſet vir doctus ad leges Atticas, ſed contra augetur. Et idem plane fœnus eſt, cum eo cujus mentio in ea pro Chryſippo, ubi uſura trajecticiæ pecuniæ conſtituitur ſexcentarum drachmarum in bis mille. Atque ita plane legitur in eadem ſyngrapha, quæ iterum producitur in eadem oratione: Ἐπὶ τριακοσίαις ταῖς χιλίαις. In eadem porro ſyngrapha, ἐὰν δὲ μετ' ἀρκτοῦρον ἐκπλεύσωσιν ἐκ τοῦ Πόντου ἐφ' ἱερὸν, verba

iſta

iſta non ſunt exponenda, ut idem vir eruditiſſimus cenſet, *ubi Athenienſes non violent, ſed potius ſacroſancti ſint.* Immo, Ἐφ' ἱερὸν, ad locum Boſpori ſic dictum. De quo eſt apud Harpocrationem & Suidam: Ἐφ' ἱερὸν, Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος, ἱερόν ἐστι τῶν δώδεκα θεῶν, ἐν Βοσπόρῳ, ὡς Τιμοσθένης ἐν τοῖς περὶ λιμένων. Portum fuiſſe Boſpori ita appellatum, quod in eo templum eſſet duodecim Deorum, inde liquet. Habetur & hodie locus ille apud Demoſthenem in oratione πρὸς Πολυκλέα, περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος. Καὶ τοῦ στρατηγοῦ ἅμα Τιμομάχου προστάξαντος πλεῖν Ἐφ' ἱερὸν ἐπὶ τὴν παραπομπὴν τοῦ σίτου καὶ μισθὸν οὐ διδόντος. Falſus eſt etiam, cum eo refert verba quæ ſequuntur: ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλλωσιν μείναντες ἐπὶ τῆς ἡμέρας δέκα ἐν Ἑλλησπόντῳ, ἐξελόμενοι, ὅπου ἂν μὴ συλαῶσιν Ἀθηναίους. Quod ipſe interpretatur, *appulerint eo, ubi Athenienſes non violent.* Primum Atticum non eſt, συλαῶσιν pro συλῶσιν. Deinde disjunctim in omnibus exemplaribus legitur, σύλας ὦσιν. Pro quo legendum eſt ex Harpocratione, in verbo σύλας, Ἐξελόμενοι ὅπου ἂν σύλας ὦσιν Ἀθηναίοις. Vocabulum eſt Attica forma percuſſum, σύλη pro σύλησις, expilatio, deprædatio, ut αὔξη pro αὔξησις, ὀφειλὴ pro ὀφείλημα, ἄνθη pro ἄνθησις, ὄσφρη pro ὄσφρησις, & talia ὅσα κόνις. Ita & πώλας iidem Attici Rhetores dixere ἀντὶ τῶν πωλήσεων, ut σύλας, ἀντὶ τῶν συλήσεων. Harpocration: Πώλας, ἀντὶ τοῦ πράσεις. Sunt πωλήσεις. Citat Hyperidem, qui eo uſus eſt. In legum Rhodiarum collectione Græca, quæ hodie extat, etiam σύλην pro σύλησιν poſitum reperire eſt tit. III: Περὶ πλοίου ἀπὸ κλεπτῶν ἢ πειρατῶν σύλην ὑπομείναντος, id eſt, σύλησιν. Uſus eſt & hac eadem voce σύλας pro συλήσεις, idem Demoſthenes in oratione περὶ Στεφάνου τῆς τριηραρχίας, his verbis, quæ valde notanda ſunt: Ἐπειδὰν γάρ τις μισθωσάμενος τριηραρχίαν ἐκπλεύσῃ, πάντας ἀνθρώπους ἄγει καὶ φέρει, καὶ τὰς μὲν ὠφελείας ἰδίᾳ καρποῦται, τὰς δὲ δίκας τούτων ὁ τυχὼν δίδωσιν

ὑμῖν, καὶ μόνοις ὑμῖν οὐδαμῶς ἐστιν ἄνευ κηρυκείου βαδίσαι, διὰ τὰς ὑπὸ τούτων ἀνδροληψίας, καὶ σύλας κατεσκευασμένας. Quæ peſſime reddidit doctus interpres: *Soliſque vobis nuſquam ſine caduceo ire licet, propter inſtitutas illorum culpa, & corporum, & bonorum veſtrorum comprehenſiones.* Τριηραρχία munus Athenis fuit, graviſſimum & magnis conſtans ſumptibus, trieris ad bellum inſtruendæ & complendæ. Qui eas conducebant navium præfecturas, abutebantur ea poteſtate ad expilandos in mari ac capiendos quoſcunque prehendere poſſent, prætextu ἀνδροληψίων. Cum quis homicidii reus aufugerat Athenis in aliam civitatem, Athenienſes negotium dabant ſuis Trierarchis ac navium bellicarum præfectis, ut quoſcunque in mari poſſent ex illa civitate homines comprehendere, caperent, atque abducerent, ipſorumque bona diriperent, ἀνδροληψίου nomine. Quod jus *repreſaliorum*, vulgo vocamus. Junxit ergo hic Demoſthenes ἀνδροληψίας & σύλας, quia diripiebant eos & eorum naves expilabant adverſus quos ſibi eſſe jus ἀνδροληψίου prætendebant. Et hoc prætextu multos ex ſociis ſpoliabant innoxios & immerentes. Qui, ut ſe vindicarent, quoſcunque etiam Athenienſes privatis navibus navigantes capere poſſent, par pari eis rependebant, & abducebant, navigiaque eorum expilabant. Ob eas injurias quas illæ civitates ab Athenienſim Trierarchis accipiebant, non audebant privati, nec ipſi mercatores, ex urbe quoquam navigare ſine caduceo. Adverſus igitur hujuſmodi civitates, quæ homicidii convictos, aut læſæ majeſtatis reos nollent ad ſupplicium reddere, Ἀνδρολήψια & σύλας habere ſe intendebant, hoc eſt, jus hominum ex illis civitatibus quocunque loco poſſent apprehendi, capiendorum, & bonorum, quæ ad eos pertinerent, diripiendorum, tanquam adverſus hoſtes. Ex eo jure & more explicanda ſunt, quæ in hac ſyngrapha habentur περὶ συλῶν, quas Athenienſibus dari

contra

contra aliquem hic perhibetur. Σύλας enim, hoc eſt, συλήσεις τινὶ eſſe κατά τινων dicebant, cum jus illi eſſe dicerent eos expilandi & ſpoliandi in mari. Harpocration in voce Ἀνδροληψία, τὸ ἁρπάζειν ἄνδρας ἔκ τινος πόλεως, ἐνεχύραζον γὰρ τὴν ἔχουσαν πόλιν τὸν ἀνδροφόνον, καὶ μὴ παρεισμένην αὐτὸν εἰς τιμωρίαν. Prædis, quaſi pignoribus captis civitatis illius homines adverſus quam ἀνδροληψία jus erat, agebant, ferebant. Hinc σῦλον, ἐνέχυρον interpretatur Heſychius. Nam & ἀνδρολήψια & σῦλαι ſimul fiebant, præhenſio hominum, & bonorum deprædatio, vel captio. Adverſus hoſtes quoque hæ σύλαι & ἀνδρολήψια legitima. Auctor argumenti alterius ad Timocrateam; κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἐγράφη ψήφισμα, πλοῖα σῦλα πολεμίων εἶναι. Forte legendum κατάσυλα. Nam ἄσυλα dicebantur πλοῖα, in quæ jus non eſſet συλᾶν, quæ deprædari & expilare non liceret. Inde igitur verba Syngraphæ exponenda: ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλωσιν μείναντες ἐπὶ κυνὶ ἡμέρας δέκα ἐν Ἑλλησπόντῳ, ἐξελόμενοι ὅπου ἂν μὴ σῦλαι ὦσιν τοῖς Ἀθηναίοις. Quæ ſic vertenda ſunt: *Si vero non ingreſſi fuerint mare Ægeum, expectantes decem à canis ortu dies in Helleſponto, nave exonerata eo loci ubi Athenienſibus direptiones conceſſæ non ſunt, atque inde Athenas reverſi fuerint tum eas uſuras perſolvunto, de quibus in ſyngrapha convenerit anno præterito.* Prior pactio fuit de uſuris ſolvēdis ratione ducentarum ac viginti quinque drachmarum in centum. Deinde majores uſuræ impoſitæ eadem cautione, ſi poſt Arcturum è Ponto enavigarent, propter majus ſcilicet periculum, quod creditoribus imminebat ex ſera & in exortum arcturi tracta enavigatione è Ponto. Nam eo tempore, quo oritur Arcturus navigationis ſuæ ut plurimum deſinebant mercatores, domumque redibant. Boedromion quippe menſis qui Septembri reſpondet, quo tempore fere Arctūrus oritur, terminus erat navigationum Atticarum. Ideo ab eo menſe Munichionem uſque, quo

menſe iterum ſe mari committebant, ac vela dabant mercatores Athenienſes, in urbe deſidebant, & lites ſuas diſceptabant, ut videre eſt apud Demoſthenem in παραγραφῇ adverſus Apaturium. Periculoſa igitur poſt Arcturum navigatio. Ea de cauſa & majores uſuræ in nautico fœnore competebant, ſi quis poſt Arcturi ortum è Ponto enavigaret. Poſtremo adjecta & tertia pactio in ſyngrapha, cum minoris fœnoris exactione, ſi mercatores iſti decem dies poſt caniculæ exortum in Helleſponto ſubſiſterent, nec Ægæum intrarent, navemque interim exonerarent in aliquem portum, in quo Athenienſibus συλᾶν jus, hoc eſt, direptionis non daretur. Ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλωσιν prorſus patet accipiendum de ingreſſu in Ægæum ex Helleſponto. Hoc enim εἰσβάλλειν. Doctus interpres qui vertit, *ſi onerarint*, aliud agebat. Ἐμβάλλεσθαι, hoc dicitur. Unde ἐμβολὴ navis onus atque entheca, & *ſacra embole*. Ita accipienda vox ἐμβολὴ in lege Rhodia XXVIII: Ἐὰν πλοῖον ἐν τῇ ἐμβολῇ ἐμποδισθῇ ὑπὸ τοῦ ἐμπόρου ἢ κοινωνικοῦ. Id eſt, in nave oneranda. Perperam Leunclavius, *in portu* vertit. Alii non melius, *tempore publicæ tranſvectionis*. Ne ἐμβαλεῖν quidem dicebant de his quæ in navem inferebantur, & imponebantur, ſed ἐμβαλέσθαι & ἐνθέσθαι. Unde ἐνθήκη navis & ἐμβολὴ idem. Ægæum porro mare valde procelloſum eſſe, ex ſcriptoribus Græcis ſcimus. Cujus rei cauſam aſſignant, frequentes inſulas, quibus quaſi conſitum eſt. Hinc fluctuoſum exiſtere & undabundum, utpote inter terras coërcitum, fluctibus ſe frangentibus ad littora quibus hinc inde coarctatur. Dionyſius de Ægæo:

Οὐ γάρ τις κείνῳ ἐναλίγκια κύματ' ὀφέλλει
Ὑψόθι μορμύρων ἕτερος πόρος ἀμφιτρίτης.

Circa canis autem ortum ſæpe magnas in mari tempeſtates excitari, Euctemon apud Geminum & Ptolemæum tradit. Ideo ſolebant mercatores è Ponto navigantes, ut ex hac ſyngrapha videre eſt, ut plurimum

mum

mum in Helleſponto decem dies poſt caniculæ ortum morari, nec ſe Ægæo committere donec effectus ſideris tranſiſſet. Addit præterea auctor fœneraticiæ ſyngraphæ, ſi per id tempus quo in Helleſponto expectant, ad ea loca appulerint & merces exonenarint, in quibus Athenienſes jus συλῶν non habent, ἐξελόμενοι ὅπου ἂν μὴ σύλαι ὦσιν Ἀθηναίοις. Hic ἐξελέσθαι non eſt ſimpliciter adpellere, ſed excenſionem facere, ac merces in terram exponere, navemque exonerare. Nihil frequentius hac loquutione hoc ſenſu apud Demoſthenem, ut in hac ipſa oratione, περὶ Λακρίτου τὴν συγγραφὴν, καὶ ἐπισκοποῦμεν εἴτε ἐξαιροῦνταί ποθεν ἐκ πλοίου, ἢ πεντηκοστεύονται). Pridem adpulerant, ſed nondum quidquam ex navis mercium expoſuerant in terram. Idem in ea contra Dionyſodorum: καὶ πυθόμενος τὰς τιμὰς, τὰς ἐνθάδε τοῦ σίτου καθεστηκυίας, ἐξαιρεῖται τὸν σῖτον ἐν τῇ Ῥόδῳ, κἀκεῖ ἀποδίδοται). *Frumentum in Rhodo inſula exonerat, & ibi vendit.* In eadem oratione paulo poſt: Τόν τε σῖτον ἐξελόμενος εἰς Ῥόδον ἀπέδοτο. Additur in Syngrapha, ut ibi exponant, ubi σύλαι μὴ ὦσι τοῖς Ἀθηναίοις, hoc eſt, jus deprædationis non ſit Athenienſibus. Soliti quippe illi quocunque in loco ubi σύλας jure ſe habere putarent naves diripere, ad quoſcunque pertinerent. Sed dices; Quid? an non iſti mercatores Athenienſes? Cur igitur timent eorum creditores ne diripiantur ab Athenienſibus? Immo Phaſelitæ fuere, non Athenienſes, & videntur eo tempore Athenienſibus datæ σύλαι contra Phaſelitas. Iſti quidem Phaſelitæ negotiatores vinarii Athenis exierant ad mercatum, & pecuniam ab Athenienſibus fœneratoribus ſumpſerant mutuam nautico fœnore, nec alibi locorũ deprehenſos eos diripere ac ſpoliare potuiſſent Athenienſium Trierarchi, quia navis eorum ac merces pignori obligata civibus erant Athenienſibus, qui pecuniam his fœnerati fuerant. Si tamen deprehenſi fuiſſent ab aliquo portu, aut urbe revertentes, in quam jus συλῶν

ſibi competere Athenienſes Trierarchi judicaſſent, ſine dubio eos ſpoliaſſent. Nam qui apud hoſtes negotiantur, & in eorum portus merces invehunt, pro hoſtibus habentur etiamſi cives ſint. De ſociis non eſt dubium. Et Athenienſes, ut dixi, eo tempore σύλας habebant contra Φασηλίτας. Sed & idem jus Trierarchi ſibi vindicaſſent adverſus ipſos Athenienſes mercatores, ſi eoſdem comperiſſent ex portu aliquo ejus civitatis in quam σύλας habebant legitimas, ſolventes ac redeuntes, quo adpuliſſent vitandæ tempeſtatis gratia. Nihil enim aliud quærebant illi Trierarchi, niſi occaſiones ac prætextus faciendarum deprædationum, tam adverſus ſocios, quam & cives, ſi eos in cauſa aliqua cur id merito illis fieret, deprehenderent. Idcirco tam ſollicite cavent iſti fœneratores ne ſui debitores in reditu aliquo adpellant, aut merces exonerent, ὅπου ἂν σύλαι ὦσιν Ἀθηναίοις. Quid ſit σύλας alicui dari contra aliquem, immo non aliud eſſe quam quod diximus, intelligi poteſt, ex eadem oratione, ubi dicit Demoſthenes Phaſelitam illum mercatorem fraudare voluiſſe Androclem Athenienſem pecunia ſibi credita, quaſi ſi αἱ σύλαι conceſſæ eſſent Phaſelitis in Athenienſes, & non Athenienſibus in Phaſelitas: ἐν γὰρ τῇ πόλει τῇ ἡμετέρᾳ, οὐδὲν ἀδικοῦντες, οὐδὲ δίκην ὠφληκότες οὐδεμίαν τούτοις, σεσυλήμεθα τὰ ἡμέτερα αὐτῶν ὑπὸ τούτων Φασηλιτῶν ὄντων, ὥσπερ δεδομένων συλῶν Φασηλίταις κατ' Ἀθηναίων. Sic apud Ariſtotelem in Oeconomico ſecundo intelligenda ſunt hæc verba, viris doctis vulgo non intellecta: ἀνήγγειλαν οὖν εἴ τις τῶν πολιτῶν ἢ μετοίκων σύλας ἔχει κατὰ πόλεως ἢ ἰδιώτου, εἰ βούλεται λαβεῖν, ἀπογράψασθαι. Quid ſit σύλας κατά τινος ἔχειν, ſtatim explicat: ἀπογραψαμένων δὲ συχνῶν, τὰ πλοῖα τὰ πλέοντα εἰς τὸν Πόντον ἐσύλων κατὰ προφάσεως εὐλόγου. Doctiſſimus Sylburgius σύλας ibi accipit ἀντὶ τῶν συλλήψεων. Quin & paulo poſt, pro συληθεῖσιν, notat in Camerarii veteri libro legi συλληφθεῖσι. Ipſe etiam Camerarius vertit, *compre-*

comprehenſiones, quaſi pro σύλας legerit συλλήψεις. Apud Suidam certe in voce Σύλας perperam exponitur συλλήψεις, vel potius perperam ſic legitur pro συλήσεις. Habet enim ab Harpocratione. Is loco jam ſupra citato obſervat Atticos σύλας dicere ἀντὶ τοῦ τὰς συλήσεις, id eſt, expilationes. Hæc omnia quæ tam ſollicite caventur in ſyngrapha pertinent ad ſecuritatem fœneratorum, qui ut ſibi conſulerent, quoniam periculum creditæ pecuniæ & uſurarum ipſos reſpiciebat, varias adpoſuere conditiones, ſecundum quas, prout major, aut minor periculi metuendi ratio appareret, ita majores aut minores ſtipulati ſunt uſuras. Hac poſtrema paciſcuntur eaſdem uſuras de quibus convenerat in ſyngrapha anno præterito. Hæc enim mens eſt eorum verborum: ἐὰν δὲ μὴ εἰσβάλωσιν μείναντες ἐπὶ κυνὶ ἡμέρας δέκα ἐν Ἑλλησπόντῳ, ἐξελόμενοι ὅπου ἂν μὴ σῦλαι ὦσιν Ἀθηναίοις, καὶ ἐντεῦθεν καταπλεύσαντες Ἀθήναζε, τοὺς τόκους ἀποδιδόντων, τοὺς πέρυσι γραφέντας εἰς τὴν συγγραφήν. Si hæc omnia compleſſent, ut decem dies à caniculæ ortu in Helleſponto manerent, non intrantes Ægæum, & navem exonerantes, quo loco Athenienſibus σῦλαι non eſſent, atque inde Athenas navigarent, tum eaſdem uſuras præſtent, quas anno præterito promiſerant in Syngrapha, hoc eſt, quas præſtitiſſent ſi ex priore pactione ſyngraphæ ante anni exitum Athenas reverſi eſſent. Annus Athenis incipiebat proximo novilunio à ſolſtitio æſtivo. Priore ſyngraphæ conventione navigatio debuit finiri ante ſolſtitium & finem anni. Quo caſu uſuræ in pactionem venerant ducentæ ac viginti drachmæ in millenas ſolvendæ. Quod ſi poſt Arcturum è Ponto demum enavigaſſent, tum propter majus periculum, quod impendebat ex longiori navigatione, quæ non poterat perfici ante anni exitum, pro ducentis ac viginti quinq; drachmis uſurarum nomine præſtarentur trecentæ drachmæ in eamdem ſummam ſortis mille drachmarum. Si autem ob-

ſervarent, quod pro ultima conditione in fine ſyngraphæ adjectum eſt, ut decem dies poſt caniculæ ortum in Helleſponto expectarent, nec ſe ante illud tempus Ægæo committerent, tum parem uſuræ modum, agnituros ac ſi ante annum peractum Athenas rediiſſent. Omnino ſecundum pactionem, quæ priore loco in Syngrapha poſita eſt, navigatio finiri debuit ante illius anni finem quo conſcripta fuit cautio. At ſecundum duas poſteriores non potuit abſolvi ante initium ſequentis anni. Ex quibus duabus poſterioribus pactionibus, quæ ultima eſt, quia propter præcautiones, quæ in eam adhibentur, non plus habet periculi, quam navigatio ex priore clauſula facienda, etſi longior, idcirco nec ampliores uſuras quam de quibus in priore convenerat, ſtipulatur. Qui ſe hactenus hæc putavit intellexiſſe, nunc oportet fateatur nihil in his vidiſſe prorſum. Commentator legum Atticarum, vir alias diligentiſſimus atque eruditiſſimus, dum auctoritate Scaligeri inductus de diario fœnore illas ſummas uſurarũ in Syngrapha ſupraſcripta poſitas explicare conatur, immane quantum à vera rectaque harum rerum intelligentia aberravit. Ex his porro, quæ docuimus compertum eſt non ſemper nauticum fœnus ἐπίπεμπτον fuiſſe, quem modum ei Xenophon aſſignat, ſed pro ratione periculi propioris, aut remotioris ita incrementum accepiſſe majus aut minus. In quo plurimum valuit non tantum navigationis longinquitas ac mora, ſed etiam locorum ratio, ad quæ, vel per quæ navigaretur. In Seſto oppido, quod ad fauces Helleſponti, nauticum fœnus fuit ἐπόγδοον, hoc eſt, in octavam partem ſortis, quia ſive è Seſto in Pontum, ſive Athenas navigaretur, dimidio brevius in navigationem tempus impendebatur, ſive ἀμφοτερόπλους eſſet ſive ἑτερόπλους, quam in eam, quæ Athenis in Pontum ſuſcipiebatur. De quo fœnore nautico ἐπογδόῳ, in urbe Seſto uſitato inſignis locus apud Demoſthenem habetur in oratione

tione

tione ad Polyclem, ſed inſignite corruptus, quem ita partim ex libris, partim è conjectura feliciter reſtituimus: *εἰσαγγελθέντων δ' ὅτι Βυζάντιοι καὶ Καλχηδόνιοι πάλιν κατάγουσι τὰ πλοῖα καὶ ἀναγκάζουσι τὸν σῖτον ἐξαιρεῖσθαι, δανεισάμενος ἐγὼ ἀργύριον παρὰ Χαιρεδήμου μὲν τοῦ Ἀναφλυστίου πεντεκαίδεκα μνᾶς ἐγγύῳ τόκῳ, ὀκτακοσίας δὲ δραχμὰς παρὰ Νικίππου τοῦ ναυκλήρου, ναυτικὸν ἀνειλόμην, ὃ ἔτυχεν ὂν ἐν Σηστῷ ἐπόγδοον, σωθέντος δὲ τοῦ πλοίου, Ἀθήναζε ἀποδοῦναι αὐτῷ καὶ τοὺς τόκους.* Qui *ἐπόγδοος τόκος* non multum abeſt à centeſima, ut alibi oſtendimus. Nam octava ſortis pro uſura accepta dat duodecim in nonaginta ſex, cum vera centeſima in centum eamdem ſummam ſuppetat. Fœnus autem hoc *ἐπόγδοον* veram fuiſſe centeſimam qualis tempore Juſtiniani obſervabatur, in ſequentibus docebimus. Quam uſuram trajecticiæ pecuniæ, & frugum fœnoris eſſe ſanxit propriam. In verbis autem illis Demoſthenis non recte interpretes accipiunt, *Βυζάντιοι καὶ Καλχηδόνιοι κατάγουσιν τὰ πλοῖα.* Nec melius in illis Ariſtotelis ex ſecundo Oeconomico de iiſdem Byzantiis: *ἐν σιτοδείᾳ γενόμενοι καὶ ἀποροῦντες χρημάτων κατήγαγον τὰ πλοῖα τὰ ἐκ Πόντου.* Non enim *κατάγειν τὰ πλοῖα*, eſt naves deducere, aut exceptare. Nec etiam recte Harpocration interpretatur, *λῄζεσθαι καὶ κακοῦν, καὶ μὴ ἐᾶν τοὺς πλέοντας ὅπου βούλοιντο πλεῖν, ἀλλ' εἰς τὰ οἰκεῖα χωρία τοῖς λῃστεύουσι κατάγειν.* Quæ expoſitio nullo modo convenit duobus illis auctorum locis quæ attulimus. Byzantii cum laborarent annonæ caritate & pecuniæ inopia, onuſtas frumento naves, quæ ex Ponto Athenas, aut in alias Græciæ regiones navigabant, eas ad ſuas portus appellere, & frumētum apud ſe divendere cogebant. Illud igitur eſt quod dicit Harpocration, *μὴ ἐᾶν τοὺς πλέοντας ὅπου βούλοιντο πλεῖν*, non permittere mercatoribus, quo velint ſuas importare merces, ſed cogere invitos, quod portarent, ubi nollent exponere, & vendere. Non tamen animo prædandi hoc faciebant, ſed ut in neceſ-

ſitate

ſitate ipſi potius haberent, quam illi ad quos ea inve-here deſtinaverant naviculatores. Nam & Byzantii apud Ariſtotelem mercatoribus, quorum τὰ πλοῖα κατῆγον, id eſt, naves ad ſuos portus ac navalia adducebant, ægre id ferentibus, non ſolum pretii tardius ſoluti uſuras dextantes ſolvebant, τόκους ἐπιδεκάτους, ſed etiam ultra legitimum pretium, quo frumentum ſuum diſtraxerant, decimam pendi jubebant ab his qui emerant. Ut ſi quis decem drachmis modium frumenti ab mercatore emiſſet ex venditionis pacto, undecim ſolveret. Quarum ſolutionem ſi differret, τόκους ἐπιδεκάτους præſtare debebat, hoc eſt, in decimam ſortis partem. Sic enim intelligenda hæc Ariſtotelis verba: Ἐν σιτοδείᾳ δὲ γενόμενοι καὶ ἀπορῶντες χρημάτων κατῆγαγον τὰ πλοῖα, τὰ ἐκ Πόντου, χρόνου δὲ γενομένου τῶν ἐμπόρων ἀγανακτούντων ἐπέλυον αὐτοῖς τόκους ἐπιδεκάτους, τοῖς δὲ ὠνουμένοις προσέταξαν χωρὶς τῆς τιμῆς διδόναι τὸ ἐπιδέκατον. Quæ perperam accepta viris eruditiſſimis. Κατάγειν τὸ πλοῖον eſt proprie ἐπὶ τὸν ναύσταθμον ἄγειν, in navalia deducere vel ſubducere naves. Inde κατάγειν τὰ πλοῖα dicebantur, qui mercatores ad ſua adpellere adigebant, cum id facere poſſent. Byzantii tranſeuntes per Boſporum naves frumentarias in annonæ caritate ad ſe diverti, & frumentum venum exponere compellebant, non ut eas ſpoliarent, ſed ut ſuæ neceſſitati ſuccurrerent, empto inde frumento, quo carebant, uſuris etiam pretii non ſoluti conſtitutis, quia & nummaria inopia premebantur. Atque hæc obiter.

CAPUT VI.

De uſuris Romanorum. Leviores eas fuiſſe quam Græcorum. Hujus rei cauſam modo à lege præſcripto non debere aſſignari. Cur leviores uſuræ Romanis uſitatæ quam Græcis. Non ſemper eumdem modum uſuræ apud Romanos ſervatum. Maxima eorum uſura.

minima

minima fuit Græcorum. Ἑκατοστὴ, *hoc eſt, centeſima, unde dicta. Vtrum hoc nomen à Græcis ad Romanos an à Romanis ad Græcos tranſierit. Rationes aliquot allatæ cur à Romanis potius videatur. Romanos eamdem rationem ſequutos ac Græcos in explicandis uſurarum modis & appellationibus, centenario numero conſtituto, ad quem revocarentur. Quod Galenus* ἑκατοστὸν τόκον *dixerit, id feciſſe imitatione Romanæ loquutionis, quæ centeſimam uſuram appellat. An centeſimam Latini ex Græco* ἑκατοστὴ *appellarint. Videri poſſe, Græcos, qui ſub Imperio Romano vixere,* ἑκατοστὴν *ſuam ex Latinis centeſimis expreſſiſſe. Concluditur tandem, centeſima nomen Latinum ex Græco* ἑκατοστὴ *eſſe expreſſum. Secundum hanc ſententiam non centeſima uſura dicenda, ſed centeſimæ uſura. Aſſis nomine centeſimam uſuram veteres Romanos ſignificaſſe. De comparatione uſurarum Græcarum cum Romanis, & earum appellationibus. Ab aſſis partibus nomen iis à Romanis inditum, ut Græci à partibus drachmæ eas denominarunt. Explicatæ aſſis Romani partes, & vocabula, earumque origo ad hoc explanata, ut melius ſciatur quales uſuræ ſint ſextantes, quadrantes, trientes, & alia ab aſſis partibus appellatæ. Nomina nummorum à Doribus populis, qui Italiæ eam partem, quæ major Græcia dicta eſt, incoluerunt, item à Siculis, Romanos accepiſſe. Vſurarum appellationes videri & indidem ſumptas. As & Æs vocabula, ab illis Dorici generis Italicis Siculiſque in Romanum ſolum traducta.* Λίτρας *nomen Siculum eſſe ac Doricum Italorum, pro certo pondere minam Atticam, ſive* στατῆρα *fere penſante. Comicis poëtis idem* στατὴρ *quod* λίτρα, & μνᾶ *eadem ac* στατήρ. *Sed* λίτρα *Siculorum & Dorum Italicorum,* μνᾶ *Atticorum,* στατὴρ *poëtarum. Pollux emendatus. Atticis comicis* λίτρας *nomen pro nummo uſurpatum, ſed in argumento*

fabulæ

fabulæ Siculo. Libra vocabulum Latinum ex Æolico Λίτρα factum, & tria ſignificare, pondus, ponderandi inſtrumentum, & genus nummi librarii. Nomen Στατῆρος Græcis totidem & eaſdem habuiſſe ſignificationes. De ære gravi, quo tempore as & libra pondere ac nomine idem fuit. Æris gravis appellationem, etiam uſque ad tempora manſiſſe quibus as non fuit librarius. Quomodo id accipiendum ſit. Cum libra de pondere dicebatur, adjici ſolebat pondo. Λίτρας nomen pro pondere ad Græcos poſteriores, qui ſub Imperio Romano ſcripſere, præcipue medicos, tranſiſſe pro libra Romana, ut & οὐγκίας vocabulum, pro ejus parte. Nummus Tarentinis ac Siculis olim in uſu fuit æreus, cum librali pondere, æque ut Romanis, qui eum ab illis videntur ſumpſiſſe. Poſtea λίτραν iidem Siculi ac Tarentini de nummo argenteo proprie dixerunt, eumque ſolum habuerunt. Nunquam aliter λίτραν accipi, quam de argenteo, cum Siculum eſſe νόμισμα dicunt Grammatici. Inde λιτρόκοποι dicti, qui & ἀργυροκόποι. Quod ὀβολὸν λίτραν illam veteres interpretantur, obolum illum fuiſſe argenteum. De obolis ex argento ſignatis Atticorum & Æginenſium. Vitruvium perperam obolos æreos facere. Errorem illum inde ei objectum, quod Græci Romanorum aſſes ex ære modo ὀβολὸς, modo χαλκοῦς reddunt. Drachma Siculorum & Italiatarum Argentea, & in plures obolos ex argento diſtributa, ut Attica. De oboli Attici & Æginenſis differentia. Λίτρα Sicula, minutus nummus, idem valuit, quod obolus Ægineticus. Hic pars decima fuit δεκαλίτρου, nummi argentei ſic dicti, quod decem λίτρας haberet. Δεκάλιτρον illum ἰσοδυνάμον fuiſſe Corinthio ſtateri. Ex λίτρα Sicula libella Romanorum facta, ejuſdem ponderis cum illa & pretii. Ea decima pars denarii, ut λίτρα δεκαλίτρου. Sembella dimidium libellæ, & eadem cum ἡμιλίτρῳ Siculo.

Scaliger

Scaliger reprehenditur, qui putavit nomen Siculum λίτραν non de nummo accipi, ſed de nummorum coacervatione. Partes eaſdem fuiſſe & iiſdem ferme nominibus apud Siculos λίτρας ex argento minuto, ac Latinorum libræ, & aſſis librarii. Abolito ære gravi, ac λιτραίῳ, quod olim ipſis in uſu fuerat Siculis, pro eo argenteum ſignaſſe eodem λίτρας nomine & iiſdem partium appellationibus. Inde & Latinos libellam ſuam & libellæ partes mutuatos. Teruncium quarta pars libellæ ex Siculo τριούγκιον, quod quarta pars λίτρας. Denarius Romanus, cum primum percuſſus eſt, ejuſdem ponderis fuit, cum Siculorum δεκαλίτρῳ. De Siculæ drachmæ pretio à Dionyſio duplicato. Verba Varronis de denario Romano expoſita. De nummo Romanorum ita abſolute dicto. Eumdem ut nomine ita & pondere fuiſſe cum Siculo νόμμῳ. Quinarius, idem qui πεντάλιτρος. Error Scaligeri notatus. De Siculo & Neapolitano Talento. Quid ſit τρίτον ἡμιωβόλιον. Pollux correctus. De partibus aſſis Romani, unde eæ appellatæ, & veriloquia omnium explicata. Trientem non eſſe partem tertiam aſſis, neque Quadrantem quartam, neque Sextantem ſextam. Aliter Siculos nomina τρίαντος, τέτραντος, & ἕξαντος accepiſſe. Voces illæ explicatæ ex Siculorum mente & uſu. Δίξας pro duobus areis, vel unciis, idem ſextans. Vocabula illa Sicula τρίας, τέτρας, ἕξας compoſita eſſe ex numeri nota, ac nomine ἄς. Eam vocem aliis unam libram ſignificaſſe, quos Romani ſequuti ſunt, aliis unum areum, ſive unciam, libræ vel aſſis librarii partem duodecimam. Inde As Romanis, & pro toto, & pro unitate. Cum aſſem pro ſolida libra uſurparint, non potuiſſe τρίαντα, & ſimilia vocabula, pro tribus aſſibus accipere, ubi ἂς non libram, ſed partem libræ duodecimam notat. Epicharmius duobus locis correctus. Quid ſit πεντόγκιον, & ἑξάντιον, τριούγκιον,

&

& ἐννεούγκιον. Vnde & Latinis Teruncium, Nonuncium, pro tribus & novem unciis. Siculis idem quippe τριᾶς, quod τριούγκιον, & ſimilia. quia ᾶς idem quod οὐγκία. Vt triens Latinis, pro tertia parte aſſis, cum ſint proprie tres unciæ, contra Atticis τριημιώβολον de tribus quartis oboli, id eſt, ſex æreis, cum proprie ſit tertia pars. Philemon Comicus explicatus. Quid ſit τριτημόριον & ταρτημόριον. Iiſdem Atticis τίτραχμον, pro τετράδραχμον. A nomine trientis trientes uſuræ, quæ tertiam partem centeſimæ darent, ut triens eſt pars aſſis tertia, quo aſſis nomine centeſima Latinis dicitur, hoc eſt, aſſarium fœnus.

DE uſuris Græcanicis tam cõmunibus, quam nauticis ſatis dictum eſt. De Romanis dicendum. Et patebit quidem ſtatim, longe leviorem ac modeſtiorem earum modum fuiſſe, quam Græcarum. Quod aliquis forſitan trahere poſſit in argumentum moderationis ac modeſtiæ Romanorum non leve, uti contra Græculorum aviditatis & avaritiæ, ſi comparetur uſurarum, quas iſti in uſu habuerunt, modus cum illorum more modoque fœnerandi. Quinetiam & multi inde colligent, ubi lex modum uſuris præfinit, multo minores in conſuetudinem ſolere venire, quam ubi pleniſſima libertas fœnerationi permittitur; & quaſi fibula fœneratoribus relaxatur. Quod tamen haud ita ſe habere rebus manifeſtis poteſt probari. Præter rationes quas infra afferemus, cur majores Græcis & præcipue Atticis, uſuræ vulgo licitæ ac receptæ, quam Romanis, hanc interim hic dare, pro re ſatis erit. Athenienſes ad mare ſiti, & opportuniſſimo navigiis portu, & navigandi peritia in primis inſtructi, mercaturis maxime floruerunt. Inde nauticum fœnus apud eos viguit. Omnes enim qui cito divites fieri vellent, pecuniam ſuam eo fœnore occupabant. Nam navigationes non valde longinquæ

ginquæ his fuere, in Pontum aut in Syriam, aut Ægyptum frequentiſſimæ, & non adeo periculoſæ. Quæſtus autem ex maritimis uſuris maximus propter periculi rationem. Quod tamen cum non ita frequens eſſet, quia tuto ſatis navigarent, ea re factum, ut plurimi ad hoc fœnerandi genus ſe applicarent. Ea ratio fecit, ut quia id à pluribus exerceretur, & minus multi eſſent, qui communi fœnore ac tuto argentum collocarent, hæc uſura proportione longe gravior extiterit, quam maritima. Ut enim in ſuperioribus oſtendimus, ναυτικοὶ τόκοι, ut plurimum fuere ἐπίπεμπτοι, hoc eſt, quintarii. Ἔγγυοι vero, vel ἔγγειοι, ἔφεκτοι, ſextarii. At quantulum hoc diſcrimen? Fœnus illud dabat viginti in centum, quod erat nauticum, hoc commune viginti, in centum ac viginti. Quod itaque omnis ferme pecunia numerata bene nummatorum Athenis trajecticia fieret ac navigaret, rarior extitit quæ expenſa ferretur uſuris vulgaribus. Quæ res cariores eas gravioreſque præſtitit, maritimas vero leviores. Romanis contrà quo tempore leviſſimo uſi ſunt communi fœnore, adeo ut unciarium ac ſemunciarium uſurparetur, ignorata fuit navigatio, ac proinde omnis uſura nautica, & mercatura. Certum eſt quippe, in his locis, ubi maxime celebris mercatura, ibi uſuras omne genus ampliores effici, quo plures ſunt, qui opus habent pecunia mutuaticia, & quo uberior quæſtus ex ea mutuatis obvenit. Hoc vero in ea pecunia, quæ ad negotiationem ſumitur, ſolet eſſe creberrimum. Tanto grandiores par eſt uſuras ex illis nummis capi, qui ad tam grande compendium dantur eos accipienti mutuos. At Romani ante primum Punicum bellum prope quingentos per annos ſua tantum littora noverant, tum primum mare ingreſſi, ut Siciliam inſulam, quam Pœni affectabant, ſibi aſſererent. Per illud igitur omne tempus, quo mare neſcierunt, omne argentum ſignatum, quo propter parſimoniam privatim no-

biles abundabant, à terreſtri populo, in terra ipſa conſumebatur, nec uſuris maritimis, nullo tunc navigationis ac mercaturæ uſu, expendebatur, & leviori propterea fœnore, cum non aliud eſſet in more niſi commune, atque ut poſteriores Græci loquuti ſunt, terreſtre. Præter hanc, quæ mihi viſa eſt veriſſima, poſſunt & aliæ nonnullæ afferri rationes cur uſuræ leviores apud Romanos, quam apud Græcos, ſemper fuerint uſitatæ, quas etiam in ſequentibus prout ſe dabunt occaſiones, ſuis inſeram locis. Sed nec ſemper Romanis idem modus uſurarum receptus, & adprobatus fuit, quamvis in eo præſcribendo legem potius ſcriptam, quam conſuetudinem, aut conſenſum contrahentium ex uſu & more commerciorum, obſervaverint. Illud certe conſtat, etiam tum cum maximas uſuras agnoverunt, utpote quæ à ſemunciario fœnore, quod olim inter initia Reipublicæ in uſu ac more ex legis præſcripto fuit, uſque ad centeſimam legitimam progreſſæ ſint, non exceſſiſſe minimas Græcorum. Ubi enim incipiebat Græcanica uſura quaſi leviſſima, & infima, ibi deſinebat Romana veluti ſumma & graviſſima. *Centeſimam* dico, quæ & Græce ἑκατοστὴ appellata, non Atticis, ſed recentioribus Græcis. Attici enim priſci, quæ ἑκατοστὴ recentioribus appellata, eam ἐπὶ δραχμῇ vocarunt, quia ſcilicet mina argenti mutua daretur ἐπὶ δραχμῇ quotmenſibus uſuræ nomine ſolvenda. Id aliquando dicebant ἐπὶ δραχμῇ δανείζεσθαι, interdum etiam plene exprimebant, ἐπὶ δραχμῇ δανείσασθαι τὴν μνᾶν, ut apud Æſchinem in ea contra Timarchum: Ἦρξε δ' ἐν Ἄνδρῳ πριάμενος τὴν ἀρχὴν τριάκοντα μνῶν, δανεισάμενος ἐπ' ἐννέα ὀβολοῖς τῆς μνᾶν. Quod & alibi obſervare memini. Notatu porro dignum eſt, nuſquam apud veteres oratores Atticos, aut hiſtoricos, neque in ſcriptis Grammaticorum, qui eorum vocabula interpretati ſunt, nomen ἑκατοστῆς occurrere pro centeſima uſura. Apud eos quippe tantum reperiri

auctores

auctores Græcos certum eſt, qui ſub Romano Imperio ſcripſere. Et ſane ſi Græci ab illo centenario numero id uſuræ genus denominaſſent, ἑκατοστὸν potius appellaturi videntur, ut ſubintelligeretur τόκον, quam ἑκατοστὴν. Ita enim ἐπίτριτον, ἔφεκτον, ἐπόγδοον, ἐπιδέκατον τόκον dixere. Atqui ſi ἑκατοστὸν τόκον dixiſſent, non eo ſenſu intelligendus foret, quo ἐπιδέκατος τόκος ipſis eſt nominatus. Nam ἐπιδέκατος τόκος in decimam ſortis partem annuam exigi ſolebat, cum ἑκατοστὸς τόκος in eo ſignificatu acceptus, quo ἑκατοστὴν Græci recentiores vocitarunt, centeſimam ſortis partem in menſes ſingulos poſcat. Non ſum neſcius Galenum in ſecundo de dogmatibus Hippocratis & Platonis ἑκατοστὸν τόκον nominaſſe. Sed nec ſum dubius quin ἑκατοστὸν τόκον dixerit, ex conſuetudine & uſu loquendi Romano, pro uſura centeſima. Nam *uſura centeſima* ad verbum Græce reddita, τόκος ἑκατοστὸς dicetur. Dici igitur poteſt ſimiliter, ſcriptores Græcos qui Imperii Romani temporibus vixere, cum jam Græcia omnis una cum reliquo orbe ſubjecta erat Romanis, ἑκατοστὴν reddidiſſe ad verbum quæ *centeſima* Latine vocabatur. Certe videtur hoc nomen ἑκατοστῆς primo natum apud Aſiaticos, cum quibus plurimum negotiati ſunt Romanorum publicani, & fœneratores. *Centeſima* autem Latine cum dicitur, palam eſt ſubintelligi vocem uſuræ, ut integrum ſit *centeſima uſura*, quod & plerumque plene enuntiatur. Sed & *centeſimas ſingulas* numero multitudinis, cum iidem Latini pronuntiant, utique etiam ſubaudiendas *uſuras* liquet. & ſæpe hanc vocem numero plurium efferunt etiam in deſignando ſingulari uſuræ genere. At ἑκατοστὴν Græce qui appellarit, oportet & aliquid ſubintelligat, quod vice ſubſtantivi huic adjectivo tacite ſit adplicandum. Non poteſt τόκος. Nam ἑκατοστὸς potius diceretur, quam ἑκατοστή. Quid igitur? An δραχμὴ; an μοῖρα? Quod nimirum drachma centeſima, aut pars ſortis

centeſima in menſem petatur? At ſupra oſtendimus, hujuſmodi locutiones Græcis duntaxat de annuo fœnore uſurpatas, nunquam de menſtruo, quæ partem ſortis propter uſuras ſolvendam nominant, ut in ἐπιτρίτῳ & ἐπιδεκάτῳ τόκῳ, aliiſque ad hoc exemplum factis, cernere eſt. Nihil itaque veriſimilius afferri poteſt, quam ἑκατοστὴν Græcorum recentium, ex Latinorum *centeſima* fuiſſe verſam ad verbum & expreſſam, antiquioribus Græcis hoc nomine prorſus incognitam. Quod ſi enim contra Romanorum *centeſima*, ex Græco ſumpta eſſet mutuo, non *centeſimam uſuram* eam appellaſſent, ſed *centeſimum*, ſubaudientes *aſſem*, aut *denarium*. Nam ἑκατοστὴ Græca niſi è Latino imitata & expreſſa dicatur, non poteſt recte explicari, quin ſubaudiatur δραχμὴ, aut μοῖρα. Ut autem *centeſimæ uſuræ* Græca ἑκατοστὴ reſponderet, τόκος ἑκατοστὸς potius fuit dicendus, ut etiam dixit Galenus. Sed præter eum ex Græcis alium qui ἑκατοστὸν τόκον nominaverit, neminem memini. Omnes enim vocant ἑκατοστὴν abſolute. Quidam etiam τόκον ἑκατοστιαῖον appellant, hoc eſt, τόκον ἑκατοστῆς, vel ἐπὶ ἑκατοστῇ. Sic δραχμιαῖος τόκος, eſt τόκος ἐπὶ δραχμῇ. Et ὀβολιαῖος, ἐπὶ ὀβολῷ. Quod ſi ἑκατοστὸν τόκον Græci auctores paſſim vocare hanc uſuram ſoliti eſſent, tum nullum dubium foret quin centeſima uſura, ex Græco ἑκατοστὸς τόκος videretur effecta. Cum igitur ἑκατοστὴν appellarunt Græci *centeſimam* ſic abſolute Latinis appellatam, de verbo ad verbum vertiſſe videntur, ubi tamen *centeſima uſura* intelligenda, quam vocem non poſſunt ſubintelligere Græci in illa ſua hujus uſuræ denominatione. Nam τόκος, cum ἑκατοστῇ non convenit. Eamdem porro rationem Romani ſequuti ſunt in explicandis uſurarum quibus uſi generibus, ac Græci. Defixerunt quippe ſibi terminum certum in numero centenario, quaſi qui caput & radix eſſet ceterorum numerorum quibus uſurarum ex illo capite ac ſorte petendarum

modus

modus deſignaretur. Non tamen minam, ut Græci conſtituerunt, quæ centum drachmas ipſis continet, ad quam, velut ad ſortem generalem, per drachmam, quæ pars eſt minæ centeſima, ratio uſurarum referretur, ſed quod alio genere nummi uterentur, centenarium numerum ſimpliciter, pro termino fixo ac ſtato poſuerunt, & per aſſis ſui partes, uſurarum varios modos ac genera explicarunt. Quemadmodum enim aſſis Romani partitio in duodecim fit uncias, centeſima autem uſura duodecim dat in centum cujuſcunque generis nummos, cum aſſis totus de centum numero, in annum uſuræ nomine datur, hanc eſſe centeſimam voluerunt, & maximum uſuræ modum ſtatuerunt. Si majores competerent ac plures uſuræ quam ſingulæ centeſimæ, ut in trajecticia pecunia, tum multiplicarunt centeſimarum nomina, dicentes binas, ternas, quaternas, quinas centeſimas, ut Græci numerum drachmarum, ad multiplices centeſimas deſignandas, auxerunt, ac dixerunt *τόκον ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς* de binis centeſimis, *ἐπὶ τρισὶ* de ternis, *ἐπὶ τέτταρσι* de quaternis, *ἐπὶ πέντε* de quinis. Numerus itaque centenarius, tam Græcis, quam Latinis, pro ſortis ſumma generali ac tralaticia ponitur, quo quælibet ſors mutuaticæ pecuniæ ſignificetur. Ad uſurarum autem genera indicanda, quæ ex quacunq; ſorte proveniunt, Græci uſurparunt nummi argentei vocabulum, qui apud ipſos in uſu frequentiſſimus, quique centeſimam efficeret partem numeri illius centenarii, quem pro termino ſibi fixerunt ad quamcunque ſortem declarandam. Hæc eſt drachma, minæ, ſive libræ Atticæ pars centeſima. Nummus autem argenteus apud Athenienſes longe ante æreum percuſſus, ut in priore volumine oſtendimus. Apud Romanos contra fuit, quibus æreus nummus ſignatus eſt prius argenteo. Ergo aſſem æreum, qui antiquiſſimus ipſis nummus, ſumpſerunt ad genera uſurarum varia ſignificanda, quas in

uſu habuere. Aliter tamen quam Græci eam rem expedierunt. Nam ad menſem Græci uſuras, quas hoc modo explicabant, retulerunt, Romani ad annum. Drachma in centum apud Atticos uſuræ nomine promiſſa, vel mina argenti in drachmam mutuo data, uſuram centeſimam denotat. Eaque drachma menſtrua intelligitur, non annua. At contra Romanis *as* in centum promiſſus, aut in aſſem centum mutuo data, quamvis centeſimam uſuram deſignent, non tamen de aſſe menſtruo accipienda ſunt, ſed de annuo, hoc eſt de duodecim unciis in centum annuatim ſolvendis, vel de uncia una ſingulis menſibus præſtanda. Ergo cum uncia una menſtrua datur in centum uncias, eadem eſt uſura cum Græcanica, qua drachma una menſtrua die ſolvitur in minam, hoc eſt, in centum drachmas, eaque eſt vera centeſima. Quid ſi igitur Latini veteres, cum *centeſimam* dixere, non ad uſuram, ſed ad unciam reſpexerunt, quia centeſima uncia menſtruatim uſuræ nomine ſoluta centeſimam uſuram efficit? At ſic potius eſſet dicenda *centeſima uſura*, quam *centeſima*. Ita ſane & Græcis bene procederet ſua ἑκατοστὴ ſubintelligendo δραχμὴ, ut Latinis *centeſima*, ſubaudiendo *uncia*. Sic iidem Græci ἑκατοστῆς τόκον appellant, ut Latini vocare debuerunt, *centeſimæ uſuram*. Poſtea per abuſum *centeſimam uſuram* vocarunt, pro centeſimali, vel centeſimaria, hoc eſt, ἑκατοστιαῖον τόκον. Sic *Stertinium acumen*, *Sulpicia horrea*, pro Sulpicii horreis, & Stertinii acumine, ſimiliaque apud auctores criticis veteribus, & Grammaticis notata, & omnibus nota. Centeſima vero uſura, quæ Romanis maxima, reſpectum habuit ad menſtruam penſionem, non ad annuam, qua nimirum uncia centeſima ſingulis penditur menſibus, ut Græcis ἑκατοστὴ, qua quot menſibus ἑκατοστὴ δραχμὴ pendi ſolet. Atque inde nomen. Quam uſuram veteres Attici ἐπὶ δραχμῇ vocabant. Si ſic accipiamus dictam

vocem

vocem centeſimæ, tum erit verius eam Latinos à Græco ἑκατοστὴ eſſe mutuatos, quam Græcam dictionem è Latino factam. Ceterum quemadmodum una drachma in menſem, & duodecim in annum in centum pactæ conſtituunt centeſimam apud Græcos, ita apud Romanos, uncia una in menſem, & duodecim in annum promiſſæ, eamdem efficiunt uſuram. Duodecim autem unciæ aſſem faciunt. Ergo aſſis nomine centeſimam Latini ſignificarunt, ſed annuatim ſolvendi, ut Græcis δραχμῆς appellatione idem uſuræ genus intelligitur, ſed menſtruatim præſtandæ. Cum minores aſſe, hoc eſt, centeſima, uſuras multas Latini cognoverint & receperint, ut eas explicarent, aſſis partibus ad eas enunciandas uſi ſunt, ut Græci δραχμῆς partitiones ad eam rem adhibuiſſent, ſi minores ullas centeſima uſuras agnoviſſent. Ut enim *ſemiſſes uſuræ* Romanis ab aſſis dimidia parte, quæ ſex uncias habet, nominarunt, ita Græci τόκοι ἐπὶ τρισὶν ὀβολοῖς, quæ drachmæ dimidia pars eſt, eam uſuram appellaſſent. *Trientes uſuræ*, quæ tertiam partem centeſimæ Romanis ſtatuunt, ſi Græcis cognitæ & uſurpatæ fuiſſent, τόκοι ἐπὶ δυσὶν ὀβολοῖς dicti eſſent, quia duo oboli, æque tertia pars drachmæ, ut quattuor unciæ, aſſis. Sed illas quattuor uncias *trientum uſurarum* quotannis in centum ſolvendas, apud Romanos, non, ut apud Græcos, duos illos obolos in menſem dandos intelligere neceſſe fuiſſet. *Sextantes uſuræ* Latinorum, ut ſextam partem centeſimæ denotant, ita duas uncias in centum in annum præſtandas declarant, cum τόκος ἐπὶ ὀβολῷ, quem ἐπωβελίαν vocavit Plato, Græcis ſingulos obolos in centum drachmas, hoc eſt, ſextam drachmæ partem menſibus ſingulis pendendam arguat. *Vnciarium* denique Romanorum *fœnus*, antiquis liberæ reipublicæ temporibus uſitatiſſimum, Græcis ſi ullo modo uſurpatum fuiſſet, aliud nomen habere non potuit, quam τόκος ἐπὶ τέτταρσι χαλκοῖς,

vel ἐπὶ ἡμιωβολίῳ. Hæc pars eſt drachmæ duodecima, ut uncia aſſis Romani. Nam ut notum eſt, obolus Atticis octo æreolos, quos χαλκοῦς dixere, habebat. Poſtremo *fœnus ſemunciarium*, quod etiam rogatione tribunicia aliquando Romanis, pro unciario recipi juſſum eſt, Græcis appellatus eſſet τόκος ἐπὶ δυσὶ χαλκοῖς, vel ἐπὶ τεταρτημορίῳ. Sed nunquam Græci ad tam ſteriles ac nihili uſuras deſcenderunt, qui vix minores centeſimis ullas videntur in uſu frequentaſſe. Cujus diverſitatis rationem in ſequentibus aperiemus, ex diverſis utriuſque populi moribus & inſtitutis, & copiis commerciiſque, præter illam quam jam ſuperius attulimus. Quia autem hæc parum hactenus intellecta, & perperam accepta magnas turbas dederunt, ac tenebras viris ſæculi ſui eruditiſſimis offuderunt ingentes, partium aſſis origines, à quibus uſuræ Romanæ denominatæ ſunt, pandere hoc loco opportunum videtur. Quem excurſum boni conſulet lector, ſi peritior inde rei uſurariæ, qualis in uſu fuit Romanis, diſceſſurus ſit. Nec ægre feret ſe ſcire, unde *triens*, & *ſextans*, & *quadrans* deſcenderit, & quid proprie ſignificet, ut melius teneat, quales uſuræ, *trientes*, *quadrantes*, & *ſextantes* fuerint, ne cum Scaligero, & aliis doctiſſimis viris *trientes uſuras* deinceps confundat cum ἐπιτρίτῳ τόκῳ Græcorum, & *ſextantes* cum ἐφέκτῳ. Quas certum eſt in tantum invicem diſtare, quantum tertia aut ſexta pars ſortis totius, uſuræ vice in annum ſolvenda differt à ſexta, aut tertia parte centeſimæ uſuræ. Cum enim ἐπίτριτος τόκος tertiam ſortis partem, pro uſura annuam reddat, ut quadraginta drachmas in centum ac viginti; *trientes* uſuræ in centum non plus præſtant annua pēſione, quam drachmas quattuor. Immane ergo diſcrimen, ut jam antea attigimus. Et ſane *triens* nō pro tertia parte totius ſortis, qualiſcunque ea ſit, accipitur, ſed pro tertia parte aſſis, qui duodecim uncias continet. Si duodecim uncię, hoc eſt,

aſſis

aſſis,in centũ uncias ſortis,annuatim perſolvendæ,uſuram centeſimam concinnant, tertia pars aſſis, hoc eſt, *triens*,ſive quattuor uncię,dandus quotannis uſurarum nomine,trientarium fœnus exhibebit,quod diverſiſſimum eſt ab ἐπιτρίτῳ Græcorum. Atque ita de ceteris. Ut Græci ἀπὸ τῆς δραχμῆς ſuas uſuras denominarunt,qui nummus apud ipſos ex argento ſignatus antiquiſſimus,ita Romani ab aſſe & ſuarum appellationes ſumpſerunt,qui ex ære percuſſus,& quidem ab antiquo,& longe ante quam ex argento ſignatum denarium habere cœperunt.Hinc *aſſes uſuræ* illis dictæ,quæ eædem cum Græcorum centeſimis, quæque duodecim dant in centum annua, quia aſſis duodecim eſt unciarum. Hæc eadem uſura Græcis, ut jam non uno loco notavimus,ἐπὶ δραχμῇ appellata. Ut illam ſummam & maximam uſuram ab aſſe, ita ab aſſis partibus ceteras inferiores habuere denominatas, quemadmodum & Græci partes drachmæ iiſdem minoribus centeſima uſuris ſignificandis adhibuiſſent, ſi ullas noviſſent tales. Certe & Plato, ut jam diximus, in ſua Republica quoddam genus uſuræ agnoſcit, quod ἐπωβελίαν vocat, & plane reſpondet Latinorum uſuris ſextantibus. Si linguam hodie teneremus Dorum eorum, qui eam Italiæ partem incoluerunt, quæ major Græcia ab ipſis appellata eſt, à quibus multa vocabula ſumpſere Romani, aut etiam Siculorum veterum dialectum, è qua inſula in ſolum ſuum plurima quoque iidem traduxerunt, certo ſciremus, & nummorum genera, ac nomina eadem illos habuiſſe, quæ poſtea Romanis in uſu eſſe cœperunt. Id cum ſit veriſſimum, veriſimile etiam eſt, uſurarum appellationes alias illis fuiſſe notas, quam Atticis & ceteris Græcis,nec diverſas,ſi forte, à Romanis, cum certum ſit, ut nummorum formas hi ab illis acceperunt & nomina, ſic etiam uſurarum vocabula, quæ à nummis nominantur, inde accepiſſe. De aſſe Romano in ſuperiore libro docuimus,

 ex

ex Græco Siculo, aut Dorico id nomen in Latium fuiſſe traductum, ut & ipſius *aris*, ex quo nummus Romanus antiquiſſimus ſignatus. Nam ἂς & αὖς ex Græco communi εἷς, qui eſt unus, non minus Dorum Italiotarum, quam Siculorum fuit dialectus. Nummum æreum ab illis ita vocarunt priſci Romani maximi ponderis ſignatum, qui libræ pondus haberet. Hoc *libra* nomen inde quoque eſt. Etenim λίτρα illis Doribus Italicis, ut & Siculis, pro certo pondere uſurpata eſt, idem ferme penſante quod Attica mina, vel στατήρ. Pollux lib. IV, cap. XIV, περὶ στατικῆς, ſive de ponderaria: Στατῆρα δὲ οἱ τῆς Κωμῳδίας ποιηταὶ τὴν λίτραν λέγουσι. Pollux λίτραν ibi poſuit eadem notione qua tunc Græcis accipiebatur pro Romanorum libra. Hinc πεντεστάτηρον δίκελλαν Crates apud eumdem *quinquelibrem ligonem* dixit. Quam idem Pollux alio loco πεντάμνουν interpretatus eſt, lib. IX, cap. VI, ubi docet τὴν μνᾶν τῆς ῥοπῆς Græcis στατῆρα appellari, καὶ ὅταν, inquit, εἴπωσι πεντεστάτηρον, πεντάμνουν δοκοῦσι λέγειν. Citatque eum ipſum Cratetem, ſed male ibi Hippocrates vocatur, qui δίκελλαν πεντεστάτηρον appellarit quinque librarum ligonem. Ergo στατὴρ in ponderibus idem quod μνᾶ, ſive mina, & utrumque idem quod λίτρα. Sed λίτρα Dorum Siculorum & Italicorum eſt, ut στατὴρ & μνᾶ aliorum Græcorum. Pollux lib. IV: Καὶ μὴν οἵγε Δωριεῖς ποιηταὶ τὴν λίτραν ποτὲ μὲν νόμισμά τι λεπτὸν λέγουσιν, οἷον ὅταν Σώφρων ἐν τοῖς γυναικείοις μίμοις λέγῃ, ὁ μισθὸς δεκάλιτρον, καὶ πάλιν ἐν τοῖς Ἀνδρείοις, σῶσαι δὲ οὐδὲ τὰς δύο λίτρας δυνάμεθα· ποτὲ δὲ σταθμόν τινα, ὡς Δημολόγος ἐν Μηδείᾳ·

Τετρακοντάλιτρος τινὶ νεανίσκῳ πέδας.

Addit circa finem capitis, Atticos quoque Comicos novæ Comœdiæ, eam vocem λίτρας uſurpaſſe. Ἔνιοι δὲ, inquit, καὶ τῶν Ἀθήνησι κωμῳδούντων νέαν, οἷον Φιλήμων ἐν Σικελικῷ, καὶ Ποσίδιππος ἐν Γαλατείᾳ, λίτρας μνημονεύουσι. Ita hæc legenda ſunt. Vulgo enim perpe-

ram legitur ἐν Γαλάτῃ. Apparet autem λίτρας dictionem Poſidippo & Philemoni Atticis Comicis, pro nummo, non pro pondere uſurpatam. Nam poſt genera nummorum, quæ quidem & partem λίτρας nummi conſtituebant, hæc refert. Et præterea lib. IX, ubi de nummis tractat, verſus ipſos Diphili recenſet ex Σικελικῷ, qui hoc loco vocatur Philemon, ut in alterutro mendum eſſe neceſſe ſit. Verſus ipſi ita digerendi ac legendi:

> Οἷον ἀργυρίζειν πασαν, μηδὲ ἓν δ' ἔχειν
> Εἰ μὴ κικίννους ἀξίους λιτρᾶν δυοῖν.

Ubi λίτραι ſunt libellæ argenteæ. Sed nec ea voce λίτρας uſi ſunt, tanquam Athenis tunc temporis eamdem ſignificationem haberet, aut in uſu eſſet, ut videtur innuere Pollux. Argumentum uterque Siculum tractabat, ut ex titulo fabulæ utriuſque oſtenditur, Σικελικῷ & Γαλατείᾳ. Quid igitur mirum ſi in dramate Siculo nummi Siculi meminerunt? Quod nollem Polluci omiſſum, ut moneret. Ex ea λίτρα, ſive Sicula, ſive Italica *Dorum*, Latinum *Libra*, quia Æolibus, quorum Romani aborigines, λίτρα, quæ Doribus λίτρα. Libra itaque priſcis Romanis, & pro nummo æreo, ut Siculis, & pro pondere, quia nummus olim illis ex ære ejuſdem cum λίτρα ponderis. Hic erat aſſis librarius, qualem etiam fuiſſe primo Siculis, Tarentinis, & aliis oræ Italicæ Doribus accolis mihi compertum eſt. Præter nummi & ponderis notionem *libra* etiam Latinis inſtrumentum ponderandi appellatum eſt eodem nomine, quod Græcis ζυγός. Unde *libripens*, qui Græcis ζυγοστάτης. Et *libra Critolai* Ciceroni, quæ duas habet lances. Inde & *librile* ſcapus libræ, ſive κανὼν è quo duæ propendent lances. Sic Græcis στατὴρ tria pariter ſignificavit, inſtrumentum ponderandi, quæ ex eo *ſtatera* Latinis dicta, & pondus librarium, & genus etiam nummi, tam argentei, quam aurei. Quod ab eo tempore certum eſt

manaſſe

manaſſe, cum graves ex metallo quolibet nummi fe-riebantur. Inde *æs grave* apud Latinos, de hujuſmodi nummis, cum nummus eorum æreus ejuſdem ponderis, cujus libra, ſive mina, fuit, vel στατὴρ ῥοπῆς. Nam falſi ſunt ex veteribus nonnulli, qui grave æs ſolitum expendi tradunt, quod numerabatur, quamvis eſſet librarium: & recentiorum plerique, qui putarunt *æs grave* veterum idem eſſe cum rudi. Nam de ſignato debet intelligi. Docuimus quippe in primo volumine, vocabulum *æris* ex Græco ductum, non ante Latinis fuiſſe factum, quam ex eo metallo nummus illis eſt cuſus. *Æs* enim idem quod *as*, id eſt, nummus ex Chalco percuſſus. Unde & poſtea metallum ipſum rude & infectum, ita vocatum eſt. In mancipando quamdiu uſus fuit æris rudis, *rauduſculum* id appellarunt, ac libram tenentes dicebant, *rauduſculo libram ferito*. Quod etiam manſit ubi ære ſignato ad hoc uſi ſunt. Sed *ære* & *libra* mancipari, tum dicere cœperunt, vel per *æs* & *libram*, quod idem erat, ac per *aſſem* & *libram*. Unde apud Suetonium in Auguſto: *Caium & Lucium adoptavit, per aſſem ac libram emptos à patre Agrippa*. Quod perperam ſuſpectum habuere docti viri. Nam omnino *aſſis* idem quod *æs*. Clemens Alexandrinus lib. v Stromatum, ἀσσάρια in hac re nominavit. τὰ διὰ δικαιοσύνην ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, *libra* & *aſſes*. Inde & *aſſiduum* ab ære dando veteres interpretantur critici, quia *aſſis* & *æs* idem, & *aſſiduus* potius ab aſſe, quam ab ære: *Aſſiduus, in duodecim tabulis, pro locuplete, & facile facienti dictus, aut ab aſſibus, id eſt, ab ære dando, cum id tempora reipubl. poſtularent*. Ita legendus hic locus apud Agellium. Recentiores, qui crediderunt, *æs grave* apud veteres idem eſſe quod æs rude, forſitan adducti ſunt in eam opinionem, quod legerunt, etiam poſt aſſes ſemunciarios factos, & adhuc minores, donari quoſdam præmii vice, *ære gravi*. Nam & ære gravi donatum ab

Auguſto

Auguſto Virgilium ſcribit Servius. Non dicit, quot millibus. Immo *maſſas* interpretatur. Quod eſt ridiculum. Excerpta ex libris Pontificum linteis tradunt, *Lautia legatis Ætolorum data, &* CC M. *æris gravis in ſingulos, dimidium eorum comitibus.* Hæc magna ſumma, ſi credamus illud æs grave, ad pondus datum, nec in numerato. Quod neceſſe erit credi, ſi de ſignato non ſit accipiendum. Ex antiquo forſitan retentus hic mos donandi ære gravi ad majus emolumentum. Nam minimum diſtabat pretium æris rudis & appenſi, ab æris pretio ſignati & numerati. Olim aſſis nummus idem pondus habuit, quod poſtea libra æris infecti, & rudis. Ubi autem aſſes ſemunciarii pondere percuſſi ſunt, quos magno numero donatos voluere, ritu antiquo, tot libras æris infecti his dono dederunt quot aſſes dari mos antiquitus fuiſſet quando erant librarii. Meminit aliquot locis Livius, *loci* & *lautiorum* legatis præbitorum, & præterea *muneris* in ſingulos dati, *ne minus denum millium æris*, ut Saguntinis, lib. XXVIII. Pro magno dena illa æris millia data illis fuiſſe indicat, nec addidit, *gravis*. At eo tempore aſſes erant ſemunciarii, non librarii. Libro XXX. ait, Legatis Maſaniſſæ prætorem dare juſſum in ſingulos dona, *ne minus quinum millium æris, comitibus eorum, millibus æris*, nec dicit, *gravis*. Ducenta vero illa millia æris gravis, quæ legatis Ætolorum data dono illa excerpta perhibent, immanem efficiunt numerum, pro illo quinum millium, aut etiam denum æris ſignati, atque in aſſibus ſemunciariis, quales tunc in uſu, numerati. Forte pro CC *millibus*, ſcribendum II *millibus*, id eſt, duobus millibus. Quæ ſumma ſic tamen exuperat multis millibus aſſium donum, quod ut maximum dari juſſum eſt legatis Saguntinorum. Duo enim millia æris gravis efficiunt, aut valent quadraginta octo millia aſſium ſemunciariorum. Dena autem æris millia ſignati, ſunt decem millia aſſium,

quales

quales ſemunciarii. Qui videtur maximus modus muneris dari ſoliti legatis gentium fœderatarum. At nimis fuerit enormis, ſi ad quadraginta octo millia excurrere faciamus. Fidem certe omnem ſuperabit, ſi ducenta millia legamus, & de gravi accipiamus. Jam illud extra controverſiam eſt, quamdiu aſſes fuere librarii, æs grave non alia notione acceptum fuiſſe quam de ære ſignato, ubi vero imminutum aſſium pondus fuit, & ad ſemunciam aſſes lege Papiria redacti, æris gravis appellationem non niſi de infecto & rudi uſurpatam. Quæ diſtinctio ex temporum ratione non adhibita in maximum errorem maximos viros induxit. Poſſet tamen etiam dici, atque admodum quidem probabiliter, non morem donandi in ære gravi ad ultima tempora duraſſe, ſed priſcum loquendi modum in ære numerato manſiſſe, poſtquam grave eſſe deſiit, id eſt, librarium. Sic & ex rudis æris uſu vocabula illa ad finem uſque Imperii ſervata ſunt, *impendii, expenſi, ſtipendii*, & ſimilia. Quidni ergo & *æris gravis* nomen in pœnis & præmiis retentum ſit? Olim cum grave æs ſignatum librarium foret, cum dicebant, *decem æris*, *viginti æris*, ſubintelligebantur *libræ*, quia decem, aut viginti, erant aſſes librarii. *Dena millia æris* antiquitus de decem millibus librarum æris, vel decem millibus aſſium librariorum uſurpari ſolebant. Poſt imminutum pondus aſſium ad ſemunciarios, ideo in omnibus ferme pœnis pecuniariis præmiiſque, quæ prius erant *dena millia æris*, converſa ſunt in *dena millia ſeſtertium nummum*. Sic in lege duodecim tabularum de injuriæ punienda ſancitum fuerat, *ſi injuriam alteri faxit*, XXV *æris pœna ſunto*. Hoc eſt, viginti quinq; aſſes librarii, vel XXV æris libræ. Id mutatum eſt à poſterioribus in totidem ſeſtertios nummos. Nam cum hanc legem citaret Paulus in libro ſingulari, ſub titulo de injuriis, ita eam allegavit: *Qui injuriam alteri faxit, viginti & quinque ſeſtertii*

tii nummi pœnæ ſunto. Quod non ſine ratione inſtitutum videtur. Ne pœnæ ac præmia quæ olim pendebantur in libris æris, vel librariis aſſibus, repente ad ſemunciarios aſſes, aut etiam minores redigerentur, in maximi ponderis æreum nummum, qui tunc in uſu erat, viſum eſt converti oportere. Hic erat ſeſtertius nummus, prius quidem duos aſſes cum ſemiſſe pendens, poſtea quattuor, ubi denarius ſexdecim aſſibus permutari cœpit, qui ante denis permutabatur. Puto igitur omnibus auctorum locis, in quibus poſt imminutos aſſes ex pondere librali, mentio fit gravis æris, de hujuſmodi ſeſtertiis æreis eſſe accipiendum, quia æs illud ſignatum tunc temporis omnium ex ære nummorum fuit graviſſimum. Duo millia æris gravis, quæ legatis Ætolorum dono data ſcribunt libri Pontificum lintei, de duobus ſeſtertiorum millibus exponenda ſunt, quæ quina millia ſunt æris in aſſibus computandi. Quæ ſumma videtur fere legitima in muneribus dari conſuetis à Populo Romano legatis ſociorum regum. Tantum enim datum eſt legatis Maſſiniſſæ. Niſi ita accipiamus, mille difficultates orientur in auctorum veterum ſcriptis, non ſolvendæ. Ut apud Livium, cum ſcripſit lib. XXXII, propter egregiam operam duorum ſervorum, & unius liberi, *huic centum millia æris gravis, ſervos vicena millia æris, & libertatem.* Quem locum in primo libro excuſſimus. Sed nunc placet, illa centum millia æris gravis de ſeſtertiis nummis, qui graviſſimi eo tempore inter æreos nummos, eſſe capienda. Nam ſi de ære vere gravi, hoc eſt, librario placeat accipi, nimis immanis exierit ſumma, & cui parem nunquam cuiquam datam legere eſt pro munere apud Romanos, ſtante præſertim republica. Præterea nullum amplius illo ævo æs grave in nummis. Datas autem maſſas rudis æris muneris vicem, vix mihi perſuadeo. Dum grave æs in uſu fuit, forſitan non aſſes eo nomine appellati, qui erant libra-

librarii, ſed ipſi potius ſeſtertii, qui pendebant duos aſſes cum ſemiſſe. Nam certe ſi æs grave de hujuſmodi aſſibus, multo magis de ſeſtertiis uſurpatum ſit. Quod in aſſibus tunc ſolvebatur, in ære gravi ſolutum non legitur. Ut in illa duodecim tabularum de injuriis æſtimandis, viginti quinque æris, ſunt viginti aſſes, nec additur, gravis. Apud Livium lib. iv, in collatione quadam quam cives in publicum faciebant, argento nondum ſignato, æs grave plauſtris ad ærarium convectum dicit. Id non tantum de aſſibus accipi par eſt, ſed etiam de dupondiis, & ſeſtertiis. Quis enim dubitat quin dupondia & ſeſtertios multi tunc contulerint? Ergo & poſt minutos aſſes ex ſemuncia æris, aut quadrante unciæ percuſſos, cum & ſeſtertii in uſu ærei eſſent, hi potius gravis æris nomine cenſendi, quam aſſes. Ad differentiam igitur aſſium tum quoque apud quoſdam & in quibuſdam muneribus ac præmiis non tantum honoris, ſed & emolumenti gratia, gravis æris appellatio de ſeſtertiis nummis uſurpata eſt. In aſſibus etiam ſub primis Imperatoribus ſtipendia militibus ſoluta conſtat. Sed & munera data multis tum fuiſſe certum eſt in nummis ſeſtertiis. Quos gravis æris nomine appellari quibuſdam placuit, quamdiu nimirum ex ære ſeſtertii in uſu fuere. Quin & pœnæ & præmia quæ legibus conſtituebantur, hoc genere nummi loco aſſium librariorum, ut apud veteres mos fuit, perſolvi ſolebant. Quod ut facilius procederet, nummus ſeſtertius etiam ex argento percuſſus. Verum de his accuratius & fuſius in noſtro de re Nummaria. Cum primum autem Romæ ſignatus eſt ex ære nummus, *as* vel *as* tum vocatus ex Græco Dorico ἇς vel ἆς, ut jam ante in primo libro abunde probatum eſt. Quo tempore porro as & libra idem fuit, quia fuit as librarius, partes quoque aſſis, hoc eſt, nummi ærei, eædem fuere, cum partibus libræ, iiſdemque nominibus appellatæ, uſque ad duodecimam, quæ dicebatur *uncia*,

ex

ex Græco Siculo οὐγκία. Ubi imminutum eſt pondus aſſium, adeo ut ex librariis ad ſemunciarios, & tandem ad unciæ etiam quadrantarios devenerint, appellationes & partes libræ in pondere librario remanſerunt apud Latinos, inde ad Græcos etiam qui ſub Imperio Romano vixere, præcipue medicos, tranſierunt, in nominibus tantum λίτρας & οὐγκίας. Reliquas partes aliis ac ſuis, id eſt, Græcis vocabulis appellarunt. Cum libra vero & as idem erat, quia ejuſdem ponderis, ad diſcernendum ubi pondus alicujus rei deſignandum eſſet, quod foret librale, adjiciebant *pondo*, ut ſciretur, de pondere nomen libræ eſſe intelligendum, non de aſſe, vel æreo nummo librario. Sic loquitur Varro lib. IV de R. R. *Dupondius è duobus ponderibus, quod unum pondus aſſipondium dicebatur. Id adeo quod as erat libra pondo.* Ita ſcribendum, non ut vulgo editur; *libra pondus*. Sic etiam paulo poſt: *Nummi librarii decuma libella, quod libram pondo as valebat.* Et ſub fine ejuſdem libri: *Nam quod aſſes libra pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant.* Ubi etiam veteres libri legunt, *libras pondo:* δραχμὰς, *libras*, pro libræ. Ita loquutus alicubi Livius in antiquis codicibus: *Patera libras pondo.* Libra igitur, pro aſſe, vel nummo æreo libræ pondo, Romanis ex Siculo Dorico λίτρα, quæ & nummum pariter, & pondus librarium ſignificabat. Quod arguit, ipſis etiam Siculis olim Tarentiniſque nummum hujus ponderis fuiſſe æreum, ad quorum exemplum olim Romani auctore Jano talem quoque percuſſerint. Nam & Lacedæmoniis talis in uſu fuit, quorum coloni Tarentini. Ceterum poſtea nummum argenteum iidem Siculi, atque Italici Dores percuſſum habuere eodem nomine λίτρας, non eodem pondere. Teſtimonia igitur omnia, quæ apud Grammaticos veteres reperiuntur, petita ex antiquis ſcriptoribus Siculis, ut Sophrone & aliis, quæ mentionem habent nummi λίτρας, de

argenteo minuto, non de gravi & æreo librario accipienda ſunt. Quod hactenus omnes, qui de re Nummaria ſcripſerunt video latuiſſe. Heſychius: *Λίτρα, ὀβολὸς, οἱ δὲ νόμισμα παρὰ Σικελοῖς.* Cum obolum dicit, cave interpreteris de æreo, ut vulgo plerique omnes faciunt. Argenteus eſt. Nec enim alii oboli Græcis in uſu. Sequitur apud eumdem: *Λιτροσκόπους, ἀργυραμοιβοὺς, ἀπὸ τοῦ Σικελοῦ νομίσματος ὃ καλεῖται λίτρα.* Vel ex hoc probari poteſt, fuiſſe argenteum nummum. Nam probatores nummorum in argento tantum non in ære recepti, quatenus argentum fraudi adulterioq; obnoxium, non æs. Pollux lib. IV, cap. XXIV: *Καὶ μὴν εἴ γε Δωριεῖς ποιηταὶ τὴν λίτραν πολλὰ μὲν νόμισμά τι λεπτὸν λέγουσιν.* Vides mutuum nummum Dorici generis poëtis appellari *λίτραν*, eumque, ut certum eſt, argenteum. Idem Pollux, paulo poſt, ex Ariſtotele refert, in Himerienſium Republica, *λίτραν* valuiſſe obolum Æginæum. Obolus Æginæus ex argento, ut & Atticus, ſed Attico major. Nam Æginea drachma, quæ ſex Æginæos obolos habebat, decem Atticis æſtimabatur. Ut ergo decem ſunt ad ſex, ita Æginæus obolus erat ad Atticum. Cum Atticus obolus valeret octo æreos Atticos, Æginæus tredecim cum triente æreos valebat. Attici autem cum antea tantum pecuniam ex argento ſignatam in uſu noſſent, drachmas & obolos, poſtea ſub Callia Archonte percuſſerunt æream. Hi nummi *χαλκοῖ* appellati, quia ex ære, ut *χρυσοῖ* qui ex auro, *ἀργυροῖ*, qui argentei. Octo hujuſmodi ærei, ſive *χαλκοῖ* Attici, cum primum ſignati ſunt, pro obolo argenteo dabantur. Obolos porro non æreos, ſed argenteos fuiſſe, vel pondus eorum judicio eſt. Scriptuli dimidium pendebant. Sex in drachma argentea, quæ trium fuit ſcriptulorum. At falſo Vitruvius lib. III, obolos æreos aſſes facit, cum ſcribit, *civitates Græcorum feciſſe, uti quemadmodum cubitus eſt ſex palmorum, ita in drachma*

drachma quoque eo numero uterentur. Illa enim æreos ſignatos uti aſſes ex æquo ſex, quos obolos appellant, quadranteſque obolorum, quæ alii dichalca, nonnulli trichalca dicunt, pro digitis viginti quattuor, in drachma conſtituerunt. Inde ille error ei incidit, quod aſſes Romanos, Græci nunc χαλκοῦς, nunc ὀβολοὺς reddunt. Ceterum ὀβολοὶ Attici & Græci fere omnes quales ſeni in unaquaque drachma, argentei plane fuere, ut alibi dicam. Similiter ergo & apud Siculos, ac Dorici generis Italiotas ſuæ fuere ex argento drachmæ, in plures quoque obolos diſtributæ argenteos, ut Atticæ: qui oboli argentei, & in æreos porro plures diviſi. Ita & λίτρα Sicula obolus fuit argenteus, pars decima drachmæ Siculæ, quæ δεκάλιτρον inde nominabatur, quia decem haberet λίτρας, hoc eſt, hujuſmodi obolos Æginæi oboli pretio, ac pondere ſingulos. Et ſic ἰσοδύναμος erat Corinthio ſtateri argenteo, qui ſimiliter & decem obolis valebat, ut ex Polluce conſtat, qui auctorem citat Ariſtotelem. Ea λίτρα Sicula & duodecim habuit χαλκοῦς, ſive æreos, qui dicebantur οὐγκίαι, ἀπὸ τοῦ ὄγκου, quem ὄγκον Siculi dixere, quod in magna mole exiguum eſſet eorum pretium. Videntur autem, ut dixi, & Siculi olim gravem ex ære nummum habuiſſe eadem appellatione λίτρας, cujus duodecimæ partes οὐγκίαι ſunt vocatæ. Nam exemplum ac formam inde ſumpſiſſe Latinos ſui aſſis librarii, plane perſpicuum eſt. Sed poſtea ex argento ſignarunt minutum, ejuſdem æſtimationis cum priore gravi æreo, qui drachmæ eorum argenteæ decimam partem conſtitueret, quæ ideo δεκαλίτρου nomen eſt nacta. Inde & *libellam* ſuam argenteam Romani quoque acceperunt, qui nummus ipſis fuit ex argento decimam denarii argentei partem conſtituens. Qui *Denarius* eadem ratione apud eos eſt appellatus, qua Siculis δεκάλιτρον, quod ut hic δέκα λίτρας valeret, ita ille denos aſſes, qui iidem erant cum λίτραις Siculo-

rum argenteis æſtimatione, & cum æreis pondere, quando nimirum & æreos habuere. Certe *libella* Romanorum eadem omnino cum λίτρα Siculorum. Uterque nummus argenteus, & decima pars δεκαλίτρου ac denarii. *Libella* quippe diminutivum ex λίτρα, atque ita Romani appellarunt ὑποκοριστικῶς nummum argenteum aſſis librarii pretio æſtimatum, ut eum diſtinguerent à *libra*, quo nomine ipſis æreus ac librarius as dicebatur. Varro lib. IV de L. L. *Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva.* Hæc plane λίτρα Sicula de nummo argenteo, nummi denarii, hoc eſt, στατῆρος δεκαλίτρου pars decima. Dimidia pars ejus *Sembella*, apud eumdem Varronem ibidem: *Sembella, quod ſit libella dimidium, quod ſemis aſſis.* Siculorum hæc prorſus ἡμίλιτρον, λίτρας nempe dimidium, quod ſex οὐγκίας haberet, hoc eſt, ἑξάχαλκον. Pollux lib. IX, cap. VI, de Ariſtotele: Ἀλλὰ μέντοι παρ᾽ αὐτῷ τις ἂν ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα εὕροι Σικελῶν ὀνόματα, οἷον οὐγκίαν ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα, καὶ ἡμίλιτρον ὅπερ ἕξ, καὶ λίτραν ἣν εἶναι ὀβολὸν, τὸ μέντοι δεκάλιτρον δύνασθαι μὲν δέκα ὀβολοὺς, εἶναι δὲ στατῆρα Κορίνθιον. Ex quibus perſpici poteſt, quam falſa ſint, quæ Scaliger ſcripſit in opere poſthumo de re Nummaria his verbis: *Libra eſt nomen Siculum, quod ipſis* λίτρα *dicebatur. Et unci, ſextans, quadrans, triens, dextans, ſunt plane Sicula nomina. Et* λίτρα *non erat nummus, ſed* ὁλκὴ, ποσότης, ἄθροισμα. *Ejus duodecima pars dicebatur* οὐγκία, *duodecima dua* Ἑξᾶς, *tres* τετρᾶς, *quattuor* τριᾶς, *quinque duodecima* πεντόγκιον, & reliqua. Quæ omnia eſſe falſa, jam apertis vincam pignoribus. Quod enim λίτραν non putat fuiſſe nummi genus ac nomen apud Siculos, Ariſtotelis auctoritate revincitur, & teſtimonio Pollucis & Heſychii, aliorumque veterum. Immo λίτρα illa Sicula illius temporis eadem omnino cum libella Romana argentea, ut vetus λίτρα Siculorum æris gravis eadem cum

libra,

libra, vel aſſe æris gravis Romano. Utraque porro λί-τρα tam ærea gravis, quam argentea minuta ejuſdem pretii fuit apud Siculos, ut libella argentea ἰσοδύναμος Romanis cum librario aſſe, ſive libra æris gravis. Partes quoq; eaſdem ferme habuere as librarius, & libella Romanorum, quas λίτρα Sicula, tam argenti minuti, quam æris gravis. Sed exoleverat jam tum Siculis æs illud grave quod olim λίτραν vocarunt, & in uſu tantum noverant eam λίτραν argenteam, quæ libella Romanorum eadem, quam in totidem partes diviſerunt, & iiſdem vocabulis appellatas, quæ antea conſtitutæ ſunt in λίτρᾳ æris gravis. Æreum porro hujuſmodi nummum libralis ponderis antiquitus Doribus & Siculis uſitatum fuiſſe, vel λίτρας nomen pro pondere librario ipſis uſurpatum evidenter declarat. Poſtea nummum ex argento minutum cuderunt, cum eadem λίτρας appellatione, qui eodem pretio æſtimaretur cũ antiquo ære gravi ac λιτριαίῳ, & in totidem partes diſtribueretur, quæ pretium ejus conſtituerent, non ut antea partem ponderis facerent. Olim quippe οὐγκία pars erat duodecima æreæ λίτρας, & duodecimam ejus partem pendebat. Nummus nimirum æreus, cujus pondus duodecimam partem λίτρας æris æquabat. Poſtea abolito hoc genere nummi, ob nimis magnam ejus molem ac pondus, in locum ejus alium argenteum minutum ſubſtituerunt eodem nomine & valore, cui partes veteris λίτρας ex ære omnes ad pretium convenirent, non ad pondus. Ea *libella* eſt Romanorum, quæ ad illud exemplum eis procuſa eſt. Cum igitur Ariſtoteles apud Pollucem ait οὐγκίαν eſſe χαλκοῦν ἕνα, hujuſmodi æreolis duodecim valebat λίτρα, id eſt, libella argentea. *Sembella*, ἡμίλιτρον, ſex unciis, ſive æreis, quod erat λίτρας ſive libellæ dimidium. Hinc & *Teruncius* Romanis, *à tribus unciis*, ut docet Varro, *ſembella quod valet dimidium*, *& eſt quarta pars*, *ſicut quadrans aſſis*. Non dubito quin

 Siculi

Siculi id τρεύγκιον vocarint, ut πεντεύγκιον, pro *quincunce*, & ſimilia. Hæ partes *libellæ* Romanis uſitatæ, quæ eadem eſt λίτρα recentium Siculorum, *Sembella* ac *Teruncius*, hoc eſt, ἡμίλιτρον ac τρεύγκιον, teſtantur ſe ab eo tempore introductas, quo λίτρα Siculis æs grave ac λιτραῖον ſignificabat. Et ſane ipſi Siculi eadem genera nummorum ærea retinuerunt, cum ipſis vocabulis, quæ quondam partes λίτρας gravis conſtituebant, & minutam λίτραν ex argento iiſdem æreis nummis æſtimarunt. Ita quod antea fuit pars, cepit eſſe pretium, retento tamen partis nomine. Ut ἡμίλιτρον dicebatur, quaſi dimidium eſſet λίτρας recentis ac minutæ, cum pretio tantum eam exæquaret partem, non pondere. At ἡμίλιτρον, hoc eſt, *Sembella* apud Romanos revera, & dimidium fuit libellæ quoad pondus, idemque valuit quod dimidiam ejus partem, cum apud Siculos ἡμίλιτρον ſex eſſent ærei, ſive unciæ quæ dimidium λίτρας, ſive libellæ valebant. Sic cum δεκάλιτρον olim Siculis diceretur nummus argenteus, quod decem λίτραις gravis æris æſtimabatur, illæ λίτραι non partem decimam illius δεκαλίτρου in pondere conſtituebant, ſed in pretio. Ubi λίτρα ex argento exigua percuſſa eſt, tum cœpit eſſe pars ponderis τοῦ δεκαλίτρου, non modo pretium. Auctores plerumque abuſive loquuntur, & pretium minutorum in partem advocant majorum nummorum. Priſcianus in libro de Ponderibus: *Denarius quoque decem librarum nummus*. Non fuit nummus decem librarum, ſed valuit decem librariis aſſibus. Sic plane δεκάλιτρον στατῆρα Siculi vocarunt, cum λίτρα erat æris gravis. Eodem modo & λίτραν, ubi cœpit eſſe ex argento minuto, aliquis diceret δώδεκα οὐγκιῶν, ſive δώδεκα χαλκῶν eſſe, quia duodecim unciis valeret. Certe δεκάλιτρον illud Siculum, qui & δεκάλιτρος στατὴρ Epicharmo, cujus verſus infra emendatos producemus, æque decem libras æris gravis habuit, quam decem libras,

ſive

ſive libellas argenti minuti. Et illæ decem libellæ, ſive λίτρας argenti ſignati, paris fuere æſtimationis, cum decem libris æris gravis, qualis fuit as librarius Romanorum. Præterea, quod valde notandum, nec à quoquam adhuc obſervatum eſt, *Denarius* Romanus, cum primum percuſſus eſt, ejuſdem ponderis fuit cum Siculo δεκαλίτρῳ. Ut certum ſit, Servium, à quo primum ſignatus traditur, exemplum formæ à Siculis cepiſſe non ſecus ac nominis. Nam *Denarius* dictus nummus, quod denos aſſes valeret librarios, vel denas, quod idem erat, libellas, hoc eſt, λίτρας argenti minuti. Inde etiam nomen τοῦ δεκαλίτρου Siculo. De pondere videamus. Λίτρα illa Sicula, ſive libella, oboli Æginetici pondere ac pretio fuit, cujuſmodi oboli ſex denis Atticis obolis pares erant. Δεκάλιτρος στατὴρ, ſive Denarius Siculus habebat, ut & nomen indicio eſt, decem hujuſmodi obolos, ſive λίτρας. Si ad Atticos eam rationem reducamus, circiter ſexdecim oboli Attici, cum triente in Decalitro Siculo invenientur, hoc eſt, didrachmum, cum dimidia drachma, & paulo plus. Reperiuntur hodieque in capſis antiquariorum drachmæ Syracuſanæ & Agrigentinæ pondere ſupra didrachmum & ſemidrachmam atque aliquid adhuc amplius, excurrentes. Id pondus ac pretium fuiſſe Siculæ drachmæ, aliunde etiam comprobatur. Pollux libro IX, cap. VI, ſcribit, Dionyſium Tyrannum, pro argento ſtanno ſignato coëgiſſe uti Siculos, & drachmam eorum valere juſſiſſe quattuor drachmas: Τοὺς μέντοι Συρακουσίους κασσίτερον ποτὲ ἀντὶ ἀργυρίου νομίσαι Διονύσιος καταναγκάσει, καὶ τὸ νόμισμα αὐτῶν τέσσαρας δραχμὰς ἰσχύειν. Ita hæc verba legenda. Per νόμισμα argenteum Syracuſiorum, plane intelligit τὸ δεκάλιτρον. Nec enim ſi de λίτρᾳ intelligeretur, fidem caperet, nummum adeo exiguum, qualis fuit λίτρα, ad tantum pretium evexiſſe non adaucto pondere. Ariſtoteles autem ſcribit in Oeconomico, Diony-

ſium Tyrannum aliquando Syracuſanorum drachmam denuo percuſſam ad duplum pretium provexiſſe, atque ut una drachma duas valeret voluiſſe: ἀνενεχθέντος δὲ τοῦ ἀργυρίου, ἐπικόψας χαρακτῆρα ἐξέδωκε τὴν δραχμὴν δύο δυναμένην δραχμάς. Idem dicit quod Pollux, licet duas drachmas nominet, non quaternas. Drachma Sicula pondere duas Atticas cum dimidia æquabat. Cum drachmæ uni Siculæ duarum pretium attribuiſſe Dionyſium dicit Ariſtoteles, de drachma Sicula gemina intellexit. At cum Pollux ait eumdem Dionyſium νόμισμα Siculum argenteum quattuor drachmarum pretio taxaſſe, de Atticis loqui voluit. Denarius Romanus cum ab initio ſignatus eſt, idem ferme pondus habuit. Varro apud Soſipatrum: *Nummus argenteus, quem flatum primum à Servio Tullio dicunt, quattuor ſcriptulis major fuit quam nunc eſt.* Aliter me memini olim hæc verba accepiſſe, nunc fateor vix poſſe alio modo accipi, quam ut denarius, quum primum flatus eſt, amplius quattuor ſcriptulis habuerit, quam qui tunc in uſu erat Varronis ætate. Atqui tunc temporis Denarius tribus ſcriptulis major fuit. Nam Attica drachma trium fuit ſcriptulorum, quales octonæ in unciam argenti incurrebant, cum Denarii Romanis ſepteni tantum in uncia eſſent. Immo in tetradrachmo Attico trium denarium Romanorum pondus fuiſſe duntaxat affirmat Livius. Quod ſi verum eſt, Denarius Romanus quaternorum fuerit ſcriptulorum argenti, Attica trium tantum. Adde quaterna adhuc ſcriptula, quibus majorem fuiſſe denarium à Servio flatum Varro ſcribit, quam qui tum in uſu verſabatur; denarium Servii octo habuiſſe ſcriptula oportet, aut certe ſeptem cum dimidio, quæ duæ drachmæ Atticæ cum dimidia. Quod pondus fuit Siculi δεκαλίτρου. Inde eſt fortaſſe quod *nummus* ſemper apud Plautum, pro didrachmo accipitur, quia denarius nummus vetus, didrachmus fuerit. Nam *denarius* cum dicitur Latine,

tine, ſubintelligitur nummus. Varro: *Nummi denarii decuma libella.* Sic *nummum ſeſtertium* dicebant argenteum, qui quartam partem denarii nummi efficiebat, ac duas λίτρας, ſive aſſes, ac libras æris, ſive libellas argenteas, cum ſemiſſe valebat. Quem Siculi abſolute νῦμμον vocabant. Nummus quoque quinarius Latinis idem cum πεντάλιτρον Siculorum, dimidia pars denarii Romanis, ut Siculis δεκαλίτρου. At *nummum* abſolute Latini cum vocant, non de Denario, nec de Quinario intelligunt, ſed de nummo ſeſtertio, quem etiam Siculi νῦμμον ſimpliciter ac proprie nominabant, quique idem omnino pondus, ac pretium, cum Romano nummo, ut & nomen, habuit. Ut inde etiam poſſit confirmari, Denarium Romanum æqualem primo δεκαλίτρῳ fuiſſe, cum partes δεκαλίτρου, ac Denarii apud utroſque pares fuerint, nempe nummus ac libella, νῦμμος καὶ λίτρα. Scaliger in libro de Re Nummaria multis modis hallucinatur, cum ſcribit, apud Siculos talentum fuiſſe ἀνάλογον libræ Romanæ, non autem ἰσοδυνάμον. *Et quidem,* inquit, ἀνάλογον, *quatenus duodecima ejus pars erat* νῦμμος, *ut libra Romana uncia.* ἰσοδυνάμον *autem Romanæ non erat, utpote quod denarii Romani vix ſeptima pars eſſet.* Hæc falſiſſima eſſe ex his quæ jam dicemus patebit. Nam ut apud Romanos nummus fuit quarta pars denarii, ita apud Siculos νῦμμος ſic proprie dictus, quarta pars erat δεκαλίτρου, quem ideo & *ſeſtertium* dixere Romani, & junctim *ſeſtertium nummum*, quia tertium ſemiſſem, hoc eſt, duos aſſes cum ſemiſſe haberet, more Græcis loquendi tralaticio, qui τρίτον ἡμίλιτρον dicunt de duobus ἡμιλίτροις cum dimidio. Duo autem aſſes cum ſemiſſe, qui ſeſtertium nummum conſtituunt, quartam quoque denarii partem faciunt, denis aſſibus valentis, ut νῦμμος apud Siculos quarta etiam pars fuit δεκαλίτρου. Νῦμμον porro Siculum ejuſdem ponderis ac valoris fuiſſe cum nummo Roma-

norum, nihil validius probat, quam Ariſtoteles, qui apud Pollucem perhibet, Siculum talentum omnium talentorum minimum fuiſſe. Nam cum primo quattuor ac viginti *νύμμοις* valeret, poſtea ad dimidiam partem redactum duodecim tantum valere cœpiſſe: Τὸ μέντοι Σικελικὸν τάλαντον ἐλάχιστον ἴσχυε. Τὸ μὲν ἀρχαῖον, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει, τέσσαρας καὶ εἴκοσι τοὺς νούμμους ἴσχυε, τὸ δ᾽ ὕστερον δυοκαίδεκα. Hos duodecim nummos veteres auctores Latini de tribus denariis interpretati ſunt. Nam Feſtus in voce *talentum*, ex Verrio Flacco ita ſcribit: *Talentum Neapolitanum ſex denarium, Syracuſanum trium denarium, Rheginum victoriati.* Quod ait de talento Neapolitano ſex denarium fuiſſe, eadem eſt *δύναμις*, quam ab initio habuiſſe Siculum Ariſtoteles memorat. Sex enim denarii ſunt viginti quattuor nummi Ariſtotelis, ut ſex denarii quos tribuit Feſtus Siculo talento, eam ſummam reddunt duodecim *νούμμων*, quam Ariſtoteles Siculo talento poſteriori. At Rheginorum talentum victoriati, *πεντάλιτρον* plane fuit Siculum. Sed dixerit aliquis, Latinos erraſſe in illis Græcis interpretandis, & *νούμμους* perperam accepiſſe pro nummis Romanis, cum *νοῦμμοι* Siculi aliud valerent. Subjicit Pollux pretium illius *νούμμου* Siculi ex eodem Ariſtotele, ſed corrupte. Sic enim ſcribitur: δύναται δὲ τὸν νοῦμμον τρία ὀβόλια. Ubi meo periculo ſcribe: δύναται δὲ τὸν νοῦμμον τρίτον ἡμιωβόλιον, id eſt, duos obolos & ſemiſſem. Ὀβολὸς Siculus eſt *λίτρα*. Decem hujuſmodi oboli, ſive *λίτραι* in *δεκαλίτρῳ*, ſive denario Siculo. Ergo & *νοῦμμος*, qui duos obolos cum ſemiſſe, hoc eſt, duas libellas cum dimidia, valebat, quartam conſtituebat partem denarii. Denarius igitur cum primum percuſſus eſt ſub Servio, idem plane valuit cum *δεκαλίτρῳ* Siculo, & nummus Romanus cum *νούμμῳ* Syracuſano. Libra ſimiliter eadem Romana gravis æris & libella argenti minuti, cum Siculorum *λίτρᾳ*. Poſtea denarii

non

non minus imminutum eſt pondus apud Romanos, quam aſſis & ipſius etiam libellæ. Nam & libella argentea, quæ olim pretio exæquabatur aſſi, ſive libræ æris, ubi & denarii & aſſis pondera imminuta fuerunt, etiam ab antiquo pondere & æſtimatione receſſit, & cum antea decima eſſet denarii, ſub imperatoribus, ut conſtat ex Voluſiano, fuit tantum quadrageſima ejus pars, & decima ſeſtertii. Donatus etiam leviorem facit, & unciæ duodecimam fuiſſe vult. Sed puto eum errare. *As*, inquit, *libra erat, ejuſque partes unciæ. Rurſus uncia unius duodecima pars libellæ.* Verum de his alibi. Non enim heic de re Nummaria ex profeſſo tractamus. Nunc qua de cauſa tota hæc diſſertatio ſuſcepta eſt, dicamus de partibus aſſis Romani, & unde illæ appellatæ, & quare, diſſeramus. *Libra* nomen Siculum, ut & *aſſis*, atque etiam *uncia*. De reliquis videndum eſt. Non minus eſſe & Sicula certum eſt. Nonnulla tamen ex his ad Romanum morem facta, quædam Dorica vel Sicula, in alium plane ſenſum detorta. Ut illud *dextans* omnino Romanum, cum Græcis δίκας diceretur, & δεκούγκιον, unde & ipſi Latini appellarunt *decuncem*. Priſcianus: *Decunx, vel dextans, unciæ decem.* At nomen *dextans* formationis atque originis prorſus Romanæ, ſic dictus contracte, pro *deſextans*, quod ſit as minus ſextante. *De* in compoſitionibus tam verborum, quam nominum tollit rem cui præponitur, vel in contrarium vertit. Ut *demagis*, pro minus. *Devirginare*, virginitatem tollere. *Demens*, ſine mente. Ita Græcis ἀπό. Ut ἄπιχθυς, ſine piſce, ἄπαγρος, ſine venatione. *Depygis* mulier, quæ pygam non habet. Sic ergo & *dextans*, vel *deſextans*, ſubaudiendo as, minus ſextante. Et recte Varro, à *duodecim*, hoc eſt, ab aſſe, *una dempta uncia deunx, dextans dempto ſextante.* Sic *undeviginti*, viginti uno minus, vel uno detracto. Sic ergo & *dodrans*, quod Siculis ἐννεούγκιον, vel ἐνιάς, quaſi *dequadrans*, as ſine

qua-

quadrante. *Deunx* ſimiliter pro undecim duodecimis, vel unciis, quia ad aſſem ſolidum deficeretur uncia. Græcis Siculis ἑνδεκούγκιον, vel ἑνδέκας. *Bes* Varroni videtur prius fuiſſe *des*. Sic enim ait. *Bes, ut olim des, dempto triente*. Ergo vult dictum, quia ex aſſe demptus eſſet ac deficeret triens. Quod vix puto veriſimile. Nec *des* olim pro *bes*, ſed *dues*. Sic *duonum*, quod poſtea bonum, & *duellum*, quod bellum. *Duis* à duo, quod poſtea *bis*. Hoc ergo Latinum, *dues*, duo aſſes, vel duæ partes aſſis, quod Græcis δίμοιρον. Nam & recentiores Græci *beſſem* Romanorum in partibus aſſis eorum denominandis ſic vocarunt. Nec aſſentior Scaligero qui ad Feſtum notat; *Ergo ab octo, de aſſe diminuitur, unde bes, deſſis primum dictus à veteribus*. Aliter quam Varro, & uterque male. *Dues* unde *bes*, duæ partes aſſis, τὸ δίμοιρον, ut *ſes* dimidium aſſis, ex quo *ſeſtertius*, *ſeſquartus*, & ſimilia, hoc eſt, duo & tres aſſes cum ſemiſſe tertio & quarto. De quo infra. Hoc adeo verum; *dueſſem*, vel *beſſem* eſſe Latinum quo exprimere voluerint Græcorum δίμοιρον, hoc eſt, duas aſſis partes, ut propterea de duobus aſſibus vitarint dicere *dueſſem*, ut *treſſem* de tribus, & *quadruſſem* de quattuor, ſed *dupondium* dixerint. Siculis *bes* appellatus eſt ὀκτὼς, vel ὀκτούγκιον. At *ſemis* purum etiam putum Romanum, pro *ſemas*, quod Siculis ἡμίλιτρον, vel ἕξας. Reſtant *ſextans*, *quadrans*, & *triens*, quæ ut Sicula forma videntur efficta, ita multum diſtant à ſignificatione Siculorum ἕξας, τέτρας, & τρίας. Quod attinet ad *ſextantis* vocabulum, neque Siculum eſt, neque purum Romanum. Ὁ ἕξας quippe illis eſt, τοῦ ἕξαντος, qui Latine dicendus eſſet *ſexans*, ut *triens* ex τρίας eorumdem eſt factus. Scaliger volebat à Siculo venire, quod eſt Ἑκτᾶς. Prius enim fuiſſe Ἑκτάεις, poſtea Ἑκτᾶς, Ἑκτᾶντος, ut Dores & Siculi, quod aliis Græcis dicitur φωνήεις, τιμήεις, ipſi dicunt φωνᾶς, φωνᾶντος, τιμᾶς, τιμᾶντος. Sed aliud eſt in his nume-

numeris ordinalibus. Τιμήεις, vel τιμᾶς eſt honoratus, ἀπὸ τῆς τιμῆς derivatus, qui eſt honor. At ἑκτάεις ab ἕκτος derivaretur, & tamen nihil plus ſignificaret quam ſextum. Quod caret ratione. Idem eſt enim ac ſi quis dixerit, Græce τριταῖον idem eſſe quod τρίτον. Nuſquam autem legi, Dores, vel Siculos ita formaſſe ordinalium numerorum nomina, ut ἑκτᾶντα dicerent, qui aliis Græcis ἕκτος, aut τριτᾶντα, qui τρίτος. Præterea *triens*, quæ pars eſt aſſis, non habet ſignificationem, neque formam ordinalis numeri. Nam ſi eodem modo factus eſſet quo *ſextans*, non *trientem* dici oportuit, ſed *tertiantem*. Similiter & *quadrans*, ex Siculo τέτρας, non eſt ordinalis numeri nomen, ſed *quartans* pro eo locum habere deberet, ut & Græcum τεταρτᾶ. Cur enim Scaliger, ut ἑκτᾶντα & τριτᾶντα commentus eſt, non etiam ad eumdem modulum finxit τεταρτᾶντα? Certe *ſextans* Romanis, in partibus aſſis exponendis nihil plus èſt quam ſexta pars aſſis. Quapropter & Græci recentiores in reddendis aſſis partibus *ſextantem* non aliter verterunt, quam ἕκτον. Sic enim in eorum libris exponuntur. *Vncia*, δωδέκατον. *Sextans*, ἕκτον. *Quadrans*, τέταρτον. *Triens*, τρίτον. *Quincunx*, τρίτον δωδέκατον. *Semis*, ἥμισυ. *Septunx*, ἥμισυ δωδέκατον. *Bes*, δίμοιρον. *Dodrans*, δίμοιρον δωδέκατον. *Dextans*, δίμοιρον ἕκτον. *Deunx*, δίμοιρον τέταρτον. *As*, λίτρα. Nonnulli alii τρίτην pro triente, τετάρτην pro quadrante cujuſlibet nummi dixerunt. Heſychius: Ἔκτη, τρίτη, τετάρτη, νομίσματα ἀργυρᾶ, καὶ χρυσᾶ, καὶ χαλκᾶ. Hinc τέταρται Heroni pro quadrantibus aſſium. Ita igitur illi. Et profecto *ſextans* ea forma factus, quaſi à ſexto veniat, non poteſt eſſe niſi ſexta pars aſſis, atque etiam cujuſlibet alterius ſummæ. *Triens* aliud eſt. Quomodo enim ſignificabit tertiam partem, cum trium, non tertii habeat ſignificationem? De *quadrante* idem ſtatuendum. Nam neque τρίας, neque τέτρας, ad quorum

exem-

exemplar videntur expreſſa, partem tertiam, aut quartam Siculis ſuis denotant. Et mirum eſt quantopere à Græcis Doribus receſſerint Romani in his aſſis ſui partibus, quas tamen ſingulas cum toto, ab iiſdem Græcis acceperunt. Vulgi idiotiſmus hoc fecit, qui origines verborum non puras conſervat, ſed ſæpius detorquet ac deflectit, cum tamen ipſas voces retineat. Certum quippe eſt, *τρίαντα* Siculis non ſignificare tertiam aſſis ſive *λίτρας* partem, ſed tres *οὐγκίας*, quæ quarta pars eſt eorum *λίτρας*. Illuſtris eſt Pollucis ex Ariſtotele citatus locus quo id evincitur, lib. IV, cap. XXV, quem ſic legunt vulgatæ editiones: Ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖον. ἐν δὲ Ἱμεραίων πολιτείᾳ φησὶν ὡς οἱ μὲν Σικελιῶται τοὺς δύο χαλκοῦς ἑξάλιτρα καλοῦσι, τὸν δ' ἕνα οὐγκίαν, τοὺς δὲ τρεῖς τριάντα, τοὺς δὲ ἓξ ἡμίλιτρον, τὸν δ' ὀβολὸν λίτραν. Quæ ſunt mirabiliter depravata. Eadem repetuntur cum iiſdem vitiis & lib. IX, cap. VI: Ἀλλὰ μήντοι παρ' αὐτῷ τις ἂν ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ, καὶ ἄλλα εὕροι Σικελῶν ὀνόματα, οἷον οὐγκίαν ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα, καὶ ἓξ πέλαντα ὅπερ ἐστὶ δύο χαλκοῖ, καὶ τρία πέλαντα ὅπερ τρεῖς, καὶ ἡμίλιτρον ὅπερ ἕξ, καὶ λίτραν ἣν εἶναι ὀβολόν. Scaliger de re Nummaria hunc locum ut male affectum priſtinæ ſanitati reſtituere conatus eſt. Quod illi in uno loco ſatis feliciter ſucceſſit, dum ex Heſychio emendat: καὶ τρίαντα, ὅπερ τρεῖς. Ergo *τρίας* Polluci *οἱ τρεῖς χαλκοῖ*, ac proinde non tertia pars Siculæ *λίτρας*, ſed quarta, quæ duodecim *χαλκοῦς* continebat. Sed erraſſe Pollucem contendit Scaliger. Quod vix ipſi dederim, cum bona fide duobus locis ea verba reperiri teſtetur apud Ariſtotelem in libro de Republica Himerenſium. Si error in eo eſt, oportet eum Ariſtotelis eſſe, non Pollucis. At vix credibile iſtic Ariſtotelem labi potuiſſe. Erraverit ergo & Heſychius, qui & *τέτραντα*, id eſt, *quadrantem*, ſimiliter *τέτταρας χαλκοῦς* interpretatus eſt, ut Pollux ex Ariſtotele *τρίαντα*, *τρεῖς χαλκοῦς*. Quod credo Heſychium æque ut Pollucem

ab

ab Ariſtotele hauſiſſe, vel alio ſcriptore, qui res Siculas pertractarat, deque eorum nummis hæc notaverat. Hæc verba Heſychii ſunt, ut ea corrigenda exiſtimo: Τετραντίας, τετράγωνος καὶ ἰσχυρὸς ἀπὸ τοῦ τετράντος, ὃς τετράγωνόν τι σχῆμα δηλοῖ, οἱ δὲ καὶ τοὺς τέσσαρας χαλκοῦς. Apud Siculos certe τέτρας, ſunt ærei quattuor, ut τρίας ſecundum Pollucem ex auctoritate Ariſtotelis, tres. Inde enim & τέτρας, pro quadrangulo poſitum quibuſdam, quod quattuor nimirum habeat angulos, ſive partes in angulum deſinentes, atque ex eo τετραντίας quadrati vir corporis, ac bene compacti, ideoque robuſti. *Idem error,* inquit Scaliger, *qui Polluci. Non enim τέτρας quattuor duodecimas ſignificat, ſed quartam partem de duodecim.* Immo non eſt error, ſed plane τέτρας deſignat quattuor duodecimas, non quartam partem de duodecim. Reprehendit tamen ſe protinus vir ille magnus, ac ſubjicit, non eſſe errorem, quatenus eſt idiotiſmus. Ego nec idiotiſmum eſſe ſtatuo, ſed rationem vocabuli rectam id evincere prorſus contendo. Nec enim aliud poteſt eſſe τρίας, quam tres ærei, aut τέτρας, quam quattuor, ut mox certius demonſtrabimus. Idiotiſmus potius ille dicendus Romanorum, qui depravato vero vocis uſu in alium eam ſignificatum detorſerunt. Non ergo κατάχρησις eſt apud Vitruvium, ſed vera notio vocis, qui diviſionem in partes quattuor, vocavit *tetrantes*, ut *octantes*, quæ in octo, lib. x, cap. xi: *In capitibus circino dividuntur circinationes eorum tetrantibus, in partes quattuor, vel octantibus in partes octo, ductis lineis.* Ergo *tetrantibus dividi* dicitur, quod in quattuor partes dividitur, & *octantibus* quod in octo. Sic Hygino *in tetrantem dividere*, quod idem eſt atque quattuor partes in diviſione facere. *Tetrans* itaque quattuor partibus conſtat, ut *octans* octo. Hinc ὀκτὰς Siculis, qui Latinis *bes*, octo nempe aſſis duodecimæ. Eodem prorſus modo & δέκας pars libræ Siculæ, non decima, ut ne-

ut neceſſario ſequeretur, ſi τρίας eſſet tertia ejuſdem libræ, ac πίτρας quarta, ſed omnino decem unciæ, ſive decem duodecimæ. Arcadius Grammaticus in libro περὶ τόνων hæc omnia vocabula Dorica, ſive Sicula, quæ quantitatem ſignificant, circumflexum habere accentum tradit. Τὸ μέντοι ὀψῶς, inquit, περισπᾶται, καὶ τὸ ἑξᾶς ἐπὶ ποσότητος ὄν. Hæc omnia vocabula circumflectenda eſſe præcipit: ſed, quantum judico, perperam. Nec enim ſcivit unde eſſent compoſita. Αἶς, vel ἇς Doricum ex Græco εἷς accentu mutato, ut in ἄμμες, pro ἡμεῖς. Etiam ſi autem ἇς circumflecteretur, tamen τρίας ex eo, non τριᾶς eſſet dicendus. Præterea in antiquiſſimis libris non aliter hæc ſcripta reperi. Ut ut ſit, ἕξας non ſextam partem indicat, ſed ſex duodecimarum numerum. Nam ἐπὶ ποσότητος poni ait. Etſi poſſe dici ſciam, ſextam partem aſſis, quæ duæ ſunt duodecimæ, quantitatem deſignare, primario tamen non τὸ ποσὸν, ſed τὸ ποστὸν ſignificant, non quantitatem, ſed quótam portionem. Quod auctores qui exacte loquuntur, ſemper ſolent diſtinguere. Nec ποσότης igitur dicitur, niſi de certa quantitatis ſumma. Apud eundem ſimiliter & δεκᾶς circumflectitur, quia pro quantitate ſumitur. Ita enim Siculis decem aſſis duodecimæ: Τὸ δὲ δεκᾶς περισπᾶται, ὅτι ἐπὶ ποσότητος τάσσεται. Certum eſt τὸ δεκᾶντα non poſſe de decima parte accipi. Sequitur apud eumdem paulo poſt: Τετρᾶς, Βορρᾶς περισπᾶται, τὸ δὲ τετρὰς τετράδος, συστέλλεται. Ad ἑξᾶντα quod attinet, in verbis Pollucis ſupra citatis, quæ corruptiſſima emendare aggreſſus eſt Scaliger, reponi ea vox deberet, ſi quidem duos χαλκοῦς ſignificaret, hoc eſt, ſextam partem libræ, quo ſenſu apud Latinos ſumitur *ſextans*. Scaliger quidem eo loco ἑξᾶντα corrigebat hoc modo: ὡς οἱ μὲν Σικελιῶται τοὺς δύο χαλκοῦς ἑξᾶντα καλοῦσι. Item in altero: οἷον οὐγκίαν ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα καὶ ἑξᾶντα, ὅπερ ἐστὶ δύο χαλκοῖ, καὶ τριᾶντα ὅπερ τρεῖς. Sed neque Siculum eſt ἑξᾶς, non magis

magis quam Græcũ ἕξας. Et vidimus ex Arcadio, ἑξᾶντα dici, non ἑξῶντα. Idẽ etiam confirmat Heſychius. Ἕξας, inquit, εἶδος νομίσματος παρὰ Συρακουσίοις. Ita ibi ſcribendum ſeries & ordo litterarum plane oſtendit. Nihil propius ergo eſſet quam ita apud Pollucem reſtituere, καὶ ἑξᾶντα, ὅπερ ἐστὶ δύο χαλκοῖ, καὶ τρίαντα, ὅπερ τρεῖς. Sed quæ ratio ut ἕξας duos æreos ſignificet, cum τρίας de tribus tantum dicatur, τέτρας de quattuor, & ὀκτὰς de octo, & δέκας de decem? Quid igitur probabilius, quam & ἑξᾶντα ſex eſſe chalcos? Vetuſtiſſimum exemplar Pollucis, quod in Bibliotheca Palatina pro theſauro ſervabatur, atque oſtentabatur, & quo olim uſus eſt eruditiſſimus juvenis ὁ μακαρίτης Jungermanus, qui innumeris mendis eum auctorem liberaverat, utrobique habuit, pro ἑξάλιτρα, vel ἐξ πάλαντα, δίξαντα. Ex cujus ſcripturæ veſtigiis non dubito quin legendum ſit, δίξαντα, vel δύαντα. Sed δίξαντα ſine ulla mutatione veteris ſcripturæ veriſſimum videtur. Διξὸς, pro διστὸς Doricum. Inde δίξας, duo χαλκοῖ. Cur non potius δύαντα dixerint iidem Siculi, quæri poſſet, niſi uſus in his dominaretur, non ratio nec analogia. Certe δίξας eſt διστὸς χαλκοῦς. At ἕξας non poteſt ibi locum habere, cum ſint ſex ærei. Nunc aperiendum, cur tam diverſi abierint à Siculis Romani in his aſſis, ſive libræ partium appellationibus, cum rem ipſam totam ab illis ſint mutuati, atque etiam nomina ipſa. Simul explicandum quid illud ας faciat in fine hujuſmodi Siculorum vocabulorum, quibus ſuæ λίτρας partes ac diviſiones exponunt. Diximus in priore libro, ex Græco communi εἷς quod eſt unus, Dores feciſſe αἷς, & Tarentinos ſive etiam Siculos, extrito iota, ἃς. Romanis inde *as* & *as*, ut pluribus ibidem aſſeruimus. Sed apud Romanos illud *as* res duas & multum invicem diſcrepantes ſignificaſſe videtur. Nam & *as* illis idem quod aliquid ſolidum ac totum, ut de tota ſcilicet libra, quæ duodecim uncias contineret. Ab eo & pro omni re

quæ integra eſſet, & omnibus ſuis conſtaret partibus, uſurparunt. Aliter *aſſem* pro unitate qualibet dixerunt, quæ Græcis μονάς. Certe apud Logiſtas *as* fere ſemper, dum computant, ita poſitus invenitur, pro monade. Ita Vitruvius, Higynus & alii plures hanc vocem uſurparunt, ut ad Exercitationes Plinianas plenius demonſtravimus. *Supra ſex adjecto aſſe* ἔφεκτος, id eſt, adjecta unitate. Sic Vitruvius. Hac ſignificatione libra non tantum plures habet uncias, ſed etiam plures aſſes, id eſt, unitates. Nam unaquæque pars, ut uncia dicitur, ita etiam *aſſis* nomine poteſt dici, quia *as* μονάς. Atqui *as* etiam τὸ ὅλον ſignificat. Diverſa ergo notione, & pro toto, & pro unitate totius parte accipitur. Ea ſignificationis diverſitas ex eo fluxit, quod cum primitiva ſua proprietate ea vox ἄς ex Græco εἷς, per dialectum facta, unum deſignet, nonnulli ex Doris vel Siciliæ populis, pro una libra, quæ duodecim uncias haberet, alii pro uno æreo, ſive una uncia, quæ duodecima pars libræ poſuerunt. Romani itaq; eos ſequuti ſunt, quibus ἄς, idem quod una libra eſſet. Inde his idem *as* quod libra duodecim unciis conſtans. Hinc *ex aſſe hæres*, cui univerſa hæreditas relicta. *Ex aſſe poſſidet*, qui non partem, ſed totam habet. *Ex aſſe debet*, qui debet totum. Hinc & *ſolidus* pro libra, vel aſſe. Voluſius Mæcianus in libello de aſſis diſtributione: *prima diviſio ſolidi, id eſt, libra, quod as vocatur, in duas partes dimidias deducitur.* Hinc & *ſolidum aureum* dixere Romani, ubi idem pondus habere cœpit in auro, quod ſolidus, id eſt, *as*, haberet in ære, duarum nempe drachmarum. At illi ex Græcis Italicis, ſive Siculis, ut Himerenſes & Tarentini, quibus ἄς, idem fuit quod uncia, ſive nummulus æreus, quales duodeni in libra eorum, hoc eſt, λίτρα numerabantur, partes illius λίτρας ex illa voce ἄς quod ipſis χαλκοῦν ἕνα ſignificabat compoſuerunt, & ex numeri nota, quæ partem illam libræ efficeret.

Ut

Ut enim aliis Græcis τρίχαλκον nummus trium æreorum, ita iſtis τρίας, trium aſſium, quia ἂς, id eſt, unus, pro uno æreo. Sic τρίοψ cui tres facies, & ſimilia. Heſychius: Τριαντοπόρνη, λαμβάνουσα τριάντα ὅ ἐστι λεπτὰ ἓν καὶ εἴκοσι. Idem eſt ac ſi dixiſſet, ἡ λαμβάνουσα τρεῖς χαλκοῦς. Nam & ſupra τέτραντα expoſuit τέσσαρας χαλκοῦς. Æreus quippe, ſive ἂς, illis temporibus ſeptem habebat λεπτὰ, ut ex variis qui de re Nummaria ſcripſerunt, necdum editi ſunt auctoribus, obſervavi. Τριαντοπόρνη autem apud Heſychium emendavimus, pro τρίαντος πόρνη. Pro quo Scaliger volebat τριαντὶς πόρνη. Idque ἀνάλογον eſſe ait ei quod apud Pollucem legitur, πόρνην quæ στατῆρα mercedem accipiebat, dictam eſſe στατηρίδα à Theopompo Comico:

Οὐ φασὶν εἶναι τῶν ἑταιρῶν τὰς μείους
Στατηρίδας.

Sed vitium eſt in illa dictione, & legendum, στατηραίας. Ita vocat quæ precium ſuæ merci ponerent ſtaterem. Sic ταλαντιαῖον Græcis quod pretium habet talenti, δραχμιαῖον, quod drachmæ. Pro quo etiam δραχμίδιον perperam in Polluce ſcribitur: Καὶ τὸ δραχμῆς ἄξιον δραχμιαῖον, ὡς ἐν Ἀριστοφάνους ὁλκάσι. Ita ergo & στατηραῖον. Idem Pollux: Τὰ δὲ στατῆρος ἄξια στατηραῖα φαίης ἄν, ὡς Θεόπομπος ἐν Καλλαίσχρῳ. Sic ſcribendum, ut & in verſu ipſius Theopompi. Error ex eo natus in proclivi, quod Δ & Α, in veteribus, qui ſcripti erant litteris majuſculis, non multum diſpares habuere figuras. Qui τρίας Siculis, hoc eſt, tres unciæ ſive ærei, idem & τριούγκιον, quia οὐγκία & ἂς ipſis idem, id eſt, εἷς χαλκοῦς. Hinc *teruncius* Romanis quarta pars libellæ, quæ erat λίτρα Siculorum argenteæ ἰσοστάσιος, & æreæ ἰσοδύναμος. Sic ergo & τέτρας ſunt quattuor οὐγκίαι, id eſt, χαλκοῖ, quia ἂς una uncia, & proinde pars tertia libræ, non ut *quadrans* Romanis, quarta, quam & τετρούγκιον liceat dicere, immo & dixiſſe quoſdam plane conſtat. Nam & τριούγκιον quoque

appellarunt, quod alias τρίας, pro quarta parte λίτρας, & ἐννεάγκιον, pro novem unciis, quod etiam ἐννέαντα vocarunt. Hinc Latini *teruncium*, pro quarta parte libræ, & *nonuncium* pro tribus appellaſſe vidētur. Feſtus: *Nonuncium ſive teruncium dicitur, quod novem unciarum ſit ſive trium.* Ita & *decuncem*, pro dextante etiam Romani poſuerunt, quia Græcis Siculis & δίκας, & δεκάγκιον idem, decem unciæ. & decem aſſes, quia ἂς Siculis idem quod εἷς χαλκοῦς, vel οὐγκία. Agrœcius: *Decuncem decem uncias dicimus, deuncem undecim.* Quæ vulgo ſunt corruptiſſima. Inde ſane, & quibuſdam ex veteribus Latinis *quinquas*, pro quincunce dicebatur, quia πέντας Siculis idem quod πεντόγκιον, & *ſeptas*, ſive ſeptans, pro ſeptunce. Ita enim ſcriptum reperi apud Bedam in libris vetuſtiſſimis, in tractatu de Temporibus: *Septunx ſive ſeptas*, VII *unciæ. Quincunx ſive Quincas*, V *unciæ*. Certe & *trias* habet, ſimul cum triente, quia τρίας Siculum eſt. *Triens ſive trias*, IV *unciæ*. Item: *Sextans ſive ſexas, vel ſextas* II *unciæ*. Unde hoc niſi quia ἕξας Siculum? Et hoc habuiſſe videtur ex aliquo antiquo ſcriptore. Τέτρας nummus quattuor aſſium, ſive unciarum, ut τετράγκων, qui quattuor angulos habet, τετράμνουν quattuor minarum. Ἕξας rurſus non ſexta pars aſſis Siculis, ut Romanis *ſextans*, ſed ſex οὐγκίαι, ſive χαλκοῖ, ſive aſſes, idemque quod *ſemis* Romanorum & ἡμίλιτρον Siculorum. Inde diminutium ἑξάντιον Epicharmo, apud Pollucem lib. IX, c. VI:

— Ἐφ' ᾧ γὰρ τὸ βαλάντιον, λίτρα,
Δεκάλιτρος στατὴρ, ἑξάντιόν τε, καὶ πεντόγκιον.

Ita jampridem emendandum eum locum vidi ex Palatino Codice vetuſtiſſimo. Nam vulgo legitur, ἑξάγγιόν τε καὶ πεντάγγιον, corruptiſſime. Πεττόγκιον vox Sicula, pro πεντόγκιον, πέττε, pro πέντε. Hoc eſt, *quincunx* Latinorum. Hujus πεττογκία etiam mentio in altero verſu Epicharmi à Polluce allati, qui prodigioſe depravatus ibidem extat, ſic reſtituendus:

— ἄρτι

—ὥσπερ αἱ πονηραὶ μάντεις
Αἵθ' ὑπονέμονται γυναῖκας μωράς, αἱ πεντώγκιον
Ἀργυρίου, ἄλλαι δὲ λίτραν, αἱ δ' ἡμίλιτρον δεχόμεναι
Πάντα γιγνώσκοντι.

Vt improba fatidica, qua ſtultas mulieres pro pabulo habent, alia argenti quincuncem, alia libellam accipientes, quadam ſembellam, omnia ſe ſcire dicunt. Cur autem Romani Siculos in aliis aſſis, ſive libræ partibus, quæ ab uncia nominantur, ſequuti ſint, in aliis diverſam inſtiterint viam, ut in his, τριὰς, πέντας, ἕξας, hæc ratio eſt. Cum ἆς illis pro una libra ſemel in uſu dicendi à vulgo receptus eſſet, ut ſibi conſtarent, noluerunt partes illas libræ, quam *aſſis* nomine vocarunt, ab illo ἆς, qui una duodecima aliis libræ pars erat, appellare. Nec ſane congruum videbatur, ut idem vocabulum ipſis & libræ pars eſſet duodecima, & libra ipſa. Ideo & *trientem* quidem ex τριὰς fecerunt, ſed non pro terno aſſe acceperunt, ſed καταχρηστικῶς, pro tertia parte ſui aſſis. *Quadrantem* ſimiliter non pro eo quod eſſet ἆς quaternus, ſed pro parte quarta libræ poſuere. Ἀντὶ τοῦ ἑξᾶντος Siculorum, qui ſex aſſes ſive ſex οὐγκίας ſignificabat, facere maluerunt *ſextantem*, quam *ſexantem*, ut ſic ſextæ partis ſignificationem magis præferret. Nihilo tamen ſecius & ἆς ad ipſos tranſiit cum ea notione, quam habuit apud pleroſque Siculos, non de tota libra, ſed una parte libræ ſumptus. Hinc ἆς, ut diximus, ἀντὶ τῆς μονάδος uſurpatus. Hinc *as*, ἅπαξ in Gloſſis, & *Aſſarium*, μονομάχιον. Et *aſſipondium* Varroni nummus unius libræ, ut *dupondium* duorum. *Aſſa* vox, qua ſola canitum ſine tibiis. Hac ratione τριὰς nummus Siculis, qui tres habet μονάδας, hoc eſt, tres duodecimas ſive tres æreos. *Treſſem* ad verbum Latini poterant reddere. Ceterum quia *as* illis non pro uno æreo, ſive parte libræ duodecima, ſed pro una libra ſermone vulgi terebatur, *treſſem* pro tribus libris dixerunt, &

trientem, pro τρίαντα Siculorum retinuerunt, verùm mutata ſignificatione. Nam τρίας Siculis ſunt tres unciæ, *triens* Romanorum tertia pars aſſis, hoc eſt, unciæ quattuor, quod ſine ratione factum eſt. Nam *tertians* dici debuit, ut *ſextans*, quæ ſexta. Nec analogia minus neglecta eſt in voce *quadrans*, pro quarta parte, quæ melius ex analogia dicta fuiſſet *quartans*, ut & *quintantem*, quintam partem quidam vocarunt. Sed erat Siculum τέτρας de quattuor unciis. Hoc vocabulum imitati *quadrantem* nominarunt, non jam de quattuor unciis, ut videntur debuiſſe, ſed de quarta aſſis parte, ſive unciis tribus. Hujuſmodi ἀνωμαλίαν in Atticorum conſuetudine loquendi, & in his ipſis nummorum partibus denominandis licet animadvertere. Τεταρτημόριον vocarunt quartam oboli partem. Hoc recte. Duo enim ſunt ærei, quales octoni in obolo. Ergo duo ærei ſive χαλκοῖ, τεταρτημόριον, ad verbum, quarta pars. Τριτημόριον eadem analogia ſervata, tertia pars eſſe oboli debuit. Sex tamen æreolos hoc nomine appellarunt, quia tres partes oboli faciunt, hoc eſt, tres quartas. Pollux: Οἱ δὲ ἓξ χαλκοῖ τριτημόριον, ὅτι τὰ τρία ἐστὶ μέρη τοῦ ὀβολοῦ, οἱ δὲ καὶ τεταρτημόριον αὐτοὺς ὀνομάζουσιν, ὡς τρία τεταρτημόρια ἔχοντας. Sed hæc corrupta. Non enim poteſt idem eſſe τριτημόριον, hoc eſt, tres quartæ, cum τεταρτημορίῳ una quarta. Lege ergo: Οἱ δὲ καὶ τριταρτήμορον αὐτοὺς ὀνομάζουσι. Quartam partem oboli vocabant τεταρτήμορον, & per apocopen, ταρτημόριον, & ταρτήμορον. Etymologicum magnum: Ταρτημόριον, τὸ δίχαλκον, τὸ γὰρ ὄγδοον τοῦ ὀβολοῦ. Immo, τὸ τέταρτον. Apocope gaudebant Attici. Hinc τέταρον, pro τέταρτον piſcator quidam in verſu Comici apud Athenæum. Inde ergo τριταρτήμορον, idem quod τριτημόριον, quia tres quartæ oboli partes, hoc eſt, τρία τεταρτημόρια, & cum apocope τριταρτήμορα, pro τριταρτημόρια. Sed cur τριτημόριον de illis ſex obolis uſurpatum ſit, ratio non magis reddi poteſt, quam cur

triens

triens Romanis pro tertia parte aſſis, hoc eſt, quattuor unciis ponatur, cum τρίας Siculis ſint tres unciæ. Τριημόριον enim Atticis ſcriptoribus proprie tertia pars cujuſlibet rei. Ut apud Thucididem, τριημόριον δὲ μάλιστα ἱππικὸν, *tertia pars maxime equites.* In partibus autem oboli denominandis non tertia pars, ſed tres quartæ. Ita Philemon accepit in his verſibus, quos ſic emendo:

A. Χαλκοῦς ὀφείλεις πέντε μοι. B. μέμνημ' ἐγώ.
Σοὶ πέντε χαλκοῦς, σὺ δέ γέ μοι τριήμορον,
Τοὺς ἓξ ἀπόδους τοὺς πέντε χαλκοῦς ἀπόλαβε.

Ubi Comicus τὸ τριήμορον, ſex chalcos interpretatur, quæ ſunt tres quartæ oboli. Hoc etiam probat Pollux ex alio loco ejuſdem Philemonis in Πτωχοπρωμένῳ, cujus verſus corruptiſſimi extant apud eundem Pollucem, ita corrigendi:

Ἰδοὺ πάρεστιν, ὡς ὁρᾷς, τριήμορον
Ἑκάστῳ ἡμῶν ἦλθεν, ἐσμὲν τέσσαρες,
Εἴληφεν ἡμῖν οὑτοσὶ τριώβολον.

Ecce, inquit, adeſt, ut vides, ille nempe qui noſtrum habet triobolum: unicuique noſtrum τριήμορον debetur. Ad verbum, ad unumquemque noſtrum redit τριήμορον. Quod Gallice diceremus, *il nous reuient à chacun de nous.* Nos autem ſumus quattuor, hic autem à nobis accepit tres obolos. Ergo ſi ſuum cuique reddat, τριήμορον ſingulis debet dare. Sic conſtat τριήμορον eſſe ſex æreos. Nam in tribus obolis ſunt quattuor & viginti chalci, qui in quattuor viritim diſtributi, ſingulis dabunt ſex æreos, quod τριήμορον ille Comicus appellat. Verba ipſa Pollucis, quibus hoc explicat, non carent mendo. Quare ſic emendanda: Τεττάρων γὰρ καὶ εἴκοσιν χαλκῶν ὄντων ἐν τῷ τριωβόλῳ ἓξ ἑκάστῳ γίγνονται χαλκοῖ τέσσαρσιν οὖσιν, οὓς εἴρηκε τριημόριον. Puto τριήμορον, vel τριημόριον, hoc ſenſu apud Atticos contractum eſſe pro τριτεταρτημόριον, quæ ſunt tres quartæ, τρία τεταρτημόρια. Sic τέτραχμον dixere pro

τετράδραχμον. Heſychius: Τέτραχμον, τετράδραχμον. Ammonius tamen diſtinguit, & vult τέτραχμον proprie dici nummum ipſum quattuor drachmas penſantem, ut ſunt quadrupli regales argentei, τετράδραχμον quod valet quattuor drachmis. Τέτραχμον, τὸ νόμισμα, τετράδραχμον δὲ τὸ τεσσάρων δραχμῶν ἄξιον. Ita ſcribendum. Sic τρίδραχμον δρέπανον, & τετράδραχμος κάδος, falx tribus drachmis valens, cadus quattuor, apud Ariſtophanem. At non τέτραχμος κάδος diceretur. Verba Ammonii peſſime Scaliger accepit in poſthumo de re Nummaria. Sed de his alibi: Utut ſit, τέτραχμον contractum ex τετράδραχμον, ut τριτημόριον ex τριταρτημόριον. Uſus autem obtinuit, ut τέτραχμον de nummo quattuor drachmarum uſurparetur. Non diſſimilis igitur in τριτημορίῳ Attico χαλκοῖς, atque in Romano *triente*. Atqui hæc veriſſima eſſe alibi demonſtrabimus. Ab illo itaque triente, quæ tertia pars aſſis, ſive ſolidi Romani, qui duodecim conſtabat unciis, *trientes* uſuræ dictæ, quibus nimirum tertia pars de duodecim in centum accipiebatur, id eſt, quattuor. Quæ proinde uſura longe diſtabat à Græcorum ἐπιτρίτῳ τόκῳ, quæ tertiam partem non centeſimæ, ſive uſuræ duodecim in centum annua capientis, ſed cujuſlibet ſortis exigit. *Triens* enim proprie non cujuſlibet ſummæ tertia pars eſt, ſed ejus quæ duodecim duodecimis abſolvitur. Si cum tota ſumma duodecim in centum uſuræ nomine accipitur, quæ centeſimæ exinde nomẽ habet, id fœnus *aſſium uſurarum* appellatione à Latinis vocatur, *trientarium* fœnus non poteſt aliud eſſe quam quod *aſſis uſura*, ſive centeſimæ tertiam partẽ annuatim depoſcit. Præterea ſi & *trientarium fœnus*, ſive *trientes uſuræ*, tertiam partem centeſimæ, ſive aſſarii fœnoris, faciunt, perinde & *unciarium fœnus*, ab uncia, quæ quarta unciæ pars eſt, quartam tantum partem trientarii fœnoris explebit, & duodecimam fœnoris aſſarii. Ut jam inde cuivis

vel

vel mediocriter harum rerum intelligenti conſtare queat quantopere hallucinatus ſit vir ſummus ὁ μακαρίτης Scaliger, qui *unciarium fœnus* in poſtumo de re Nummaria id eſſe interpretatur quod duodecim denarios capit in centum, idemque eſt cum centeſima.

CAPUT VII.

De aſſario fœnore, & aſſibus uſuris, quales. Λιτραῖος τόκος Siculis ac Doribus. Ad exemplum aſſarii fœnoris, quod de unica centeſima dicitur, poſſe dici. & dupondiarium de bina centeſima & tripondiarium, vel treſſes uſuras de ternis. Item ſeſquicenteſimam potuiſſe dici more Romano ſeſquipondiarium fœnus, & ſeſquaſſes uſuras. Plinii Iunioris locus de aſſibus uſuris emendatus. Aſſes uſuras eſſe quæ aſſem dant ſolidum in annum, hoc eſt, duodecim. Perperam putaſſe Scaligerum, unciarium fœnus idem eſſe cum centeſima. Cur ἑκατοστὴ Græcis dicta ſit. Eam maximam uſuram inter legitimas habitam ſub Imperatoribus. Hinc in concilio Nicæno centeſimas clericis prohibitas, hoc eſt, legitimas. Ante hanc Synodum Epiſcopos, & alios clericos vulgo ſolitos fœnerari centeſimis. Ἡμιολίας alias videri, quam quomodo vulgus interpretum eas accipit de ſeſquicenteſimis, aut ſemiſſibus. Vſuræ centeſimæ exemplum ex veteri inſcriptione. Galeni locus explicatus & emendatus de uſura centeſima, quam ἑκατοστοῦ τόκου nomine appellavit. Ab uſuris aſſibus proximas eſſe deunces. Quomodo Siculis eæ appellatæ, & Atticis Græciſque vulgaribus. Sequuntur dextantes, vel decunces, δεκάντες Siculorum, & ἐπιδέκατοι τόκοι Atticorum. Harum exemplum ex veteri Inſcriptione prolatum. De profuſionibus ac ſparſionibus, quæ ad monumenta fiebant, obiter dictum. Vetus inſcriptio correcta. De

uſuris dodrantibus, & quomodo Siculis, Atticis, & Conſtantinopolitanis appellata. A dodrantibus ad beſſes gradum fieri. Atticis τόκος ἐπὶ τέσσαρσιν ὀβολοῖς. *Beſſium uſurarum mentio crebra apud auctores Romanos. Item de Septuncibus, quales Romanis, Siculis & Atticis, Græciſque poſterioribus. Earum exemplum ex vetere Tabula marmorea Græca productum. A ſeptuncibus ad ſemiſſes tranſitus factus. An eadem cum* ἡμιολίαις. *Non videri.* Ἔφεκτος τόκος *Græcorum quantopere diſtet à Romanorum ſemiſſibus. Semiſſes in Imperio Romano ſolitas & communes fuiſſe. Columella in harum mentione explicatus & emendatus. Emendatum ſaxum Barcinonenſe, in quo exemplum extat ſemiſſium uſurarum. Alio exemplo ex jure confirmata. Quincunces ſemiſſibus uno gradu inferiores. Exemplum earum ex veteri Inſcriptione Bergomenſi, quæ obiter explicatur, & emendatur. Scaligeri error calculi in computandis uſuris illius inſcriptionis notatus. Poſt quincunces, dari trientes. Non* τριουγκιαῖον *hunc* τόκον *Siculis appellari, ſed* τετρουγκιαῖον, *Græcis Conſtantinopolitanis dictam hanc uſuram* τρίτην ἑκατοστῆς. *In uſura hujus nomine exponendo lapſum eſſe Scaligerum. Alter ejus error reprehenſus, quo trientes uſuras Romanorum, cum Græcorum* ἐπιτρίτῳ τόκῳ *confudit. A trientibus deſcenſum dari ad quadrantes.* Τριουγκιαῖοι τόκοι *Siculis dicti. Conſtantinopolitanis Græcis* τετάρτη ἑκατοστῆς. *Minores quadrantibus eſſe ſextantes uſuras,* διουγκίας τόκους *Siculis. Poſt ſextantes ſequi uncias uſuras. De unciario fœnore multa. Male ab Hotomanno idem cum centeſima ſtatui, qui etiam error eſt Scaligeri. Vnciarum uſurarum mentio apud Scævolam. Vix milleſimam uſuram à Seneca appellari, cum de unciario fœnore intelligeret. Ab unciario fœnore ad ſemunciarium verſuram Romæ olim fuiſſe lege Tribunicia redactam, & poſtremo ſecundum*

queſ-

quoſdam vetitam. Tacitus explicatus. De ſemunciis uſuris Lampridius in Alexandro Severo correctus. Rogationem Genucii Tribuni, qua fœnus interdictum Romæ, non diu obtinuiſſe, nec obſervatum omnino fuiſſe. De verſura apud Tacitum, quid ſit proprie. Non eſſe qua creditor vertitur ac mutatur, ſed pro fœnore accipi, vel mutuo fœnebri. Multis auctorum veterum teſtimoniis id probatum. Quæ notio verſuræ proprie fuerit præter daniſticam, quidque ea vox ſignificarit, apud agricolas, agrimenſores & architectos. Columella emendatus. De verſuris theatri, & ſcena verſili obiter quædam notata & explicata. Στυλοὶ αὐτόματοι & ὑπάγοντα quæ, & quomodo differant. Item de differentia ſcenæ verſilis ac ductilis. Vitruvius explicatus, & ejus interpres notatus. Verſuram à Cicerone diſtingui ab mutuatione in reſponſo Lacedæmonii cujuſdam. Non recte mentem Græcorum illius reſponſi verborum accepiſſe Ciceronem. Quid ſit αἰτεῖν, & quatenus differat ἀπὸ τοῦ δανείζεσθαι. Quamvis modus apud Romanos ſemper uſuris lege fuerit impoſitus, ſæpe tamen ex raritate rei nummariæ, & neceſſitate mutuo ſumentium fœneratores eum modum exceſſiſſe. Aliquot teſtimoniis hoc probatum.

EX his quæ ante diximus, conſtat, *aſſarium fœnus*, vel *aſſes uſuras* Romanorum, centeſimam, hoc eſt, ἑκατοστὴν Græcorum reddere, quia duodecim cum ſint unciæ in aſſe, ubi centeſima uncia ſingulis menſibus ſolvitur, uſura ea proprie *centeſima* inde vocatur, ut Græcis ἑκατοστὴ dicitur, ſubintelligendo δραχμή. In annum autem aſſis ſolidus penditur, hoc eſt, duodecim unciæ. Nec dubito quin Siculi & Dores Italici hoc fœnus ſimiliter λιτριαῖον appellarint, quos Romani imitati ſunt, appellando *aſſarium*. Quia eorum λίτρα, etſi ex argento & exigua

exigua, eademque cum *libella* Romanorum, in totidem partes diſtribuitur, ut ſuperiori capite oſtendimus, atque idem nomen habet ac Romanorum *libra*, vel *aſſis*. Romani autem frequentius *centeſimæ* nomine uſi ſunt quam *aſſarii fœnoris*, aut *aſſium uſurarum*, ex Græco nempe ἑκατοστῇ; quia omnis hæc fœnebris negotiatio magis Græcis frequentata. Deinde eo tempore ad eum fœnoris modum venere Romani, quo negotiatores Romani generis, & publicani in Aſia Græciaque fœnus exercentes appellatione in illis locis magis pervulgata libentius eam rem exprimere ſunt ſoliti. Antea enim Romæ præter *unciarium* & *ſemunciarium fœnus*, vix aliud cognitum. Præterea cum plures centeſimæ in pactionem erant deducendæ, ut ſæpe factum in fœnore nautico, expeditius viſum eſt, *binas*, *ternas*, & *quaternas centeſimas* nominare, quam nominibus Romanis eas appellare. Non deerat tamen, ſi quis voluiſſet ad exemplum *aſſarii fœnoris*, quæ una eſt centeſima, & plures ſic quoq; multiplicando ab illis nominibus quæ aſſium pluralitatem ſignificant, appellationes mutuari. Nam ſi *aſſarium*, fœnus eſt centeſima, *dupondiarium* erit bina centeſima. *Tripondiarium* terna, quandoquidem & *tripondium* quidam de tribus aſſibus dixerunt. Sed in promptu eſt vulgatius nomen, ſi *treſſes* uſuras malis dicere de ternis centeſimis, & *quadruſſes* de quaternis, quas etiam *ſeſtertias* tum licuiſſet appellare, ubi ſeſtertius quattuor aſſes habere cœpit. Quod eo tempore factum cum denarius ſexdecim habuit. Nam olim cum decem tantum haberet, *ſeſtertiarium fœnus* de binis centeſimis cum dimidia poterat tantum dici, quia ſeſtertius totidem ſunt aſſes cum ſemiſſe. Seſquicenteſima quoque uſura more Romano recte appellaretur *ſeſquaſſarium fœnus*, & *ſeſquaſſes uſuræ*, quæ ex eo præſtarentur. Nec dubito quin primis Reipub. temporibus ſi hujuſmodi uſuræ fuiſſent in uſu, quin

ita

ita quoque appellatæ eſſent, priuſquam Romanam linguam, ut mores, Græcia pervertiſſet. Sed dicet quis, unde tibi *aſſarii fœnoris*, & *aſſium uſurarum* notitia? Quis eas uſpiam novit, aut nominavit? Certe ſi *ſemiſſes uſuræ* dictæ ſunt quæ ſex in centum, hoc eſt, dimidium centeſimæ, expetunt, quidni & *aſſes* dicantur, quæ totum aſſem, quæ eſt centeſima, exigunt? Oſtendam deinde, ita loquutum optimum Latinitatis ac puriſſimum auctorem Plinium Juniorem, modo liceat eum tibi ore ſuo loquentem ſiſtere, non correctorum, qui locum ejus contaminarunt. Is eſt in Epiſtola ad Trajanum hoc modo legendus: *Pecuniæ publicæ, Domine, providentia tua & miniſterio noſtro & jam exactæ ſunt, & exiguntur; Quæ vereor ne otioſæ jaceant. Nam & prædiorum comparandorum aut nulla, aut rariſſima occaſio eſt, nec inveniuntur qui velint debere reipublicæ, præſertim uſuris aſſibus quanti à privatis inveniuntur. Diſpice ergo, Domine. numquid minuendam uſuram, ac per hoc idoneos debitores invitandos putes: & ſi nec reperiuntur, diſtribuendam inter decuriones pecuniam, ita ut recte Reipublicæ caveant. Quod quamvis invitis ac recuſantibus minus acerbum erit leviore uſura conſtituta.* Pro *uſuris aſſibus*, quæ vetus ac vera lectio eſt, repoſuerunt, vulgo, *duodenis aſſibus*. Qua loquutione nihil aliud poteſt ſignificari, quam *duodenis centeſimis*. Monſtro quippe par eſſet, ubi omnes uſuræ centeſima minores ab aſſis partibus denominantur, *ſemiſſes* à parte dimidia aſſis, centeſimæ dimidia pars, *trientes* tertia centeſimæ, *quadrantes* quarta, *ſextantes* ſexta, & *unciæ uſuræ* à duodecima aſſis parte, duodecima quoque centeſimæ, centeſimam ipſam *duodenorum aſsium* appellatione finiri. Atqui ea lectione, ſi vera eſſet, *aſſes uſuræ* ex deberent eſſe quæ duodecimam centeſimæ partem poſtulant, hoc eſt, ſingulas in centum uncias annuas. Sic *unciarium fœnus* idem eſſet cum *aſſario*, uncia cum aſſe,

aſſe, & pars deniq; cum toto. Nec eſt quod aliquis aſferat ita *duodenorum aſſium* uſuram intelligi pro centeſima, quæ duodenos in centum aſſes dat, ut Græci eam intelligunt centeſimam, quæ duodenas drachmas in minam præſtat annuas, quæ mina centenæ drachmæ ſunt. Duodenos enim aſſes, in centum, æque bene centeſimam conſtituere, ut duodenas drachmas in centum τὴν ἑκατοστήν. Hoc quidem video voluiſſe, & id reſpexiſſe, qui locum Plinii corruperunt, ſed illi plane refutantur ac revincuntur ratione loquendi Romana. Nam ut Græci uſuræ nomen ex nomine drachmæ deſignarunt, at ſortis appellationem in mina fixerunt, ad quam omnis uſura revocaretur, Latini ſimiliter jam ab antiquo, ab aſſe & ejus partibus uſuræ appellationem expreſſerunt, & centenarium quoque numerum velut ſortis quoddam nomen ſollemne conſtituerunt, ad quem referretur ratio uſurarum ab aſſe, vel ejus partibus denominatarum. Ut Græci minam ſuam non exprimunt in appellandis uſuris, ſed τόκον ἐπὶ δραχμῇ vocant, cum una drachma in centum menſtrua datur. Ita nec Latini centenarium numerum nominatim dicunt cum *aſſes uſuras*, vel *ſemiſſes*, appellant, ſed ſubintelligunt, quia notum erat omnibus debere intelligi. *Aſſes* itaque *uſuræ* dant aſſem in centum annuum, ut τόκος ἐπὶ δραχμῇ Græcis, dat drachmam in menſem, & hac in re differunt Græci à Romanis, quod illi in ea loquendi formula de menſtruis uſuris intelligunt, Romani de annuis. At centeſima Romanorum ſi ab ipſis id nominis inventum eſſet, & non à Græcis ſumptum, de uncia centeſima in ſingulos menſes ſolvenda de centum acciperetur. Tunc vero *unciarium fœnus* eis eſſet idem cum centeſima, quo centeſima uncia menſtruatim acciperetur, ut δραχμιαῖος τόκος, vel ἐπὶ δραχμῇ Græcis idem cum ἑκατοστῇ, quia ἑκατοστὴ δραχμὴ in minam ſingulis menſibus capitur. Atque ita æxiſtimavit Scaliger, his forſitan ratio-

rationibus ductus, *unciarium fœnus* idem eſſe cum centeſima Græcorum, cum vero verius ſit, *unciarium fœnus* eorum, vel *uncias uſuras*, ut eas quoque appellatas infra oſtendam, non unciam dare menſtruam in centum, ſed annuam. Ex quo colligi datur, *centeſima* nomen Latinis ex Græco ἑκατοστὴ ad verbum fuiſſe redditum & converſum, cum nullum Latine fingere poſſimus ſubſtantivum quo referri queat. Nam *centeſima uncia* faceret quidem centeſimam uſuram menſtrua die ſolvendam, ſed ab unciario fœnore in totum diſtat. *Partem* quidem ſubaudiendam quis poſſet hariolari, ut, quia pars centeſima de centum menſtruatim præſtatur, duodecim centeſimas annuatim præſtandas diceremus. Verum, melius eſt opinari ex Græco ἑκατοστὴ id nominis eſſe factum, in quo ſubintelligitur δραχμή. Inde enim verius ἑκατοστὴν, ſive centeſimam appellatam, quam quomodo cenſuit Budæus, quia menſe centeſimo uſura ſorti exæquetur. Græci: Ἑκατοστιαῖος τόκος ἐστὶ τὸ ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν νομίσμασι δώδεκα νομίσματα ὑπὲρ ὅλου δίδοσθαι ἐνιαυτοῦ, διὰ τὸ ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν καθ' ἕκαστον μῆνα δίδοσθαι νόμισμα ἕν, ὅπερ πρὸς ὅλα ταῦτα τὰ ἑκατὸν θεωρούμενον ἑκατοστὸν πάντως ἐστὶν, εἰκότως οὖν καὶ ὁ τοιοῦτος τόκος ἑκατοστιαῖος προσαγορεύεται. Ergo ἑκατοστὴ dicta eſt Græcis, quia ἑκατοστὴ δραχμὴ ex mina, quæ centum drachmis valebat, hoc eſt, centeſima drachma quotmenſibus præſtaretur. Ea maxima uſura legitima, hoc eſt, lege conceſſa ſub Romanis Imperatoribus fuit, in communi fœnore, ut minima apud Græcos. Idcirco & Lucullus in provincia ſua cum urbes fœnore oppreſſas levare vellet, enormes uſuras quibus gravabantur ad centeſimas reduxit. Plutarchus in ejus vita: Πρῶτον μὲν γὰρ ἑκατοστὴν ἐκέλευσε, καὶ μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι. Si minor aut levior uſura in Græcia aut Aſia cui tum præerat Lucullus, fuiſſet cognita, ad majus urbium levamentum & ſolatium eam uſurpari juſſiſſet, Cicero quoque in ſua provincia

cum

cum Ciliciam regeret proconſul, *centeſimas* obſervari juſſit, cum ante ipſum, ſub prædeceſſoribus ejus uſque ad quaternas ex ſyngrapha peterentur. Eaque centeſima pro legitima obtinuit toto Imperii ſub Cæſaribus tempore, qua non Chriſtianis, qua Chriſtianis, uſque ad Juſtinianum, qui eas ad *ſemiſſes*, hoc eſt, dimidiam centeſimæ partem redegit. Sub Auguſto centeſimæ fuere legitimæ, & in libris Digeſtorum *legitimæ uſuræ*, quæ vocantur non aliæ à centeſimis accipiendæ, ut infra pluribus ſumus dicturi. Conſtantino magno imperante eædem quoque centeſimæ, pro legitimis habitæ, ut liquido conſtat ex lege ejuſdem Conſtantini 1 Cod. Theod. de uſuris: *Quæ lex ad ſolas pertinet fruges, nam pro pecunia ultra ſingulas centeſimas creditor vetatur accipere.* Hinc Concilium Nicænum primum, quod ſub hoc & ab hoc Imperatore convocatum eſt, cum decimo ſeptimo decreto uſuras Clericis interdixiſſet, diſerte *centeſimas* nominavit, quia tunc erant hæ legitimæ, ut ne legitimas quidem uſuras Clericis licitas eſſe oſtenderet. Ante hanc enim ſanctionem Nicænæ Synodi Epiſcopi ac presbyteri fœnerabantur, ſicut alii homines, ſingulis centeſimis: *καὶ δανείζοντες ἑκατοστὰς ἀπαιτοῦσι.* De *ἡμιολίαις*, quarum mentio in hoc eodē canone, ſi ſunt ſeſquicenteſimæ, ad trapezitas, & alios negotiatores eas proprie pertinuiſſe infra docebimus, cui hominum generi ſemper majores uſuræ permiſſæ. Quapropter & Juſtinianus, cum communes privatorum ac legitimas uſuras ex centeſimis ſemiſſes faceret, *beſſibus* fœnerari ſanxit trapezitas & mercatores, quos antea *ſeſquicenteſimis* fœnus exercuiſſe conſtat. Nam proportione ille omnium generum uſuras ad medium fere modum, pro eo qui olim obtinebat, retraxit. Ut ſenatores quibus ante ſub Conſtantino & ſequentibus Imperatoribus *ſemiſſes* accipere permiſſum, hoc eſt, ut lex Arcadii & Honorii dicit, *medietatem centeſimæ*, ipſe non

plus

plus quam *trientem centeſimæ* exigere voluit in contractu pecuniæ creditæ. Has ſemiſſes quidam ἡμιολίας interpretati ſunt ex veteribus enarratoribus in ſuprascripto Canone Nicæni Concilii. Cui expoſitioni non invitus accederem, ut ne ſenatoribus quidem conceſſas uſuras, à Clericis uſurpandas Synodus ſanxerit. De quo in ſequentibus. Sed aliam etiam harum ἡμιολιῶν ex Ruffino & Dionyſio exiguo afferemus, longe magis probabilem, ac prope veram. Hæc igitur de centeſima uſura, quam conſtat maximam uſuram fuiſſe, ſed legitimam, in Imperio Romano ſub Imperatoribus omnibus, qui Juſtinianum præceſſerunt. Sed priuſquam ad minores centeſimis uſuras pergamus explicandas, ut illuſtri aliquo exemplo ſignatas eas oculis ſubjiciamus, videtur hic faciendum. Audio enim quoſdam eo nomine ſuggillaſſe meam de ſeſquicenteſima expoſitionem, quaſi immane aliquod fœnus ex ea exſurgeret, quod centenos & quinquagenos nummos in centenos ſortis annua die promittit. Niſi me ipſe fallo, videntur accepiſſe *centeſimam*, pro eo genere uſuræ, quæ, ut vulgo nunc loquimur, centena in centum annua præſtat. Quod mirum eſt, in tanta litterarum luce. Qualis centeſima fuerit, ſignanter docet hæc vetus inſcriptio.

COLLEGIO
CENTONARIORVM
* * * * * * * * * * * * *

CVM. BASI. MARMOREA. ET. CERIOLARIB.
DVOBVS. AEREIS. HABENTIBVS. EFFIGI
EM. CVPIDINIS. TENENTES. CALATHOS.
L. SEXTILIVS. SELEVCVS. DECVRIO. D. D.
HOC. AMPLIVS. ARK. REI. P. COLLEGII. SS.
DONVM. DEDIT. -x- V. VT. EX. VSVRIS.
CENTESIMIS. EIVS. QVANTITATIS.
QVAE. EFFICIT. ANNVOS. -x- DC. DIE.
VIIII. KAL. OCTOBRIS. NATALI. DIVI.
AVGVSTI. EROGENTVR. EX. ARK.

Summa doni dati eſt quinque millium denarium, qui dicuntur annuos efficere denarios ſexcentos. Si quis calculum duxerit, inveniet, ex ſexcentis annuis uſuræ nomine datis denariis in ſortem quinque millium denariorum, rationem colligi duodenorum denariorum, in centenos annuatim præſtandorum. Si alia uſuræ centeſimæ ratio in noſtris libris reperietur ſubducta, audacter dicat nos immanem errorem commiſiſſe, quiſquis eum deprehenderit. Ubi major aliqua atque intricatior ſumma in fœnus data eſſet, & uſura deberetur plurium menſium, quæ rotundo non magis quam ſors numero poſſet expediri, ad logiſtas itum, qui ratiocinium deducerent quantū eſſet præſtandum in tot menſes pro tali ſorte. Galenus lib. II de dogmatibus Hippocratis ac Platonis, ubi ἑκατοστὸν τόκον, ut antea dicebamus, appellat, quæ Latinis *uſura centeſima*: Καί μοι θαυμάζειν ἐπέρχεται τῆς τῶν πολλῶν δοξοσοφίας, εἰ προβληθείη μὲν ἂν οὕτω τύχῃ, τίς γίγνεται τόκος ἑκατοστὸς δραχμῶν Ἀττικῶν δισμυρίων πεντακισχιλίων ἑξακοσίων τριάκοντα ἑπτὰ, μηνῶν τεσσαρεσκαίδεκα, τοῖς λογιστικοῖς ἐπιτρέπουσιν, εἰδότες οἶμαι σαφῶς ὡς ἑαυτοῖς οὐ μέτεστιν ἐπιστήμης οὐδεμίας τοῦ λογίζεσθαι τὰ τοιαῦτα. Sic legendus ille locus ac diſtinguendus apud Galenum. Summa proponitur viginti quinque millium drachmarum Atticarum, cum ſexcentis triginta ſeptem. Quæritur quid ſit pro uſura centeſima ſupraſcriptæ ſortis, ſi quis per quattuordecim menſes nihil ſolverit, præſtandum. Non promptum cuilibet eſſe hoc expedire, ait Galenus, ſed ſolis ſupputandi peritis. Ea ſumma quam poſuit in quattuordecim menſibus, dabit uſuræ centeſimæ fœnore tria millia denarium quingentos octoginta novem, cum obolo uno, æreique dimidio. Unus æreolus ſupereſt, cujus pars centeſima ſingulis debetur menſibus & quatuordecim centeſimæ partes ejuſdem, in menſium ſpatio quattuordecim. Intra centum menſes æreus ille ſorti exæquatus, per centum centeſimas

ejus

ejus partes, & ad reliquam additus ſummam, ſimiliter ſorti poſt centum menſes adæquatam, eadem illa integra viginti quinque millia denarium cum ſexcentis ſeptuaginta ſeptem repenſabit. Explicata uſura centeſima nunc ordine perſequamur minores omnes, & infra centeſimam poſitas, & à partibus aſſis denominatas, eaſque exemplis & teſtimoniis idoneorum auctorum illuſtremus. Inde enim conſtabit, quamvis *centeſimæ legitimæ* vulgo fuerint, non tamen ſemper ad illum uſque modum fœnerationem proceſſiſſe, ſed pro temporum ratione prout rei nummariæ copia eſſet, aut inopia, ita leviores uſuras, aut graviores extitiſſe, cum nihiloſecius graviſſimæ nunquam exceſſerint cẽteſimas. Quem maximum modum uſuris etiam in ſumma rei pecuniariæ difficultate lex poſuit, quæ leviores propterea non excluſit, ad quas ſponte ſe homines demittunt, cum pecunia magis abundat. Res ipſa quippe non patitur, ut æqualis ſit modus uſurarum in maxima pecuniæ raritate, & in maxima ejuſdem abundantia. Ab *aſſibus uſuris* proximæ ſunt in deſcendendo *deunces*, quæ undecim dant in centum, non duodecim, ut *aſſes*, ac *centeſimæ*. Ἐνδεκάντοι τόκοι Siculi vocarunt. Attici τόκοι ἐπὶ πέντε ὀβολοῖς καὶ ἡμιωβολίῳ vocaſſent, ſi hujuſmodi uſuram in uſu habuiſſent. Græci recentiores, δίμοιρον τέταρτον ἑκατοστῆς. Nam revera bes eſt cum quadrante centeſimæ. Harum mentio apud Perſium Sat. v:

Quid petis? ut nummi quos hic quincunce modeſto
Nutrieras, avidos pergant ſudare deunces?

Immodicam uſuram hanc facit, utpote centeſimæ affinem, ſive uſuris aſſibus. Sequuntur uſuræ *dextantes*, vel *decunces*, Siculis δεκάντες τόκοι, Atticis τόκοι ἐπὶ πέντε ὀβολοῖς. Græcis δίμοιρος ἕκτη ἑκατοστῆς, quæ decem in centena conciliant. Κατὰ συγκυρίαν hæ conveniunt cum τόκῳ ἐπιδεκάτῳ Græcorum. Ut enim decima pars centum denariorum, decem dat denarios, ita decem

unciæ in aſſe uſuram faciunt dextantalem duobus unciis minorem quam eſt centeſima. Harum exemplum in inſcriptione Pagi Adhaſte ditionis Bergomenſis. M. CABARSVS. PATIENS. DEDIT. XXX. ET. PROFVNDI. DE. VSVRIS. XIII. QVOT. SI. IVVENTATES. EIVS. NEGLEXERINT. FILIO. EIVS. RETERÆ. DEBEBVNT. XXX. AVT. SI. QVIS. HERES. FVERIT. Scaliger hanc inſcriptionem citans legit CARBASVS, pro CABARSVS, & ·X· III. pro XIII. Certe tria millia denariorum uſuræ, ex ſumma ſortis triginta millium uſuras pariunt dextantes. Sed cum in ea inſcriptione XXX. habeatur ſcriptum, pro triginta millibus denariorum, XIII. ſimiliter ut ibi ſcripta ſunt, denotant tredecim millia. Ratione tamen caret, ut triginta millia denariorum reddant uſuræ nomine tredecim millia annua. Recte itaq; correctum à Scaligero ·X· III. hoc eſt, denarium tria millia. Quod autem profundi vult ex ſumma triginta millium, de uſuris tria millia, ad illas profuſiones referēdum, quæ quotannis fiebant ad monumentum ejus qui eas fieri teſtamento caverat ex uſuris ſummæ quam ad hoc alicui legaverat. Profuſiones eæ ſparſiones ſunt miſſilium rerum, ut nucum caryotarum, & ſimilium. Earum mentio in aliis inſcriptionibus. Inſcriptio Bergomi: NVCATÆ DE SELECTIS EX ·X· L. PROFVNDANTVR. Id eſt, caryotæ. Vulgo male editum eſt, MICATÆ. Sed de his alibi. Poſt *dextantes uſuras*, *dodrantibus* locus, quæ & *nonuncia* dici poſſunt, Siculis ἐννεάουγκις, Atticis, τόκος ἐπὶ τέτταρσιν ὀβολοῖς καὶ ἡμιωβολίῳ, vel ut etiam loquuntur, ἐπὶ πέμπτῳ ἡμιωβολίῳ. Græcis δίμοιρος δωδεκάτη ἑκατοστῆς. Earum exemplum non inveni, cum certum ſit novem eas in centum dare. Juſtinianus cum privatorum uſuris ex centeſimis ſingulis ad ſemiſſes revocaret, trapezitarum & mercatorum uſuras ad hoc inſtar ad medietatem revocaſſet, ſi dodrantes uſuras pro beſſibus eos juſſiſſet obſervare, qui ante ipſum ſeſquicente-

centeſimas, hoc eſt, duplas dodrantium accipere ſoliti erant. Pro dodrantibus ad *beſſes* eas redegit, quæ proximæ ſunt dodrantibus, & una tantum duodecima in centum minores. Græcis δίμοιρος, vel διμοιραῖος τόκος, Siculi ὀκτώγκιοι τόκοι dixere, quia octo uncias in centum petit annuas. Atticis, ſi banc uſuram noviſſent, dicta eſſet τόκος ἐπὶ τέτταρσιν ὀβολοῖς. Earum extat mentio in leg. XXVI D. Depoſiti, his verbis: Ἔλαβον καὶ ἔχω εἰς λόγον παρακαταθήκης τὰ προγεγραμμένα τοῦ ἀργυρίου δηνάρια, καὶ πάντα ποιήσω, καὶ συμφωνῶ ὡς προγέγραπται, καὶ συντίθεμαι χορηγῆσαί σοι τόκον ἑκάστης μνᾶς μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας μέχρι τῆς ἀποδόσεως παντὸς τοῦ ἀργυρίου. Mirum cur non potius dixerit δίμοιρον ἑκατοστῆς, ut tunc loquebantur Græci. Nam vetuſtiorum eſt Græcorum, & quidem Atticorum, ita loqui, ut eam uſuram concepit. Decem millia denarium hoc fœnore locata, pariunt quotannis octingentos denarios, & in ſingulos menſes quaternos in ſingulas minas. Octoni ſunt denarii annui in minam. Apud Ciceronem Epiſt. ad Atticum XIV, lib. IV: *Beſſium uſurarum* fit mentio. *Fœnus ex triente, Idibus Quintilibus factum erat beſſibus.* Ubi ſubaudiendium, *uſuris*, id eſt, duplo majus. Nam *beſſes uſura* octo in centum, *trientes* quattuor exigunt. Poſt *beſſes* in medium procedant, cui & ſine medio vicinæ ſunt, *ſeptunces.* Siculis ἑπτώγκιοι τόκοι, vel ἑπτούγκιοι, Atticis τόκος ἐπὶ τρισὶν ὀβολοῖς καὶ ἡμιωβολίῳ, vel ut etiam loquebantur, ἐπὶ τετάρτῳ ἡμιωβολίῳ. Græcis vulgaribus ἥμισυ δωδέκατον ἑκατοστῆς. Exemplum harum habemus in Tabula Marmorea teſtamenti Græca Venetiis, in qua τρισχίλιαι δραχμαὶ legantur, ex quarum reditu, πρόσοδοι fiunt δραχμαὶ διακόσιαι δέκα annuæ, ſeptuncibus uſuris. Nam ex centum drachmis cum ſeptem quotannis redeunt, ter mille drachmæ dare ſolent pro reditu ducentas decem drachmas. Eadem inſcriptio, εἰ δὲ καὶ μὴ ἀποδιδῶ Ἐπιτέλεια ἢ οἱ κληρονόμοι αὐτῆς ἐν τῷ Ἐλευ-

σινίῳ μηνὶ τῷ ἀνδρείῳ τῶν συγγενῶν τὰς διακοσίας δέκα δραχμάς, ἔστω ἁ καρπεία τῶν προδεδηλωμένων χωρίων τῶν ἐμ Μελδίναις τοῦ κοινοῦ τοῦ ἀνδρείου τῶν συγγενῶν ποτὶ τὰς διακοσίας δραχμάς. Εἰ δέ κα προαιρεῶνται τὰν ἀσφάλειαν δόμεν οἱ διάδοχοί μου τῷ κοινῷ τοῦ ἀνδρείου τῶν τρισχιλιᾶν δραχμᾶν, καὶ εἰς ἄλλα χωρία ἐχόντων ἐξουσίαν διδόντες ἀσφαλεῖς τὰς ὑποθήκας. Quæ ſic erant vertenda: *Si vero non reddat Epitelia, aut ejus heredes in Eleuſinio menſe, communi virilis cognationis ducentas decem drachmas, fructus ſupraſcriptorum prædiorum quæ in Meldinis ſunt cedat communi ejuſdem cognationis, uſq; ad ducentas drachmas. Quod ſi ſucceſſores mei velint idonee ſatiſdare communitati cognatorum per virilem ſexum deſcendentium, nomina ter mille drachmarum, habeant & in poteſtate ſua reliqua quoque prædia, dum hypothecas dent idoneas.* Nec interpres illius inſcriptionis, nec etiam Scaliger in Notis hæc recte reddiderunt. Ἀσφαλεῖς ὑποθήκας ſunt quas ἐγγαίας ὑποθήκας ſupra nominavit, de quibus inferius. A *ſeptuncibus*, ad *ſemiſſes* deſcendendum, quæ Siculis ἡμιλίτροι, vel ἡμιλιτριαῖοι τόκοι, Atticis τόκοι ἐπὶ τρισὶν ὀβολοῖς, Græcis ἡμιεκατοσταῖοι τόκοι. Quidam etiam ἡμιολίους vocatas putant. Ita enim Zonaras expoſuit in Canone Nicæno, ut & Arabs interpres. Et certum eſt Græcos eam vocem hoc etiam ſenſu ſolitos uſurpare. Nam τὸ ἡμιόλιον æque τὸ ἥμισυ τοῦ ὅλου ſignificare poteſt, ut τὸ ὅλον καὶ ἥμισυ. Qui vero ex Græcis ἡμιόλιον interpretantur, τὸ ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου, de alia uſura intellexerunt, qualis ea eſt quæ dimidiam ſortis pro uſura reddit, hoc eſt, quinquaginta in centum. Quæ uſura in frugibus locum habuit, atque etiam in Nautico fœnore. De quibus infra. Hæ *ſemiſſes* porro uſuræ maxime Romanis frequentatæ, etiam tum cum *centeſima* pro legitimis ſervarentur. Mediæ quippe inter maximas minimaſque, hoc eſt, inter *aſſes*, & *uncias* uſuras. Pleriſque autem, & præſertim honeſtioribus, quod mediocre eſt, in primis placet.

cet. Sic & apud Græcos, ἔφεκτοι τόκοι in communibus uſuris ſollemniter uſitati, & à pluribus uſurpati, quæ uſuræ medium modum obtinebant inter maximas, quæ ἐπίτριτοι dicebantur, & minimas, quæ ἐπιδέκατοι. Non quod ἔφεκτοι τόκοι iidem ſint cum ſemiſſibus uſuris Romanorum, ſed ex proportione utræque in ſuo genere, medioxumæ inter ſummas & infimas. At multum invicem differebant. Nam ἔφεκτος τόκος Atticorum, ut jam docuimus in ſuperioribus, vicenos denarios in centum ac viginti reddebat, cum *ſemiſſes uſuræ* Romanorum darent tantum in eamdem capitis ſummam ſeptem drachmas, & quintam drachmæ partem. Τὸν ἐξ ἔθους τόκον, id eſt, ſollemnem, Modeſtinus leg. x D. de pollicitationibus, uſuram interpretatur ſemiſſalem. Ut ea autem media inter ſummas & infimas, infra illam omnes leviores cenſentur, ſupra, omnes graviores. Quin & ipſa potius accenſetur gravioribus, quam levioribus. Ab ea incipiunt dici leviores. Ulpianus leg. v D. de operibus publicis: *Et niſi poſuerint hæredes, uſuras leviores intra ſex menſes, ſi minus, uſuras ſemiſſes reip. pendant.* Meminit Columella lib.III, cap.III, *ſemiſſium uſurarum*. Sed corrupte in ejus libris, aut *ſemiſſes uſurarum* hodie legas, aut *uſuram ſemiſſium*, pro ſemiſſibus uſuris. Quod inepti & infruniti homines repoſuiſſe videntur, cum ignorarent *ſemiſſes uſuras* Latine dici: *Huc accedunt ſemiſſibus uſuris ſeſtertium tria millia & quadringenti octo nummi.* Sed præſtat totum locum adſcribere, ut aliquot maculæ, quæ adhuc inſident, eluantur, tum etiam ea de cauſa, quia ſemiſſium uſurarum illuſtre exemplum exhibet: *Iſque licet*, vinitor, *ſit emptus ſex, vel potius ſeſtertiis octo millibus, tum ipſum ſolum ſeptem jugerum totidem millibus nummorum paratum, vineaſque cum ſua dote, id eſt, cum pedamentis & viminibus, binis millibus in ſingula jugera poſitas duco. Fit tum in aſſem conſummatum pretium*

ſeſtertiorum XXIX *millium. Huc accedunt ſemiſſes uſuræ, ſeſtertii tria millia & quadringenti octoginta nummi, biennii temporis, quo velut infantia vinearum ceſſat à fructu.* Semiſſes uſuræ biennii ſummæ ſupraſcriptæ XXIX millium, ſeſtertios tria millia & quadringentos octoginta reddunt. Sequitur apud eumdem: *Fit in aſſem ſumma ſortis & uſurarum* XXXII *millium quadringentorum & octoginta nummorum. Quod quaſi nomen ſi ut fœnerator cum debitore, ita ruſticus cum vineis ſuis fecerit, ejus ſumma, ut in perpetuum prædictam uſuram ſemiſſium dominus conſtituat, percipere debet in annos ſingulos mille nongentos quadraginta ſeſtertios nummos.* Hæc corruptiſſima eſſe nemo non dixerit, cui oſtenſum ſit, quomodo emendari debeant. Sic ergo legenda: *Quod quaſi nomen ſi, ut fœnerator cum debitore, ita ruſticus cum vineis ſuis fecerit, ejus ſumma ut in perpetuum prædictum uſurarum ſemiſſium fœnus conſtituat, percipere debet*, &c. Nihil autem verius, quam ex ſumma triginta duum millium quadringentorum & octoginta nummorum fœnori *ſemiſſium uſurarum* conſtituta, redire quotannis fœneratori mille nongentos & quadraginta ſeſtertios nummos. Perperam in editionibus Columellæ habetur, *mille ſeptingentos quadraginta nummos.* Budæus colligebat ex ſuo ratiocinio mille nongentos quinquaginta. Sed ut bene ductus hic calculus videri poſſit, oporteat poni, octoginta nummos decem in annum alios nummos facere, uſuris ſemiſſibus, cum ſi centum eſſent, ſex tantum redderent. Columella omiſit uſuram octoginta illorum nummorum, qui ſuperfluunt, in rationem deducere, ut parvi faciendam. *Semiſſium* porro *uſurarum* frequens occurrit mentio in veteribus ſaxis, ubi ſemper ut & apud auctores numero multitudinis enuntiantur, nec *ſemiſſem uſuram* dici uſpiam reperias. Ut nec ſane alias quæ ſunt denominatæ à partibus aſſis. *Semiſſales uſuræ*

vocantur

vocantur Modeſtino in leg. x. D. de pollicitationibus. Quod notari velim contra viros hujus ævi doctiſſimos, qui paſſim aliter loquuti ſunt, præter antiquorum uſum & auctoritatem. Vetus inſcriptio, quæ continet caput ex teſtamento M. Megonii. *Hoc amplius, Reip. Petilinorum dari volo ſeſtertium decem millia nummum, item vineam Chalcidianam, cum parte fundi Pompeiani ea uti optima maximaque ſint finibus ſuis, qua mea fuerunt. Volo autem ex uſuris ſemiſsibus ſeſtertium decem millium nummum comparari Auguſtalium loci nomine ad inſtrumentum tricliniorum duum, quod eis me vivo tradidi, candelabra & lucernas bilychnas.* Uſuræ ſeſtertium decem millium nummum ſemiſſes, reddunt annuos nummos centenos vicenos. Atque hæc nota ſunt. Profert & ex alio ſaxo Barcinonenſi Scaliger exemplum *ſemiſsium uſurarum*, in qua inſcriptione quia mendum inſigne relictum eſt, partem ejus hic afferam, ut emendem: DO. LEGO. DARIQVE. VOLO. -x- VII. D. EX. QVORVM. VSVRIS. SEMISSIBVS. EDI. VOLO. QVODANNIS. SPECTAC. PVGILVM. DIE. IIII. IDVVM. IVNI. VSQVE. AT. -x- CCL. ET. EADEM. DIE. EX. -x- CC. OLEVM. IN. THERMIS. PVBLIC. POPVLO. PRAEBERI. ET. TECTA. PRAESTARI. EA. CONDITIONE. VOLO. VT. LIBERTI. MEI. ITEM. LIBERTORVM. MEORVM. LIBERTARVMQVE. LIBERTI. QVOS. HONOR. SEVIRATVS. CONTIGERIT. AB. OMNIBVS. SEVIRATVS. MVNERIBVS. EXCVSATI. SINT. Verba illa, ET. TECTA. PRAESTARI. VOLO. Scaliger, ſic putat accipienda, ut mens ſit teſtatoris, hæc ſarta tecta & bona fide præſtari velle ſub conditione propoſita, nempe excuſatione ſeviratus. Antonius Auguſtinus ita intellexit ea verba, quaſi teſtator voluerit liberas ædes ſine mercede iis præſtari qui ad panegyrin illam ſe conferrent, eoque nomine vapulat Scaligero. Nec minus ille mihi. Quis enim ſic loquutus

eſt, ut *præſtari tecta* dixerit, pro bona fide, quæ in teſtamento præſtanda ordinaverit? Non animadverterunt viri magni puſillam mendam in ſaxo has turbas dare. Scriptum enim ibi eſſe auſim dejerare, ET. EISTA. PRAESTARI. EA. CONDITIONE. VOLO. pro ISTA. pro quo male deſcriptum TECTA. Niſi quis fuiſſe velit, ET. DICTA. PRAESTARI. Sed illud melius. *Semiſsium* illuſtre exemplum & in leg. x D. de pollicitationibus, apud Modeſtinum, in hæc verba: Φιλοτιμῶμαι καὶ καθιερῶ ἀγῶνα τετραετηρικὸν ἀπὸ μυριάδων τριῶν, τὸ τοῦ κεφαλαίου αὐτὰ κατέχουσα ἀργύριον καὶ ἀσφαλιζομένη παρὰ τοῖς δεκαπρώτοις ἀξιοχρέως ἐπὶ τῷ τελεῖν με τὸν ἐξ ἔθους τριῶν μυριάδων τόκον, ἀγωνοθετοῦντος, καὶ στεφανουμένου τοῦ ἀνδρός μου, ἔπειτα δὲ τῶν ἐξ ἐμοῦ γεννηθησομένων τέκνων, χορηγήσει δὲ ὁ τόκος εἰς τὰ ἆθλα τῶν θυμελικῶν, καθὼς ἂν ἐφ' ἑκάστου ἀθλήματος ἡ βουλὴ ὁρίσῃ. Non expreſſit Scpticia, quæ agonem illum tetraetericum & ſcenicum inſtituit, quibus uſuris ſummam eam τριῶν μυριάδων præmiis thymelicorum in illo certamine deſtinatam, atque à ſe promiſſam penes ſe retineat. Sed cum τὸν ἐξ ἔθους ſe ſoluturam polliceatur, de ſemiſſibus intelligit, quæ fuere tunc temporis inter leviſſimas & graviſſimas uſuras, lege permiſſas, mediæ, quaſque adeo illo ſæculo moris erat in bonæ fidei contractibus exigi, ut *trientes* Juſtiniani ævo. Ipſe etiam Modeſtinus, qui hæc verba pollicitationis retulit, τὸν ἐξ ἔθους τόκον de ſemiſſibus uſuris exponit. Pollicitatio autem, ut bonæ fidei contractus, cenſebatur, in quo ſi moram ſolutioni facere cœpiſſet, qui pollicitus aliquid erat reipublicæ, uſuræ etiam accedebant, ut in aliis contractibus bonæ fidei, ut conſtat ex leg. 1 D. eodem. Τρεῖς autem μυριάδες in illa lege ſunt triginta millia denariorum, quæ ſemiſſibus uſuris reddunt annua decem & octo millia denariorum. Ita paſſim loquuntur auctores Græci, qui ſub Imperio Romano ſcripſerunt, ut apud Dionem in Nerone, δισχιλίας πεντακοσίας μυριά-

δις de denariis intelligendæ, quæ ſumma ter millies ſeſtertium, ut mos erat Romanis loqui, efficiebat. De qua loquutione adhuc erit in ſequentibus dicendum. In ea lege, pro ἐπαῦθις legendum εἰσαῦθις, hoc eſt, in poſterum. Archilochus:

— Εἰσαῦθις κλήσομαι ȣ κακίαν.

Atque ita paſſim auctores. A *ſemiſsibus uſuris* ſtatim occurrunt *quincunces*, una duodecima ſive uncia minores, πεντεύγκιοι τόκοι, & πεντούγκις Siculis, Atticis vero, τόκοι ἐπὶ δυσὶν ὀβολοῖς καὶ πεντεχάλκοις. Apud Græcos Conſtantinopolitanos dicitur, τρίτη δωδεκάτη ἑκατοστῆς. Meminit earum cum ſemiſſibus Scævola in l. creditor. D. de ſolutionibus: *Titius mutuam pecuniam accepit, & quincunces uſuras ſpopondit, eaſque paucis annis ſolvit, poſtea nullo pacto interveniente, per errorem & ignorantiam ſemiſſes uſuras ſolvit.* Ita ſunt affines, ut iſtæ quinque in centum, illæ ſex dare ſoleant. De Quincuncibus Perſius:

— nummi quos hic quincunce modeſto
Nutrieras. —

De his uſuris accipienda nobiliſſima Inſcriptio quæ Bergomi viſitur, quam hic adſcribemus, quia locis aliquot corrupta eſt, & uſuræ quarum in ea mentio, nec cum ſemiſſibus, nec cum quincuncibus quadrant, vitio exſcriptoris, qui pro uno L, rotundata littera, legit C, & centum pro quinquaginta. ALBINAE. VETTI. FIL. VALERIANAE. PVDICISS. FEMIN. P. APPIVS. P. F. EVTVCHES. AD. CVIVS. MEMORIAM. COLENDAM. HVIC. COLLEG. DENDROPH. LEG. HS. C. N. CVIVS. SVMMAE. REDITV. QVODANNIS. DIE. NATAL. EIVSDEM. III. ID. APRIL. DECVR. SPORTVL. EX. -x- CCC. INTER. PRAESENT. ARBITR. SVO. DIVID. OLEVM. ET. PROPIN. EX. -x- DCCL. PRAEBEANT. ITEM. LECTISTERNIVM. TEMPORE. PARENTALIOR. EX. -x- CC. MEMORIIS. EIVSDEM. VALERIANAE. ET. APPI. VALERIAN. FIL. EIVS.

EIVS. PER. OFFIC. TESSARIOR. QVODANNIS. PO. NATVR. ET. PARENTETVR. ITEM. CORONAE. MYRT. TERNAE. ET. TEMPORE. ROSAE. IVL. TERNAE. EIS. PONANTVR. MICATAE. DE. SELECTIS. EX. ·X· L. PROFVNDANTVR. Pro illis, ET. TEMPORE. ROSAE. IVL. ſcribendum, ET. TEMPORE. ROSARVM. TERNAE. EIS. PONANTVR. Vult roſarum tempore ternas eis ex roſa coronas poni, aliis temporibus myrteas ternas. Pro MICATAS legi debere NVCATAS, quæ ſunt caryotæ palmulæ, nos jam ſupra indicavimus. Summa legata, ex cujus reditu, hoc eſt, uſuris, hæc omnia fieri jubet inſcriptionis auctor, eſt ſeſtertiorum centum millium nummum. Nunc videamus ex illius ſummæ uſuris quantum velit expendi. Primo die natali Valerianæ ex CCC denariis decurionibus ſportulas dividendas præcipit. Deinde oleum & propinationem præberi ex denariis DCCL. Item lectiſternium poni quotannis ac parentari tempore parentaliorum memoriis ejuſdem Valerianæ, & Appii ejus filii, ex denariis CC. Poſtremo in coronas myrteas ac roſeas ponendas, item nucatas profundendas, impendi jubet denarios L. Summa omnium ſupraſcriptorum denariorum, denarii MCCC. Si eſſent denarii numero MD, ſemiſſes uſuras efficerent in ſortem centum millium ſeſtertium nummum, quæ viginti quinque millia denarium facit. Semiſſibus quippe uſuris centum millia ſeſtertium nummum reddunt quotannis ſex millia ſeſtertium nummum, quæ efficiunt denarios mille quingentos. Cum vero ex ſummis ſupra ſcriptis mille tantum, ac trecenti conſurgant denarii, non poſſunt hæ uſuræ eſſe ſemiſſes. Sed nec erunt quincunces. Nam mille ducenti quinquaginta denarii, quincuncibus uſuris annui, ex ſumma viginti quinque millium denarium conficerentur. Quod igitur uſuræ genus erit? Omnino puto exſcriptorem aberraſſe in uno numero centenario, & cum L tantum in lapide

ſcriptum

ſcriptum eſſet, C perperam legiſſe. In ea ſumma, quæ in lectiſternium & parentationem debebat expendi, quæ ducentis denariis taxatur in ſaxo, ſubtrahenda ſuſpicor quinquaginta, ac legendum; EX. -X- CL. pro CC. Sic uſuræ quincunces omnino competent ſummæ ſupradictæ. Non ampliores autem nec minores uſuras ſummæ legatæ, exigi voluiſſe teſtatorem, quam quincunces, ex ipſa inſcriptione luce clarius poteſt probari. Nam ſtatim in eodem ſaxo ſubjicitur, Appium eumdem, qui ſupraſcriptam ſummam legavit, uſuris, ut jam docuimus, quincuncibus, ſcholæ vexillariorum quadraginta millia ſeſtertium nummum largiri, ex cujus ſummæ reditu, hoc eſt, uſuris, quotannis lectiſternium poni vult ante ſtatuam Valerianæ ex denariis ducentis quinquaginta, item ex alteris ducentis quinquaginta ſportulas dividi, oleum, ac propinationem præberi. Verba Inſcriptionis hæc ſunt, quæ ipſamet quoque produxit Scaliger in opere poſthumo de Re Nummaria: ITEM. APPIVS. EVTYCHIANVS. MARITVS. EIVSDEM. VALERIANAE. SCHOLAE. VEXILLARIORVM. LARGITVS. EST. LLS. XXXX. N. EX. CVIVS. SVMMAE. REDITV. QVODANNIS. DIE. SS. NATALIS. EIVS. ANTE. STATVAM. LECTIST. EX. -X- CCL. PONANT. SPORT. -X- CCL. INTER. PRAESENT. SIBI. DIVID. Quibus Scaliger pro interpretamento hæc ſubjunxit: *Reditus ſive commodum, aut uſura* HS. XL. *millium, hoc eſt, denariorum* M, *ait eſſe* CCL, *&* CCL. -X-, *id eſt, quingentos denarios. Atqui quingenti denarii, dimidium eſt totius ſortis. Quæ hæc eſt uſura, inquit, ut* C. *dent* L? Magnus hic calculi error eſt, quem excidiſſe miror tam accurato viro. Quadraginta millia ſeſtertium nummum hic legata habentur, quæ ſunt non mille denarii, ut Scaliger poſuit, ſed decem millia denariorum. Nemo eſt enim quin ſciat, denarium quattuor ſeſtertios nummos habere. Ergo quadraginta millia ſeſtertium,

tium, ſunt decem millia denarium, quæ quingentos denarios annuos præſtare uſuræ nomine jubentur, hoc eſt, quinos denarios in centum. Quæ ſunt uſuræ *quincunces*. A *quincuncibus* gradus eſt in deſcēſu ad *trientes* faciendus. Non τριωγκιαῖος hic τόκος Siculis appellatur, ſed τετρωγκιαῖος. Nam Sicula appellatio hic divertit à Romana, ut ſuprà docuimus. Triens quippe his de tertia parte aſſis accipitur, quæ quattuor uncias habet, Siculis τριὰς de tribus unciis, quæ quartam aſſis partem conſtituunt. At trientes uſuræ dant quaternos in centum. Ergo τετρωγκίας τόκος eſt Siculorum. Atticorum τόκος ἐπὶ δυσὶν ὀβολοῖς. Græcis vero Conſtantinopolitanis, τρίτη ἑκατοστῆς, hoc eſt, tertia pars centeſimæ, vel τρίτην ἑκατοστῆς. Perperam ſummus vir Scaliger in opere de Re Nummaria, ex Gloſſis Nomicis citat, ὀρφανικοὶ τόκοι, ἀπὸ ἑκατοστῆς τρίτης. Quod interpretatur obolos VIII menſtruos. At uſura illa quæ octonos obolos reddit in menſem, ex more loquendi Attico triente centeſimæ major eſt quam centeſima. Eſt igitur centeſima uſura cum triente. Non itaque ἀπὸ ἑκατοστῆς τρίτης legendum eſt, ſed ἀπὸ τρίτης ἑκατοστῆς, nec intelligenda τρίτη ἑκατοστὴ, tertia centeſima, ut etiam quidam celeberrimus Juriſconſultus opinatus eſt, ſed τρίτη ἑκατοστῆς tertia centeſimæ, hoc eſt, triens centeſimæ, non centeſima cum triente, ut hariolatus eſt vir magnus. Qui alium errorem non minus gravem alibi in eodem opere errat, dum trientem hanc uſuram confundit cum Atticorum ἐπιτρίτῳ τόκῳ. Quod ſatis abunde ſupra confutavimus. Ἐπίτριτος quippe Græcorum in centum ac viginti, dat quadraginta, triens Romanorum in centum quattuor nummos. Hæ *minimæ uſuræ* dicuntur in vita Antonini Pii apud Capitolinum, ubi ſcribit, eum Imperatorem *fœnus trientarium exercuiſſe, hoc eſt, minimis uſuris, ut patrimonio ſuo plurimos adjuvaret*. Ubi forte ex gloſſa irrepſiſſe poteſt videri, *hoc eſt, minimis uſuris*.

Non

Non enim minimas fuiſſe, aliquot aliæ minores, ut *quadrantes*, *ſextantes*, & *unciæ*, de quibus jam erit dicendum, teſtantur. Nihil tamen vetat auctoris ipſius illa eſſe verba, cujus temporibus fortaſſe uſuræ illæ pro minimis habitæ. Alexander quoque Severus, auctore Ælio Lampridio in ejus vita, *Fœnus publicum trientarium exercuit, ita ut pauperibus pleriſque ſine uſuris pecunias dederit ad agros emendos reddendas de fructibus.* Notabis interim *trientarium* fœnus dici, ut *unciarium*, at *trientes uſuras*, & *uncias*, ut mox docebimus. Cujus loquutionis in priore libro de uſuris rationē reddidimus. *Trientium uſurarum* mentio apud Ciceronem in Epiſtolis ad Atticum, & multis locis apud noſtros Juriſconſultos *trientes uſuræ* reperiuntur. Infra eas leviores etiam alias dari ex more vario provinciarum dicit lex VII D. de Adminiſtratione Tutorum. *Ex certis*, inquit Ulpianus, *cauſis ſecundum morem provinciæ præſtabit uſuras, aut quincunces, aut trientes, aut ſi quæ aliæ leviores in provincia frequentantur.* Ex his levioribus, quæ infra trientes ſunt, proxime ſequi debent *quadrantes*. Non τετραντίας is τόκος Siculis ex ſono Romani nominis, ſed τριαντίας, vel τριαντιαῖος, quatenus non quattuor uncias in centum dat annuas, ſed tres tantum, quas τρίαντος nomine Siculi appellant. Atticis τόκος ἐπὶ ὀβολῷ, καὶ ἡμιωβολίῳ, vel ut etiam loqui amabant, ἐπὶ τρισὶν ἡμιωβολίοις. In jure Græco Conſtantinopolitano, τετάρτη ἑκατοστῆς, vel τέταρτον ἑκατοστῆς. *Quadrantium uſurarum* mentionem in jure noſtro nominatim non invenio niſi apud unum Scævolam leg. XXI D. de Annuis legatis, ex teſtamento quodam: *Pecuniam quam Titio liberto & alumno meo legavi, eſſe volo penes Publium Mævium, uſque ad annum viceſimum quintum ætatis ejus, proque ea computari cum eo quadrantes uſuras.* Eas ſic dici quæ ternos denarios in centenos computent annuos, non ſunt admonendi qui norunt. Poſt

quadrantes adhuc ſunt uno gradu inferiores *ſextantes uſuræ* dictæ, διχαλκίας τόκος Siculis, quod δίχαλκα, id eſt, duos χαλκοῦς, ſive uncias, annuatim conferant. Atticis τόκος dicitur ἐπὶ ὀβολῷ, vel ὀβολιαῖος, vel ἐπωβελία. Græcis Conſtantinopolitani Imperii, ἕκτη ἑκατοστῆς. Non occurrit earum in jure noſtro ullum expreſſum veſtigium. Oportet tamen & *ſextantes* tunc in uſu fuiſſe, pro regionum more, cum & ſuperiores uſitatæ reperiantur, ut *quadrantes*, & inferiores, nempe *unciæ*. Nam hæ, ita infra *quadrantes* ſunt, ut proximum occupent locum. Per gradus jam ac numeros tandem pervenimus, ſenſim deſcendendo, ad *uncias uſuras*, ſive *unciarium fœnus*, quod *ſextantario* minus fuiſſe oportet, ut *ſextantarium* infra *quadrantarium*, & hoc *trientario fœnore* inferius ac modeſtius. Si uncia major eſt aſſe, aut aſſi ęqualis, tum concedam, quod Scaliger voluit, *unciarium fœnus* idem eſſe cum centeſima, quæ nimirum duodecim uncias, ut ipſe explicat, pro centenis ſolvat annuas. In eo tamen errore etiam verſatur, quod mireris, doctiſſimus Juriſconſultus Hotomannus, qui in commentario verborum Juris, *uſuram unciariam* interpretatur, *cum pars centeſima duodecima ſingulis menſibus ſolvitur, hoc eſt, unus in centenos.* Atqui non animadvertit, hac interpretatione *unciariam uſuram*, ut vocat, eamdem cum centeſima conſtitui. Nam in centeſima uſura, pars duodecima ejus ſingulis menſibus penditur, & duodecim duodecimæ ſingulis annis. Sed quomodo, quæſo te, ea uſura, quæ duodecim uncias annuas pendat, poteſt dici unciaria? Haud ſane magis, quam appellari mereatur ſemiſſium uſurarum nomine, quæ duodecim ſemiſſes in annum penderet. At unciarium intelligunt, quod unciam ſingulis menſibus præſtat. Cur non pariter intelligendæ ſic erunt uſuræ ſemiſſes, aut trientes, quæ in ſingulos menſes ſemiſſes pendant, aut trientes? Nulla quippe ratio differentiæ. Poſtremo ſi

unciæ

unciarium fœnus, idem cum centeſima, certe *ſemunciarium fœnus* idem quoque fuerit, cum *uſuris ſemiſſibus*, quatenus *ſemiſſes* uſuræ dimidiam centeſimam conſtituunt. Quæ ſic cum ſemunciario fœnore idem fœnus perficient, ut unciarium cum centeſima. Quod ſi hoc dederimus, erit etiam illud dandum, ſemiſſem idem eſſe cum ſemuncia, & aſſem cum uncia. Quam abſurdum id ſit, & ridiculum, omnes vident. Ceterum non ſolus Scaliger in hoc errore, ſed cum Hotomanno, & Hadrianus Junius, alliique plurimi, excepto Budæo, qui unciarium fœnus definivit, cum centenarius denarius ſingulos annuos parit. Sed male *unciariam uſuram* nominat, cum auctores idonei, aut *unciarium fœnus* dixerint, aut *uncias uſuras*, ut Scævola in l. Titium. D. *de adminiſtratione tutorum*, his verbis: *Quæro, ſi apparuerit pecunia fœnerata à tutoribus, judicio tutelæ uncias uſuras, an vero eas quas ſtipulati ſunt, præſtare debeant.* Ut ne mirum ſit, ſi *aſſes uſuras* etiam dixere, ut Plinius loco quem ſupra correximus, quemadmodum & *ſemiſſes*, & *quincunces*, & *trientes*. Unciæ igitur uſuræ ſunt, cum nummus unus fœnoris in centum nummos ſortis annuus infertur. *Uncias inferre uſurarum nomine*, dixit Scævola de unciario fœnore, lege & Titulo quo ſupra: *Præfectus legionis ita teſtamento cavit: Volo ut ſit in arbitrio tutorum filii mei ſi voluerint hujus ſummæ uncias inferre uſurarum nomine, ita ne nummi diſpargantur.* De hujuſmodi unciis uſuris accipiendus Senecæ locus lib. III de Ira, quod nemo adhuc viſus eſt animadvertiſſe, ubi *uſuræ haud milleſimæ* meminit, his verbis: *Quid ſi propter uſuram haud milleſimam, valetudinarius fœnerator diſtortis pedibus, & manibus ad comparandum non relictis clamat, ac per vadimonia aſſes ſuos in ipſis morbi acceſſionibus vindicat?* Loquitur de uſura, ut apparet, tum minimi modi, propter quam, ut rem levem, mirum ſit, valetudina-

rium fœneratorem diſtortis chiragra podagraque manibus ac pedibus tantopere æſtuare. Non poteſt alia eſſe quam unciarii fœnoris, quam *haud milleſimam* comtemptim appellat, quia non ſit revera milleſima. Si centeſima eſt quæ duodecim nummos in annum & in centum refert, non erit milleſima quæ ſingulos referet, hoc eſt, duodecimam centeſimæ partem. Milleſima eſſet quæ unciam, & quintam unciæ partem annuam inferret. Non eſt milleſima quæ unciam tantum annuam tribuit, ſed potius milleſima ducenteſima. Nam, ut quæ duodecim in centum præſtat centeſima eſt, ita quæ duodecimam ejus partem, διακοσιοστὴ χιλιοστὴ, non ſimpliciter χιλιοστή. Ut centeſima centum menſibus ſortem explet, ita milleſima in mille menſibus eam exæquare debet, cum unciæ uſuræ ſorti parem pariant ſummam in menſibus mille ac ducentis, qui centum annos faciunt. Recte igitur Seneca, cum *uncias uſuras* vellet deſignare, & elevare, ad quotam partem centeſimæ pertinerent exprimendo, nec poſſet rotundo numero id enuntiare, *haud milleſimam eſſe uſuram* dixit. Nam in milleſima uſura, milleſima pars ſortis ſingulis menſibus penditur, ut in centeſima uſura, quot menſibus centeſima præſtatur. At in uſuris unciis minor pars, quam milleſima menſtrua die ſolvitur. Has uſuras uncias Siculi οὐγκιαῖοι τόκοι, Attici dicerent τόκοι ἐπὶ ἡμιωβολίῳ, vel τετραχάλκῳ. Græci ſub Conſtantinopolitano Imperio δωδεκάτην ἑκατοστῆς. Cum olim Romæ, ut & in Græcia fœnus ex libidine fœnerantium agitaretur, lege duodecim tabularum ſancitum eſt ne quis amplius unciario fœnore exerceret, ut habetur apud Tacitum in ſexto Annali. Non heic tamen ſtetit uſurarum diminutio, ſed adhuc ad inferiorem dejecta eſt gradum, uſque ad ſemunciarium fœnus rogatione tribunicia juſſa deſcendere, ut eſt apud Livium lib. VII: *T. Manlio Torquato, C. Plautio ſecundum Coſſ. ſemunciarium tantum ex*

unciario

unciario fœnus factum. Hoc ſemunciarium fœnus, *ſemuncias* facit *uſuras*, ut unciarium *uncias*. Sic enim intelligendum apud Tacitum loco citato: *Nam primo duodecim tabulis ſanctum ne quis amplius unciario fœnore exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur, dein rogatione tribunitia ad ſemuncias redacta.* Id eſt, ad ſemuncias uſuras verſura redacta. Sic apud Ciceronem in Epiſtola ad Atticum: *Fœnus ex triente Idibus Quintilibus, factum erat beſſibus.* Id eſt, beſſibus uſuris. *Semuncias* quoque uſuras dixit Lampridius in Alexandro Severo. Sed locus vulgo depravatiſſimus, ſic eſt legendus: *Senatores ſi fœnerarentur, uſuras accipere primo vetuit niſi aliquid muneris cauſa acciperent. Poſtea tamen juſſit, ut ſemuncias acciperent, munus tamen ſuſtulit.* Quomodo *ſemiſſes*, ut habet lectio vulgata, à ſenatoribus accipi voluiſſet, cum fœneratorum uſuras ibidem contraxiſſe dicatur ad *trientes penſiones*, ut pauperibus conſuleret? Quos antea in mutuo dando uſuras accipere vetuit, mutata poſtea ſententia majores his uſuras exigere permiſiſſet, quam ipſis publicis fœneratoribus ac trapezitis. Quod prorſus caret ratione. Hæ *ſemunciæ uſuræ*, Siculis τόκοι ἡμιουγκιαῖοι, Attici dixiſſent, τόκοι ἐπὶ τεταρτημορίῳ, hoc eſt, ἐπὶ διχάλκῳ. Non potuit infra ſemuncias fœnus dari. Ideo potius in totum verſura vetita aliquando Romanis, quam ut leviores uſuræ juberentur. Nec viſum eſt tanti tam pauxillulum pro commodo rei mutuo datæ accipere, quin præſtaret fœnus omnino tollere. Quod perhibet Tacitus eo lolo quem ante produximus: *Dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redacta, poſtremo vetita verſura.* Sic enim diſtinguendum, & accipiendum, *rogatione tribunicia, verſura ad ſemuncias uſuras redacta, poſtremo vetita.* Nempe cum non haberet, quo inferius deſcenderet. Quod ait Tacitus de vetita poſtremo uſura apud Romanos, haud ſcio an verum ſit. Et dubitatur ab ipſo

Livio an unquam hoc fuerit. Apud quoſdam id ſe inveniſſe tantum dicit lib. VII: *Præter hæc*, inquit, *apud quoſdam invenio L. Genucium tribunum plebis tuliſſe ad populum ne fœnerari liceret.* Quinto poſt anno hæc rogatio lata dicitur quam ſemunciarium fœnus ex unciario factum eſt. De qua tamen rogatione an unquam lata ſit, ipſe Livius incertum facit, quod de eo inter omnes non conſtaret. De vetanda verſura rogationem tuliſſe Genucium, nihil eſt fortaſſe quod vetet credi, ſed legem illam obſervatam diu fuiſſe, non eſt credibile. Verum de eo nos adhuc in ſequentibus plura. A *ſemunciario fœnore* quomodo poſtea ad centeſimam venerint legitimam iidem Romani, quæri hic poſſet niſi ſuum huic quæſtioni locum alium eſſe voluiſſem. De eo quippe infra fuſius erit diſſerendum. *Verſura* in verbis Taciti fœnus eſt, ſive mutuum fœnebre, non ut magnus Juriſconſultus in commentario verborum juris interpretatur, *verſuram fieri propriè cum creditoris converſio quadam & mutatio fit: id eſt, cum quis alii ut ſolvat, ab alio pecuniam mutuatur.* Statim tamen fatetur, *verſuram facere* nonnunquam ſimpliciter ſignificare, æs alienum contrahere. At ego poſſim affirmare nuſquam in alia ſignificatione apud idoneos auctores reperiri. Id cùm olim ad Tertulliani Pallium oſtēdiſſem, quidam bipedum impuriſſimus atque imperitiſſimus, eam obſervationem, cum aliis æque veris, ſuggillare conatus eſt tam irrito ſucceſſu, quam reliqua omnia, quæ in meis reprehendit, ubi parem cum improbitate & malignitate inſcitiam ſuam facile oſtēdit. *Verſura* igitur Latinis auctoribus nihil aliud quam fœnus, ſive quod ἀμοιβὴν Græci etiam vocant τὸ χρέος, ut in priore libro notavimus. & *mutuum* ſimiliter à mutando, voxque ipſa Sicula μοῖτον eadem notione ipſis accipitur: ſive quod & negotiationis ſpecies ſit fœnus, & μεταβλητικῆς. Nam μεταβολὴ Græcis eſt mercium permutatio, & Latini

quoque

quoque *res verti* dixerunt, quæ emuntur ac vendun-tur. Unde *Vertumnus* numinis nomen, qui rebus ver-tendis, id eſt, vendendis atque emendis præeſſe crede-batur. *Verſura* tamen Romanis non pro ſimplici mu-tuatione, ſed pro fœnebri tantum, & quæ redditur cum quæſtu & uſura. Verum hic obtinuit, ut in aliis, uſus lo-quendi, ut quod initio idem quod ἀμοιβὴν & mutuum ſignificaret, poſtea ad illud genus mutui deſignandum tantum uſurparetur, quod cum incremento ad dan-tem rediret. Sic Græcis δανείζειν, cum ſit proprie da-re mutuo, vel etiam donare, pro eo genere mutui tan-dem acceptum eſt, quod cum uſura reddi ſolet. *Ver-ſuram* itaque proprie *facit*, qui id accipit ab aliquo, quod ad eumdem poſt certum tempus rediturum ſit. Hæc quippe verſura eſt, qua revertitur ad dantem, quod dedit, non penes accipientem manet. At inepti grammatici, dum nomen *verſura* aliter attendunt, putarunt eam tum fieri demum cum vertitur credi-tor, id eſt, cum à novo aliquo pecunia ſumitur, ut ve-tus abſolvatur. Sed ne unus quidem Latinus produci poteſt ſcriptor receptæ auctoritatis, qui ita verſuræ nomine ſit uſus. *Verſura* propria vocabuli notione eſt στροφὴ, vel καμπή. Unde in agricultura, ubi ad finem unius ſulci pervenit aratrum, & in aliam partem fle-ctendum eſt, *verſura fit*, atque ita Columella vo-cat. Antiqua ſcribendi ratio ſic etiam *verſuras* facie-bat. Nam ubi linea à ſiniſtra ad dextram erat abſolu-ta, tum alterã incipiebant à dextra ad ſiniſtram. Quod genus βουστροφηδὸν Græci appellant. Inde poëtis ſui *ver-ſus* dicti, ut & arantibus. Quinimmo *verſuram*, pro verſu dixit Columella, quod non adverterunt viri do-cti, lib. II, cap. II: *Sed nec in media parte verſura con-ſiſtat, detque requiem in ſumma, ut ſpe ceſſandi totum ſpatium bos agilius enitatur.* Ubi *ſumma verſura* eſt, finis verſus, ut media, quæ inter utramque extremi-tatem. Mihi tamen abſurdum videtur, *verſuram* vo-

cari, ubi nullus eſt flexus, ut in medio ſulco, qui rectus peragitur. Ibi enim verſura tantum eſt, ubi à recto rigore limitis in alteram partem eſt deflectendum. Corrupta itaque puto Columellæ verba, atque omnino ſic corrigenda: *Sed nec in media parte verſus conſiſtat, detque requiem in ſumma.* At *verſuram* abſolute mox vocavit, ubi verſura facienda: *Cum ventum erit ad verſuram, in priorem partem jugum propellat.* Id eſt, ad extremum verſûs, ubi verſura eſt. Nam & Plinius ex illo Columellæ loco, *in arando verſum peragi vult, nec ſtrigare in actu ſpiritum.* Sic enim ibi legendum ex ſcriptis Codicibus. *Strigare* eſt interquieſcere, & conſiſtere. Quod boves facere inter arandum nec vult Columella, in media parte verſus, ſed in ſumma, in qua requies illis danda eſt, vel ut Plinius loquitur, *ſtrigare debent.* Eum vide lib. XVIII, cap. XXX. Apud Agrimenſores *verſura* vocantur anguli agrorum, quæ & *coxa* & *cubiti* in quibus vulgo termini poni ſolebant. Sæculus Flaccus de conditionibus Agrorum, ubi de terminis finalibus ponendis agit. *Alii tantummodo in verſuris, alii in longioribus ſpatiis, complures etiam æqualibus intervallis.* Ita legendum, non ut editum eſt, *in flexis verſuris.* Nam illud *flexis* è gloſſamento eſt. Idem paulo poſt: *In verſuris quæ notata ſunt, aut decuſſes inveniuntur, aut gamma, ut manifeſtum ſit verſuras ſuis ſignis obſervari debere.* Ideo gammæ in verſuris agrorum notabantur, ut oſtenderetur hoc ſigno, obſervandam eſſe verſuram. Gamma quippe littera verſuram habet, Γ. Ubi tranſverſa ac jacens linea erectæ ad angulos rectos jungitur, ibi eſt verſura. Architecti & ſuas verſuras habent, non minus quam aratores, agrimenſores, & daniſtæ. Ita vocant tàm exteriores, quam interiores angulorum flexus in parietibus. Earum mentio ſæpe occurrit in opere Vitruviano. Et recte illas aliquot locis expoſuit interpres. Sed libro V, capite VII, ubi de periactis theatri loqui-

tur, quæ machinæ erant verſatiles ad mutandas ſcenæ frontes comparatæ, perperam de his periactis verſuras interpretatur in his ultimis ſupraſcripti capitis verbis: *Secundum ea loca verſura ſunt procurrentes, qua efficiunt, una à foro, altera à peragre, aditus in ſcenam.* Ex *verſura* coxæ ſunt procurrentes è fronte ſcenæ, vel ex proſcenii ædificiis, quæ efficiebant aditus in ſcenam ab urbe, vel à locis extra urbem. Tres in theatro fores fuere, dextra, media ac ſiniſtra, & totidem aditus per eas in ſcenam. E dextra prodibat ſecundarum partium mimus, è ſiniſtra viliſſima perſona, aut erat ſacellum deſertum, aut locus ſolus, & non habitatus. Atque hoc in comœdia. In tragœdia dextra foris ut plurimum hoſpitale erat, ſiniſtra carceri deputabatur. Utrimque earum forium, quæ mediam ſcenæ valvam ambirent fuere aliæ duæ, ad quas verſatiles illæ machinæ confixæ, per quas ſcenæ frontes prout fabularum mutationes id requirebant, vertebantur. Una ex his foribus, & dextra quidem, quæ extra urbem, indicabat, ſiniſtra quæ ex urbe. Per illam ergo aditus erat à foro, id eſt, à medio urbis in ſcenam, per iſtam à peregre, & præcipue à portu. Pollux: *Παρ' ἑκάτερα δὲ τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ μέσην, ἄλλαι δύο εἶεν ἄν, μία ἑκατέρωθεν, πρὸς ἃς αἱ περίακτοι συμπεπήγασι, ἡ δεξιὰ τὰ ἐκ πόλεως δηλοῦσα, ἡ δ' ἀριστερὰ τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος.* Fores iſtas minores, quæ ad latus utrimque procurrebāt majorum duarum ſcenæ forium *verſuras* vocat Vitruvius, quia coxam & cubitum procurrentem faciebant, quarum alteram à foro, alteram à peregre aditum in ſcenam dicit effeciſſe. Secundum ea loca illas dicit fuiſſe, ubi erant περίακτοι, immo ſecundum ipſas περιάκτους. Ita enim ſcribit: *Secundum autem ea ſpatia ad ornatum comparata, qua loca Graci περιάκτους dicunt, ab eo quod machina ſunt in iis locis verſatiles, trigonos habentes in ſingula, uti tres ſint ſpecies ornationis, qua cum aut fabularum mutationes*

ſunt futura, ſeu deorum adventus cum tonitribus repentinis, verſentur, mutentque ſpeciem ornationis in frontes. Statim deinde ſubjicit, *ſecundum ea loca verſuræ ſunt procurrentes.* Id eſt, ſecundum περιάκτους, aut loca ubi illæ machinæ ſunt poſitæ. Et planum eſt per *verſuras* intelligere Vitruvium illas fores de quibus Pollux, πρὸς ἃς αἱ περίακτοι συμπεπήγασιν. Quas appellavit *verſuras*, quia prominerent ac procurrerent in modum angulorum, qui exteriorem parietum flexum terminant. Περίακτος autem non poteſt idem eſſe, quod *verſura*, cum ſit verſatilis machina. Περίαξις *verſura* diceretur, aut στροφή. Ut obiter hoc dicam, duobus modis ſcenæ facies convertebatur, atque immutabatur prout argumenta fabularum id exigebant: aut per hujuſmodi machinas, quæ περίακτοι dicebantur, aut cum ductis tabulatis repente alia facies picturæ interior revelata ſeſe aperiebat. Hinc duæ ſcenæ ſpecies ac differentiæ, prior *verſilis*, altera *ductilis* appellata. Virgilius in Georgico III:

Vel ſcena, ut verſis diſcedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Falſus eſt dum putavit Servius utrumque genus tetigiſſe poëtam, cum *ſcenam verſis frontibus diſcedere* dixit. Nam etſi *verſas frontes* ſcenæ dixerit, de illo tantum genere intellexit, cum apertis per tracta ac diducta tabulata ſcenæ frontibus, interior ejus pictura nudabatur & oſtendebatur. In hoc quippe genere etiam in fronte mutabatur ſpecies ornationis ſcenæ. At *diſcedere* dicitur ſcena, cum repente hinc & inde tractis tabulatis aperitur. Sic *diſcedere terram*, dicebant, cum ingenti hiatu aperiretur. Cicero lib. III Officiorum: *Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui cum terra diſceſſiſſet magnis imbribus, in illum hiatum deſcendit.* Et *diſcedere cœlum*, apud eumdem poëtam, cum hiat & velut in duas ſcinditur partes. Hæc στατὰ αὐτόματα Græci vocarunt in theatro, ὅταν κεκλεισμένης τῆς κινα-

τοῦ πίνακος αἱ θύραι αὐτόματοι ἀνοίγονται, καὶ φαίνεται ἡ τῶν ζωδίων τάξις γεγραμμένη, καὶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον κλεισθεισῶν τῶν θυρῶν πάλιν αὐτομάτως, καὶ ἀνοιχθεισῶν, ἑτέρα φαίνεται διάθεσις ζωδίων ἁρμόζουσα τῇ πρότερον φανείσῃ, καὶ ἀπαρτίζουσα τὸν προκείμενον μῦθον. Hoc nomen στατῶν habebant, quia non movebatur ſuo loco novus ornatus, qui priori ſuccedebat, ſed remotis tantum tabulatis, quibus tegebatur, apparebat. Tabulata autem iſta quibus ductis alia ſpecies ornationis ac picturæ exhibebatur, ſponte etiam trahi ſolebant per machinas *αὐτομάτως*. Alia ſpecies ſcenæ, quæ convertebatur, per machinas περιάκτους, per ὑπάγοντα αὐτόματα adminiſtrabatur, de quibus, ut περὶ στατῶν, videndus eſt Hero περὶ αὐτοματοποιητικῆς. Ὑπάγοντα vero dicebantur, quia per machinas mota incederent, ac ſeſe in alia atque alia ſpecie ſubinde ſiſterent, & exhiberent. At nihil hæ *verſuræ* commune habent cum daniſtica. Verſoriam itaq; capiamus, ut ad noſtram hanc redeamus *verſuram.* Cicero *mutuationē* ab ea *verſura* diſtinguit, quod illa ſine uſuris, hæc cum uſuris fiat. Inde tamen dicta, quod apud eum qui accipit pecuniam ab aliquo mutuam, non ſe ſit remanſura, ſed ad dominum reditura ac reverſura. Quod enim ſæpius mutet dominos pecunia ſic data, ideo *verſura* appellatur. Erat creditoris, facta eſt debitoris, deinde iterum fit creditoris, & quidem cum uſuræ eo augmento, quod prius ad debitorem pertinebat, deinde tranſit ad creditorem. Verba Ciceronis cap. 1 Tuſculanarum: *Cum Lacedæmonius quidam, cujus ne nomen quidem proditum eſt, mortem tantopere contempſerit, ut quum ad eam duceretur, damnatus ab Ephoris, & eſſet vultu hilari atque læto, dixiſſetque ei quidam inimicus, contemniſne leges Lycurgi? reſponderit; ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multaverit, quam ſine mutuatione, & ſine verſura poſſem diſſolvere.* Ubi *mutuatio* eſt gratuita, *verſura* fœnebris. Nam hi duo modi ſunt

pecuniæ, quam non ex tuo habeas ex alieno inveniendæ, per gratuitum mutuum, aut per fœnebre. Atque hoc poſterius *verſura* eſt. Vereor tamen ne Græca verba male acceperit Cicero, quæ apud Plutarchum extant in Apophthegmatis Laconicis, ubi & nomen illius Lacedæmonii repetitur, quod proditum tamen memoriæ negat ille diſertiſſimus Romuli nepotum, & vocatur Θεκταμένης. Sic igitur ille reſpondit interroganti an contemneret leges Lycurgi: Οὐχί, ἀλλὰ γέγηθα, ὅτι δεῖ με τὴν ζημίαν ἐκτῖσαι παρ' οὐδενὸς οὔτε τι αἰτήσαντα, οὔτε δανεισάμενον. Sic enim ſcribendum, non ut editur, οὔτε διαιτήσαντα. Quæ ſic fuere vertenda: *quod hanc me multam exſolvere oporteat, ſine ſtipis petitione, aut mutuatione.* Vel ut brevius fiat, ſine ſtipe ac mutuo. Qui petit aliquid ut reddat, αἰτεῖσθαι dicitur, ut in mutuo. Qui non redditurus rogat, αἰτεῖν, ut in ſtipe, & eleemoſyna. Quam utriuſque verbi differentiam ſatis in ſuperiore libro explicavimus. At δανείζεσθαι utrumque genus mutuationis comprehendit, gratuitæ & fenebris. Male igitur Cicero, ſi Græca quibus uſus eſt eadem fuere, cum illis quæ apud Plutarchum habentur, τὸν αἰτήσαντα de eo qui mutuum ſine uſuris petit, accepit, & δανεισάμενον, de eo qui verſuram facit, hoc eſt, mutuatur ſub uſuris. Nam αἰτεῖν non aliter Græce accipitur, quam quomodo dixi. At ille αἰτεῖσθαι cum αἰτεῖν confudit. Idem Plutarchus in Apophthegmatis Alexandri Magni: Περίλλου δέ τινος τῶν φίλων αἰτήσαντος προῖκα ταῖς θυγατράσιν, ἐκέλευσε πεντήκοντα τάλαντα λαβεῖν, αὐτοῦ δὲ φήσαντος, ἱκανὰ εἶναι δέκα, σοί γε, ἔφη λαβεῖν, ἐμοὶ δ' οὐχ ἱκανὰ δοῦναι. Petebat ille dotem filiabus ab Alexandro, dono, non mutuo. Vis verbi etiam ex ſequente reſponſo ejuſdem Alexandri clara eſt: Ἀναξάρχῳ δὲ τῷ φιλοσόφῳ δοῦναι τὸν διοικητὴν ἐκέλευσεν, ὅσον ἂν αἰτήσῃ. τοῦ δὲ διοικητοῦ φήσαντος ὡς ἑκατὸν αἰτεῖ τάλαντα, καλῶς, ἔφη, ποιεῖ, γινώσκων ὅτι φίλον ἔχει καὶ δυνάμενον τηλικαῦτα δωρεῖσθαι, καὶ βουλόμενον. Perperam editur,

editur, ὡς ἰκετῶν αἰτεῖται. Menander ſcite utrumque diſtinxit. Ὁ πῦρ μὲν αἰτῶν, ὁ δὲ λοπάδ᾽ αἰτούμενος. *Verſura* igitur Ciceroni idem quod mutuum fenebre. Atque ita paſſim apud eum hæc vox accipitur. Secunda in Verrem: *Inſpiciebamus Syracuſis à Carpinacio confectas tabulas ſocietatis, quæ ſignificabant multis nominibus eos homines verſuram à Carpinacio feciſſe qui pecuniam Verri dediſſent.* Id eſt, qui multa uſuraria nomina fecerant, & pecuniam à multis fœnore ſumpſerant, ut eam Verri darent. In ea pro L. Flacco: *Fecit eadem omnia quæ noſtri debitores ſolent: negavit ſe omnino verſuram illam feciſſe Romæ. Fuſiorum ſe affirmavit nunquam omnino nomen audiſſe.* Id eſt, inficiatus eſt debitum, & negavit ſe quidquam fœnore à Fuſiis accepiſſe. Idem pro M. Cœlio: *Tabulas qui in patris poteſtate eſt nullas conficit, verſuram nunquam omnino fecit ullam.* Id eſt, nunquam æs alienum fecit ſub uſura. In Epiſtolis ad Atticum multis locis eam vocem hoc ſenſu uſurpavit. Unum atque alterum afferam. Lib. XVI, Epiſt. I: *Omnia noſtra quoad eris Romæ, ita gerito, regito, ut nihil à me expectes. Quamquam enim reliqua ſatis apta ſint ad ſolvendum, tamen fit ſæpe ut ii qui debent non reſpondeant ad tempus. Si quid ejuſmodi acciderit, ne quid ſit tibi mea fama potius, non modo verſura, verum etiam venditione, ſi ita res coget, nos vindicabis.* Non modo pecunia fœnore ſumpta, id eſt, verſura, ſed etiam, ſi ſit opus, bonorum ſuorum vēditione nummos confici vult quibus creditores ſuos abſolvat. Item lib. IV, Ep. I: *De Oppio factum eſt ut volui, & maxime quod* DCCC *aperuiſti, quæ quidem ego utique, vel verſura facta ſolvi volo, ne extrema exactio noſtrorum nominum exſpectetur.* Vult debitum illud ſolvi, vel verſura facta, id eſt, contracto fœnore. Idem & apud Terentium eſt, ut olim expoſuimus, *verſura ſolvere*, id eſt, fœnore, atque ut loquitur hic Cicero, *verſura facta*. Apud eundem *verſuram facere iniquiſ-*

iniquiſſimo fœnore dicitur, epiſt. XIV, lib. XVI. Cornelius Nepos in vita Attici è contra *æquam verſuræ conditionem* dicit, cum æquo ac modico fœnore fit verſura: *Cum enim verſuram facere publice neceſſe eſſet, neque ejus conditionem æquam haberent, ſemper ſe interpoſuit, atque ita, ut neque uſuram unquam ab iis acceperit, neque longius quam dictum eſſet, eos debere paſſus ſit.* Apud eumdem *verſuram non poſſe facere* dicitur, qui pecuniam non poteſt invenire, quam fœnore ſumat, de Fulvia M. Antonii: *Quinetiam cum illa fundum ſecunda fortunâ emiſſet in diem, neque poſt calamitatem verſuram facere potuiſſet, ille ſe interpoſuit, pecuniamque ſine fœnore, ſineque ulla ſtipulatione ei credidit, maximum exiſtimans quæſtum, memorem gratumque cognoſci.* Fulvia in ſecunda ſua fortuna, ac cum res ad votum ei fluerent, emerat fundum non præſenti pecunia, ſed pretio in diem repromiſſo. Adverſa mox fortuna ejuſdem, cum dies ſolvendi veniſſet, verſuram facere non potuerat, quoniam nemo reperiebatur, qui pecuniam ei ſub fœnore vellet credere. Atticus memor amicitiæ, quæ ipſi cum Antonio interceſſerat, uxori ejus pecuniam ſine fœnore mutuam dedit. *Verſuram* Tertullianus, pro fœnore etiam accepit in libro de Pallio: *Denique ſiquid mare diluit, cœlum texit, terra ſubduxit, gladius detotondit, alias verſura compenſatum redit.* Id eſt, compenſatum fœnore redit, & cum majore uſura redditur, quod amiſſum eſt ac perditum. Quamvis autem modus uſuris ſemper Romæ poni conſueverit certus, non tamen ſemper obſervatus eſt, ac plerumque ex raritate pecuniariæ rei, aut neceſſitate ejus atq; inopia qui verſuram facere cogebatur, niſi nummos inveniret ſub legitimis, maximis atque improbis accipere neceſſum habebat. Hinc apud Cicer. Epiſt. XIV, l. XVI ad Atticum: *Non modo, ſed iniquiſſimo fœnore verſuram facere Aurelius coactus eſt.* Ergo ſi copia non daretur æqui

fœnoris,

fœnoris, etiam iniquiſſimo, illi qui non poterat expectare, aut rem differre, erat verſura facienda. Quod & in vita Attici de Athenienſibus dicitur, qui æquam verſuræ conditionem alibi cum minime reperirent apud Atticum invenerunt, vel ſine uſura. Apud Satyricum neſcio quis

— Triplicem uſuram præſtare paratus
Circuit, ac fatuos non invenit —

De eo qui ternas centeſimas paratus erat dare, modo pecuniam poſſet nanciſci mutuam. Atqui tunc ſingulæ centeſimæ legitimæ. Cæcilius notiſſimus fœnerator, Ciceronis ætate, ne propinquis quidem ſub minore uſura mutuam dabat pecuniam, quam ſub centeſima. Quia tunc nimirum ea legitima privato danti fœnore privatis. At tanquam fœnerator poterat majorem exigere, quia ampliorem ipſis accipere ſemper licuit. Nam & ipſe Juſtinianus cum privatorum uſuras ad ſemiſſes revocaſſet, beſſes capere conceſſit trapezitis ac fœneratoribus publicis. Trapezita apud Demoſthenem amico gratis fœnerat pecuniam, qui Cæcilio illo Romano hac in parte μυρίαις μοίραις honeſtior. Seneca Epiſt. CXVIII. *Quam durus ſit fœnerator Cæcilius à quo minoris centeſimis propinqui nummum movere non poſſunt.*

CAPUT VIII.

De nautico fœnore & trajecticia pecunia. Qualis ejus modus à Romanis probatus. Falſum eſſe quod ſcripſit Budæus, duplicem centeſimam in eo fuiſſe ſollemnem. Aliter Papiniani verba intelligenda. Ea à Triboniano interpolata. Quomodo lex illa Papiniani accipienda ſit contra ſententiam doctiſſimorum Iuriſconſultorũ. De ſervo quem mittebat creditor trajecticia pecunia, ad perſequendum & exigendum debitum. Non ultra duplam centeſimam debebatur, quod in ſti-

pulatio-

pulationem, pro operis ejus deductū fuerat, in fine navigationis ſolvendū. In fœnore nautico licuiſſe infinitas uſuras olim ſtipulari. Voluſiani locus de pluribus centeſimis explicatus contra Scaligerum. Aliquando æquas ſorti uſuras in trajectitia pecunia datas. Frugum uſuras ſimiliter in infinitum fuiſſe licitas. Vtraſque tam nauticas, quam frugum uſuras ad parem modum, hoc eſt, ad centeſimam, à Iuſtiniano reductas. Ex Conſtantini lege mediam ſortis partem in frugibus uſuræ nomine peti ſolitam. Eam uſuram reſpondiſſe quaternis centeſimis. Non limitatum fuiſſe modum uſuris frugum ſub Imperatoribus ante Conſtantinum. De uſura ἡμιολίᾳ *appellata, quænam fuerit? In uſuris frugum tantummodo obtinuiſſe, eamque ipſam ſic proprie dictam, quam conſtituit Conſtantinus. Laodicenæ Synodi ſanctio expoſita. Quid ſit* ἡμιόλιον. *Errare viros doctos, qui* ἡμιολίαν *uſuram de ſeſquicenteſima interpretantur. Non eſſe etiam ſemiſſalem. Verſio Arabica ſupradicti Laudiceni Canonis notata. Quid ſit Tarbit apud Hebræos, quod* πλεονασμὸν *ſignificat. Vſuram frugum illis ita proprie vocatam, & Græcis* πλεονασμὸν, *Latinis auctionem, additamentum & ampliationem. Non aliam eſſe differentiam inter Neſchec & Tarbit, quam inter pecuniæ & frugum uſuram. Veteres patres ita diſtinxiſſe inter* τόκον *&* πλεονασμόν. *Quoſdam ex Rabbinis etiam Neſchec & Tarbit, ita diſtinguenda judicaſſe. Multis argumentis ea diſtinctio confirmata.* Ἡμιολίαν *appellatam uſuram frugum, quia cum ſorte reddita rationem haberet* ἡμιολίου, *hoc eſt, ſeſcupli. Vtrumque uſuræ genus prohibitum clericis, pecuniæ & frugum. Ita interpretandum & canonem* XVIII. *Nicæni Concilii, ubi* ἑκατοστὴ *&* ἡμιόλιαι *vetantur clericis. Quid ſit* μεταχείρισις *in eodem Canone. Hallucinatum cum Zonara Balſamonem, qui* ἡμιολίας *de ſemiſ-*

ſibus

ſibus interpretantur. Ruffinum ſolum ex veteribus interpretibus vidiſſe mentem illius Canonis, & expoſitione ſua eam aſſequutum eſſe. De ſeſcuplo & duplo ſortis, quod in frugum fœnore exigi ſolebat. Lex VViſigothorum par Conſtantiniana in determinandis frugum uſuris. Τόκοι *&* ἡμιολίαι *paſſim apud auctores diſtinguuntur, illa pecunia, iſta fructuum uſura.* Ἡμιόλιον *Latini reddi ſeſcuplum, vel ſeſqualterum. De vocibus ſeſquipli, & ſeſqualteri obiter diſputatum, & ſeſquitertii, an Latina ſint. Veteres non eſſe, nec idoneis auctoribus uſurpatas. Quid differat ſeſtertium & ſeſquitertiū. De uſura* ἡμιολίᾳ *&* ἐπιτρίτῃ, *iterum nonnulla obſervata. Cum in* ἐπιτρίτῳ *fœnore Græcorum uſura ſimul cum ſorte redditur, totam ſummam habere rationem* ἐπιτρίτου *ſi ad ſortem comparetur. Alia tamen ratione dixiſſe Atticos* τόκον ἐπίτριτον, *quia uſura in tertiam ſortis partem præſtentur. Hoc idem aliis exemplis demonſtratum. Aliter Latinos, quam Græcos uſuram à parte ſortis, quam redderet, appellaſſe. In nonam partem ſortis uſura dari dicitur Romanis, quæ Græcis* ἐπογδόου τόκου *nomine vocatur. Modicam admodum uſuram in frugibus habitam, quæ pro tribus modiis quaternos redderet. De variis frugum uſuris. Incertum pretium fructuum cauſam fuiſſe, ut tantæ uſuræ in earum mutuatione exigerentur. De illo genere mutui, quo pecunia datur, & uſuræ nomine fruges recipiuntur. Huic ſimilem eſſe antichreſin, ſive contrariam mutuationem. Concilium Pariſienſe ſextum expoſitum. Lex Gordiani explicata Cod. de uſuris. Exemplum cautionis Chirographariæ Græcum, in qua pro pecunia mutuo fruges reddi cavetur, ex veteri codice quod pro formulario Tabellionibus erat, productum. De aureis nummis illius ævi* τρικεφάλοις *dictis. Ita ſunt hodie ducati aurei bicipites. Alia nonnulla.*

Quod

Quod fecimus in Attico & Græco fœnore, ut poſt communes uſuras de nauticis tractaremus, idem nobis & in Romano faciendum. Nunc igitur de fœnore trajecticiæ pecuniæ & nautico qualis ejus modus à Romanis fuerit probatus, diſſeramus. Budæus in commentario de Aſſe, id ſe aſſequutum putavit, dum notat ex Papiniano uſuram trajecticiæ pecuniæ *duplam centeſimam* non excedere, in leg. *Nihil intereſt*. Đ. de nautico fœnore. Sed ea lex nihil tale vult. Verba legis ſunt: *Pro operis ſervi trajecticiæ pecuniæ gratia ſequuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum fuerit, ad finem centeſimæ non ultra duplum debetur.* Non enim ibi loquitur Juriſconſultus de trajecticiæ pecuniæ fœnore, ſed de eo quod ſtipulatus eſt creditor, pro operis ſervi quem cum debitore una miſit, ut ſequeretur pecuniæ trajecticię gratia, & videret ſi quid accidiſſet in mari, utrum id caſui & tempeſtati maris imputari deberet, an culpæ, aut dolo debitoris. Pro operis ejus ſervi quod in dies ſingulos ſtipulatus fuerit creditor, non ultra duplam centeſimam deberi Juriſconſultus ait, cum tamen in quantas quis vellet centeſimas uſuram trajecticiæ pecuniæ ſtipulari jus ac mos eſſet. Hæc eſt mens Papiniani. Nunc de verbis ejus conſtituendis videamus, quæ à Triboniano interpolata eſſe nullus dubito. Et forſitan ejus quoque interpolatio vitioſe edita eſt in vulgariis libris. Cujacius primo putavit vocem *centeſimæ* hic additam à Triboniano, qui poſtea tamen ſententiam mutavit. Hotomannus has tres voces cenſet expungendas, *non ultra duplum*. Alibi tamen in diſputatione de uſuris cap. ix eas retinet, & interpretatur, *ſi pœna, ut adſolet, præter uſuras ſtipulata eſt, ob ſervi operas & ſumptus, eam pœnam non debere ad centeſimam adjicere, fieri enim fraudem legi, ſed ſi quid deſit centeſimæ, id ſuppleri poſſe.* Quibus palam

eſt,

ſt, pro hypotheſi eum ſumere, ut alii etiam fecere, centeſimam in fœnore nautico fuiſſe ſolitam ac ſolemnem. Verba autem illa *ad finem centeſimæ* exponit, *cum centeſima integra in ſtipulatum deducta eſt.* Et recte admonet ridiculum eſſe de fine centum menſium intelligere, quaſi diceret, cum uſura ſortem æquarit, quia nunquam fere navigatio tam longinqua ſuſcipitur. Immo nunc ſuſcipitur, ſed eo tempore id nunquam factum. Non poſſum tamen probare ejus expoſitionem, ut *ad finem centeſimæ*, accipiatur, cum centeſima integra in ſtipulatum deducta eſt. Duarenus *ad finem* idem eſſe vult quod, *ad modum centeſimæ.* Sed omnino nequit conjungi illud *centeſimæ* cum *ad finem*, ſed diſparari debent hoc modo: *Quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt ad finem, centeſima non ultra duplum debetur.* Quæ mens Triboniani, cum hæc interpolaret, fuerit, neſcio. Certe apparet, cum centeſima eſſet ex conſtitutione Juſtiniani legitima tunc trajecticiæ pecuniæ uſura, voluiſſe Papinianum cogere, ut idem in iſta, quam ei affinxit, balbucie diceret. Credo itaque Juriſconſultum ſcripſiſſe: *Pro operis ſervi trajecticiæ pecuniæ gratia ſequuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt, ad finem navigationis, centeſima non ultra duplum debetur.* Etiamſi abſit vox illa, *navigationis*, non aliter illud, *ad finem*, intelligendum eſſe, certo eſt certius. Fortaſſean & ſcripſerat, *ad finem uſque, centeſimæ non ultra duplum debetur.* Vel, *centeſimam non ultra duplam.* Nam profecto conſtat de dupla, vel duplici, ſive bina centeſima id eſſe capiendum. Et falſum eſt quod ait Hotomannus, in hoc duplo de quo Papinianus loquitur, ſortem ipſam ſimplum facere, argumento legis penult. Cod. de Uſuris. Nam de duplo ſortis ea lex intelligit, quam uſuræ non debent excedere. In illo duplo certe computatur & ſortis ſimplum. Sed hic agitur de centeſimæ duplo, quod non poteſt accipi, niſi de

dupla centeſima, hoc eſt, duplice. Pro operis ejus ſervi qui ſequebatur certa ſumma, quam debitor etiam cum uſuris pecuniæ ſibi creditæ ſolveret, in ſtipulationem deduci ſolebat. Nam nautici fœnoris auctor non ſolum pecuniam, ſed etiam ſervum ipſum quaſi fœnerari cenſebatur, & mutuas ejus operas ſub uſuris debitori dare. Lex Rhodia de nautico fœnore: Ὁ δὲ χρήσας τὰ χρήματα, ἐπιπεμπέτω ἄνθρωπον ὃς ἂν ἐπιχρώννυται. Id eſt, *quo fœnore nautico pecunias dedit mutuas, hominem etiam mittat, qui & inſuper commodatur, vel mutuo datur*. Perperam vertit vir doctiſſimus, *hominem in navim mittat, qui mutuum tradat*. Χρωννύειν, vel χρωννῦται, idem eſt quod χρᾶν, *utendum dare, mutuum dare*. In illa ipſa lege ita accipitur: Οἱ ναύκληροι ναυκληροῦντες τὰ συμβαλλόμενα τοῦ πλοίου μὴ ἔλασσον τοῦ τριμερίτου, ὅπου ἐὰν ἀποστέλλονται, καθὸ χρήματα χρωννύειν, καὶ ἀποστέλλειν, καθ' ὑπέρπλουν καὶ κατάπλουν, καθὼς ἂν συγγράψωνται, κύρια ἔστω. Ita enim ſcribendum, & χρωννύειν non χρωνύειν. Quod eſt pecuniam mutuam dare, non ſumere, ut male reddidit Leunclavius. In optimo tamen Gloſſario ἀνεκδότῳ ſcriptum eſt χρωνύειν, pro *commodare*: χρωνύει, *commodat*. Sed χρωννύειν apud Theophraſtum legitur in Characteribus, ne quis minus Græcum putet, cum ex abundanti Atticum ſit. In Characteriſmo hominis nimium parci: καὶ ἀπαγορεῦσαι γυναικὶ μήτε ἅλας χρωννύειν, μήτε ἐλλύχνιον, μήτε κύμινον. *Interdicere mulieri ne ſalem det mutuo, neque licinia, neque cuminum*. Nec erat cauſa cur χρωννύειν ibi pro *intingere* acciperet vir magnus, aut χρᾶν pro χρωννύειν legendum putaret. Idem philoſopus περὶ ἀρεσκείας, eodem uſus eſt verbo, ubi ex codice vetuſtiſſimo ita reſcribendum: καὶ αὐλίδιον παλαιστρικὸν κόνιν ἔχον, καὶ σφαιριστήριον, καὶ τοῦτο περιιὼν χρωννύειν ἀεὶ τοῖς φιλοσόφοις, τοῖς σοφισταῖς, τοῖς ὁπλομάχοις. Id eſt, *illud commodare philoſophis, ſophiſtis, & hoplomachis*. Cum igitur ille ſervus quem mittebat, una cum navi creditor,

ditor, quaſi etiam ſimul creditus, ac mutuo datus cenſeretur, & periculum eſſet etiam creditoris in eo amittendo, ſi quid navi accidiſſet, operiſque ejus præterea careret, quæ illi forſitan multum quæſtuoſæ fuiſſent, quibus tum in navi uteretur debitor, propter eas operas moris erat certam ſummam in dies ſtipulari, quæ ſimul cum ſorte & uſuris pecuniæ trajecticiæ in fine navigationis, nave incolumi ſolverentur. Quæſitum eſt quid pro operis hujus ſervi in ſtipulationem eſſet deducendum, & quantum uſuram par eſſet eo nomine à debitore exſolvi. Pro ratione navigaſionis longinquæ, aut brevis futuræ, vel quæ magis minuſve periculi haberet, ut ipſius pecuniæ trajecticiæ fœnus amplius, aut minus in ſtipulationem deducebatur, ita & veriſimile eſt, pro ſervi qui mittebatur operis plus, aut minus uſuræ nomine in ſtipulatum veniſſe. Sed *quantum*libet longinqua eſſet futura, aut periculoſa navigatio, quod deductum eſſet in ſtipulationem pro *operis* ſervi, aut ſi forte nihil ſuper ea re ſtipulatus fuiſſet creditor, non deberi uſuras ejus ultra duplum centeſimæ, pronuntiavit hic Papinianus, idque ad finem navigationis ſolvendum. Quod enim *ad finem centeſimæ*, ad modum ac quantitatem centeſimæ interpretantur, id non poteſt cohærere, cũ illo nimirum ſenſu quem his verbis adſtruunt, uſuram centeſimam, ultra centeſimum menſem, quo exæquatur ſorti, non poſſe peti. Quæ nihil ad hunc locum faciunt. Nam *trajec*ticiæ pecuniæ fœnus uſque ad centeſimum menſem tunc temporis non poterat extendi, cum finiretur finita navigatione, nec ulla navigatio eo præſertim tempore ad uſque illud ſpatium poſſet extendi. Quod igitur ſtipulatus quis eſſet pro operis ſervi, qui ſequebatur in navi, pecuniæ trajecticiæ gratia, ad finem uſque navigationis, non debebatur ultra centeſimam duplam, etiam ſi creditor ſtipulatus eſſet eo nomine plures centeſimas. Ratio eſt, quia ſervum debiti ſui gratia

gratia mittit creditor, cujus opera facile poſſet debitor carere. Non ergo tam grandes uſuras, pro operis ejus poteſt ſtipulari ac pro ipſa pecunia trajecticia. Pone ſervum illum domino ſingulis diebus pro opera denarium retuliſſe lucri. Cum eum mitteret in navem cum debitore ad proſequẽdam pecuniam trajecticiam, pro operis ejus in ſingulos dies eamdem ſummam ſtipulatus eſt, & ejus ſummæ quamdiu cum debitore eſſet, uſuras. Uſuræ illæ, ut vult Juriſconſultus, non debentur ultra duplam centeſimam, quamvis longe foret amplius trajecticiæ pecuniæ fœnus, quod in ſtipulatum deduxiſſet. Certiſſimum itaque eſt ſcripſiſſe Papinianum, *quod in ſtipulatum deductum eſt, ad finem, centeſima non ultra duplum debetur:* vel, *ultra duplam centeſimam.* Qamdiu cum debitore futurus eſt ſervus, centeſimæ duplum debetur, pro operis ejus quæ in ſtipulatum deductæ ſunt. Quæ ſequuntur, id evincunt: *In ſtipulatione fœnoris poſt diem periculi ſeparatim interpoſita, quod in ea legitima uſura deerit, per alteram ſtipulationem operarum ſupplebitur.* Ubi extra periculum erat navis, non debebantur amplius uſuræ nauticæ, ſed communes, ut patet ex l. 1 C. de Nautico fœnore, quæ ſancit tamdiu liberam eſſe ab obſervatione communium uſurarum trajecticiam pecuniam, quamdiu navis ad portum appulerit. Ergo poſt diem periculi, & navem appulſam in tutum locum aliam interponi ſtipulationem neceſſe erat, quæ minores uſuras poſtularet, & uſitatas. In ea ſtipulatione dicit Juriſconſultus, *quod legitima uſura deerit, per alteram ſtipulationem operarum ſupplebitur.* Quippe etiam altera ſtipulatio facienda fuit pro operis ſervi, quam quæ locum habuit quamdiu navis navigavit, & periculum metuere potuit. Hac altera ſtipulatione operarum ſervi ſuppleri poſſe dicit quod legitimæ uſuræ deerit in ea quæ interpoſita eſt pro pecunia, ubi dies periculi exiit. Hujuſmodi pueros, vel ſervos, quos

credi-

reditores una cum debitore navigaturos mittebant, Græci κερμακολλύβους vocarunt. Aut enim una navigabant ipſi creditores, aut ſervum ex ſuis aliquem dabant debitori, qui comitaretur, aut ſaltem eum habebant in illo portu & urbe, quo ad mercatum tendebat navis. Hujus exemplum extat apud Demoſthenem in ea contra Phormionem: Ἐλθὼν τοίνυν εἰς τὸν Βόσπορον, ἔχων τὰς ἐπιστολὰς παρ' ἐμοῦ, ἃς δέδωκα αὐτῷ ἀπεντυχεῖν τῷ παιδὶ τῷ ἐμῷ παραχειμάζοντι ἐκεῖ. Navigatio in Boſporum dirigebatur. In Boſporo puerum habebat fœnerator pecuniæ trajecticiæ, qui res ejus ibi agebat ac procurabat, ad quem ſolitus erat ſcribere, quam ſummam huic aut illi naviculatori, vel mercatori eo venturo Athenis dediſſet, & ſub quibus uſuris. Ejus ergo erat inibi videre ne quid fraudis admitteret debitor, utque merces idoneas in navem ex pacto oneraret, pignori futuras pro debito. *Factores* vocantur mercatorum, qui hoc hodie negotium habent domini mandato. Plures porro centeſimas ante Juſtinianum in fœnus trajecticiæ pecuniæ ſtipulari licuiſſe, certum eſt, quod & ipſe imperator fatetur ea lege qua modum impoſuit nautico fœnori & ultra centeſimam extendi vetuit. Quæ eſt lex ult. Cod. de Nautico fœnore. De his centeſimis capienda Voluſii verba, non de *centeſima centeſima*, ut voluit Scaliger. Quem nihil juvat, quod dixit auctor, *centeſimam commodi uſurarum nomine ad ſortem adplicari, & ſicilico, id eſt,* ɔ *averſo notari.* *Applicari* quidem ille pro adjungi & adnecti ſolet uſurpare, ut cum paulo ante dixit, *quadranti ſextantem, vel trienti unciam adplicari, & fieri quincuncem.* Qua loquutione paſſim uſus eſt. Non ita applicari centeſimam ad ſortem, quæ cum ſorte jungitur, intelligendum eſt eum dixiſſe, ut de *centeſima centeſima* accipiamus dictum, ſicut voluit vir magnus. Sed hæc ejus mens fuit. Fœneratores in Ephemeridibus ſuis ſcripta habebant nomina debi-

torum, quibus pecuniam crediderant, & ſub qualibus uſuris, ſive nauticis, ſive communibus. Ibidem adſcripta erat ſumma ſortis cum uſura quæ convenerat, ex adverſo cujuſque ſortis notata. Nomen debitoris primo ſcriptum fuit in Kalendario; deinde ſumma quam debebat; ultimo juxta illam ſummam uſuræ quantitas de qua convenerat in margine adnotata. Si nauticum eſſet fœnus, cujus nomine aut una, aut plures centeſimæ pactæ forent, ad ſortem, hoc eſt, juxta ſortem adplicabatur, & notabatur, ſicilico, ſive ɔ averſo, ad marginem ex adverſo ſummæ ſortis ponendo. Cum enim c littera centum ſignificaret, convertebatur ad eam ſummam cujus erat futura centeſima, & pro c recto ſcribebatur ɔ averſum, vel converſum ad ſummam ipſam quæ ſcripta erat, ut indicaret in eam ſortem ſtipulatam eſſe uſuram centeſimam. Si una centeſima conveniſſet, unus ſicilicus ponebatur, qui eſt ɔ averſum: ſi plures, tot ſicilici adnotabantur, hoc modo: *Summa* cIɔ *drachmarũ*, ɔɔɔ. Quo ſignificabatur, pro ea ſumma mille drachmarum uſuræ nomine ſibi deberi ternas centeſimas ex pactione nautici fœnoris. Ita ſolitos in Ephemeridibus & Kalendariis ſuis fœneratores perſcribere nomina debitorum, & ſummam crediti, Plutarchus notat in libro de mutuo non accipiendo: ψεύδονται δὲ μᾶλλον οἱ δανείζοντες, καὶ ῥᾳδιουργοῦσιν, ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἐφημερίσι γράφοντες ὅτι τῷ δεῖνι τοσοῦτον διδόασιν, ἔλαττον διδόντες. Centeſimas in nautico fœnore quantas vellet quiſque, vel in infinitum licitas fuiſſe in pactum deducere, docet nos Paulus lib. II Sententiarum. *Trajecticia*, inquit, *pecunia propter periculum creditoris quamdiu navigat navis infinitas uſuras capere poteſt.* Ad quem locum Anianus hoc interpretamentum adpoſuit; *Trajecticia pecunia dicitur, quæ in navi ut ad tranſmarina deferatur deponitur. Quia maris periculo committitur, in quantas conveneris uſuras, hanc pecuniam dare creditor poteſt.* Æquas ſorti

uſuras

uſuras plerumque in totam navigationem fuiſſe pa-ctas, oſtendit Manilius his verſibus, quos ſupra explicavimus, cum de fœnore Græcorum nautico diſſereremus:

Navigat, & celeres optando ſortibus annos,
Dulcibus uſuris, æquo quoque tempora vendit.

De hoc fœnoris genere adhuc in tertio volumine erit tractandum cum Juſtinianeas exponemus uſuras, qui & trajecticiæ pecuniæ fœnus ex libero & infinito finitum reddidit, ac ne centeſimam excederet ſanxit. Quia adfine fuit, immo & germaniſſimum huic fœnori, frugum fœnus tam liquentium quam aridarum, quarum & modum immodicum legibus permiſſum conſtat, ob incertum ac ſubinde variabile earum pretium, de earum uſuris hoc loco tractare non videtur abſonum. Eas Juſtinianus ad ἐπόγδοον τόκον reduxit, quæ centeſima fuit illius ſæculi. Quam uſuram trajecticiæ pecuniæ fœnori pariter attribuit. Atqui trajecticiæ pecuniæ fœnus ante ipſum in quot quis vellet centeſimas paciſci, liberum erat. An & frugum uſura talis, quandoquidem ſimiliter eam ac trajecticiam ad centeſimæ modum redegit? Ita fortaſſe fuerit ante Conſtantinum Magnum. Sed ille modum ei impoſuit talem, ut uſuræ nomine tertiam duntaxat partem ſuperfluam accipi ab his ſanxerit, qui fruges humidas vel aridas indigentibus darent mutuas. Hæc ſanctionis ejus verba ſunt ex Codice Theod. Titul. de uſuris: *Quicunque fruges aridas vel arentes indigentibus mutuas dederint, uſuræ nomine tertiam partem ſuperfluam conſequantur, id eſt, ut, ſi ſumma crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius conſequantur.* Ἐφημιόλιον τόκον Græci Attici hanc uſuram appellaſſent. Nam plane in dimidiam ſummæ creditæ partem uſura expetitur. Qui duos dat modios ut tres recipiat uſuræ nomine, pars dimidia crediti, nempe modius unus, pro uſura cedit. Quod idem eſt

ac ſi in modium modii ſemiſſem uſuræ vice aliquis ſtipularetur, vel ut in pecunia numerata, ſi quis in centum, quinquagenos exigeret denarios. Quod fœnus reſpondet quaternis centeſimis. Quippe quaternæ centeſimæ quadraginta octo in centenos poſcunt. Quam uſuram in Aſia ſollemnem fuiſſe cum Cicero proconſul Ciciliæ præfuit, ex ipſius ad Atticum Epiſtolis liquet. Maximum igitur hoc fœnus in frugibus, & majus etiam videtur fuiſſe ante Conſtantinum, cum nimirum id liberum eſſet, atq; indefinitum, quandoquidem ille Imperator intra modum ſupraſcriptum id coërcuit. In libris Juriſconſultorum, quantum ex Digeſtis intelligere eſt, non poteſt ſciri qualis uſura tum in frugibus fuerit obſervata. Ex lege Philippi Imperatoris quem in Codicem ſuum retulit Juſtinianus, hoc tantum conſtat, majores uſuras, hoc eſt, ut vocat, *additamenta uſurarum* admitti ob incerti earum pretii rationem, leg. XXIII Cod. de uſuris. Quam legem ita Græce in Baſilicis redditam legimus: Ἐπὶ καρπῶν δανειζομένων ἔξεστι καὶ πλείονα τόκον ἐπερωτᾷν διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν. *In frugibus mutuo datis licet ampliores uſuras ſtipulari propter incertum earum pretium.* Quia non expreſſit Philippus quouſque uſuras illas jus eſſet ſtipulari, apparet tunc temporis liberum id fuiſſe, ut pro ratione ſcilicet annonæ, & temporum locorumve conditione, quantas quis vellet ſtipularetur. Quam licentiam Conſtantinus ad dimidiam ſortis partem reſtrinxit, & *ſuperfluam tertiam* vocavit, quia ad duos modios tertius uſuræ nomine adjiceretur. Quod enim in hoc frugum fœnore, ut & in trajecticia, ſors ſimul cum uſuris reddi ſolita eſſet, idcirco uſura quæ dimidium ſortis explet, capiti adjecta & ſimul cum eo ſoluta, tertiam ejus partem efficit. Ut ecce duos dedi modios frumenti mutuos, cum pactione unius modii, quod eſt dimidium ſummæ crediti, ſi ſeorſum hoc uſuræ nomine reciperem, quemadmodum moris erat in nume-

numeratæ pecuniæ fœnore. Ubi vero una cum ſorte duorum modiorum uſuram quoque recipio, hoc eſt, unum modium, modius ille pars eſt tertia totius, quam *ſuperfluam* appellat Conſtantinus, quia ſuper ſummam crediti adjicitur, & amplius datur. Hieronymus in Commentario ad Ezechielis caput XVIII, in iſta uſura ſignificanda *mediam partem* dixit, non *tertiam*, his verbis: *Solent in agris frumenti & milii, vini & olei ceterarumque ſpecierum uſura exigi, ſive ut appellat ſermo divinus, abundantia. Verbi gratia, ut hiemis tempore demus decem modios & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt, amplius partem mediam.* Reſpexit omnino ad uſuram frugum humidarum & arentium, quæ illo in tempore ex lege Conſtantini, quam paulo ante adduximus, obtinebat. Nam qui decem modios hiemis tempore dat mutuos, ut quindecim in meſſe ei reddantur, media parte amplius quam dedit accipit. Quini quippe modii denorum pars media. Quæ eadem ſumma cum toto computata, ac ſimul perſoluta tertiam ejus partem ex ſuperfluo & abundanti additam facit. Ea porro eſt uſura quam Græci *ἡμιολίαν* vocarunt, in Canone Laodiceno IV: *περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἱερατικοὺς δανείζειν, καὶ τόκους, καὶ τὰς λεγομένας ἡμιολίας λαμβάνειν.* In quibus verbis notandum eſt, patres illius Synodi diſtinguere *ἡμιολίας ἀπὸ τῶν τόκων.* Atqui ſi *ἡμιολίαι* de uſura pecuniæ eſſent intelligendæ, ſub nomine *τόκων* comprehenderentur, & ſatis fuiſſet dixiſſe, ut uſura omnis vetita ſacri ordinis viris intelligeretur, *περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἱερατικοὺς δανείζειν, καὶ τόκους λαμβάνειν.* Deinde cur inter plura uſurarum genera præcipue nominaſſet *ἡμιολίας*? Quam vocem ſi pro uſuris *ſeſqualteris*, hoc eſt, *ſeſquicenteſimis*, accipi placeret, ut plerique interpretes probant, inde ſequeretur, non omnem uſuram fuiſſe Eccleſiaſticis vetitam, ſed eam ſolam, quæ in centum exigit decem & octo, quæ ſeſquicenteſima eſt uſura. Ceterum reliquas omnes mi-

nores iiſdem eſſe promiſcue permiſſas, hujus Canonis argumento colligi poſſet, quia ſolæ ἡμιόλιαι exciperentur, ut vetitæ. Fuit per ea tempora multorum opinio, uſuram eſſe tantum in pecunia. Qua de re etiam admonet Hieronymus lib. vi ad Ezechielem: *Putant quidam uſuram tantum eſſe in pecunia, quod prævidens ſcriptura divina omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non recipias quam dediſti.* Ab ea vulgari opinione & illud deſcendit, quod Laodiceni patres ἡμιολίας ſeorſim ab uſuris nominarunt, & utrumque Eccleſiaſticis interdixerunt, τοὺς τόκους, καὶ τὰς λεγομένας ἡμιολίας. *Hemiolia* igitur eſt uſura frugum, ſic appellata quod mediam partem uſuræ nomine in hujuſmodi frugum fœnore fas eſſet ſtipulari ex lege Conſtantini. Nam ἡμιόλιον etiam ſignificat τὸ ἥμισυ τοῦ ὅλου, non tantum, ut eam dictionem λογιστικοὶ accipiunt, τὸ ὅλον, & inſuper dimidium totius. Suidas ἡμιολίας, ἡμίσεως interpretatur. Idem cum Heſychio ἡμιολίαν exponit τὸ ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου. Heſychius, ἡμιολία, ἡ δίκροτος ναῦς, καὶ ἥμισυ κεφαλαίου. Suidas: ἡμιολία, ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου. Quæ expoſitio unice convenit uſuræ frugum, quæ mediam partem exigebat creditæ ſummæ in fœnus. Hoc enim eſt ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου, cum pro uno modio ſemimodius uſuræ nomine poſtulatur, aut pro duobus unus. Quinimmo tametſi quis ἡμιολίαν hic interpretari velit, ſecundum ἡμιόλιον λόγον Logiſtarum, qui numerus ex eorum ſententia, dimidia adjecta ad ſummam ex ſex novem efficit, conveniens ac congrua nihiloſecius ea futura explicatio huic uſuræ de qua agimus. Agellio auctore ne alios teſtes advocemus, *Hemiolios eſt qui numerum aliquem in ſe habet dimidiumque ejus, ut tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti.* Duo exempla uſuræ frugum quæ ſupra attulimus, unum ex Conſtantino, alterum ex Hieronymo, plane quadrant, immo eadem omnino ſunt cum duobus prioribus ab Agellio productis

ad

Hemiolii numeri ſignificationem aperiendam. Duo odii in Conſtantini lege mutuo dantur, ut tres re- piantur, apud Hieronymum decem ut quindecim. uia igitur in uſura frugum ſors ſimul cum fœnore dditur, ut tres ad duo & quindecim ad decem ἡμιό- ς eſt numerus, ita cum tres pro duobus modiis red- ntur, & quindecim pro decem, ἡμιολία uſura con- uitur. Recte proinde Dionyſius Exiguus in Laodi- o canone ἡμιολίας Latine reddidit *ſeſcupla*, & in- pretatus eſt, *ſummam capitis, & dimidium ſummæ.* c ejus verba ſunt, quibus illum canonem in Lati- n convertit: *Quod non oporteat ſacerdotes & cleri- fœnerantes uſuras, vel quæ dicuntur ſeſcupla, id & ſummam capitis & dimidium ſummæ, percipe-* Non potuit melius, quæ eſſent ἡμιόλιαι explicare, mentem Synodi pandere. In nullum autem aliud æ genus cadere poteſt illa ſeſcupla, vel ἡμιολία, ſummam capitis & dimidium ſummæ percipit, n in frugum fœnus quale à Conſtantino eſt inſti- m, quo tres modii pro duobus mutuo datis acci- tur, aut quindecim pro decem. Nam qui tres pro bus, quos mutuo dedit recipit, & ſummam capi- & dimidium ſummæ percipit. Summa quippe ca- ſunt duo modii, uſura unius modii, quæ ſimul ca- cum ſorte, mediam efficit partem ſummæ cre- τὸ ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου, ut exponit Heſychius. Quæ imul juncta & reddita ἡμιολίαν conficiunt, quate- uſuræ modus ad ſortem comparatus, λόγον ἡμιόλιον ιστικῶν præſtat, ut tres ad duo, uſura nimirum ſi- cum ſorte in tribus modiis ſolvenda ad duo mo- qui in ſortem mutuo ſunt dati. Non recte itaque ctus in Laodiceno Canone vertit, *Quod non opor- ſacerdotes fœnerari, & uſuras quæ centeſima di- r accipere.* Nemo enim ἡμιολίας pro centeſimis it. Nam qui maxime errarunt ex veteribus ac tioribus interpretibus, partim ἡμιολίας expoſue-

runt

runt de *ſeſquicenteſimis*, partim de *ſemiſſibus*, hoc eſt, ἡμιεκατοστιαίᾳ. Scaliger in opere de Re Nummaria, ἡμιολίαν, hoc eſt, uſuram ſeſquialteram eam eſſe dicit, qua decem & octo in centum exigi ſolent. Quæ eſt ſeſquicenteſima. Hotomannus quoque ἡμιολίαν de ſeſquicenteſima interpretatus eſt. Zonaras in Canonem Nicænum XVII. de *ſemiſſali centeſima*, hoc eſt, ἡμιεκατοστιαίᾳ docet exponendum, quæ ſex in centum requirit, longe diverſa ſignificatione à *ſeſquialtera* uſura, ſive *ſeſquicenteſima*. Hæc ejus verba ſunt: Εἰπὼν ἄνω περὶ ἑκατοστιαίου τόκου, ὃς τῶν τόκων ἐστὶν ὁ βαρύτερος, ὡς περιέρχεται τὸ ἀρχαῖον καὶ τοῦ κεφαλαίου ἐμνήσθη τῆς ἡμιολίας, ἥτις ἐστὶ τοῦ ὅλου τὸ ἥμισυ, ἤγουν τῶν δώδεκα νομισμάτων, ἅ τινά εἰσι τῆς ἑκατοστῆς ὁ πληρέστατος καὶ ὁλόκληρος τόκος. Si duodecim nummi annui uſuræ plenam & integram præſtant centeſimam, dimidia centeſimæ ſex tantum nummos annuos dabit, quam ἡμιολίαν ille interpretatur. At interpres Zonaræ Latinus inepte ad oram adpoſuit. *ſeſquialteram* eſſe uſuram minus gravem. Nam ſi *ſeſquialteram* Latine voluit vertere τὴν ἡμιολίαν, non potuit accipere niſi de graviſſima, ac de illa quæ ipſam centeſimam dimidia parte ſuperaret. Ex mente autem Zonaræ ἡμιολία, ne centeſima quidem eſt, ſed dimidia centeſimæ. Ergo *ſeſquialtera* non poteſt eſſe, ſed uſura *ſemiſſalis*. De uſuris tamen ſemiſſibus non poſſe eum canonem accipi Laodicenum, ipſe verborum contextus oſtendit: Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἱερατικοὺς δανείζειν, καὶ τόκους, καὶ τὰς λεγομένας ἡμιολίας λαμβάνειν. Quem Gentianus Hervetus ita vertit: *Non oportet hominem ſacratum fœnerari & uſuras, & quæ dicuntur ſemiſſes accipere.* Quod eſt ridiculum. Nam hoc modo, quæ *ſemiſſes* dicuntur, ab uſuris diſtinguerentur. Atqui & ipſæ ſunt uſuræ, & qui uſuras accipere vetat clericos, ab omnibus eos uſuris prohibet. Veriſſime itaque Dionyſius Exiguus, & longe melius quam Græci canonum interpretes, ἡμιολίας iſtas, quid eſſent, explicavit.

Ex

Ex qua expoſitione patet liquidiſſime de uſuris frugum eas eſſe interpretandas, quod in aliud uſuræ genus non poſſe cadere videantur. Interpres Arabs illius Canonis in paraphraſi non videtur intellexiſſe quid eſſet ἡμιολία, & vocem Græcam ايمقلوس Arabice vertit *Hemioclus*, pro ايموليوس *Hemiolius*, & pro anathemate, ſive maledictione accepit. Sic autem totum eum canonem fuſiore paulo expoſitione reddidit. Non quartus autem canon ibi recenſetur, ut in Græcis editionibus, ſed quintus: من اجل الكهنة الا يعملوا بالربا ولا يقرضوا ايضا بالربا.

Hic eſt veluti titulus ac lemma canonis. *De ſacerdotibus. ne quid faciant fœnore, id eſt, ob mercedem, & ne quid dent ad uſuram.* Sequitur ipſe textus: ينبغي للكاهن ادا هو اقرض لرجل مالا الا ياخذ عليه ربا ولا زياده بل يقيت المكروب الملهوب ويكون رحوما والا اللعنة الدي يقال لها ايمقلوس عليه الى الابد

Id eſt, *Oportet ut ſacerdos cum mutuo dedit alicui pecuniam, ut non accipiat ab eo uſuram neque acceſſionem, ſed ut alat anguſtia & egeſtate oppreſſum, & ſit miſericors, & ne maledictio, quæ dicitur Hemiolia, ſit ſuper eum in æternum.* Ita ille παρέφρασε illam canonicam ſanctionem. Ubi quod joculare eſt, ἡμιολίαν pro genere maledictionis, vel anathematis ſumpſit, cui ſubjacere deberet ſacerdos mutuum dans ſub uſuris. Duo quidem vocabula uſurpavit ad fœnus ſignificandum quibus ſi contentus fuiſſet, nec illud de Hemiolia maledictione ſubjeciſſet, poterat videri mentem

tem canonis percepiſſe. الا ياخذ عليه ربا ولا زيادة. *Vt ne accipiat uſuram neque incrementum.* Nam vox ربا *Riba* proprie eſt uſura Arabibus. At زيادة eſt augmentum, vel acceſſio. Quo nomine credidiſſem illum voluiſſe exprimere Græcorum ἡμιολίαν, quæ eſt uſura frugum, quam ſeptuaginta interpretes nomine πλεονασμοῦ proprie deſignarunt, & ἀπὸ τοῦ τόκου, id eſt, uſura diſtinxerunt, πλεονασμὸν nempe pro Hebraico תרבית *Tarbit* reddentes, & τόκον pro נשך, *Neſchech*. Quam dictionem *Tarbit* in priore libro de uſuris docuimus ex Hieronymo ſignificare proprie uſuram frugum. Is ad caput XVIII Ezechielis, ubi in Hebræo eſt נשך ותרבית לא לקח, id eſt, *uſuram & ſuperabundantiam non acceperit*; & apud Septuaginta, τόκον καὶ πλεονασμὸν οὐκ ἔλαβε, hæc ipſa verba ſic reddidit, & *amplius non acceperit*, quæ de frugum uſura, ut ſupra notavimus, explicat. In utraque autem verſione Latina tam Hebraici textus, quam interpretationis Græcæ Septuaginta, illud תרבית per *amplius* reddidit. In Hebraicæ veritatis verſione hoc modo: *Et ad uſuram non ea commodaverit, & amplius non acceperit*. In his quibus Septuaginta interpretatur verſionem, Latine convertit ad hunc modum: *& pecuniam ſuam ad uſuram non dederit, & amplius non acceperit*. In utraque verſione, *amplius*, idem eſt quod πλεονασμὸς, qui ab uſura eo nomine diſtinguitur, quod hæc in pecunia proprie locum habet, illud *amplius* in frugibus, in quibus ſolet amplior capi uſura, quam in pecunia. Et inde appellatio. Paulo poſt in Ezechielis eodem capite apud ſeptuaginta, τόκον καὶ πλεονασμὸν οὐκ ἔλαβε. Atque ita paſſim. Tertullianus πλεονασμὸν illum *redundantiam* vertit, aut *ſuperabundantiam*,

antiam. At Hieronymus, *amplius*. Quo nomine & Conſtantinus uſus eſt ad uſuram frugum declarandam: *ut ſi ſumma crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius conſequantur*. Ipſe Hieronymus in commentario ad illum Ezechielis locum, ubi exponit πλεονασμὸν de frugum uſuraria acceſſione: *Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, ceterarumque ſpecierum uſuræ exigi, ſive, ut appellat ſermo divinus, abundantiæ. Verbi gratia, ut hiemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt, amplius, partem mediam*. Hinc Ruffinus in Canone Nicæno interpretando, *vini & frumenti ampliationem* dixit de hujuſmodi uſura, quæ abundantia, vel πλεονασμὸς in ſacra ſcriptura appellatur, hoc eſt, תרבית *Tarbit*. Alexander leg. XII Cod. de uſuris, *frumenti vel hordei mutuo dati acceſſionem* vocat. Ubi Codices ſcripti legunt, *frumenti vel hordei mutuo dati actio etiam ex nudo pacto praſtanda eſt*. Ut palam ſit legi debere, *auctio*. Idem autem *auctio*, quod ampliatio. Ita Scævola *augeri obligationem* dixit leg. V D. de Nautico fœnore. *Augeri*, uſurarum additamentis intellexit, ultra legitimum modum, ut mos eſt in trajecticiæ pecuniæ contractibus, & aliis quæ in aleæ ſpeciem cadunt. Philippus ut in priore libro notavimus, id *additamentum* appellavit in frugibus, quod eſt proprie *uſura* in pecunia. Ergo eodem modo poſſet videri interpres Arabs Canonis Laodiceni زيادة *Zaida*, hoc eſt, additamentum, ſive *ampliationem*, ac πλεονασμὸν poſuiſſe pro ἡμιολία, quæ eſt frugum uſura, & ربا *Riba* pro Græco τόκος. Quod ſubjunctum ab eo eſt de ἡμιόλιος, ex varia interpretatione adpoſitum eſt, quaſi & hoc etiam ſignificaret ἡμιολία. Certe & ربا vel ربو quod eſt fœnus, Arabes etiam interpretantur زيادة, id eſt, augmentum, ut in

Lexico

Lexico vetere cujus mihi copiam fecit clariſſimus Golius unicus harum litterarum promotor & inſtaurator, الربوا dicitur eſſe زيادة, hoc eſt, *augmentũ* في الغة in ſermone vulgari. At في الشرع, hoc eſt, in jure, id eſſe incrementum docetur quod extra mutui ſummam datur ex pacto ab uno contrahentium. Quam nos definitionem in ſuperiore libro ex inſtitutionibus Juris Muhammedani attulimus. Ita & πλεονασμὸς Græcis interpretibus, cum dicatur de uſuris frugum, & ſit omnino idem cum زيادة *Zeida* Arabum, etiam de omni uſura poteſt uſurpari, quatenus omnis uſura etiam eſt πλεονασμός. De incremento quod datur ultra ſortem in frugibus mutuo datis, proprie *Tarbit*, hoc eſt, πλεονασμὸν, Hebræis accipi, palam eſt ex Levitici cap. xxv, verſ. xxxvii. Ubi prohibetur Judæus argentum ſuum præbere ad uſuram, בנשך, quæ eſt *Neſchec*; & cibum, hoc eſt, fruges omnes במרבית, *Bemarbith*. *Marbith* autem & *Tarbith*, idem eſt, ab eadem origine. Nam paulo ante verſ. xxxvi, תרבית *Tarbit* nominavit, quæ hic *Marbit*, & ſimul cum *Neſchec*, junctim poſuit. Non accipies ab eo נשך ותרבית, *Neſchec*, & *Tarbit*, τόκον καὶ πλεονασμόν. Ubicunque igitur in ſacra ſcriptura hæ duæ voces ſimul poſitæ reperiuntur, altera pecuniæ uſuram, altera frugum ſignificari veriſimile eſt. Verum certe eſt, non aliter vetuſtiſſimos Eccleſiæ Græcos patres intellexiſſe harum duarum vocum diſcrimen in ſcriptura, τόκου καὶ πλεονασμοῦ. Quod ab Origene omnes videntur didiciſſe, qui inter antiquos Eccleſiaſticos auctores Græci generis, non tantum primus, ſed fere ſolus Hebraice fuit doctiſſimus. Fortaſſean & ipſi ſeptuaginta interpretes, cum *Neſchec* τόκον verterunt, & *Tarbit* πλεονασμὸν, non aliam habuere mentem, quam ut τόκος de uſura pecuniæ ſumeretur, πλεονασμὸς de

uſura frugum. Alias non me videre fateor, quam ad rem pertineret in ſcriptura hæc duo vocabula fere ſemper conjuncta poni, ſi alterum ab altero ſignificatione nihil diſtaret. Nam æque *Tarbit* de uſura pecuniæ potuit uſurpari ac *Neſchec*, quatenus per *Tarbit* omne incrementum ſupra ſortem debeat intelligi, quod & uſuræ ex pecunia datæ unice convenit. Et ſic Chaldæi, Arabes, ipſique etiam Rabini, uſuram pecuniæ vocant eo nomine, quod ab eadem radice, & origine deſcendit ac *Tarbit*, nempe à verbo רבה, quod eſt multiplicare. Hi רבית vocant, medii ربا, primi רביתא. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola Canonica: καὶ τοι παρὰ τῆς θείας γραφῆς ὁ πλεονασμὸς καὶ ὁ τόκος τῶν ἀπηγορευμένων ἐστί. Ad quem locum Balſamo recte πλεονασμὸν, & ex mente veterum patrum Græcorum Latinorumque interpretatur, quod in frugibus mutuo datis ultra ſortem recipitur. Πλεονασμὸς μὲν οὖν ἐστιν, ὡς ὅταν τις δῷ τινὶ σῖτον, ἢ οἶνον, ἢ ἔλαιον, ἢ ἄλλο τι ἐπὶ τῷ λαβεῖν ὁμολογουμένως πλέον τοῦ δοθέντος. Subjicit paulo poſt: ὁ δὲ τόκος λέγεται ἐπὶ νομισμάτων. Mirum tamen, cum hæc ita ſint, pleroſque Judæorum magiſtros in eam conſpirare ſententiam, nihil differre *Neſchec* & *Tarbit*. Diverſo enim reſpectu, quod in primo libro notavimus, utrumque unum atque idem eſſe. *Neſchec* enim uſuram dici ab effectu, quia mordeat, *Tarbit* autem ab incremento, quia hæc natura ſit ac proprietas uſuræ, ut ſorti addat augmentum, eamq; multiplicet. Hac maxime ratione pugnant, nihil diſtare hæc duo vocabula, quod verbum נשך tam de uſura pecuniæ, quam de uſura cibi in ſcriptura uſurpetur. Verum hoc parum validum argumentum. Ex eo quippe id tantum adſtrui poteſt, nomen *Neſchec* generale eſſe ad uſuram pecuniæ & frugum ſignificandam, quia utraque pariter tanquam morſu atterat & conficiat facultates debitoris. At *Tarbit* proprie de uſura fru-

gum ſumetur, ut Græcorum πλεονασμὸς, & Latinorum *ampliatio*, & *acceſſio*, de eadem accipitur. Et ſic plane *Marbit*, quod idem eſt ac *Tarbit*, de uſura cibi poſitum proprie legitur in Levitici cap. xxv. Eodem prorſus modo Græcis τόκος generalis appellatio ad pecuniam & fruges, ut & Latinis *uſura*. Rectius itaque quamvis contra communem Rabbinorum ſententiam, R. Levi Ben Gerſon, ad illud Levitici notat, nomen נשך proprie pertinere ad uſuram pecuniæ, רבית autem, *Ribit*, quod idem eſt vi atque origine, cum *Tarbit* ac *Marbit*, pro uſura cibi accipi. Ita *Ribit* ad verbum Græcorum eſt πλεονασμὸς, & *ampliatio* Latinorum. Sic enim maluerunt uſuram frugum nominare, quia amplius redderet, & major eſſet quam uſura pecuniæ. Quinimmo nonnulli uſuram non eſſe dicendam in frugibus cenſebant, quod amplius ſorte reciperetur, idcirco *ampliationis*, & *additamenti*, vel *ſuperabundantiæ* nominibus eam acceſſionem ultra ſortem in frugibus mutuo datis nominarunt. Quidam Rabbini inter *Neſchec* & *Tarbit* ita diſtinxere, quaſi *Neſchec* in mutuo uſurparetur cui tempus non eſſet præfinitum, conſtituta nempe uſura de qua conveniſſet in ſingulos mēſes, quamdiu quis id penes ſe retineret. *Tarbit* autem dici cum quis daret mutuam pecuniam tempore præſtituto, in menſes tot uſura tanta pacta, quæ ſimul cum ſorte redderetur. Utrumque genus mutui veteribus fuiſſe cognitum, in tertio volumine, quod eſt de uſuris Juſtinianeis, dicemus. Sed illa diſtinctio *Neſchec* & *Tarbit*, quæ habet auctorem R. Moſen Gerundenſem, non placet. Illud certum eſt, cum tot locis ſcriptura diſtinguat inter *Neſchec* & *Tarbit*, & utrumque ſimul Judæis inter ipſos prohibeat, non poſſe idem videri. Nec illi porro audiendi, qui *Neſchec* de graviſſima uſura interpretantur, quod jam refutavimus in primo, & in tertio libro amplius refellemus. Nulla vero mihi aptior videtur diſcernendi

hæc

hæc duo uſurarum genera ratio, quam ſi veteres patres ſequuti, & doctum illum Judæum R. Levi Gerſoniden, πλεονασμὸν, id eſt, *Tarbit* de uſura cibi, hoc eſt, frugum intelligamus, & *Neſchec* de pecuniæ fœnore. Enimvero cum diſerte & in Exodo, & in Levitico tam uſura cibi, quam uſura pecuniæ prohibeatur Judæis inter ipſos, ac proprie uſura cibi vocetur in Levitico nomine *Marbit*, ubicunque in ſacra ſcriptura junctim mentio fit *Neſchec* & *Tarbit*, vero verius videtur, altera appellatione uſuram pecuniæ intelligi, alteram uſuram frugum. Eam frugum uſuram Laodiceni patres, ut & Nicæni, ἡμιολίαν appellarũt, à modo quem à lege haberet impoſitum. Laodiceni ſane canonis decretum, cum omnem uſuram Clericis prohibitam vellet, tam pecuniæ quam frugum, τόκους & ἡμιολίαν nominavit, per τόκους pecuniæ uſuram intelligens, per ἡμιολίαν id quod amplius ſorte in mutuatione frugum uſuræ nomine percipitur, quia lege uſque ad *ſeſcuplum* procederet uſurarum ad ſortem comparatarum, & ſimul cum ſorte reddendarum, reſtitutio. Qui eſt Arithmeticis λόγος ἡμιόλιος. Quod ſi uſuræ vel τόκου appellatione omnino ſciſſent, intelligi etiam debere id quod plus recipitur in frugibus mutuo dandis, non opus habuiſſent eam ampliationem ac ſuperabundãtiam frugum nominatim expreſſam cum uſura pecuniæ vetare. Id cum fecerint, ſcire licet, ex multorum ſententia, quod & Hieronymus docet, uſuram eam tantum habitam, quæ pro uſu pecuniæ poſceretur. Idcirco & patres Carthaginenſes non contenti *pecunia* uſuram clericis prohibere, addiderunt & *ſpecierum*, id eſt, frugum. In Codice Eccleſiæ Africanæ Can. XVI. *Item placuit ut Clericus, ſi commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: ſi ſpeciem, quantum dederit accipiat.* Lectio hæc in illis, *ſi commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat*, mihi de mendo ſuſpecta eſt. Non enim uſura pecuniæ verbis illis ſatis commode

mode vetita poteſt intelligi. Quippe cum certum ſit, & pecuniam accipere qui pecuniam commodarunt, etiamſi uſuram ejus exigant. Notat vir clariſſimus in ſcriptis Codicibus haberi: *Vt Clericus ſi commodaverit pecuniam recipiat eamdem ſpeciem quantum ei debetur accipiat*. Unde fecerim facili admodum, ſed & vera, emendatione: *Clericus ſi commodaverit pecuniam, recipiat eamdem: Si ſpeciem, quantum ei debetur accipiat.* Recipiat pecuniam, qui eam mutuam dedit, eamdem quantitate ſcilicet, etſi non ſpecie. Quibus verbis uſuram ſuſtulit, quæ non eamdem quantitatem reddit, ſed majorem. Recte ad eum Canonem Balſamo: Ὅτι δὲ τῶν τόκων ἐπὶ δανείῳ νομισμάτων δεδομένων, εἰκὸς ἦν εἰπεῖν τινας, τοῦτο μὲν εἶναι κεκωλυμένον, τὸ δὲ διδόναι σῖτον ἢ ἕτερον εἶδος, καὶ λαμβάνειν πλείω τοῦ δοθέντος, μὴ ἀπηγορεῦσθαι, ἐκώλυσαν οἱ πατέρες ῥητῶς καὶ τοῦτο. *Quia vero cum dantur uſura ex mutuo pecunia, veriſimile erat multos poſſe dicere, hoc inter vetita eſſe, qui dant autem frumentum, aut aliam ſpeciem, ut aliquid amplius recipiant, rem vetitam non facere, idcirco patres diſerte & hoc prohibuerunt.* Hæc plane ratio eſt, qua Hieronymum in Commentario ad Ezechielem ſcribit, ſcripturam divinam non tantum interdixiſſe *Neſchec*, hoc eſt, *uſuram pecunia*, ſed & omnem *ſuperabundantiam*, hoc eſt, תרבית *Tarbit*, ſuſtuliſſe, ut etiam uſuram cibi, hoc eſt, frugum, tolleret, quæ & מרבית *Marbit*, Levitico XXV, proprie appellatur. Quæ & in Deuteronomio cap. XXIII, נשך אכל *Neſchec Okhel*. uſura cibi. Ibi enim non ſolum uſuram pecuniæ נשך כסף *Neſchec Keſeph*, ſed etiam uſuram cibi, id eſt, frugum, & cujuſcunque rei uſuram prohibet. Uſura autem cibi, ſive frugum, proprie Hebræis *Tarbit* ac *Marbit*, hoc eſt, πλεονασμὸς, id eſt, *redundantia* & *ampliatio*, vel *auctio*, ut Latini eam appellarunt. Similiter & Canon V Eccleſiæ Africanæ ſanxit, *ne omnino cuiquam Clericorum liceat de qualibet re fœnus accipere.*

pere. Si ſimpliciter fœnus accipere Clericos vetuiſſet, quidam dicere potuiſſent intelligi tantum pecuniæ fœnus vel uſuram, quę ſic proprie vocaretur, non etiam frugum. Eam ob cauſam de qualibet re fœnus accipere vetarunt, ut etiam fruges comprehenderent. Atque id etiam ad eum Canonem notavit Theodorus Balſamo: *διορίζεται μὴ ὑπερβαίνειν τοὺς τῶν πατέρων ὅρους, ἤγουν τοὺς κανόνας, καὶ μὴ λαμβάνειν τόκους κληρικόν, ἀφ' οἵου δὴ τινος πράγματος, ἤγουν μήτε ἀπὸ δανείου νομισμάτων, μήτε ἀπὸ δανείου σίτου, ἢ ἑτέρου εἴδους τινός.* Quæ reſpondent illis Deuteronomii cap. XXIII, verſ. XIX: לא־תשיך לאחיך נשך כסף נשך אכל נשך כל־דבר אשר ישך. *Ne dato in uſuram fratri tuo uſuram pecuniæ, uſuram cibi, uſuram ullius rei quæ in uſuram datur.* Ergo & patres Nicæni, cum Clericis non ſolum fœnus, id eſt, uſuram ex pecunia mutuo data interdicere decreto vellent, ſed etiam quod amplius ex frugibus commodatis uſuræ vice percipitur, utrumque ſimul diſerte exprimendum judicarunt, haud ſecus ac Laodiceni. In decima ſeptima definitione ejuſdem concilii ajunt plures ex ordine Eccleſiaſtico, turpis lucri cupidos, & immemores divini mandati, fœnerantes, *centeſimas* accipere, id in poſterum ne fiat, ſancire: Ἐδικαίωσεν ἡ *ἁγία καὶ μεγάλη σύνοδος ὡς εἴ τις εὑρεθείη μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τόκους λαμβάνων ἐκ μεταχειρίσεως, ἢ ἄλλως μετερχόμενος τὸ πρᾶγμα, ἢ ἡμιολίας ἀπαιτῶν, ἢ ὅλως ἕτερόν τι ἐπινοῶν αἰσχροῦ κέρδους ἕνεκα, καθαιρεθήσεται τοῦ κλήρου, καὶ ἀλλότριος τοῦ κανόνος ἔστω.* Verba ipſa ex antiquiſſimo Codice ſic cõſtituimus. Nam vulgo legitur, *εἴ τις εὑρεθείη μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τόκους λαμβάνειν.* Dionyſium Exiguum *λαμβάνων* etiam legiſſe ex verſione ejus apparet: *Vt ſi quis inventus fuerit poſt hanc definitionem uſuras accipiens.* Sed & *ἔστω*, legit, non *ἔσται*, atque ita ex antiquiſſimo exemplari, *dejicietur à clero, & alienus exiſtat à regula.* Atq; ita Arabica quoq; verſio. Sed hæc minimi momenti. In genere primum vetat Clericos uſuras accipere. Nomine uſurarum cer-

 tum

tum eſt quaſcunque deſignari maximas minimaſque & medias, quæ ex pecunia fœneraticia exiguntur. Quod igitur de ἡμιολίαις prohibendis ſeorſim eadem ſynodus ſubjicit, id non poteſt pertinere ad ullum genus uſuræ, quæ ex pecunia mutuaticia capiatur. Fruſtra itaque ſunt omnes interpretes Græci qua veteres, qua hodierni, qui ἡμιολίας partim de *ſeſquicenteſimis*, partim de *centeſimis*, partim de *ſemiſſibus* acceperunt. Quaſi vero τόκων nomine omnes hujuſmodi uſuræ non comprehendantur. Ceterum præter uſuras ſic proprie appellatas, plures alii ſunt lucri faciendi modi qui licet à proprio uſurarum quæſtu abeunt, non minus tamen uſurarii & illiciti ſunt habendi. Idcirco Synodus quo obviam iret omnibus ejuſmodi quæſtibus fœnerationi paribus, eos omnes Eccleſiaſtici ordinis viris indignos judicavit. Non ſolum ergo Clericos uſuras aperte ac palam accipientes, ſed & qui quacunque arte fraudem huic ſanctioni facerent, non per ſe verum per alios id agentes, aut etiam non ex pecunia mutuo data, ſed ex frugibus uſuram ſtipulantes, hoc obtentu quod frugum mutuatio, cum incremento recipiendarum uſurarum in τόκων appellationem non caderet, plectendos cenſuerunt. Ita quidquid omnino à Clericis poſſet excogitari ad quæſtum inhoneſtum faciendum, hoc ipſis illicitum eſſe Synodi patres ſanxerunt, atque à Clero dejiciendos, ſi id quocunque modo patrarent, pronuntiarunt. Inter ceteras artes quibus fraudem canoni facere moliebantur Clerici, hæc fuit quam refert Balſamo. Τινὲς, inquit, τῶν ἱερωμένων εἰδότες τὸν κανόνα, καὶ περιγράφοντες αὐτὸν τὰ μὲν ῥήματα φυλάττουσι, τὸν δὲ νοῦν ἀθετοῦσι. *Verba quidem ſanctionis ſervant, mentem autem non obſervant, quam potius in irritum devocant.* Dant alicui pecuniam ad merces emendas ea conditione, ut lucrum inde venturum participent, cum periculi pars nulla ad ipſos ſit perventura. Non exigunt quidem uſuras datæ mutuo mu[illegible] pecuniæ,

pecuniæ, quoniam verbis Synodi id ne faciant cave-
tur, ſed quia partem lucri paciſcuntur ex pecunia mu-
tua ſine ſuo periculo, contra Synodi mentem veniunt,
licet ſocii velint dici mercatorum, non fœneratores:
τῇ ἀληθείᾳ δανεισταί εἰσιν, κοινωνοὶ λέγεσθαι χρηματίζονται.
Has artes μεταχειρίσεως nomine complexa eſt Syno-
dus. Ibi enim ita ſcribendum, non μεταχειρήσεως, quod
* aliud eſt. Ergo μεταχείρισις à verbo μεταχειρίζειν, eſt
cum quis non ſuo nomine, ſed alieno aliquid agit,
quaſi de alia manu in aliam mutatio. Suidas: Μεταχει-
ρίσαι, τουτέστιν ἐναλλάξαι, ἤγουν ἀπὸ πεπληρωμένων ποιεῖν
τελείους. Aliud eſt μεταχειρίσασθαι, nempe idem quod
μετὰ χεῖρας ἔχειν, inter manus habere, tractare, ut Syne-
ſio, μεταχειρίσασθαι πηδάλιον. Ab illo μεταχειρίσασθαι, ver-
bale μεταχειρισμὸς, tractatio & adminiſtratio. ἀπὸ δὲ με-
ταχειρίζειν fit μεταχείρισις, *adinuentio*, qua aliquid pro
altero permutatur, aut immutatur. Ita igitur vocat
canon fraudem, quam ſanctioni faciebant quidam Cle-
rici, qui alieno nomine uſuram exercebant. Inde in
decretis Leonis primi Pontificis, quibus vetantur uſu-
ræ Clericis: *Illud etiam duximus præmonendum, ut
ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum
exercere fœnus attentet.* Quod cum fit, id fieri μεταχει-
ρίσει Canon Nicænus intelligit, ac pariter prohibet,
& Leo in eo prohibendo ſequitur Nicænam definitio-
nem. Quamobrem Synodus ut has omnes uſurarias
artes ſubmoveret, earumque occaſionem Clericis præ-
cideret, non ſolum τόκους λαμβάνειν eis interdixit, ſed etiam
prohibuit, *ex adinuentione aliqua*, ut vertit Diony-
ſius, *vel quolibet modo negotium tranſigere, aut hemio-
lias, id eſt, ſeſcupla exigere, vel aliquid tale prorſus
excogitare turpis lucri gratia.* Ergo inter eas adinuen-
tiones quas excogitare, aut prætextus quos lucri cauſa
prætendere poſſent Clerici, ſi τόκους tantum nomina-
tim ipſis illicitos eſſe ſanxiſſet Synodus, etiam ἡμιολίαι
recenſentur. Quas utique conſtat eodem prorſus ſi-

gnificatu eſſe accipiendas, quo in Laodicena Synodo, ubi *τόκους* pariter, & *ἡμιολίας*, idem concilium Clericis cenſuit prohibenda; nempe de eo quod amplius ex frugum mutuatione perciperetur ultra quantitatem creditæ ſummæ. Quia enim plerique ſibi perſuadebant, *τόκον*, hoc eſt, uſuram, vel fœnus, de pecunia tantum dici debere, non etiam de aliis ſpeciebus, ea res movit tam Laodicenos quam Nicænos patres, ut & hunc *πλεονασμὸν* cum uſura diſerte & explicite vetarent. Scio Balſamonem, ut & Zonaram, Græcos interpretes, *ἡμιολίας* de ſemiſſibus intellexiſſe, verum illud etiam ſcio male intellexiſſe. *Ἡμιολίας δὲ*, inquit Balſamo ad illum canonem, *νόησον τὰς ἐλαφροτέρας ἀπαιτήσεις τοῦ τόκου*. Quod ratione prorſus caret. Cum enim initio canonis dicatur, Eccleſiaſticos accipere vulgo in fœnerando *ἑκατοστὰς*, centeſimas, quæ legitimæ tunc temporis erant uſuræ; omneſque mox uſuras ſynodus accipi à Clericis prohibeat, quam abſurdum eſſet, ut ſtatim de minoribus prohibendis etiam auctoritatem ſuam interponeret, præcipue cum eas nominatim vetet inter artes atque inventiones quibus eludere prohibitionem uſurarum poſſent clerici, niſi obviam diſerta earum exceptione à Synodi patribus itum eſſet. Rationem adjicit ſuæ interpretationis Balſamo: *Κἂν γὰρ, φησὶν, οὐκ ἀπαιτῇ ὁ κληρικὸς ἑκατοστιαίους τόκους βαρυτάτους, ἤτοι ὑπὲρ ἑκάστης λίτρας ὑπέρπυρα νομίσματα δώδεκα, ζητεῖ δὲ τὸ ἥμισυ τοῦ ὅλου τόκου, ἤγουν νομίσματα ἕξ, ἢ καὶ τούτων ἥττονα, καὶ οὕτω καθαιρεθήσεται*. *Etiam ſi inquit non exigeret Clericus uſuras centeſimas, hoc eſt, in ſingulas auri libras ſolidos aureos duodecim, ſed tantum peteret mediam partem centeſimæ, hoc eſt, ſex ſolidos in auri libram, vel etiam minores, nihilominus deponeretur.* Hæc abſurda ſunt ac prorſus inepta. Nam quod addit, *ἢ καὶ τούτων ἥττονα*, *etiam minores ſemiſſibus uſuras*, id non poteſt ex verbis canonis elici. Quippe canon diſerte tantum centeſimas, & ſemiſſes uſuras

Clericis

Clericis interdiceret ſiquidem ἡμιολίας hic acciperemus pro ſemiſſibus. At inde ſequeretur, ſolas eas uſuras à canone clericis vetitas eſſe, quarum expreſſam mentionem feciſſet, centeſimam nempe & dimidiam centeſimæ, ſive ſemiſſalem. Minores vero ſemiſſibus, quæ nominatim in canonis decreto non vetantur, ex eo ſibi permiſſas eſſe Clerici poſſent contendere, ut erant *quadrantes*, & *trientes*, quales ſenatoribus & illuſtrioribus concedi voluit Iuſtinianus. Conſtat tamen, Clericis omnes omnino uſuras & omnium quidem conciliorum, tam generalium quam localium decretis, fuiſſe interdictas. Non levius videntur erraſſe, niſi etiam gravius peccarint, qui ἡμιολίας de ſeſquicenteſimis interpretati ſunt, ut Scaliger Hotomannus, aliique nonnulli. Quo enim pertinuiſſet poſt vetitas uſuras quas ante hanc ſanctionem Clerici vulgo quaſi legitimas exercerent, quæ centeſimæ erant, mox ſeſquicẽteſimas expreſſe Clericis iiſdem prohibere? Certe qui minores vetat, etiam majores vetare credendus eſt, & tanto quidem magis. Unus igitur ex omnibus antiquis optime & veriſſime hujus canonis mentem ac ſententiam aperuit & explicavit Ruffinus in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. x, ubi Nicænos canones omnes declarans, breviter ſic & hujus canonis xvii ſenſum expoſuit ad hunc modum: xix, *Et ne quis Clericus, aut uſuras accipiat, aut frumenti vel vini ampliationem, quod ſolet in novo datum, vel ſeſcuplum, vel etiam duplum recipi. Quod ſi faciet, tanquam turpis lucri abjiciendum.* Plane patet, per ἡμιολίας in canone *ampliationem frumenti, ac vini* intellexiſſe, atque etiam explicaſſe cur ἡμιολίαν Græci hunc πλεονασμὸν in frugibus mutuo dandis appellarint, quia ſolebat in novo datum, vel ſeſcuplum, vel etiam duplum recipi. Inde ἡμιολίας *ſeſcupla* & in hoc ipſo canone recte Latine vertit Dionyſius Exiguus, eaque in Laodiceno etiam clare expoſuit *ſeſcupla* dici, *cum ſumma*

capitis & dimidium ſumma percipitur. Quod in uſura frugum ſollemne tunc fuit, vel ex lege Conſtantini, quam ſuperius in hoc adduximus. Quod dicit Ruffinus *ſeſcuplum* ſolere recipi, id licitum ac legitimum ex illa Conſtantiniana Conſtitutione. Quod *duplum*, id ſupra modum à lege præſcriptum. Qui duos accipit modios mutuos, ut tres reddat, ſeſcuplum, hoc eſt, ἡμιόλιον reddit. Nam, ut jam ſupra docuimus, tres modii quos reddit ad duos quos accepit, rationem habent ἡμιολίαν. At cui duplum redditur, is pro duobus quos dedit, modiis, quattuor, non tres recipit cum ultra tres recipi vetet lex Conſtantini. Cui ſimilis eſt lex VViſigothorum lib. v, cap. IX, de uſuris frugum, quam adeo ad exemplar Conſtantinianæ formatam eſſe veriſimile eſt. Ideo & ANTIQVA in titulo præfert, ut conſtet ex antiqua & Romana lege eſſe mutuatam. Sic igitur habet: *Quicunque fruges aridas & humidas, id eſt, vinum & oleum, vel quodcunque annonæ genus alteri commodaverit, non amplius ab eo propter uſuras, quam tertiam partem accipiat, id eſt, ut ſuper duos modios, qui accepit, tertium reddat. Quam legem ad ſolas fruges præcipimus pertinere. Nam de pecunia commodata, ſecundum ſuperiorem legem valere & obſervare cenſemus*. Erat igitur hic legitimus uſuræ in frugum mutuo modus, *ſeſcuplum*. Idque etiam comprobat Balſamo ad Canonicam Gregorii Nyſſeni Epiſtolam, ubi πλεονασμὸν de uſura frugum interpretatus eſt. Hujus enim modum ibi quoque expoſuit his verbis: Οἷον ἔδωκέ τις οἴνου μέτρα πεντήκοντα ἐπὶ τῷ λαβεῖν ἑβδομήκοντα, ἢ καὶ πλείονας. Si quis dederit quinquaginta vini amphoras, ut recipiat ſeptuaginta quinque, ſeſcuplum uſuræ nomine recipit. Ideo dixit Balſamo, ἑβδομήκοντα ἢ πλείονας. Nam ut ſeſcuplum ſit, oportet reddi ſeptuaginta quinque pro datis quinquaginta. Qui modus uſuris frugum lege Conſtantini fuit impoſitus. Ideo *ſeſcupla* abſolute vocavit Dionyſius Exi-

guus, quæ in Græco ἡμιολίαι, quæque ideo ἀπὸ τῶ τόκων diſcernuntur, ut diximus, quia multis hæc opinio inſederat, uſuram ac fœnus tantum in pecunia mutua dici. Photius in Nomocanone Titul. IX, cap. XXVII: Περὶ ἐπισκόπων τοκιζόντων, ἢ λαμβανόντων ἡμιολίας, ἢ ἕτερον αἰσχρὸν ἑαυτοῖς ἐπινοούντων κέρδος. Theodoretus quoque in compilatione Canonum τόκους, & ἡμιολίας diſtinxit. Illæ uſuræ ſunt pecuniæ, iſtæ auctiones, vel ampliationes frugum ultra ſortem uſque ad ſeſcuplum. Balſamo etiam ad Nicænum Concilium: Ὁ δὲ παρὼν κανὼν παύει τοὺς κληρικοὺς μετὰ τόκου δανείζοντας, ἢ ἡμιολίας ἀπαιτοῦντας, ἢ ἕτερόν τι αἰσχρὸν κέρδος ἑαυτοῖς ἐπινοοῦντας καθαιρεῖσθαι ἐδικαίωσεν. Sed male ἡμιολίας de ſemiſſibus accepit. Patres Concilii ſexti in Trullo, pro eo quod eſt in Laodiceno & Nicæno canonibus, τόκους ἢ ἡμιολίας, cum pariter utrumque Clericis vellent interdicere, poſuerunt τόκους, ἢ ἑκατοστάς. Canon illius Synodi X: Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τόκους, ἢ τὰς λεγομένας ἑκατοστὰς λαμβάνων, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Quis non videt, pro ἢ τὰς λεγομένας ἡμιολίας, quod erat in utriſque ſupraſcriptis canonibus, patres iſtos maluiſſe, ἢ τὰς λεγομένας ἑκατοστάς? Qui & videntur exiſtimaſſe ἡμιολίας nihil aliud eſſe quam ἑκατοστάς. Quod clarius itaque ipſis viſum eſt, hoc & in decreto ſuo poſuerunt. Non video tamen, qua ratione adducti ἡμιολίας eſſe ἑκατοστὰς putaverint. Multo minus perſpicio quæ cauſa eos induxerit, ut poſt vetitas generatim uſuras, debuiſſe crediderint etiam ἑκατοστὰς vetare. Fortaſſean dici queat ἑκατοστὰς illas irrepſiſſe ex gloſſa ἀντὶ τῶ ἡμιολιῶν. Si patres ipſi ita ſcripſere, quod nolo opinari, certe non intellexerunt, quid eſſent ἡμιολίαι. Sed & quicunque hactenus arbitrati ſunt ſe id ſcire, nunc fateantur, ſe ignoraſſe. Gloſſæ veteres: ἡμιόλιον, *ſeſcuplum*. Poſſunt & reddi, *ſeſqualtera*, vel *ſeſquialtera*. Nam ita Vitruvio vertitur. Gloſſæ optimæ: *Seſqualtera*, ἡμιολία. Æque rectum, niſi ſit etiam

rectius,

rectius magiſque uſitatum, *ſeſcuplum* & *ſeſcuplex*. Unde *ſeſcuplares milites*, qui ſeſcupla cibaria accipiebant, Vegetio, qui *ſeſcuplarii* Hygino in Gromatico, ut *duplicarii*, quos vocat *duplares* Vegetius, quia duplicem annonam conſequebantur. Certe à *ſeſque*, vel *ſeſqui*, quod totum cum ſemiſſe ſignificat, recte fit *ſeſquiplum*, quod ſeſqui majus eſt altera parte. Idque Græce eſt ἡμιόλιον. Cicero in oratore: *Pes qui adhibetur ad numeros partitur in tria, ut neceſſe ſit partem pedis, aut æqualem eſſe alteri parti, aut altero tanto, aut ſeſqui majorem.* Id eſt, aut duplam, aut ſeſquiplam, ἢ διπλασίονα, ἢ ἡμιολίαν. *Ses* proprie antiquo ſermone idem quod ſemis pro *ſees*, idque pro *ſeas*. Inde *ſeſque*, idem quod, & *ſemis*, ſed ſubintelligendum *as*: *As ſeſque*, id eſt, totum ac ſemis, ὅλον καὶ ἥμισυ. Græci ἓν ἥμισυ dicunt, *unum ſeſque*; ut ἓν ἥμισυ ἀσσάριον, qui *ſeſquas* eſt. Sic cum *ſeſtertius nummus*, aut *pes* dicitur Latine, ſubaudienda ſunt *duo aſſes*, quibus ille *ſes*, ſive *ſemis* additur tertius. Quomodo & Græci loqui ſolent, cum τρίτον ἡμίδραχμον duas drachmas cum dimidia facit. Sic *ſeſtertius pes*, duo pedes ſunt & dimidius. Ita *ſeſalter* diceretur, vel *ſeſſecundus* de pede & dimidio, vel de aſſe & ſemiſſe, ut Græcis δεύτερον ἡμίδραχμον eſt drachma cum dimidia. At *ſeſquas*, pro aſſe cum ſemiſſe, ut & *ſeſquipondium*, pro libra una ac dimidia, nulla cum ratione dicitur. Multo minorem habet analogiam *ſeſquialterum* pro *ſeſquiplo*, & *ſeſquitertium* pro ἐπιτρίτῳ. Cum enim ἐπίτριτος ſit numerus, qui totum habet & tertiam ejus partem, id non poteſt ſignificare nomen *ſeſquitertius*. Nam *ſeſqui*, pro toto & ſemiſſe accipitur. Quomodo igitur *ſeſquitertius* erit ἐπίτριτος, id eſt, cui totum ineſt cum tertia ejus parte? Eo modo quo *ſeſque*, vel *ſeſqui* dixerunt Latini pro eo quod eſt ὅλον καὶ ἥμισυ, dicere etiam potuiſſent, *tertiuſqui*, vel *tertiuſque*, ſubaudiendo ſimiliter totius vocabulo, ut eſſet numerus qui totum conti-

neret & tertiam ejus partem. At *ſeſquitertius* numerus nulla ratione appellatus eſt. Sed hæc vocabula ita facta ſunt, ut *tremiſſem* ad exemplum *ſemiſſis*, pro *triente* finxerunt mediæ Latinitatis auctores. Non male profecto Agellius negavit, nomen reperiri Latinum, quo converteretur in eam linguã numerus Græcorum ἐπίτριτος. Nam etſi ea voce uſus ſit Vitruvius, apud vulgum potius ea uſitata videtur fuiſſe, quam apud eruditos. De ἡμιολίῳ quod idem aſſerit etiam aſſentior quantum ad *ſeſquialterum* attinet. Sed cum *ſeſqui* optimi Latinitatis auctores uſurparint, pro eo quod eſt ὅλον καὶ ἥμισυ, non video cur *ſeſcuplum*, inde non potuerit formari ἀντὶ τοῦ ἡμιολίου. At *ſeſtertium* & *ſeſquitertium* longe inter ſe differunt, cum illud bono ſæculo natum ſit atque uſitatum, hoc poſteriore ævo ſine ratione factum, immo & contra rationem. *Seſtertium*, id eſt, quod duo habet cum ſemiſſe. *Seſquitertium* quod qualemcunque ſummam habet totam, & præterea tertiam ejus partem, ut ſunt quattuor ad tria, duodecim ad novem, & ſimilia. Ad eamdem formam & *ſeſquialterum*, pro *ſeſcuplo*. *Seſalterum* vero eſſet, ſi diceretur, ut dici poſſet, quod altero tanto majus eſſet, idemque quod duplum, ac Græcum διπλάσιον. Atque hæc obiter. *Seſcuplum* igitur, quod & quibuſdam dictum eſt *ſeſquialterum*, ſolebat in frugibus mutuaticiis reddendis obſervari, cum ſumma totius crediti reddebatur, & dimidium totius ſummæ, uſuræ vicem. Quod erat legitimum. Ultra legem quidam paciſcebantur duplum, ut notat Ruffinus in interpretatione Nicæni Canonis, cujus verba videntur perperam tranſpoſita, cum ſcribit, *quod ſolet in novo datum, vel ſeſcuplum, vel etiam duplum recipi.* Contra enim & in vetere dabatur, & in novo recipiebatur in tempore meſſis, ut apud Hieronymum legitur ad Ezechielem: *Verbi gratia, ut hiemis tempore demum decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim.* Lege igitur apud Ruffi-

Ruffinum, *Quod datum, ſolet in novo, vel ſeſcuplum, vel etiam duplum recipi.* Fortaſſe tamen & ita poteſt intelligi, quamvis intricatum & ambiguum videatur, *Quod ſolet in novo, datum, vel ſeſcuplum, vel duplum recipi*, ut intelligatur quod ſolet in novo recipi. Sed illud *datum* plane turbat, & omnino ejiciendum exiſtimo. Sic enim recte procedet oratio: *Et ne quis clericus, aut uſuras accipiat, aut frumenti vel vini ampliationem quod ſolet in novo, vel ſeſcuplum, vel etiam duplum recipi.* Si *datum* illud ſuo loco retinemus, reformandum erit in *dati*, hoc modo: *dati vel ſeſcuplum, vel duplum recipi.* Id eſt, dati ſeſcuplum, vel duplum, ejus nimirum quod datum eſt, ſeſcuplum vel duplum, ſolet in novo recipi. Idque veriſſimum. Duplum recipitur, cum alterum tantum ab eo qui mutuum accepit redditur, ut quaterni modii pro binis. Quæ uſura ſortem æquat, ut etiam ſolitum in trajectitia pecunia Manilius oſtendit, cum *æquo tempora navigationis vendi* ſcribit, hoc eſt, uſura ſummam capitis æquante. Ut erant qui plus accipiebant in frugibus dandis, quam lex permitteret, ut illi qui duplum ſortis exigebant, cum lex tantum concederet ſeſcuplum, hoc eſt, ἡμιόλιον, ita fuere qui minus poſtularent. Atque hi ſe juſtiſſimos putabant, cum quartam partem ſtipularentur, id eſt, cum ob tres modios datos, quattuor ſibi reddendos ſolerent paciſci. In reddendis quippe quaternis modiis, pro ternis quartus, qui uſuræ nomine accedebat, quartam partem ſuperfluam, & ultra ſortem amplius, exigebat. Quam uſuram ſecundum λογιστικῶς liceat appellare ἐπίτριτον, id eſt, *ſeſquitertiam*, quæ hic eadem plane invenitur cum Atticorum τόκῳ ἐπιτρίτῳ. Nam Atticorum τόκος ἐπίτριτος in tridrachmum unam drachmam annuam poſcit pro uſura, quæ pars eſt trium drachmarum, & dictus eſt ἐπίτριτος, quia tertiam ſortis partem uſuræ nomine paciſcatur. Hic vero in frugum

mutua-

mutuatione, qui dat tres modios, ut quattuor recipiat, non plus in uſura accipit, quam tertiam partem ſortis, cum in tres modios unum tantum paciſcatur, qui tamen cum quaternos ſimul recipit pro tribus quos dedit, Latini quartam partem eum uſuræ nomine conſequi dicunt, non tertiam, qui λόγος eſt ἐπίτριτος. Nam ut ſunt quattuor ad tria, rationem epitriti habent. Simul etiam ἐπίτριτος eſt τόκος Atticorum. Similiter ἡμιολία uſura eſt, quæ vere dimidiam partem pro uſura conſequitur, quam Græci Attici ἐφημιόλιον τόκον nominarent. Latini tertia parte ſortis eam uſuram conſtare dicunt, quia tres pro duobus redduntur, quæ ratio eſt ἡμιολία, non ἐπιτρίτη. Sic ἐπόγδοος τόκος Atticis vocatur, qui octavam partem ſortis ad uſuram requirit, ut in octo drachmas unam, quod fœnus Latini appellarent, in frugibus præcipue mutuandis, in nonam partem ſummæ capitis. Atque ita plane nuncupat lex VViſigothorum, quam ex *antiqua*, id eſt Romana, ſumptam titulus indicat lib. v, cap. v: *Si quicunque pecuniam commodaverit ad uſuram, non plus per annum quam tres ſiliquas de uno ſolido poſcat uſuras, ſi tamen fuerit unde detur. Sed de ſolidis octo nonum ſolidum creditori, qui pecuniam ad uſuram dedit, exſolvat.* Ecce nonum ſolidum ex octo ſummæ capitis fœnoris loco dandum cenſet fœneratori. Quem ἐπόγδοον τόκον Græci vocant, quia octavam partem ſortis ea dat uſura, in octo ſolidos nempe unum. At Latini nonam eſſe partem eam interpretantur, qui numerus ad octo rationem habet ἐπόγδοον, hoc eſt, *ſeſquioctavam.* Juſtinianus de eadem uſura loquens non ἐνάτην μοῖραν vocat, ſed ὀγδόην, more Græcorum, Novella XXXII, quam infra enarrabimus. Ad hanc Græcorum loquutionem magis accedit noſtra, qua *octavum denarium* dicimus, cum in octo unus pro uſura datur, quem Latini illius temporis *nonum* dixiſſent, quia nonus additur uſuræ nomine ad octo ſortis denarios.

narios. Quæ ratio eſt ἐπόγδοος, & ſimul ἐπόγδοον Græcorum τόκον efficit, quo octava pars ſortis præſtatur, uſuræ titulo. Quæ uſura ſi adjiciatur ad ſummam capitis, nonam totius quod redditur conficit. Quod præcipue locum habet cum ſors ſimul cum uſuris redditur, ut in nautico fœnore moris erat,& in frugum ampliatione, ſive uſurario πλεονασμῷ. Ita ergo & quartam partem plus accipi dicit Hieronymus in mutuo frugum, quum in tres modios unus fœnebri pacto promittitur. Totum ejus locum apponam: *Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarumque ſpecierum uſura exigi, ſive ut appellat ſermo divinus, abundantia.* Hoc eſt, Tarbit. *Verbi gratia, ut hiemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt,amplius partem mediam.* Hæc eſt tertia pars ſuperflua Conſtantino, ſi adjungatur ſummæ capitis, ut modius uſuræ duobus modiis ſortis. Pergit Hieronymus: *Qui juſtiſſimum ſe putaverit, quartam plus accipiet portionem.* Hoc jam explicavimus, ut ſcilicet hic qui ſe juſtiſſimum putat, tres modios det, & quatuor recipiat. Sic ſecundum Hieronymum quarta plus portione accipit,quam Græci tertia tantum plus parte accipere dicerent,quatenus tertiam modo ſortis portionem percipit. Sequitur ſtatim apud Hieronymum: *Et ſolent argumentari ac dicere, dedi unum modium, qui ſatus fecit decem modios, nonne juſtum eſt ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem ac ſemis de meo habeat.* Non hæc ille dicit, qui ſe vult videri juſtiſſimum, recipiendo tantum quartam partem ex frugum mutuo, hoc eſt, quattuor modios pro tribus datis, ſed ille qui mediam modii partem paciſcitur uſuræ nomine in unum quem dedit, qui quidem non ſe juſtiſſimum audet prædicare, ut ille alter, ſed juſtum, quatenus id, quod lex permittit,accipit,ſimulque factum ſuum non ſolum ex lege defendit, ſed etiam ipſius legis æquitate patro-

patrocinatur. Juſtum, inquit, eſt, ut qui ex modio à me mutuo ſumpto, quo agrum conſevit, decem modios retulit, ut meum quidem ante omnia mihi modium reddat, deinde ex illis decem quos ex mei modii ſatione in ſuo agro collegit, dimidium ſaltem modium uſuræ nomine præſtet, cum apud ipſum novem & ſemis remaneant, qui bene labores ejus & ſumptus poſſunt compenſare, & quos non percepiſſet niſi modium illum à me mutuo accepiſſet. Hac ratione ſoliti erant excuſare & purgare enormem, & improbum uſuræ modum, quem in frugum mutuatione capiebant illius temporis fœneratores. Eamdem etiam lex videtur habuiſſe, cum tam immanem uſuram in frugibus liquidis aridiſque permiſit, ac pro juſta habuit. Sed & aliam præterea non minus idoneam, & æquam ſequuti videntur, quam noſtri allegant Juriſconſulti, & Imperatorum reſcripta, incertam nempe æſtimationem fructuum, τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν. Quo tempore dedi tibi modium frumenti, is verbi gratia ſolidi aurei ſemiſſe valebat, cum mihi reddes, fieri poterit, ut propter inſecutam annonæ ex abundantia vilitatem modius tum væneat triente tantum ſolidi, aut quadrante. Etiam ſi tunc temporis duos à te modios recipiam, hoc eſt, duplum ejus quod dedi, non pluris mihi valebunt ſi cogitem vendere illos ac pretium cogere, quam unus æſtimabatur quando mutuus à me tibi eſt datus. Quæ omnes rationes parvi fiunt ab illis, qui omnem omnino uſuram damnare æquius, ac Theologiæ convenientius putarunt. Quod ſi id obtinere & conſequi poſſemus ab hominum, ſicut hodie ſunt, moribus, non invitus quoque eos ſequerer. Sed videant an id ratio ferre poſſit ſocietatis humanæ & commerciorum, & an æquitati uſquequaque litare queat. Qui mutuo dedit modium frumenti, cum maxime cara eſſet annona, & quum eum impenſo poſſet pretio vendere, ſi nihil plus quam modium poſt annum recipere cogetur,

vix quartam, ſi forte, pretii partem ex illo modio tum recepto ob ſequutam fertilitatem poterit conſequi. An hoc æquum videtur? Immo eſt illi, ſi quis ad exemplum Chriſti ſe totum velit componere, ac ſortem ipſam perdere ſuſtineat. Quinetiam ſi is ſit qui bona ſua omnia divendere ac pauperibus dividere, ut apoſtolicum virum ac vere Chriſtianum ſe præbeat, egregiam charitatis laudem putet. Sed hoc mercatori frumentario, ut faciat, perſuadere ſi coneris, aut cuilibet alii civi, nec Theologos ab his excipio, laborabis plus ſatis, nec obtinebis tandem. Qui poſſunt, aſſurgant ad illud perfectionis ſpecimen, quod à ſuis Chriſtus requirit. Hoc affectantem, & eo adſpirantem non impediunt leges civiles, quæ id negotii ſibi dari credunt, ut coërceant, qui ſponte ſua nihil boni agere norunt, modum uſuris ponendo, & contractus alios quorum uſus eſt in ſocietate humana temperando. Niſi hoc facerent legum auctores, exemplum eorum, qui ad ſublimiora contendunt non ſatis efficax eſſet, malis ad meliora trahendis, quos deteriora ſequutos vix metus pœnæ, quā lex minatur, in officio continet. Alterum alteri non officit neque nocet, cum ſi alterum eſſet tantum, id alteri, quod legibus eſt coërcēdum, neutiquam prodeſſe poſſet. Fuere porro qui non fruges mutuo dantes, ſed pecuniam, fruges tamen uſuræ nomine ſibi præſtandas paciſci ſolerent. Quorum ut non unum genus, ita nec una ratio fuit. Quidam ita pecuniam petenti commodabant, ut meſſis tempore in frumento, vel vindemiæ in vino quanti tum utrumque venale haberetur, creditum ſibi reddi ſtipularentur. Alii roganti mutuum frumentum, aut aliam ſpeciem, pauperi, ſe non habere quod mutuum darent, reſpondebant, ſed quantum eſſet pretium modii frumenti eo tempore, aut tot denarios novorum fructuum tempore ſibi reddendos in pactionem deducebant, aut certe tantum dandum in frumento ſecundum illius temporis

poris æſtimationem. Horum mentionem facit Concilium Pariſienſe VI, Can. LIII, anno Domini DCCCIX, ubi fœnerator pauperi mutuari à ſe frumentum volenti ita reſpondere inducitur: *Non eſt mihi frumentum, aut aliud quid, quod in cibum tibi ſumere vis, ad mutuandum, ſed magis ad vendendum: ſi vis emere, fer pretium, & tolle. Cui pauper, non eſt mihi, inquit, quicquam pretii quo emere id quo indigeo valeam, ſed peto abs te ut miſerearis mei, & quodcunque vis mihi quod peto, ne fame pereat, mutuum porrige. Fœnerator è contra, quot modo denariis poſſum modium frumenti mei vendere, aut tot denarios tempore novi fructus mihi redde, aut certe eorum pretium in frumento & vino, & ceteris quibuſlibet aliis frugibus ad plenum ſupple. Vnde evenire ſolet, ut pro uno frumenti modio taliter mutuato tres, aut certe quattuor modii à pauperibus tempore meſſis violenter exigantur.* Hoc mutuum Conſtantini ætate non habitum fuiſſet injuſtum, aut iniquum, quandoquidē tunc legitimum fuit, modium unum cum tempus hiemis eſſet, dare mutuum, & tres recipere paulo poſt meſſem peractam. Idem eſt autē ſi quis tres modios frumenti ſibi reddendos paciſcatur pro uno quem commodaverit, aut ſi pro pretio modii, quo æſtimabatur cum eum mutuo dedit, tres modios, cū erunt reddendi, pretio ſimiliter illius temporis æſtimatos poſſit conſequi. Utrobiq; fieri poteſt, ut aliquādo plus, aliquando minus lucretur fœnerator ob incertum fructuum pretium, quod futurum eſt in meſſe, perinde ut erit annona ex ubertate, aut ſterilitate ſequentis meſſis. Exempli gratia, cum modium meūm commodavi, decem denariis potui vendere. Si pro eo, ut lex Conſtantini permittit, tres debeo recipere, cum meſſis erit, fortaſſe eveniet, ut tres illo in tempore modii vix tantumdem valeant, quanti meum vendidiſſem ſi vænalem tum habuiſſem cum eum dedi mutuum. De pretio idem poteſt invenire, ſi non

ſum ſtipulatus tres modios pro mutuo dato mihi *te* ſolvi, ſed aut pretium quo æſtimabatur, cum dedi, decem nempe denarios, aut totidem modios frumenti quot eo pretio tunc poterunt haberi. Incerta ratio pretii fructuum, ut in utroq; modo mutui valet, ita etiam valere debet ad augendam frugum uſuram. Nam ut lucrari tres interim modios poteſt pro uno, qui unum fœneratus eſt, ita etiam ſi aliter ceciderit, multum poteſt damni facere. Frequentius autem contingit, ut poſt meſſem recentem vilior ſit longe annona quando mutuum redditur, quam in media hieme, quando datur. Alia pactio eſt cujus mentio fit leg. XVI Cod. de uſuris, de eo qui pecuniam fœnore dederat, ut certam modiorum tritici quantitatem reciperet, aut niſi ad diem is modus ſolutus eſſet, ampliorem adhuc acciperet modiationem. Ita habet reſcriptum illud Gordiani: *Cum non frumentum, ſed pecuniam fœnore te accepiſſe alleges, ut certa modiatio tritici præſtaretur, ac niſi is modus ſua die fuiſſet oblatus, menſurarum additamentis in fraudem legitimarum uſurarum gravatum te eſſe contendas, potes adverſus improbam petitionem competenti uti defenſione.* Perperam in ipſa lege legitur, *ac niſi is modius ſua die fuiſſet oblatus.* Non de modio uno fuit facta pactio, ſed de certa modiatione, hoc eſt, certo modo modiorum ac quantitate. Dedit quis centum aureos mutuo ea conditione, ut duo modii tritici ſibi ſolvantur uſuræ nomine intra Kalendas Septembres futuras, vel ut duodecim modios reciperet, tam pro ſorte, quam pro uſuris. Quod niſi is modus modiorum tempore, quod ſolutioni præſtitutum eſt, præſtaretur, majorem modum modiorum ſibi ſolvi ſtipulatus eſt. Si adjecta in pœnam non ſolutæ ſua die modiationis modiorum additamenta ſuperant legitimarum uſurarum modum, quod ſuperfluum datum eſt, debet repeti. In hoc mutuo ubi pro pecunia fœneraticia uſuræ nomine certus tritici modus

dus præſtatur, de ſorte ſimul cum uſuris in tritico reddenda cavetur, par plane ratio eſt quam in alio fœnebris mutui genere, in quo licebat mutuam pecuniam danti minores uſuras in pecunia præſtandas ſtipulari, & niſi intra certum tempus eas ſolviſſet debitor, graviores, dummodo licitas ac legitimas, peti ex ſtipulatu fas erat. Vide leg. XI, leg. XII, leg. XVII D. de uſuris. Item leg. VIII Codic. eodem Sed quæſtionis eſt in hoc mutuo pecuniario, quo de certa modiatione tritici, pro pecunia reddenda convenit intra certam diem, & niſi ad diem ſoluta eſſet, ampliatio menſurarum pœnę loco inflicta eſt, quænam uſuræ obſervandæ fuerint, ut legitimæ non excederētur, utrum quas in mutuatione pecuniæ lex obſervari juberet, an quas in frugum? Pecuniam certe datam in eo mutuo conſtat, non fruges. At de frugibus reddendis pactio intervenit. Incertum, propter quod majores uſuras lex in frugibus mutuo dandis, quam in pecunia permiſit, in redditione potius quam in datione conſiderandum videtur. Nam qui accipit frugum certam quantitatem mutuam, ſcit quid accipiat, & quantum valeant ſi pecunia æſtimentur. Nec multo ſecus eſt ſi quis viginti modios tritici accipiat mutuos viginti aureorũ, quam ſi viginti ipſos aureos in nummo. At plane ab incerto eventu pendet quanti ſit futura tritici certa illa menſura, quam ſibi reddendam creditor pepigit, eo tempore quo eam ex pacto recepturus eſt. Ut ſi quis fruges daret mutuas, & pecuniam uſuræ nomine ſibi reddi ſtipularetur, incertum illud plane ceſſaret, quod amplioribus uſuris in ſpecierum mutuo indulgendis occaſionem dedit, ita locum prorſus habet in quācunque mutuatione, quæ reddi in frugibus debet. Certum igitur eſt uſuras illas ampliores quibus ſe gravatum in ea lege debitor queritur ad eum modum fuiſſe reducendas, quæ legitimæ tunc habebantur in frugum liquidarum & aridarum mutuo. Huic pactioni quæ uſuræ nomine,

pro pecunia mutuo data fruges pollicetur in certa modiatione præſtandas, ſimilis eſt quodammodo Antichreſis, qua propter mutuum pecuniæ creditor fruges ex oppignerato fundo percipit. Nam & in hac Antichreſi, quæ eſt contraria veluti mutuatio, ob incertum fructuum reditum ac pretium, non obſervabatur legitimus uſurarum modus. Id conſtat ex leg. XVII. Cod. de uſuris, ubi Philippus reſcripſit, *ſi ea lege poſſeſſionem aliquis apud creditorem ſuum obligavit, ut fructus invicem uſurarum conſequeretur, obtentu majoris percepti emolumenti propter incertum fructuum eventum placita reſcindi non poſſe.* Solitas porro fuiſſe & uſu receptas hujuſmodi pactiones, quæ pro pecunia certum frumenti aut vini modum reddendum ſtipularentur, oſtendit Chirographariæ cautionis formula, quæ poſita eſt in libro cui titulus, Τύπος τέχνης τῶν γραμματέων, quem ex Regia Bibliotheca olim deſcripſimus, quæ ibi inſcribitur, Ἄκτος ὁμολογίας ἐν ὑποθήκῃ, & ſic habet: Τὴν παροῦσαν ἔγγραφον καὶ ἐνυπόγραφον δανειακὴν ὁμολογίαν καὶ ἀσφάλειαν, μετὰ καὶ τῆς ὑποθήκης, τίθημι καὶ ποιῶ ἑκουσίως, ἀφόβως καὶ ἀβιάστως, καθαρῶς καὶ ἀμεταμελήτως, πρός σε τὸν δεῖνα, καὶ ὅλον τὸ μέρος σου, καθὼς δηλωθήσεται. Καὶ γὰρ ἔλαβον ἀπό σου Κύρου τοῦ δεῖνος, λόγῳ δανείου, καὶ χωρὶς ἀντιδόσεως οἱωνδήτινων κινητῶν ἐνεχύρων νομίσματα τόσα, καὶ ὁ περὶ ἀναργυρίας λόγος χώραν ἐνταῦθα οὐκ ἔχει, ὅτι πραγματικῶς ἠριθμήθησαν καὶ καταβλήθησαν ἀπὸ τῶν σῶν χειρῶν εἰς τὰς χεῖράς μου τόσα νομίσματα τελκέφαλα. καὶ ταῦτα λαβὼν ἐγὼ κατὰ τὴν σήμερον χρεοδότως ἅμα καὶ μετρητῶς, ὁμολογῶ, καὶ ἀσφαλίζομαι, καὶ συμφωνῶ, διὰ τοῦ παρόντος χρεωστικοῦ ὁμολόγου μου, τοῦ ἀποπληρῶσαί σοι κατὰ τὸν Σεπτέμβριον μῆνα τῆς μελλούσης εἰσιέναι τόσης Ἰνδικτιῶνος, ἐντίμως, συγγραμμένως, ἀπικράντως, ἀλυτοπραγήτως, ἀνυπερθέτως, ἀνακρωτηρελάστως, καὶ διὰ μιᾶς καταβολῆς, διὰ σίτου καὶ οἴνου μέσου, συναλλακτικῶς, καθὼς φθάσῃ ἡ ἡμέρα ἔχειν, μὴ προβαλλόμενος οἱανδήτινα αἰτίαν ἀφορίας τυχὸν ἢ οἰκειακῆς τινος περιπετείας, καὶ διὰ ταῦτα εἰς ὑπερθέσεις

καὶ

καὶ ὑπερβιβασμοὺς χωρῶν τῆς ἀποφλήσεως τοῦ νομισματίου σου, ἢ τὴν ἐκ τοῦ νόμου τεταγμένην ἀνακαλούμενος, ἀλλὰ χωρὶς λόγου καὶ ἀμφιβολίας τινὸς καθυποχρεοῦμαι. ἀποφλῆσαί σοι τὰ κεχρεωστημένα σοι παρ' ἐμοῦ τόσα ὑπέρπυρα διὰ σίτου καὶ οἴνου μούστου, συναλλακτικῶς, ὡς δεδήλωται, δι' ὅλου τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς τῆς μελλούσης εἰσιέναι ἰνδικτιῶνος, καθὼς ἡ ἡμέρα ἔχει, καὶ λαβεῖν παρὰ σοῦ τὸ παρόν μου ὁμόλογον, ἢ ἀπόδειξιν ἐπ' ἀθωώσει μου. & quæ ſequuntur. Longum enim eſſet, omnia deſcribere. Fatetur hac cautione ſe accepiſſe debitor à creditore tot ſolidos aureos, & quidem tricipites quales tunc in uſu fuiſſe videntur, ut *ducatos bicipites* hodie vocamus à duplicis capitis forma qua ſunt inſigniti, & pro tot ſolidis quos accepit mutuo ſe bona fide ex pacto redditurum eſſe menſe Septembri frumentum ac vinum novum, quod μοῦστον appellat, id eſt, *muſtum*. καθὼς φθάσῃ ἡ ἡμέρα ἔχειν, quale eo tempore futurum eſt, & pretio etiam quo tunc æſtimabitur. Ceterum ut tandem concludam ac finiam hoc caput quod nimis extenditur, fœnus trajecticiæ pecuniæ propter periculum, & frugum, propter incertum earum pretium, ex quo etiam periculum damni non leve reſpiciebat creditorem, ut majores uſuras, quam in communi fœnore ſolitæ ac legitimæ erant, requirebat, ita fere in pleriſque lege exæquatum fuit. Uſuras frugum æque ut pecuniæ trajecticiæ, ſine ſtipulatione deberi, leges voluerunt. In frugum mutuo haud ſecus atque in trajecticiæ pecuniæ fœnore, ſimul cum uſuris reddi mos fuit. Præterea in utroque fœnore frugum & nautico uſuræ eo uſque ſæpe progreſſæ ſunt, ut ſortem ipſam æquarent. Nam ut ſcribit Ruffinus in Explicatione Nicæni Canonis, non ſolum ſeſcuplum, ſed etiam duplum recipi interdum ſolebat in frugibus, quæ mutuæ dabantur. In trajecticia pecunia, ut liberum fuit in quantas quis vellet centeſimas eam dare, ita ad æquationem ſortis ipſius non raro uſura procedebat, quod cētum pro centum vulgo dici-

dicimus. Hæc omnia moverunt Juſtinianum in redigendo ad minimum modum omne genus fœnore, ut pares quoque uſuras conſtitueret in frugum & pecuniæ trajecticiæ mutuatione fœnebri, eaſque omnium maximas.

CAPUT IX.

Solam periculi rationem diſcrimen feciſſe inter uſuras trajecticiæ pecuniæ frugumque, & communes. Iterum quædam dicta ad legem pro operis D. de Nautico fœnore, elucidandam. Licuiſſe Romano jure trajecticiæ pecuniæ contractus facere citra periculum creditoris, contra quam lege Rhodia ſancitum fuit. Explicata lex difficillima Scævolæ, periculi pretium eſt. Sub titulum de Nautico fœnore ideo eam à Triboniano digeſtam, quia ut in trajecticia pecunia periculum creditæ ſummæ reſpiceret creditorem. Negatio ex ea lege ſublata. Quid ſit alea. Quid ſit pœnalis conditio. Caſus, alea, τύχη, *idem. Iactum retis emere, & indaginem, & pantheram. Indago quid proprie ſit, & panthera.* Βόλον ἰχθύων ἀγοράζειν. *Idem eſſe &* γρῖπον ἀγοράζειν. *Diogenes Laërtius correctus. Hinc verbum* γριπίζειν, *&* δυσγρίπιστος. *Perſis id verbi ea notione notum, ut & Germanis. De athletis, qui multos ſumptus faciebant, cum ſeſe ad agonem exercerent. His ſub conditione mutuum aliquando dari ſolitum, ſi viciſſent, cum acceſſione magna reddituris. In eo quoque mutuo aleam ineſſe, ut piſcatori, cum mutuum datur ſub uſuris ingentibus in incertum capturæ caſum. In his aleæ plenis pactis citra ſtipulationem uſuras deberi, ut in trajecticia pecunia, & in frugum fœnore. Duplici ratione pecuniam trajecticiam fœnore dari ſolitam, cum creditor periculum ejus agnoſcebat. Aut in certum tempus datam, aut in totam navigationem. Iuſtiniani*

Novellæ

Novella de illis duobus modis interpretata. De navigatione quæ ἑτερόπλους Græcis, & quæ ἀμφοτερόπλους. Cataplum etiam vocatum τὸν ἀμφοτερόπλουν. Quo ſenſu κατάπλους Alexandrinus apud Romanos & Σικελικὸς κατάπλους apud Demoſthenem accipi debeat. Καταπλεῖν proprie ſignificare, cum navis revertitur in eumdem portum unde fuerat egreſſa. Leges aliquot explicatæ de utraque navigatione. Lex Pauli de eo genere fœnoris nautici cui certum navigationis tempus præfinitur, expoſita. Lex Scævolæ CXXII *D. de verborum obligationibus hactenus difficillima habita, enodata & multis locis emendata. Intra Kalendas quid ſignificet. Nomina urbium mediæ Latinitatis ævo ſexto caſu enuntiata. Beryto pervehendum, pro Beryton in lege Scævolæ ſupraſcripta. Lex* III *D. de Nautico fœnore, correcta. De variis generibus Nautici fœnoris, & uſurarum in his differentia. Error Molinæi notatus, qui putavit, quod datur in fine navigationis pro trajecticiæ pecuniæ lucro, certam eſſe ſummam, quæ non cadat in uſuræ appellationem. Rationes ejus refutatæ. Cur Iuſtinianus abrogaverit trajecticiæ pecuniæ uſuram, quæ octavam partem ſortis exigebat. Non eam fuiſſe abrogationis cauſam quam poſuit Molinæus. Sublata ea lex à Iuſtiniano de centeſima Nautici fœnoris, quia nimis modica eſſet ac proinde injuſta. Eo nomine iniquam viſam eſſe, quod eadem uſura in omni navigatione, longinqua & brevi, determinata eſſet. Rationes, quas adfert Molinæus de iniquitate fœnoris nautici & marino periculo minus frequente, refutatæ. Alia ratio ejuſdem exploſa, cur Iuſtinianus juſſerit irritam eſſe Novellam ſuam Conſtitutionem de centeſima Nautici fœnoris. Fœneratores etiam inter legitimos negotiatores olim fuiſſe habitos, eoſdem cum trapezitis, ut plurimum, fuiſſe, quibus & beſſium uſurarum capiendarum jus dedit Iuſtinianus,*

nus, ut & reliquis negotiatoribus, Iuſtinianum non ſuſtuliſſe morem fœnerandi ſub uſuris maritimis, ſed modum centeſimæ quam his impoſuerat abrogaſſe, revocata antiqua licentia in quantas quis vellet uſuras trajecticiæ pecuniæ mutuæ dandæ. Veriſimile quinetiam eſſe, revocatam, vel ab eo, vel à ſequentibus Imperatoribus, uſuræ frugum determinationem, quam parem ac trajecticiæ pecuniæ ſtatuerat. Tempore Balſamonis mediam partem menſuræ ex vino mutuo dato uſurarum vicem fuiſſe receptam, ut ſeptuaginta quinq; amphoras pro quinquaginta. Eum fuiſſe modum quem Conſtantinus lege ſua liquidis aridiſque fructibus in mutuando definiverat. Nauticum fœnus exercuiſſe Catonem, & quomodo exercuerit. Verba Plutarchi explicata, quæ non recte Hotomannus acceperat. Nauticum fœnus inhoneſtius vulgo habitum fuiſſe commune. Merces ex pecunia trajecticia comparatæ in eadem cauſa habebantur ac pecunia ipſa, ſi periculo creditoris navigarent.

SOla periculi ratio, ut vidimus in ſuperiori capite, effecit ut ſine modo relictæ ſint uſuræ tam in frugibus mutuaticis, quam in pecunia trajecticia, aut ut ad eum adeo enormem modum proceſſerint, quem expoſuimus. Nam & in frugibus mutuo dandis non leve etiam periculum creditori ſæpe impendere, certum eſt ex incerto ac mutabili earum pretio. Quippe cum quis ſeſcuplum, aut etiam duplum uſuræ nomine paciſcatur, interdum eveniat, ut vix ſortem ſervet, quo tempore eam recipere debet, nedum uſuras lucretur. Ideo & in Antichreſi, ut ſupra oſtendimus, quæ veluti mutua eſt, ut ita dixerim, mutuatio, leges permiſerunt ampliores fructus in vicem uſurarum percipere, *propter incertum fructuum eventum*, ut ait lex XVII Cod. de uſuris. Ita quidam Codices ſcripti habent, *eventum*, non *proventum*.

ventum. Is eventus non ſpectat tantum fructuum proventum, ſed etiam pretium. Etenim cum larga eſt annona, etiam vilior eſſe conſuevit. Ubi parva & rara, ex eo quoque, ut cara ſit, contingit. Utrobique magna eſt alea, cum & alii præterea caſus accidere ſoleant qui annonam accendant, & levent. Eadem periculi cauſa fecit, ut in ſtipulatione pro operis ſervi, qui mittitur ad navigationem pecuniæ trajectitiæ gratia, præter æſtimationem operarum duplicem etiam centeſimam uſuræ nomine in fine navigationis creditori deberi Juriſconſulti pronuntiarint. Servus ille, quem vulgo χειρεμβόλυθον vocabant, navigabat cum trajecticia pecunia, vel mercibus inde coëmptis, cauſa debitoris. Idcirco & creditori damnum fuit ſarciendum, quod patiebatur ex ſervi operis nihil ſibi reddentibus. Æſtimatio earum operarum fiebat in dies ſingulos, uſque ad finem navigationis, quantum nimirum ex his ſolitus erat quæſtus percipere creditor. Præterea qui periculo maris exponebatur, & nihil, ſi periſſet, eo nomine creditori tenebatur reddere debitor, ea de cauſa & uſuram uſque ad duplum centeſimæ, & non ultra, ejus ſummæ quam in fine navigationis æſtimatio operarum in ſingulos dies in ſtipulationem deductarum collecta effeciſſet, debebat. Hic eſt ſenſus, ut ſupra diximus, legis IV D. de uſuris, quæ hactenus inexplicabilis viſa eſt acutiſſimis Juriſconſultis: *Pro operis ſervi trajecticiæ pecuniæ gratia ſequuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt ad finem, non ultra centeſimæ duplum debetur.* In quibus verbis ad finem navigationis intelligendum eſt, niſi verum, ita ſcripſiſſe Papinianum, & vocem *navigationis* ſuſtuliſſe Tribonianum cum locum illum interpolaret, ut alium ei ſenſum accommodaret. Certe *ad finem* pro in fine accipiendum eſt. Duplum centeſimæ non poteſt aliter capi, niſi de duplice centeſima. Ut enim τὸ τρίτον ἑκατοστῆς, de triente uſura dicitur, quæ tertia pars eſt

centeſimæ, ita διπλοῦν ἐκατοστῆς, vel διπλάσιον, de dupliciſ, vel bina centeſima, accipi neceſſe eſt. Docuimus autem, in his quæ præceſſere, lege Rhodia cautum fuiſſe, ut ne aliter fierent trajecticiæ pecuniæ contractus, quam cum periculo creditoris. Si qui alio modo contraxiſſent in fœnore nautico, ut quemadmodum in communi periculum debitorem reſpiceret, irritam eſſe conventiónem. Non hoc placuit Romanis prudentibus, ex quorum reſponſis jure licuit trajecticiam pecuniam in fœnus dare uſuris communibus, ut liquet ex leg. IV D. de nautico fœnore. Papinianus ibi dicit, nihil intereſſe, trajecticia pecunia ſine periculo creditoris accepta ſit, an poſt diem præſtitutum, & conditionem impletam, periculum eſſe creditoris deſierit. *Vtrobique enim majus legitima uſura fœnus non debebitur. Sed in priore quidem ſpecie ſemper, in altera vero diſcuſſo periculo.* Ergo in priore ſpecie ubi trajecticia pecunia citra periculum creditoris accepta eſt mutua, legitimis majores uſuras non deberi reſpondit, ſimulque oſtendit, ea conditione accipi mutuum poſſe, ut periculum non ſit creditoris, per legitimam autem uſuram ibi intelligit centeſimam, quæ tunc locum habuit in communibus contractibus. Ubi autem cum creditoris periculo pecunia trajecticia accepta erat, ſub pluribus centeſimis fœnus nauticum in ſtipulationem deduci poterat; immo & quantis placeret, nullo modo his à lege conſtituto. Nauticum autem fœnus etiam ſine periculo creditoris dari poſſe, liquet & ex leg. II Cod. de nautico fœnore. Periculum igitur creditoris in conditione trajecticiæ pecuniæ dandæ poſitum, uſuras ejus ampliabat, & eo uſque quidem aliquando, ut alterum tantum earum nomine ſolveretur, hoc eſt, duplum ſortis. Quinimmo & præter periculum navigationis etiam in alia quam ob pecuniam trajecticiam pactione, poterat & plus quam pecunia data exigi, ſi aleam amittendæ ſortis ſubiret creditor,

ditor, ut Scævola reſpondit, leg. *periculi pretium eſt*, D. de nautico fœnore. Quæ lex quia & difficilis viſa eſt Juris doctoribus, atque etiam, quod non illi viderunt, mihi videtur mendoſa, integram hic afferemus, ut exponamus eam & emendemus. Sic igitur ſcripta eſt in Pandectis Florentinis: *Periculi pretium eſt, & ſi conditione quamvis pœnali non exiſtente recepturus ſis quod dederis, & inſuper aliquid præter pecuniam, ſi modo in aleæ ſpeciem non cadat, veluti ea ex quibus conditiones naſci ſolent, ut ſi manumittas, ſi non illud facias, ſi non convaluero, & cetera. Nec dubitabis, ſi piſcatori erogaturo in apparatum plurimum pecuniæ dederim, ut, ſi cepiſſet, redderet, & athletæ, unde ſe exhiberet, exerceretque, ut, ſi viciſſet, redderet. In his autem omnibus & pactum ſine ſtipulatione ad augendam obligationem prodeſt.* Legem hanc ſub titulo de nautico fœnore propoſuit Tribonianus propter affinitatem periculi, quod & in hac ad creditorem pertinet ſortis amittendæ cum uſuris, ut in trajecticia pecunia mutua danda. Deinde quod & in hoc obligationis genere pactum ſine ſtipulatione valet ad eam augendam, haud ſecus atque in pecunia trajecticia, ut infra dicturi ſumus. Nec accedere poſſum doctiſſimi Juriſconſulti ſententiæ, qui putavit, ratione periculi propriam, atque ἐιδικωτάτην conſtitui differentiam materiæ ac deciſionis hujus legis Scævolæ à legibus trajecticiæ uſuræ. Periculum enim hic intelligi ſerium & impendens, ex quo non minor ſit metus ſortis cum uſuris amittendæ, quam ſpes lucri majoris faciendi. Immo periculum quod ex mari creditori trajecticiæ pecuniæ metuendum impendet, non minus ſerium eſt, nec minoris faciendum quam quod ex eventu capturæ piſcium incerto, aut victoriæ athletæ, imminet. Vincat an non vincat athleta, piſces capiat an non capiat piſcator, non magis aut minus incertum, quam an navis in portum ſalva redeat. Periculi itaque ratio certio-

certioris aut incertioris, non ponit differentiam inter materiam ac deciſionem hujus legis, & legis uſuræ trajecticiæ, ſed res ipſa, quæ in totum alia, licet periculum prope par creditorem utrobiq; ſpectet ex eventuum incertitudine in quam pacta eſt reſtitutio pecuniæ creditæ cum acceſſione. Ideo recte atque ordine huic legi locum eſſe voluit Juſtinianus ſub titulo nautici fœnoris, ob periculi affinitatem, quod in utroque themate ad creditorem attinet. Magnas porro huic Scævolæ legi offudit tenebras importune inſerta negatio, quæ ſententiam Juriſconſulti turbavit, dilucidam alias futuram ſi ea dempta lectum eſſet: *ſi modo in alea ſpeciem cadat.* Niſi ita legas, nullus eſt ſenſus. Nam quod alii commenti ſunt ſcripturam, quam Molinæus fruſtra defendit, *ſi modo in aliam ſpeciem non cadat*, aliena etiam illa plane eſt ab Juriſconſulti mente. Niſi hic contractus in aleæ ſpeciem quamdam caderet, nullum in eo daretur periculi pretium. Ubi alea non eſt, nec ulla eventus futuri incertitudo, nullum etiam periculum inde timeri poteſt. *Periculi*, inquit, *pretium eſt, & ſi conditione quamvis pœnali non exiſtente recepturus ſis quod dederis, & inſuper aliquid præter pecuniam, ſi modo in alea ſpeciem cadat.* Certe nec periculum eſſet, nec periculi pretium in pactionem deduceretur, ſi res in aleæ ſpeciem non caderet. At eſt periculi pretium, ſi recepturus quod dederis & inſuper aliquid acceſſionis nomine, quamvis pœnalis non exiſtat conditio, ſi modo eventus in quem paciſceris incertus ſit, & aleam habeat, cujus periculum ad te pertineat, ut ſi conditio, qua redditum tibi iri cum augmento quod credidiſti pactus es, non impleatur. Fœnalis eſt autem conditio, qua quis recepturus eſt quod dederit, & inſuper aliquid præter ſortem, ſi pecuniam mutuam ea lege dederit, ut ſi verbi gratia Calendis futuris non reddatur, pœnæ nomine aliquam ſummam dari ſtipuletur præter ſortem. At hic pœnalis

nalis conditio non exiſtit, qua quis recipiat quod dederit & aliquid amplius pecunia credita, ſed periculi pretium eſt potius, quam pœna ſub conditione, ſi modo, ut dictum eſt, id in aleam cadat. Nam, ut dixi, ſi non ſit alea, non eſt periculum, nec adeo periculi pretium. Perperam Molineus in hujus legis expoſitione ſcribit, Scævolam quamdam remotam more ſuo, & obſcuriorem ſimilitudinem conſectatum eſſe. Ut enim natura pœnæ eſt eſſe in pendenti, ut pote ſub conditione, qua extante committitur, & vero deficiente ceſſat, ita hic utriuſq; contrahentium damnum, vel lucrum in pendenti ſunt. Hæc nihili ſunt, nec omnino ad rem pertinent, nec Scævolæ quidquam quo minus obſcurus ſit, conferunt. Duo ſunt modi quibus pecuniam, quam mutuam damus, recipimus, & inſuper aliquid præter ſortem creditam, cum uſuras ſtipulamur, aut cum pœnam niſi intra certum tempus ſoluta ſit pecunia, pro uſuris. Uſuræ in ſtipulatum veniunt ſine conditione. Pœna ut plurimum cum conditione venit, niſi ſua die pecunia ſolvatur. Tertius nunc modus accedit, qua quis pecuniam quam dederit, recepturus ſit, cum aliquo auctario, ex hac lege Scævolæ, periculi pretio. Verum ut hoc fit, res cadere debet in ſpeciem aleæ, *veluti ea*, inquit, *ex quibus conditiones naſcuntur, ut ſi manumittas, ſi illud non facias, ſi non convaluero, & cetera.* Similitudinem affert ejuſmodi conditionum, quæ aleam & caſum habent. Cujuſmodi ſunt ſtipulationes, quæ ſub conditione fiunt, *cum in aliquem caſum differtur obligatio, ut ſi aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur obligatio,* ut eſt in Inſt. lib. III De verborum obligationibus. Ubi *caſus* eſt τύχη, ut reddit Theophilus, & alea. Nam & *caſum tabulæ*, pro alea dixit Juvenalis *Ad caſum tabulæ poſita ſed luditur arca.* Subjungit Scævola: *Sed nec dubitabis, ſi piſcatori erogaturo in apparatum plurimum pecuniæ dederim, ut ſi cepiſſet redderet: & athletæ, unde ſe exhiberet*

hiberet exerceretque, ſi viciſſet, redderet. Hæc ſunt propria exempla hujus legis, quæ aleam manifeſtam habent, ut & illæ ſtipulationes quas in exemplum attulit, ſub conditione caſuali & incerta fieri ſolitas. Sed in illis merum lucrum ſtipulamur, cujus ſpes pendet à caſu, ſi aliquid factum, vel non factum fuerit. Hic vero aleæ & caſus periculum in nos ſuſcipimus, ut ſi quid non fiat, totum quod credidimus amittamus, ſi fiat, cum augmento & acceſſione recipiamus. In quo clarum eſt aleæ ſpeciem ineſſe. Nam & *alea emi* dicitur, cum captus piſcium emitur, ſub incerto eventu an aliquid extracturus ſit piſcator. Leg. VIII D. de contrahenda emptione. *Veluti cum quaſi alea emitur quod fit cum captum piſcium, vel avium, vel miſſilium emimus, emptio enim contrahitur etiam ſi nihil inciderit.* Vide & leg. VII D. de Hered. vel act. vend. ubi *aleam non emi in hæreditate* dicit Juriſconſultus, ut in venatione & ſimilibus. Piſcatum & aucupium intelligit, ut habetur in leg. XI D. de actionib. Empti. *Veluti cum jactum retis à piſcatore emimus, aut indaginem plagis poſitis à venatore, vel pantheram ab aucupe.* Ubi *panthera* non eſt univerſum aucupium, ut placet eruditis Juriſconſultis. Significaret potius univerſam venationem. Hoc ſenſu & de omni quod cepiſſet venator, non auceps, eſſet accipiendum. Sed πανθήρα genus eſt retis, quo omne genus minutarum avium capitur, ut πανάγρα, quo piſces omne genus. Ut *indago* emi dicitur cum quidquid ferarum indagine includitur & capitur, emimus, ita & *panthera* emitur, id eſt, quidquid avium eo retis genere involvitur. Nam *indago* non eſt univerſa venatio, ſed plagæ quibus ſaltus incinctus eſt hoc nomine appellantur, ad includendas feras quæ in ſaltu eo reperientur. Si nihil reperietur ferarum, aut ſi indaginem evaſerint, nihil debetur ei qui indaginem in incertum emit capturæ eventum. Perperam Servius *indaginem ferarum* inveſtigationem exponit.

exponit. Et ex eo auctor Gloſſarum *indago*, ἐξιχνιασμός. Omnes plagæ ita vocantur quibus incinctus eſt ſaltus, ut plane conſtat ex ipſo Virgilio :

— Saltuſque indagine cingunt.

Et ex Juriſconſulto hoc loco : *aut indaginem plagis poſitis.* Ab indagando certe dicta eſt. Nam ubi indago erat circumpoſita ſaltui, tum per totum ſaltum feras inveſtigabant & indagabant exagitabantque, ut in plagas propellerentur excitatæ. Quod in piſcatu *jactum retis emere eſt*, Græci dicunt βόλον ἀγοράζειν, quando ſpes & incertum rei emitur. Sic capta eſt illa aurea Delphica, quam Apollinis oraculum juſſit ſapientiſſimo, qui tum viveret, deferri, quum contentio inter piſcatores, qui eam reti è mari traxerant, & juvenes, qui retis jactum emerant, orta eſſet. Diogenes Laërtius in Thalete: Φασὶ γὰρ, νεανίσκους τινὰς Ἰωνικοὺς βόλον ἀγοράσαι παρὰ Μιλησίων ἁλιέων, ἀνασπασθέντος δὲ τοῦ τρίποδος ἀμφισβήτησις ἦν. Theocritus de piſcatore:

— Μέγα δίκτυον εἰς βόλον ἕλκει.

Paulo poſt idem Diogenes γρῖπον vocat, quem ſupra βόλον. χρόνῳ δὲ Λεβεδίων τινῶν αὐτόθι γρῖπον ὠνησαμένων καταληφθῆναι, καὶ τὸν τρίποδα. *Cum emiſſent quidam Lebedii jactum retis.* Perperam legitur γρῦπον. Inde verbum γριπίζειν, pro piſcari proprie, & γριπεὺς piſcator. At per tralationem, pro *capere*. Unde δυσγριπιστος, avarus, & tenax. Et γριπὸς rapax, ut μῖμος & μίμησιν ſignificat & mutato accentu τὸν μιμητὴν, & hiſtrionem. Perſæ qui multa habent cum Græcis communia vocabula گرفتن *Griphtan*, pro capere & adprehendere uſurpant, & pro captura, vel prehenſione. Græci γρῖφον etiam pro reti dicunt. Unde γρῖφοι ænigmata & perplexa tortuoſaque dicta, more retis implicata & involuta, vel quod irretiant eos qui ab his ſe nō poſſunt expedire. *Gripare* etiam pro capere hinc hodieque dicimus, & Germani Belgæque grijpen.

Sub alea igitur pecuniam ſuam credit, qui piſcatori eam expendit in apparatum piſcationis ſumptus facturo, ut ſi capiat aliquid, eam reddat cum augmento, ſi nihil capiat, quod dedit amittat creditor. Similiter & qui athletæ unde alat ſe, & exerceat, eadem lege dat, ſi vicerit, reddituro, ſi victus ſit, omne retenturo. Athletæ tempore exercitii magnos ſumptus faciebant, atque ut dicit Diogenes in Solone, Ἀθληταὶ ἀσκούμενοι πολυδάπανοι. Ex his perſpicuum eſt, recte à nobis in hoc Scævolæ reſponſo reſtitutum eſſe, ſublata negatione, *ſi modo in alea ſpeciem cadat*. Sequitur apud eumdem Scævolam in eadem lege: *In his autem omnibus & pactum ſine ſtipulatione ad augendam obligationem prodeſt*. Augetur obligatio cum præter ſortem aliquid accedit, quod cum ſorte redditum nobis iri ſtipulamur. Et in uſuris quidem exigendis pactum ſine ſtipulatione nihil prodeſt: nec enim debētur ex ſimplici pacto, ubi nimirum ſolus debitor obligatur, lucrumque ad creditorem ſine periculo ſuo rediturum eſt. Ceterum ubi periculum ex æquo ſpectat creditorem ac lucrum, ſpeſque etiam lucri ex eventu incerto conditionis debitori alluceſcit, tum ad augendam obligationem & pactum valet ſine ſtipulatione. Sic frumenti vel hordei mutuo dati acceſſio etiam ex nudo pacto præſtabatur, leg. XII Cod. de uſuris. Quia, ut videtur, ex incerti pretii fructuum ratione, contingebat & debitorem plerumque lucrari. Ideoque in illa mutui datione, ſicut jam ante notavimus, majores ejuſdem materiæ uſuras paciſci licitum erat. Ad trajecticiæ quoq; pecuniæ uſuras exigendas ſolum pactum ſine ſtipulatione prodeſſet, ut planum omnino eſt ex leg. VII D. de uſuris. In qua Paulus dicit, *in quibuſdam contractibus etiam uſuras deberi, quemadmodum per ſtipulationem*. Id eſt, æque atque eodem modo ac ſi in ſtipulationem deductæ eſſent, cum tamen nudo pacto de his ſolvendis conveniſſet. Deinde ſubjungit & explicat in quo gene-

genere contractuum debeantur uſuræ, velut per ſtipulationem: *Nam ſi dedero decem trajecticia, ut ſalva nave ſortem cum certis uſuris recipiam, dicendum eſt poſſe me ſortem cum uſuris recipere.* Ergo & in trajecticia cum periculum ad creditorem pertinet, & in illis contractibus de quibus Scævola loquitur lege ſuperius expoſita, qui in aleæ ſpeciem cadunt, & in quibus ob pretium periculi aliquid præter ſortẽ paciſcitur creditor, pactum valet ad obligandum debitorem ſine ſtipulatione. Nec ſecus obtinet in frumento & oleo, aliiſque fructibus tam aridis, quam liquidis mutuis dandis, propter incertum pretium ex bona aut mala annona, & incerto ejuſdem pretio ſubſequuturi temporis. Unde uſu venit plerumque, ut creditor rem ſuam eo tempore det, quo poterat maximum ex ea compendium facere, care vendundo, & recipere eam cogatur illo anno quo vili pretio venibit, adeo ut ex ſorte ipſa cum acceſſione, quæ eſt reddita, vix tantum corradere queat quantum feciſſet ex ſola ſortis modiatione cum eam dedit mutuam. Duplici autem ratione pecunia trajecticia fœnore dabatur, cum creditor periculum ejus agnoſcebat. Aut enim præfiniebatur certum tempus intra quod periculum eſſet creditoris, quo elapſo, ut periculum deſinebat ad eum ſpectare, ita etiam nauticæ uſuræ ceſſabant, & communes incipiebant currere. Aut in totum navigationis tempus, donec navis rediiſſet ſalva, ſub uſuris de quibus convenerat, creditoris periculo dari ſolebat. Diei præſtituti mentio fit in lege, *ſi intereſt*, D. de nautico fœnore, ubi dicitur, *poſt diem præſtitutum & conditionem impletam periculum creditoris eſſe deſinere.* Item leg. VI eodem, *intra præſtitutos dies amiſſa nave.* Et ſub finem ejuſdem legis: *vel ſi navis poſtea perierit quam dies præfinitus periculo exactus fuerit.* De hoc præſtituto tempore videtur intelligere Juſtinianus in Novella CVI, cum trajecticiam, quæ datur in totum

navigationis ſpatium, donec navis incolumis ad portum pervenerit, uſuras pendere dicit, οὐκ εἰς χρόνον τινὰ ῥητὸν ἀριθμουμένας, ἀλλ' ἕως ἂν ἡ ναῦς ἐπανέλθοι σεσωσμένη, *non in certum tempus præſtitutum numerandas, ſed eo uſque donec ſalva navis in portum redierit.* Quæ altera ſpecies trajecticiæ ibidem ponitur diverſa ab illa, quam priore loco memoravit, quod hæc ſcilicet totum navigationis tempus complectatur, illa præfinitum, poſt quod periculum ad creditorem non amplius pertineat. Ea quæ in totum navigationis tempus uſuram ſtipulatur, non ante cum ſorte ſolvendam, quam navis ſalva redierit, τόκον ἀμφοτερόπλουν Græcorum exhibet. De qua Paulus leg. III D. de nautico fœnore. *Nam ſi dedero decem trajecticia, ut ſalva nave ſortem cum certis uſuris recipiam, dicendum eſt, poſſe me ſortem cum uſuris recipere.* Plane τὸν ἀμφοτερόπλουν intelligit, quem ita definit Juſtinianus, ἐὰν ἡ ναῦς ἐπανέλθοι σεσωσμένη, quod Paulus brevius dixit, *ſalva nave.* Atqui id etiam poſſit accipi de ſalva nave intra præſtitutos cautione trajecticiæ dies. Puto tamen ſimpliciter ſumi debere, ſi ſalva navis redierit, ad portum nempe, unde ſolvit navigatura. De Amphoteroplu etiam accipienda videtur lex Diocletiani Cod. de nautico fœnere, *trajecticiam pecuniam, quæ periculo creditoris datur, tam diu liberam eſſe ab obſervatione communium uſurarum quamdiu navis ad portum adpulerit.* Ad portum nimirum ex quo profecta eſt, ſi ad eum adpulerit ſoſpes. Quamvis non defuturos putem, qui de quocunque portu poſſe capi contendant, ad quem navis adpulerit, ex pactione qua in alteram tantum navigationis partem periculum trajecticiæ ſuſceperit creditor, quem ἑτερόπλουν τόκον Græci appellant. Sed illis non aſſentior. Hæc navigatio ἀμφοτερόπλους, quæ nimirum commeat & remeat, lex Rhodia vocat καταπλουν. Sic enim ibi legendum: καθὸ χρήματα χρεωνεῖν καὶ ἀποστέλλειν ἐπὶ πλοίου καθ' ἑτερόπλουν ἢ κατάπλουν.

Nam

Nam κατάπλους proprie dicitur, cum ex alto redit navis,& in portum unde exierat remeat. Unde *cataplus*, etiam Latinis, & præcipue poëtis, de ſtolo ſive claſſe, quæ Alexandriam ibat, ac redibat Romam. *Lagæa cataplus* Marcellino. Idem eſt igitur, εἰς κατάπλουν pecuniam mutuam dare, & εἰς ἀμφοτερόπλουν. Non enim dicitur κατάπλους, niſi cum navis in eumdem portum revertitur unde exierat. Et ſic καταπλεῖν paſſim apud Demoſthenem accipitur, de nave regreſſa, unde egreſſa fuerat. Ut contra Dionyſodorum: Εἴ τις ἄνθρωπος δανεισάμενος χρήματα ἐκ τοῦ ἐμπορίου τοῦ Ἀθηναίων, τὴν συγγραφὴν διαῤῥήδην γεγραψάμενος, ἐφ' ᾧ καταπλεῖν τὴν ναῦν εἰς τὸ ὑμέτερον ἐμπόριον, εἰ δὲ μὴ, ἀποτίνειν διπλάσια τὰ χρήματα. Ubi illa verba ἐφ' ᾧ τε καταπλεῖν, *ea conditione, ut navis redeat in veſtrum emporium*, ſunt exponenda. Item contra Zenothemin: Καὶ τῶν ἀρχόντων, τῶν ἐν τῇ Κεφαλληνίᾳ γνόντων Ἀθήναζε τὴν ναῦν καταπλεῖν ὅθενπερ ἀνήχθη. Et paulo poſt: Ὅθεν ἐξέπλευσε τὸ πλοῖον, ἐνταῦθα καὶ καταπλεῖν αὐτό. Inde in oratione contra Dionyſodorum, Σικελικὸς κατάπλους de navibus mercatorum, quæ ex Athenienſium portu ſolverant, ut in Siciliam ad mercatum frumenti irent, quæ inde redierant onuſtæ frumento: Μετὰ δὲ ταῦτα, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ἐπειδὴ ὁ Σικελικὸς κατάπλους ἐγένετο, καὶ αἱ τιμαὶ τοῦ σίτου ἐπ' ἔλαττον ἐβάδιζον. Exemplum τοῦ ἑτεροπλοίου extat in leg. ejuſdem Diocletiani III Cod. eodem, de eo qui nauticum fœnus ea conditione dederat, ut poſt navigium, quod in Africam dirigi debitor aſſeverabat, in Salonitanum portum nave delata, fœnebris pecunia ſibi redderetur, quia nimirum, navigii duntaxat quod in Africam deſtinabatur, periculum ſuſceperat. Nave adpulſa ad littus Africæ, aut ad portum Carthaginis, prout convenerat, pecunia cum uſuris creditori debebatur, quam ille ſibi ſolvi voluit, nave in reditu delata in Salonitanorum portum. Temporis illius quo navis ex Africa Salonas uſque rediens navigavit, periculum

non ad eum ſpectabat, & ſi in ea navigatione periiſſet navis, damnum rei creditæ non incurriſſet, quia periculum tantum navigationis quæ ex portu Salonitano in Africam dirigebatur, ſuſceperat, non etiam reditus ex Africa Salonas. Apparet, Salonitanum fuiſſe hunc creditorem,& navem ſolviſſe Salonis Africam petituram. Nam & in Salonitanorum portum nave delata fœnebrem ſibi pecuniam reddi pactus eſt, ubi nimirum ex Africa Salonas rediiſſet, cum tamen profectionis tantum periculum, non etiam regreſſionis ad ſe pertinere caviſſet. Manifeſtum exemplum τȣ̃ τόκȣ ἑτεροπλοίȣ. Sed an de hoc heteroplœo fœnore explicandæ illæ leges, quæ mentionem faciunt præſtitutòrum navigationi dierum, & temporis periculo præfiniti ad uſuras petendas trajectitiæ, cum ſorte? Aliud certe videtur. Nam æque indeterminatum tempus in heteroplu,quam in amphoteroplu. Ut in lege Diocletiani, quam paulo ante explicavimus, qui trajectitiam fœnori ea lege dederat, ut poſt navigationem, quam in Africam deſtinare ſe dicebat creditor, pecunia ſibi ſolveretur, non ſuſcepto periculo niſi ejus navigationis quæ in Africam dirigebatur; tempus nullum præſcripſit, aut præſtituit ei navigationi intra quod peragi deberet, ſed pepigit tantum, ut poſt eam peractam ſibi pecunia,cum uſuris de quibus convenerat, redderetur. Nec in amphoteroplu ſolebat ſtatui dies præfinito intra quem redire deberet navis, ſed expectabatur navigationis finis, quam longus eſſet futurus, ut diſerte ſcribit Juſtinianus in Novella cvi. Nec aliter obſervabatur in heteroplu. Alia itaque ſpecies fuit, qua in pactione, aut ſtipulatione trajectitiæ caveri ſolitum, ut ſi poſt præſtitutos à creditore dies periret navis, crediti detrimentum non ſentiret, ſin vero intra ſtatuta navigationi tempora amiſſa eſſet navis, tum debitæ ſibi pecuniæ damnum creditor incurreret, qui ejus temporis à ſe præſcripti periculum in ſe rece-

receperat. Ita dari ſolitam pecuniam trajecticiam, clare oſtendunt verba Pauli leg. VI D. de nautico fœnore: *Sed cum trajecticia pecunia ita datur, ut non alias petitio ejus creditori competat, quam ſi navis intra ſtatuta tempora pervenerit, ipſius crediti obligatio non exiſtente conditione defeciſſe videtur, & ideo pignorum quoque perſequutio perempta eſt, etiam eorum, quæ non ſunt amiſſa.* Eaque omnino trajecticiæ ſpecies eſt, cujus meminit Juſtinianus in prædicta Novella CVI, cujus cautio ad recipiendas cum ſorte uſuras, concipiebatur, εἰς χρόνον τινὰ ῥητόν. Nam altera ratio, quæ utramque ſpeciem comprehendit τῶν ἀμφοτεροπλοίων, & τῶν ἑτεροπλοίων, nullas navigationi metas aut terminum ponit, ſed in diem reditus navis, quocunque tempore futurum, ſortis & uſurarum ſolutionem protollit. Ergo in illa priore ſpecie ſic concipi ſolebat cautio, ut numerus dierum exprimeretur quorum periculum ſubire vellet creditor, quibus in navigatione elapſis in tuto ipſe eſſet quoad pecuniam creditam. Id perſpicue docetur cautionis nauticæ exemplo, quod poſuit Scævola leg. CXXII, D. de verborum obligationibus. Ibi enim ducenti dies præſcribi videntur ad perficiendam navigationem, quæ periculo creditoris eſſet futura. Verba Scævolæ hæc ſunt: *Callimachus mutuam pecuniam nauticam accepit à Sticho ſervo Seii in provincia Suria, in civitate Beruto, uſque Brenteſium, idque creditum eſſe in omnes navigii dies ducentos, ſub pignoribus & hypothecis mercibus à Beruto comparatis & Brenteſium perferendis, & quas Brenteſio empturus eſſet, & per navem Beruto invecturus.* Ea tamen verba, ne quid diſſimulem, vitii habere ſuſpecta cogor, *idque creditum eſſe in omnes navigii dies ducentos ſub pignoribus & hypothecis.* Nam quæ ſequuntur in ipſa conventione expreſſa non hoc adſtruunt, ſed deſtruunt potius. Cavet enim ibi creditor diſertis verbis, uti Callimachus, cum Brunduſium

pervenerit, inde intra Idus Septembres, quæ tunc proximæ futuræ ſunt, aliis coëmptis mercibus, & in navem impoſitis, ipſe in Suriam navigatione proficiſcatur, aut ſi intra diem ſupraſcriptam non reparaverit merces, nec de ea civitate enavigaverit, reddat in continenti univerſam pecuniam, quaſi perfecta navigatione, præſtetque ſumptus omnes eam pecuniam proſequentibus Romam uſque deportandam. Hæc non conveniunt cum ducentis diebus præfinitis totius navigationis tempori. Etenim ſi ducentos dies præſtituerat intra quos perficienda erat navigatio periculo futura creditoris, quid opus in ipſa ſtipulatione, quæ interponitur, cavere, ut intra Idus Septembris proxime futuras, debitor è Brundiſio proficiſcatur aliis emptis mercibus Berutum perferendis, aut, niſi id faceret intra præſcriptam diem, in continenti ibi redderet pecuniam, quæ Romam deportaretur? Nova quippe hæc ſtipulatio fuit ac diverſa à priore, quæ ducentos dies navigationi ſtatuebat. Nam illa priore ſatis habuiſſet creditor, ſi debitor intra ducentos dies navigationem abſolviſſet, ac ducenteſimo die navem in portu Beruti ſtitiſſet ſalvam. Hac ſecunda ſufficere ipſi debuit ex pacto convento, ſi intra Idus Septembres, ipſis etiam Idibus comprehenſis, debitor è portu Brundiſii ſolviſſet verſus Berytum navigaturus, cum mercibus quas ibi reparare ex pactione debuit. Nec enim illi audiendi, qui dicunt, neceſſe fuiſſe debitori ſecundum verba ſtipulationis Berutum pervenire. Quod nullo modo evincit ſtipulatio, immò contrarium. Si enim hoc voluiſſet creditor, expreſſe caviſſet, intra Idus Septembres proximas Berytum redditurum eſſe cum nave & mercibus debitorem. Atqui ſtipulatu tantum continetur, ut intra Idus Septembres aliis mercibus Brundiſii emptis & in navem illatis in Syriam proficiſcatur, id eſt, è portu Brundiſii ſolvat. Reſtabant quippe ab Idibus Septembribus, quibus ſi è portu Brundiſino exiiſ-

exiiſſet debitor in Syriam navigaturus, conventioni ſatisfeciſſet, uſque ad diem quo clauſa haberi maria incipiunt circiter ſexaginta. Clauduntur enim maria, ſecundum veteres, ex die tertio Idus Novembres, uſque in diem ſextum Idus Martias. Ergo ex Idibus Septembribus, uſque ad diem tertium Idus Novembres, quo maria primum clauduntur, duo fere menſes navigationi idonei, quibus à Brunduſio Berutum pervenire potuit debitor. At ſi computes omnes dies qui navigationi apti ſunt, ab aperiri cœpto mari uſque ad cœptum claudi, invenies non ducentos ſolos, ſed ducentos quadraginta ſex. Non igitur, cum ducentos dies in omne navigii tēpus, cujus periculum ſuſceperat creditor, numeravit Scævola, reſpexit ad omnes dies anni navigabiles, ſed ad eos quos præſtituerat creditor tempori, quo perfici debebat navigatio. Atqui aliam conditionem appoſuit in ipſa conventione, nempe, ut intra Idus Septembres aliis mercibus comparatis, de Brundiſio enavigaret debitor petiturus Berutum. Si ipſis Idibus ſolvere è portu Brundeſino cœpiſſet debitor, legem impleſſet à creditore impoſitam. Nam in hac loquutione intra Idus, ipſæ Idus eſſe cenſentur, ut in illa *intra Kalendas*, ipſæ etiam ſunt Kalendæ, leg. I D. de ſucceſſorio edicto. Nullum igitur jam dubium eſt quin mendum ſit in illa oratione; *idque creditum eſſe in omnes navigii dies ducentos.* Nec enim verba Scævolæ à verbis conventionis, quæ ſubjecta eſt, recte diſſiderent, in quibus nihil de ducentis diebus. Scribendum minima mutatione: *Idque creditum eſſe in omnes navigii dies ducendum.* Pro quo non dubito quin Tribonianus, ut nunc legitur, repoſuerit. Illius lectionis ſenſus eſt, creditum in omnes navigii dies ducendum, id eſt, uſque ad finem perfectæ navigationis, ut in ἀμφοτερόπλῳ mos erat. *Navigium* hic pro navigatione, ut & leg. III Cod. de Nautico fœnore. *Creditum ducendum in omnes navigationis dies*, id eſt,

 ut

ut crediti uſuræ ducerentur in omne navigationis tempus. Sic Cicero lib. vi ad Atticum: *Confeceram, ut ſolverent centeſimis ſexennii ductis, cum renovatione ſingulorum annorum.* Idem lib. v Epiſt. ult. *Præſertim cum ſenatuſconſultorum modo factum ſit, puto poſtquam tu es profectus, ut centeſimæ perpetuo fœnore ducerentur.* Alia adhuc ſunt in eadem lege mendoſa, quæ purganda ſunt. Ut in his: *Et cum ante Idus ſupraſcriptas ſecundum conventionem mercibus in navem impoſitis, cum Erote conſervo Stichi quaſi in provinciam Suriam perventurus enavigavit.* Conventio erat, ut intra Idus Septembres Callimachus Brundusio exiret, & Berytum navigaret. Non ſatisfeciſſe conventioni dicitur. Ergo eum oportet poſt Idus Septembres enavigaſſe. Nam ſi in ipſis Idibus è portu Brunduſino ſolviſſet, conventioni ſatisfeciſſet, qua ut intra Idus inde enavigaret, cautum fuit. At nihil minus quam ex his verbis id erui poteſt. Nec unquam eruatur, niſi legamus: *Et cum non intra Idus ſupraſcriptas ſecundum conventionem, mercibus in navem impoſitis*, &c. Mercibus quidem impoſitis in navem quaſi in Syriam perventurus enavigavit, ſed non ſecundum conventionem, quia non intra Idus. Poſt Idus igitur è portu ſolvit. Alias etiam commode ſcribi poſſet: *Et cum poſt Idus ſupraſcriptas, non ſecundum conventionem.* Sed illa ſcriptura, quam priore loco propoſuimus, melior, & verior. Sequitur apud Scævolam: *Quæſitum eſt, nave ſubmerſa, cum ſecundum cautionem Callimachus merces debito perferendas in navem miſiſſet, eo tempore quo jam pecuniam Brenteſio reddere Romam perferendam deberet.* Scriptum hic fuit ex ævi illius idiotiſmo, *merces Berito perferendas*, pro *Beriton.* Sic *Copto* & *Ptolemaide urbes* apud Capitolinum. Et in Itinerario Antonini, etiam in vetuſtiſſimis Codicibus, nomina urbium hoc caſu recenſita repeциuntur. Inde *debito*, pro *Berito* in membranis Piſanis.

Sed

Sed hoc leve. Callimachus ſecundum cautionem quidem merces emptas Brunduſio in navem impoſuerat, Berytum perferendas, non eo tamen tempore, quo conventum fuerat; ſed eo quo jam pecuniam ex pactione Brunduſio reddere debebat Romam deportandam. Accedo itaque viro docto emendanti, *merces Beryton perferendas in navem miſiſſet, ſed eo tempore.* Non tamen in ea ſum qua ille ſententia, ſolviſſe quidem navem Callimachum ante Idus, ſed eo tempore, quo jam pecuniam redderet, id eſt, cum Idus non longe abeſſent, certumque eſſet jam intra Idus Berytum eam appellere non poſſe. Atqui non ea mens contrahentium fuit, ut intra Idus debitor Beryton appelleret, ſed ut intra Idus navem ſolveret Brundiſio, & ex ea civitate enavigaret. Quod ita clare verba cautionis oſtendunt, ut dubitare non liceat, quibus tantum convenit, ut intra Idus Septembres in Syriam per navigium, id eſt, navigationem proficiſcatur. Qui proficiſcitur, nondum pervenit. Deinde ſubjicitur, *aut ſi intra diem ſupraſcriptam non reparaſſet merces, nec navigaſſet de ea civitate, redderet univerſam continuo pecuniam quaſi perfecto navigio.* Non igitur aliud voluit conventio, quam ut intra Idus de civitate Brundiſii enavigaret, id eſt, exiret & navem ſolveret. Ceterum ſi ante Idus ex ea navem ſolviſſet, conditionem impleverat. Nam qui ante Idus aliquid facit, intra Idus utique id facit. Nihil itaque verius noſtra emendatione & explicatione. Quæ confirmatur ſequentibus, ubi quæritur, *ſi Callimacho poſt diem ſupraſcriptam naviganti Eros ſupraſcriptus ſervus conſenſerit, an actionem domino ſuo ſemel acquiſitam adimere potuerit.* Non ergo ante Idus navigavit, ſed poſt Idus, cum intra Idus navigare deberet, id eſt, navem ſolvere. In eadem lege qui Stichus Seii prius dictus eſt in verbis Scævolæ, à quo pecuniam mutuam accepit Callimachus, poſtea in verbis conventionis dicitur

Stichus Lucii Titii. Aut mendum eſt in alterutro, aut certe, quod malo, Juriſconſultus permutavit nomina, quæ parum interfuit mutata, cum de Sticho, qui mutuam pecuniam dedit, nihil mutarit. Enimvero, vel hoc modo tempus præſtituiſſe videtur creditor navigationi, qui cavit, ut intra Idus Septembres navigaret debitor Brunduſio Berytum rediturus. Tanto enim citius perventurus Berytum fuit, finemq; navigationi impoſiturus. Præterea cum poſt Idus Septembres varia oriantur occidantque ſidera navigantibus infeſta, ut arcturus, æquinoctium, hœdi, taurus, uſque ad Novembrem menſem, quo maria claudi ſolebant apud veteres, tempus illud prævenire voluit creditor, & periculum per hoc evitare navigio ex maris tum crebris tempeſtatibus imminens, quod ipſe præſtare debebat. Menſes enim quidam erant navigantibus accommodi, quidam ancipites, alii plane intractabiles. Idonei ſunt æſtivi menſes, dubii autumnales & verni, plane incommodi hiemales, & periculoſi. Quæ intra æſtivos menſes inſtitui ac peragi poterat navigatio, ut minus habebat periculi, ita qui per eos menſes navigaturis pecuniam trajecticiam dabant, minores uſuras ſtipulabantur. Unde multi ad ἑτερόπλουν tantum, non etiam ad ἀμφοτερόπλουν pecuniam fœnebrem mutuam dabant, quia ἀμφοτερόπλους plerumque incidebat in dubios menſes & autumnales. Idcirco & majores uſuras ſtipulari conſueverant, qui in utramque navigationem trajecticiam dabant, quia periculum inde magis manifeſtum certumque impendebat. Et quemadmodum de reditu cavebant, ut intra certum tempus, puta intra Idus Septembres, ex urbe, quam petierant, navem redituri ſolverent, ita etiam cum primum ad mercatum irent, quo die ſolvere deberent, in conventione creditor depaciſci ſolebat, ut apparet ex leg. III D. de nautico fœnore. *In nautica pecunia ex ea die periculum ſpectat creditorem ex quo navem navigare convenit.*

conveniat. Ita enim ſcribēdum, non, *conveniat*. Nec de tempore ad navigandum commodo & conveniente id accipi debet, ut quibuſdam placuit. Fortaſſean haud aliter prȩſtitui tempus ſolitum dicas, quam hoc modo, ut in profectione & in reverſione dies, qua navem è portu ſolvere deberet trajecticiæ reus, à creditore præſcriberetur. Videamus tamen an probabile, ſit certum numerum dierum, ex quo navis, vel in eundo, vel in redeundo è portu ſolviſſet, navigationi præfiniri etiam penes quoſdam fuiſſe moris. Verbi gratia, ego Mævius do pecuniam mutuam trajecticiam Titio, navigaturo Amſtelodamo Rupellam, & inde Rupella Amſtelodamum, dum ne plus quam tres menſes in tota navigatione conſumat, à die numerandos, qua navis Amſtelodamo navigare cœperit. Eo certe nos ducunt Juriſconſulti verba in leg. VI D. de Nautico fœnore. Ea quippe conventione trium tantū menſium periculum ſuſciperet creditor, intra quos ſi periſſet navis, ipſe nihil reciperet, neque ſortis, neque uſurarum: ſi vero poſt illud tempus aliquid navi accideret, nihil damni pateretur, ſed conventioni locus eſſet, cum de ſorte, tum de uſuris. Sed hoc pacto contingere poſſet, ut navis adhuc in mari deprehenſa poſt tres illos menſes præfinitos non amplius creditoris periculo navigaret. Finge enim debitorem ventis adverſis in portu diu detentum, nec potuiſſe navigare ante paucos dies quam trimeſtre illud ſpatium finiret. Hoc videtur adverſari leg. I Cod. eod. quæ dicit, *trajecticiam pecuniam qua periculo creditoris datur tamdiu liberam eſſe ab obſervatione communium uſurarum, quamdiu navis ad portum adpulerit*. Ergo quamdiu navis adhuc navigat, uſuræ nauticæ currunt, & periculum eſt creditoris. Contra facit etiam, ut apparet, lex IV ejuſdem tituli, in qua ſcribitur, *trajecticia pecunia, qua periculo creditoris mutuo datur, caſus, antequam ad deſtinatum locum navis perveniat, ad debitorem non pertinere*. Verum

rum hoc ita intelligendum, ſi tali conditione conventio facta ſit. Nam ſi convenerit, ut ſine creditoris periculo trajecticia per totum tempus navigationis eat, valere conventionem non eſt dubium, ut eadem lex teſtatur addita hac clauſula, *ſine hujuſmodi vero conventione, infortunio naufragii debitor non liberabitur.* Si igitur trajecticia ita dari poteſt, ut in totam navigationem periculum non ſit creditoris, nec dubium quin ita etiam detur, ut in partem tantum navigationis periculum ejus ſit, hoc eſt, intra certos dies quos præſtituerit, poſt quos veluti conditione impleta periculum ejus eſſe deſinit. Quod expreſſe Papinianus ſcribit leg. IV D. de Nautico fœnore. *Vtrobique*, inquit, *majus legitima uſura fœnus non debebitur, ſed in priore quidem ſpecie ſemper, in altera vero diſcuſſo periculo, nec pignora, nec hypothecæ titulo majoris uſuræ tenebuntur.* Hæ igitur duæ ſpecies nautici fœnoris, cum in finem navigationis quam longa futura eſt, ſolutio differtur donec navis ſalva redierit: & cum certum præfinitur tempus, numero etiam dierum expreſſo, intra quos ſi ſalva navis in portum adpulerit, petitio trajecticiæ pecuniæ creditori competit, ſi vero amiſſa ſit navis, ipſius crediti obligatio, non exiſtente conditione, deficit, & ſuum perdit creditor. Nunc videndum de uſuris utriuſque ſpeciei. In hac ſecunda ſpecie minores exigi ſolitas conſtat ex Novella CVI Juſtiniani, quæ τόκῳ Græcorum ἐπιδεκάτῳ fere reſpondebant. In priore vero majores, & ἐπογδόῳ τόκῳ pares, quas centeſimæ nomine venire non ſolum voluit Juſtinianus, ſed longe ante ipſum in more uſuque fuit *centeſimas* appellari. Molinæus tamen in hac Novella ſupraſcripta non putat Juſtinianum loqui de centeſima, ſed de certa ſumma ſemel ſolvenda in fine navigationis. Atqui certa illa ſumma quæ ad finem navigationis ſolvitur, quæque octavam partem ſortis efficit, centeſima eſt Juſtiniani, & vetuſtiorum aliquot

Juſti-

Juſtiniano Imperatorum. Deinde quamcunque ſummam animo concipias, fere ad centeſimam unam aut plures cum aliqua centeſimæ partium reduci poterit. Veteris porro Græciæ more quamvis de certa ſumma in nautico fœnore poſt navigationem perfectam ſolvenda ſyngraphæ ſcriberentur, uſuræ tamen genus nomine ſuo exprimi poterat, ſecundum communium uſurarum modum, ut Xenophon uſuram nauticam ἐπίπεμπτον τόκον eſſe dixit, quia vulgo de quinta parte ſortis præſtanda in nautico fœnore conventio interveniret. Aliquando tamen & quartam præſtari ſolitam obſervavimus, qui erat ἐπιτέταρτος τόκος. Interdum ea ſumma in ſtipulationem veniebat, quæ ſatis difficulter in uſuræ communis appellationem cadere poſſet. Ut apud Demoſthenem, in ſyngrapha Androclis Sphettii, in mille drachmas ducentæ viginti quinque trajectitio fœnore exiguntur. Et minor eſt ἐπιτέταρτος hic τόκος, & major ἐπιπέμπτου. Sed nec ad centeſimam reduci exacta ratione poteſt. Non ſunt enim duæ centeſimæ integræ. Nam in mille drachmas, ducentas & quadraginta darent uſuræ nomine. Seſquicenteſima tamen uſura hæc major, cum centum & octoginta drachmæ uſura ſeſquicenteſima ſolvendæ, ſortem habeant mille drachmarum. At hic ducentæ ac viginti quinque in millenas ſortis penduntur pro uſura. Quod ſi illius uſuræ modum ad centeſimæ rationem velis exacte redigere, ducentæ viginti quinque drachmæ in millenas, uſuram efficiunt ſeſquicenteſimam, cum triente centeſimæ, & ſemuncia uſura. Seſquicenteſima quippe centum & octoginta drachmas in mille reddit. Triens centeſimæ quadraginta, Semunciarium porro centeſimæ fœnus in mille ſortis præſtat annuas quinque drachmas. Sic fient ducentæ ac viginti quinque drachmæ. In eadem ſyngrapha Androclis major etiam uſura pacta conventa legitur, quæ facile redigitur ad centeſimariam rationem. Si

poſt

poſt Arcturum debitor enavigaret è ponto ἐφ' ἱερὸν, ut in mille drachmas, trecentas ſolveret, quæ binæ ſunt centeſimæ cum dimidia, convenit. Ita de aliis. Ex quibus videre eſt, quantum ratio fugerit Molinæum, qui putarit, quod datur in fine navigationis pro trajecticiæ pecuniæ lucro, certam eſſe ſummam, quæ non cadat in appellationem uſuræ. Inde etiam colligitur, quam frivolæ ſint rationes, ab eo allatæ, cur Juſtinianus abrogaverit legem illam de octava trajecticiæ pecuniæ uſura præſtanda. *Prima*, inquit, *quia multum excedebat centeſimam, cum exigeretur octava pars ſortis, etiam ſi navigatio & pecuniæ retentatio non excederet duos menſes, quo caſu exigebatur pluſquam centuplex centeſima, pro rata temporis.* Falſum primo eſt, quod octava pars ſortis exigenda multum excederet centeſimam. Hoc enim tantum intererat, ut ſupra diximus, quod in octava parte ſortis, duodecim in nonaginta ſex competerent, in vera centeſima duodecim in centum. Secundo, Juſtiniani ævum non aliam agnoſcebat centeſimam præter eam, quæ octavam partem ſortis præſtabat, hoc eſt, tres ſiliquas in ſolidum, ut infra docebimus. Nec obeſt tertio, quod ſi navigatio non excederet duos menſes, eo caſu exigeretur pluſquam ſextuplex centeſima pro rata temporis. Quid enim ſi ultra menſem non prorogaretur navigatio? Ut etiam fieri poſſe Juſtinianus teſtatur ſupraſcripta Novella CVI: Θᾶττον γε μὴν ἐπανιούσης αὐτῆς, τὸν χρόνον εἰς ἕνα μόνον ἢ δύο παρελκυσθῆναι μῆνας, καὶ ἐκ τῶν τελῶν κεφαλαίων ὠφέλειαν ἔχειν. Si citius redeat, navis intra unum, vel etiam duo menſes, commodi nomine etiam percipere vult creditorem tres ſiliquas in ſolidum aureum, hoc eſt, centeſimam illis temporibus uſitatam. Quo caſu non ſextuplex evadet centeſima in annum, ſed duodenæ centeſimæ annuæ exſurgent, hoc eſt, duodecim in cẽtum per ſingulos menſes. Quid autem ſi plures centeſimæ caperentur ex pactione, ut

binas

binas centeſimas, cum dimidiam pactus erat Androcles apud Demoſthenem? Certe & ante Juſtinianum Romæ non ſingulas tantum centeſimas, ſed plures, ſtipulari licebat in trajecticiæ pecuniæ fœnore, ut teſtatur Paulus in lib. II Sententiarum, tit. de Uſuris: *trajecticia pecunia propter periculum creditoris quamdiu navigat navis infinitas uſuras capere poteſt*. Ergo, vel plures centeſimas. Nam cum tempore Pauli centeſima uſura, pro legitima haberetur in communibus mutui obligationibus, pro leviſſima tunc haberi debuit in trajecticiæ contractibus. Cogitanda alea cui ſe ſubmittebat creditor, qui totum periclitabatur amittere. Deinde etiam ſi ultra annum extenderetur navigatio, nihil plus illi competebat, quam ſi intra menſem peracta fuiſſet. Præterea quo citius perficiebatur navigatio, nõ tantum majus erat lucrum creditoris, ſed etiam ipſius debitoris, qui merces ſuas tanto maturius vendere poterat, & confecta ex his pecunia intra eundem annum iterum navigare cum aliis mercibus ipſi quæſtuoſis futuris. Si ex una parte damno feriebatur, quod ob tam breve ſpatium tantas penderet uſuras, ex alia compendium ſatis grande faciebat ex navigatione cito finita. Neminem puto eſſe mercatorum, qui accepta ſub magnis uſuris trajecticia pecunia, ne uſuras illas pro brevi ſpatio debeat, annum vel amplius malit in navigatione impendere, quam mature domum redire. Tantum igitur abeſt ut exiſtimem cauſam hanc fuiſſe Juſtiniano legis abrogandæ, qua centeſimam in fœnus nauticum taxaverat, quod nimia eſſet hæc uſura, ut contrarium verius cenſeam, ideo eam irritam voluiſſe, quia nimis erat modica. Certe eo nomine vel maxime iniqua videri debuit, quod idem modus uſuræ ab eo determinatus eſſet in longinqua navigatione, & in breviſſima. Atqui ubi majoris erat periculi metus, ibi par fuit & majores ſtipulari uſuras. In longinqua autem navigatione longe plures cauſæ

periculi incurrunt, quam in brevi. Secunda ratio Molinæi, *quia uſura illa erat valde diſſimilis uſuræ communi, quæ ſolet eſſe menſtrua, vel annua, pro rata temporis tantum ſucceſſive decurrens, cum uſura trajectitia ab Iuſtiniano inſtituta non curreret ſucceſſive nec pro rata temporis, ſed ſemel pro una navigatione, ſive binis menſibus, ſive anno, ſive tempore intermedio duraret, & accederet ſorti una conformis ſumma, videlicet octava tanquam periculi pretium.* In hac ratione explicanda ſeſe diffundit, & primo id *abhorrens* eſſe dicit ab omni uſura. Secundo *captioſum*, quia tantumdem exigebatur pro brevi ſicut pro longiore navigatione ac periculo. Tertio, *iniquum*, quia indifferenter exigebatur pro ſimplici periculo marino raro & minus frequenti. In caſu autem præſentis, & ſerii periculi imminentis nolebant dicti fœneratores dare pecuniam ſuo periculo, & ſic non poterat ea pactio, vel conſuetudo defendi, per legem *periculi pretium*, D. de Nautico fœnore. Hæc ille diffuſiſſime, quæ paucis refellenda ſunt. Primo, quod ait uſuram videri valde diſſimilem & abhorrentem ab uſura communi, certe & cauſa propter quam ita datur, magnopere mutat & abhorret à communis pecuniæ mutuaticæ ratione. In trajecticia danda periculum ſuum facit creditor, in communi mutuaticia periculo debitoris pecunia datur. Quod uſuræ maritimæ non ſint annuæ vel menſtruæ, nec pro ſucceſſione temporis currant, in cauſa eſt navigationis tempus incertum. In totam enim navigationem creditur, ut periculo creditoris naviget trajicienda pecunia. Ex eventu pendet utrum eam ſit recepturus cum uſuris, an uſuras cum ſorte amiſſurus. Si enim perit navis in illo tempore, quo navigat, nihil ſolvit creditori debitor. Si poſt longam navigationem tandem redit ſalva, pactas uſuras cum ſorte recipit. Succeſſio temporis in communibus uſuris ſervatur, cujus pro rata currunt, quia liberum eſt creditori,

creditori, cum volet, pro ſorte uſuras medii temporis exigere. Poteſtatem quoque habet debitor quotieſcunque ipſi libuerit, uſuras cum ſorte creditori refundere. Pro rata itaque temporis, quo pecunia penes debitorem manſit, cum uſuràs petit creditor, tum eas debitor reddit. Quod in trajecticia fieri non poteſt. Datur pecunia navigaturo, ea lege, ut poſt navigationem finitam, cum certis uſuris pactis eam reſtituat ſi ſalva redierit navis: ſi perierit, pecunia creditori quoq; pereat. Expectandus itaque eventus, & finis navigationis. Nec enim repetitio tum uſurarum, tum ſortis creditori ante competit, quam ſciatur an conditio ſub qua pecuniam dedit, locum habitura ſit. Quod igitur ait primo, id eſſe abhorrens ab omni uſura, fateor id quoque. Sed in uſura alia, nihil periculi creditori metuendum, in hac inter ſpem metumque, aut lucri, aut damni, pendet. Hæc res mutavit formam modumque uſuræ. Quod dicit ſecundo, id captioſum eſſe, quia tantumdem exigitur, pro brevi ac pro longa navigatione, nulla hic captio mihi videtur. Nam ſi brevis eſt navigatio, utriuſque lucrum vertitur, debitoris & creditoris. Si longa eſt, ut ad annuum ſpatium extendatur, ut miſſum faciam detrimentum quod inde patitur debitor, creditori, ex cujus parte ſola captio eſſe poteſt, certum ex eo damnum infertur, qui non plus uſuræ nomine conſequatur, quam ſi pecuniam ſecuram dediſſet ſub uſuris communibus. Nam legitimæ uſuræ ante Juſtinianum centeſimæ. Sed pone beſſes ſub Juſtiniano communis uſuræ ac tutæ nomine percepturum fuiſſe. An triens adjectus tanti eſt, ut periculum totius ſortis amittendæ ſubire propter tantillum lucri augmentum magis eligat, quam beſſibus uſuris ſine metu periculi pecuniam credere? Præterea quo diuturnior eſt navigatio, eo etiam periculum majus & certius impendet. Nulla igitur inde captio. Tertio infert, iniquum id eſſe quia exigebatur pro ſim-

 plici

plici periculo marino raro & minus frequenti, cum iidem fœneratores nollent dare pecuniam ſuo periculo in caſu præſentis & ſerii periculi imminentis. Quid iniquitatis hic ſit, non video, nec rationem cur hoc ipſi videatur. Periculum marinum, quod rarum & minus frequens vult eſſe, haud ſcio quare ita velit. Præter tempeſtates in mari ex vi ventorum crebro excitari conſuetas, multi alii caſus navigantibus formidandi occurrunt, ut ex ſcopulis ſub aqua latentibus, ignis fortuito incendio, gubernatoris imperitia, navigii vetuſtate & carie putridi diſſolutione, aliiſque quamplurimis accidentibus. Huc accedat piratarum ſuperventus, qui maria olim maxime ſoliti infeſta habere, neque nunc ea infeſtare deſiſtunt. Hæc omnia in oculis atque in mente Molinæo eſſe debuerunt. Quæ ſi fuiſſent, non periculum marinum rarum & minus frequens eſſe pronuntiaſſet. Quod addit, eoſdem fœneratores vulgo noluiſſe pecuniam dare periculo ſuo in caſu præſentis, & ſerii periculi imminentis, quorſum hæc ſpectent, & quid his velit neſcio. Nam certum eſt è contrario ſolitos trajecticiam pecuniam dare etiam in periculo imminente, cum navis poſt Arcturi ortum navigaret, quo tempore maria crebris, & vehementiſſimis concitantur tempeſtatibus. Sed tunc graviores ſtipulari conſueverant uſuras, quo periculum erat evidentius ac præſentius. Idem Molinæus quæſt. III, notat, omnes illas leges trajecticias, quæ permittunt ſtipulari centeſimam ſuſcepto per creditorem ſortis periculo, intelligi debere non de periculo imminente, ſed raro contingente. Quod eſt falſiſſimum. Multi ſane tum reperiebantur, qui nollent pecuniam dare maritimis & magnis uſuris, ita ut periculum ſuſciperent navigationis. Nonnulli etiam tempus limitabant intra quod ſuum eſſe periculum vellent, poſt illud tempus nollent, quo emenſo uſuras capere malebant leviores, quam cum periculo majores. Sed hæc

non obſtant, quo minus & multi tum temporis invenirentur, qui in totum navigationis tempus, periculo ejus pecuniæ quam darent in ſe ſuſcepto, trajecticiam fœnerarent. Ac de hac trajecticia, deq; his fœneratoribus intelligendæ, cum pleræque leges Digeſtorum de nautico fœnore, tum Imperatorum & ipſius Iuſtiniani Novellæ. Idque certum. Quod eam pactionem, vel conſuetudinē non defendi poſſe arguit per legem *periculi pretium*, de fœnore nautico, jam ſuperius id refutavimus, ubi diximus, Molinæum male conſtituere ſpecificam & propriam hujus legis & earum quæ de trajecticia agunt, differentiam in diſcriminis ratione diſpari. In hac enim lege periculum ſpectari ſerium & imminens, in illis raro contingens. Quid ita? quia plures ſunt piſcandi jactus, quam felices piſcationes. Et plures ſunt athletæ currentes ad unum brabeum, quod unus ſolus obtinere poteſt. Hæc nihili ſunt. Non enim in illa lege agitur de felicibus piſcationibus, ſed ſufficit ad conditionem implendam ſi piſcator aliquid capiat. Vel unus piſcis captus tutum poteſt præſtare creditorem, qui piſcatori erogaturo in apparatum plurimum pecuniæ dedit, ut ſi cepiſſet redderet. Magnos apparatus ſumptuſque ad piſcationem facienti difficile eſt nihil capere. In athleta paulo incertior, & magis anceps alea. Sed potuit eum eligere, qui jam pluries viciſſet. Ad ſummam, non minus dubia pericula maris, quorum pretium ſtatuitur trajecticiæ pecuniæ fœnus. Nunc alia ratio reſtat excutienda, quam Molinæus allegat, cur prædictam Novellam de nautico fœnore, irritam eſſe juſſerit Juſtinianus. Quoniam, inquit, etiam circa beſſes excedebat dictam legem *eos qui*, per quam non permittuntur beſſes quibuſlibet, ſed duntaxat juſtam aliquam negociationem profitentibus. At illi fœneratores nullam aliam artem exercebant, quam hanc fœneraticiam. Igitur erant incapaces beſſium uſurarum. Hæc ultima ejus ratio, non

 melior

melior prioribus. In ea Novella Juſtinianus nave in portum delata ſalva, trajecticię pecuniæ debitoribus viginti dies concedit, qui ſine uſura currant, ut illa temporis intercapedine poſſint merces ſuas diſtrahere, & pecuniam conficere quam ſolvant creditoribus ſuis. Poſt emenſum viginti dierum ſpatium niſi debitum diſſolverint, vult deinceps eos creditæ pecuniæ ſi diutius eam retentarint, beſſes uſuras præſtare. Hæ ſunt beſſes uſuræ, quarum non eſſe capaces fœneratores, qui nullam aliam profiteantur negotiationem, pertendit Molinæus, ac proinde cauſam hinc cepiſſe hujus abrogandæ Novellæ Juſtinianum, quia contra ejus legem facere videretur, qua beſſium uſurarum copiam ſolis legitimis negotiatoribus conceſſit. Ergo ſecundum Molinæum ſi quis privatus ex eo hominum ordine, quibus ſemiſſes tantum uſuras permiſit idem Juſtinianus, trajecticiam pecuniam, cum periculo ſuo fœnore nautico dare voluiſſet, non amplius, quam ſemiſſes uſuras potuiſſet ſtipulari. Atqui putabam, cum ille Imperator lege illa *Eos qui, in trajecticiis contractibus, vel ſpecierum fœnori dationibus, uſque ad centeſimam tantummodo licere ſtipulari, nec eam excedere*, ſtatuit, non ſolis mercatoribus id dediſſe, ſed etiam omnibus. Commercii enim intereſt, ut mercatores, qui trajecticia pecunia utuntur, quam plurimos homines inveniant, qui ipſis velint mutuam dare pecuniam ſuſcepto marino periculo. Quod ſi ſolis id concederetur mercatoribus, in anguſtias plerumque conjicerentur trajecticiam mutuo ſumpturi, ſi apud ſolos mercatores eam quærerent. Præterea quod ibidem Juſtinianus ſpecierum fœnori dationes conjunxit cum trajecticiis contractibus, in quibus æque liceret centeſimam ſtipulari atque in trajecticia pecunia danda, certum eſt, pariter omnibus licere voluiſſe æque trajecticiam dare centeſimis uſuris, quam ſpecies. Per ſpecierum enim fœnori dationes, ut ſupra demonſtravimus,

vimus, intellexit frumenti & hordei aliorumque fructuum aridorum mutuationes, quas ſub centeſima privatis quoque fuiſſe licitas patet ex Novella XXXII ejuſdem Juſtiniani. Qua ſanxit, non licere ulli privato, ſed nec militi, ob mutuum agricolæ datum poſſeſſionem ejus detinere, ſed ſi fructus mutuo dati ſint in ſingulas modiationes, octavam modii partem ab iis percipere, quæ centeſima fructuum eſt, ſicut ſupra docuimus. Si vero nummi ſint fœnerati, in ſingulos nummos ſiliquam unam, quod trientarium eſt fœnus. Atqui privatis licuit, cum aliis quam agricolis, fœnerarentur, non trientes, ſed ſemiſſes uſuras accipere, hoc eſt, in ſingulos ſolidos ſiliquam unam cum dimidia. Agricolis vero fœnerantes pecuniam, non capiebant niſi ſiliquam unam trientium uſurarum nomine. In frugibus autem mutuo dandis etiam ſi agricolis privati fœnori ſpecies darent, centeſimam auferre poterant, hoc eſt, in octo modios unum annuum. Ibi perſona faciebat ne plus quam ſiliquam uſuræ nomine in pecuniæ mutuo ex agricola lucrari poſſet quilibet privatus. Hic res ipſa facit, ut etiam agricola privato centeſimam uſuram pendere cogatur fructuum mutuo acceptorum, nempe propter incertam pretii rationem, quæ in fructibus quotannis variat. Si igitur privatus ex agricola centeſimam in fructibus mutuis dandis colligit, poterit & ex mercatore centeſimam corradere idem privatus in pecunia trajecticia danda, cum utrumque in ea lege conjunxerit Juſtinianus, in qua centeſimam percipi juſſit in trajecticio contractu, & ſpecierum fœnori datione. Cum itaque privatus mercatori trajecticiam dedit, navigatione perfecta, ſi poſt viginti dies, qui dati ſunt mercatori ad merces ſuas divendendas, & expediendum æs alienum, non recipiat ſuum à debitore, nonne juſtum eſt, ut cujus pecuniæ antea percipiebat centeſimas, nunc beſſes ob moram ſaltem ſolutioni factam percipiat, donec debitum cum uſuris

totum ei reſtituatur? Nam ſi etiam privato, atque etiam illuſtri, qui minores quam privati uſuras rei creditæ accipiunt, licuit pro mora ſolutionis, poſt quattuor menſes à re judicata ex condemnato centeſimas accipere, quidni & hic privatus poſſit donec debitum recipiat, uſuras beſſes propter moram capere, ejus rei cujus antea licitas cepit centeſimas? Sed & illud falſum, quod ibidem aſſerit Molinæus, qui nudam fœnerationem exercerent, non fuiſſe negotiatores; ac proinde beſſalis fœnoris exercendi lege poteſtatem non habuiſſe. Argentarii tunc, iidemque menſularii nummulariique, fœnerandi etiam artem publice profitebantur, immo alii etiam præter ipſos, ut in libro tertio pluribus dicturi ſumus. His autem licebat beſſibus uſuris pecuniam dare mutuam, ut paret ex Novella CXXXVI περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων. Et hac ratione ſola, etiam ſi non alia ſuppeterent, expediri illud dubium poſſit, quod movit Molinæus circa pecuniæ trajecticiæ fœneratores, quos poſt liberatos debitores obſervatione nauticarum uſurarum navigatione peracta, donec ſolviſſent, beſſes capere voluit Juſtinianus. Nam ut dictum eſt, tales fœneratores plerumque argentarii. De quo etiam plura in libro ſequenti. At de aliis privatis nec dubium eſt, quin ut ſub cẽteſimis fœnerari potuerunt trajecticiam pecuniam, ita ex mora poſt nautici fœnoris tempus elapſum, beſſes licito uſurparint. Sed amplius dico, fœneratores, quatenus aliam quam nummos fœnerandi artem ac profeſſionem non facerent, idem tamen privilegium fœnoris beſſibus uſuris exercendi ex lege Juſtiniani, cum ceteris negotiatoribus habituros. Nam & negotiatores ſunt nummorum. Ἐργασίαν Græci eorum profeſſionem vocant, id eſt, negotiationem, & ἐμπόλημα, ut ſupra notavimus. Et uſura ipſa Græcis ἔργον, id eſt, negotium dicitur. Cur denique mercatoribus magis, quam fœneratoribus id juris concederetur, cauſæ non

erat.

erat. Immo vel potius his id fuit indulgendum, ut majoribus uſuris rem gererent, qui ex profeſſo hoc agerent, quam ceteris, qui in aliis mercimoniis negotiarentur. Ex his & aliis pluribus veriſimile mihi fit, Molinæum parum ſciſſe, quid eſſet trajecticia veterum ac nauticum legum antiquarum fœnus. Id maxime apparet ex ratione triplici, quam adfert, cur Juſtinianus ſuſtulerit legem, qua octavam ſortis partem uſuræ nomine præſtari in trajecticia pecunia ſanxerat. Perperam quippe hanc octavam partem ſortis diſtinxit à centeſima trajecticiæ, cum eadem prorſus res ſit. Ex re videtur putaſſe, non centeſimam trajecticiæ ſublatam à Juſtiniano, ſed ſummam illam certam, quæ in fine navigationis dabatur. Atqui centeſimam illam ipſam quam Novella CVI introduxerat in maritimis uſuris, quamque adeo & leg. *eos* Cod. de fœnore nautico, licere ſtipulari ſanxerat in trajecticiis contractibus, eamdem inquam centeſimam poſtmodum Novella CX abrogavit. Per quam legem non ſuſtulit omnem maritimis uſuris fœnerandi morem, ſed quem modum iis uſuris ipſe impoſuerat, uſque ad centeſimam eum determinando, poſtea revocavit, reſtituta antiqua licentia in quantas quis vellet uſuras trajecticiam mutuam dandi. Hæc certiſſima ſunt & exploratiſſima. Cum autem eumdem modum uſuris frugum præſcripſiſſet, quem & pecuniæ trajecticiæ, nempe centeſimam, id nō videtur poſt ipſum obtinuiſſe. Aut enim ipſe eam legem alia conſtitutione revocavit, quæ non extet, aut ſequentes Imperatores eam abrogarunt. Nam Balſamo ad Epiſtolam Gregorii Nyſſeni Canonicam, ubi πλεονασμὸν interpretatur, quæ fuit ampliatio, ſive uſura frugum, in ea ſeptuaginta & amplius vini amphoras recipi, pro quinquaginta, quæ datæ ſunt, affirmat. Qui modus eſt idem plane uſurarum, quem Conſtantinus lege impoſuit, tam liquidis frugibus quam aridis. Quinquaginta amphoræ vini

vel modii frumenti ſi dentur mutui, ut recipiantur ſeptuaginta quinq;, ſeſcuplum illud efficiunt, ſive uſurã ἡμιολίαν, de qua in priore capite dictum eſt. Ultimo idem Molinæus ita centeſimam in trajecticia interpretatur quæſt.111, ut facile ſit intelligere, nihil in his eum intellexiſſe. *Centeſima*, inquit, *non durat niſi quamdiu durat navigationis marinæ periculum.* Hoc rectum. Addit ſtatim: *Navigatio autem utplurimum inter mercatores non excedit ſex menſes, & ſæpe non excedit menſem, vel octo aut tres dies.* Non puto ob navigationem octo aut trium dierum trajecticiam ſub ſingulis aut pluribus centeſimis olim datam. Nulli erant trajectus maris adeo breves, ut intra tres dies poſſent transfretari, aut ſi eſſent, periculum in his tranſmittendis non erat tantum, ut propterea maritimis uſuris trajecticia dari mereretur. Deinde non ſex tantum menſes, ſed etiam annum & amplius, navigationes exceſſiſſe, ſcribit Juſtinianus in Novella CVI περὶ τῶν ναυτικῶν δανείων. Idem ſubjicit: *Et ſic pro ſuſcepto ſemeſtri periculo creditor non habet niſi ſex in centum, & pro trimeſtri duo in centum, & pro uno menſe unum tantum in centum, quæ eſt valde modica ſumma.* Certe valde modica, ſed etiam falſa. Nunquam enim trajecticiæ pecuniæ uſuræ ad inſtar communium cucurrerunt, ita ut pro rata temporis, ut loquuntur, exigerentur. Quod ſi ita proceſſiſſent, nemo tunc inventus eſſet, qui non mallet millies beſſibus, aut ſemiſſibus pecuniam ſine periculo fœnerare uſuris communibus, quam centeſimas ſtipulari, & longinquæ navigationis periculo ſe obnoxium dedere. Atque hæc hactenus de uſurarum mediocritate ſpectanda ex loci, temporum, rerum, hominum, atque aliarum circumſtantiarum varietate. Priuſquam concludamus hoc caput, addendum eſt & de Catone Cenſorio, qui cum fœnerari idem eſſe quod hominem occidere palam prædicaret, & fœneratores furibus eſſe pejores cives pronuntia-

nuntiaret, nauticum tamen fœnus exercuit, quod maxime inhoneſtum habitum ex omnibus fœnerandi generibus Plutarchus auctor eſt. Ita enim ſcribit in ejus vita, ubi poſtquam plures quæſtuariæ rei modos ab eodem Catone uſurpatos, & frequentatos narravit: Ἐχρήσατο δὲ καὶ τῷ διαβεβλημένῳ μάλιστα τῶν δανεισμῶν ἐπὶ ναυτικοῖς τὸν τρόπον τοῦτον. ἐκέλευε τοὺς δανειζομένους ἐπὶ κοινωνίᾳ πολλοὺς παρακαλεῖν. γενομένων δὲ πεντήκοντα, καὶ πλοίων τοσούτων, αὐτὸς εἶχε μίαν μερίδα διὰ Κουιντίωνος ἀπελευθέρου τοῖς δανειζομένοις συμπραγματευομένου καὶ συμπλέοντος. ἦν οὖν οὐκ εἰς ἅπαν ὁ κίνδυνος, ἀλλ' εἰς μέρος μικρὸν ἐπὶ κέρδεσι μεγάλοις. Quæ verba quomodo ſint accipienda, non carere difficultate, fidem faciet Hotomannus. Ita enim ea retulit, vertit, & explicavit in Epitome ad hunc titulum D. de nautico fœnore, ut Plutarchum non intellexerit. Quæſtionem ponit, ſi fœnerator pluribus mercatoribus correis crediderit ea lege, ut in pluribus navibus navigent, & una ſalva, ſuum ei fœnus & pecunia ſalva ſint, an hæc conventio ideo improbanda ſit, quoniam in fraudem legis Nauticæ contrahitur, ut periculum minuatur. Addit, ſibi videri, eam eſſe fœnerationem, quam Cato major ſumma cum ſua infamia exercuiſſe dicitur à Plutarcho verbis illis quæ ſupra retulimus. Primo falſum eſt, hoc dicere Plutarchum eam fœnoris rationem, quam in trajectìcia pecunia quaſi propriam & peculiarem exercuit Cato, fuiſſe infamem, ita ut ob eam male audierit, cum alii fœnoris nautici negotiatores non tanta infamia laborarent, qui non eodem modo id, quo Cato agitarent. Simpliciter quippe tradit auctor, Marcum Catonem præter alias rei faciendæ vias, quas ſumma cum diligentia inſtitit, etiam nautico fœnori animum adjeciſſe, quod fœnus maxime διαβεβλημένον videretur, hoc eſt, inhoneſtum & vituperandum, tali præſertim viro. Hoc fœnus præcipue male audiſſe ex Diogene etiam conſtat Laërtio in vita Menippi, ubi &

ἡμερο-

ἡμεροδανειστὴν eum fuiſſe refert, & nauticum fœnus feciſſe, ex quo ad ingentes pecunias pervenerit, non in laude hoc ponens: Φησὶ δ' Ἕρμιππος, inquit, ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι, καὶ γὰρ ναυτικοὺς τόκους δανείζειν, καὶ ἐξενεχυράζειν. Et illud enim ei infame, quod acerbus eſſet exactor, & pignoribus captis ad ſolvendum cogeret debitores ſuos, quod ἐξενεχυράζειν appellat, ut in ſequentibus id explicabimus. Præterea quod ad quæſtionem attinet ab Hotomanno propoſitam, dubito an videri queat id fœnus contractum contra leges Nauticas, quo aliquis pecuniam trajecticiam credat pluribus navigationis ſociis, & pluribus navigaturis navigiis, ea conditione, ut una ex his navibus ſalva, ſalvum ſit & ipſi debitum ſuum cum uſuris. Nec ea ratio valet, quam adfert Hotomannus, idcirco eam conditionem improbam ſe arbitrari, quia periculum creditoris minuat, quod magnum & ingens lex eſſe credebat, quæq; ideo tam magni periculi reſpectu majores etiam uſuras permiſit. Quæ ratio plane ridicula eſt. Lex enim indefinitum modum uſurarum in trajecticia pecunia ac Nautico fœnore recte ea de cauſa reliquit, ut liceret contrahentibus, prout majus aut minus appareret periculum, ita majores aut minores uſuras ſtipulari ac promittere. Profecto ſi licuit creditori trajecticiæ pecuniæ non pervuulgato more Nautici fœnoris periculum in ſe navigationis ſuſcipere, & tum communes uſuras ſtipulari: quidni & ita periculum, quod ſuſcepiſſet, minuere, & minores propterea uſuras in ſtipulatum deducere? Qui igitur pluribus navibus navigaturis ea lege atque omine pecuniam credidiſſet, ut ſi vel una ſalva rediiſſet, omnem reciperet cum uſuris pecuniam, non tantas petere potuit uſuras, ac ſi una modo navi quaſi una anchora creditam ſummam fundaſſet. Sed nec puto de hujuſmodi fœneratione Plutarchi locum accipi poſſe, nec Catonem id fœnus eo modo exercuiſſe, quo voluit vir erudi-

eruditiſſimus, ut nimirum una navi ſalva nullum periculum ſubiret debito ſuo. Nec peculiariter inviſam & odioſam hanc Catonis viſam eſſe fœnerandi rationem exiſtimo, quæ nihil plus infamiæ ipſi irrogavit, quam vulgare fœnus nauticum, pervulgata ac ſolita via id agitantibus. Curabat Cato plures in ſocietatem convenire & coire ad navigandum peregre mercatores. Pone exempli gratia quinquaginta, qui & totidem naves habeant navigaturas. His certam ſummam eamque fortaſſe magnam dabat mutuam, ſub uſuris maritimis, periculo in ſe ſuſcepto, totius debiti perdendi ſi omnes naves periiſſent, totius ſervandi ſi omnes ſalvæ rediiſſent. Univerſæ enim ſocietati dabat, non uni ex ſociis, & omnes proinde merces, quæ in omni numero navium impoſitæ erant, obligatas pignori habebat. Navi itaque una ex quinquaginta perempta, partem debiti quinquageſimam amittebat. Si plures amiſſæ eſſent, pro portione damnum faciebat. Raro ac vix poterat accidere, ut periculum totius debiti ſubiret. Nunquam enim tam adverſa eſt fortuna maris, ut ex quinquaginta navium numero nulla incolumis in portum revertatur, præcipue in mari mediterraneo. Οὐκ εἰς ἅπαν igitur ὁ κίνδυνος, ut ait Plutarchus, ſed εἰς μέρος μικρόν. Id eſt, non in totum debitum erat periculum, ſed in partem ejus exiguam, ſi una aut altera navis periiſſet. Male vertit Hotomannus: *Ita cum ingentia lucra faceret, periculum tamen non totius navigationis, ſed exiguæ tantum partis recipiebat*. Nam εἰς ἅπαν, ſubaudiendum τὸ δάνεισμα. Res tamen eodem ferme recidit. Poſtremo ut caveret idem Cato ne totius crediti periculum incurreret, ita alia ratione, ut etiam quæſtus, quem faciebant mercatores, particeps eſſet, proſpiciebat. Quo id modo? Per libertum quem in partem negotiationis cum illis mercatoribus admitti procurabat, qui una cum his navigabat ac negotiabatur, & lucrum,

crum, quod percipiebat pro virili, ad Catonem redibat. Hoc pacto itaque commodatæ pecuniæ, quam mercatoribus nautico fœnore credebat, nunquam ita periculum incurrere poterat, ut totam amitteret, & lucrum ingens ſimul faciebat, tam ex parte liberti qui cum illis mercatoribus ſocietatem coiverat, quam ex uſuris ejus pecuniæ, quam mutuam dederat nautico fœnore & ingenti. Ut enim aliquot amiſſis navibus non totius ſummæ periculum patiebatur, ſed pro portione, ita quod ex ſervatis lucrabatur, immane erat compendium. Hæc igitur ea mens eſt eorum Plutarchi verborum, non quam hariolatus eſt Hotomannus: Ἐκέλευε τοὺς δανειζομένους ἐπὶ κοινωνίᾳ πολλοὺς παρακαλεῖν. γενομένων δὲ πεντήκοντα, καὶ πλοίων τοσούτων, αὐτὸς εἶχε μίαν μερίδα διὰ Κουιντίωνος ἀπελευθέρου τοῖς δανειζομένοις συμπραγματευομένου καὶ συμπλέοντος. Ἦν δ' οὖν οὐκ εἰς ἅπαν ὁ κίνδυνος, ἀλλ' εἰς μέρος μικρὸν, ἐπὶ κέρδεσι μεγάλοις. *Iubebat qui pecuniam trajecticiam fœnore erant ab ipſo accepturi plures in ſocietatem conjunctos vocari. Cum quinquaginta eſſent ac totidem navigia, ipſe pro parte in eam ſocietatem admittebatur per Quintionem libertum, qui una cum mercatoribus negotiabatur, ſimulque navigabat. Non in totum itaq; debitum periculum damni ipſi erat metuendum, ſed in partem exiguam, ſpe compendiorum ingentium adlucente.* Merces porro ex trajecticia pecunia comparatæ ſi periculo creditoris navigarent in eadem cauſa erant, atque ipſa pecunia, ut docet lex I D. de fœnore Nautico.

CAPUT X.

Ubi ſuo periculo credebat pecuniam fœnerator, majores uſuras competiiſſe. Ergo cum ſecurius eſt, minoribus debere eſſe contentum. Ad modum uſurarum pertinere, quot modis creditori ſecuritas præſtaretur.

Dua-

Duabus rebus eam præſtari, fide debitoris & facultatibus. Idoneos interdum magis cenſeri, qui fidem habent, quam qui facultates. Interdum tamen etiam meliora videri nomina quibus eſt unde ſolvant, etiamſi fide deficiantur. Quos res deſtituit, etiam plerumque fide deſeri. Quæ ſecurum reddunt creditorem, partim ſpectant perſonam debitoris, partim bona ipſa. De his quæ ad fidem pertinent prius dictum. Eam obſtringere ſolere debitores creditori pluribus modis. Duos ex his præcipuos eſſe, teſtes, aut ſcripturam. In Græcia ſub teſtibus ſæpe datam pecuniam mutuam. Χειρόδοτα δάνεια, hæc debita vulgo appellata, eademque ἀσύγγραφα. Hoc æs alienum vulgo ſine fœnore contrahi ſolitum. Qui uſuras paciſcebantur, ſyngraphas conficiebant. Aliquando ab amicis mutuum accipientibus, nec pignora accepta, nec coram teſtibus id datum. Scripturam qua cavebatur creditori duum generum fuiſſe, aut chirographariam, aut ſyngraphariam. De chirographis. Atticos χεῖρα appellaſſe, quod aliis χειρόγραφον. Ita & Latinis manum appellari. Manus & de tabula picta, & de ſtatua. An χειρόδοτον δάνειον ἀπὸ τῆς χειρὸς, id eſt, chirographo ſit appellatum? Expenſus Aſconii locus de ſyngraphis, an utrique parti dari ſervandas moris eſſet, neutrius manu ſcriptas. More Attico apud amicum, aut apud trapezitam deponi ſolitas, ad quas cum opus eſſet, utraque pars poſſet recurrere. In deponenda ſyngrapha, ut & in ſcribenda, & ſignanda, teſtes advocari ſolitos. Trapezitas publicum munus & miniſterium habuiſſe, apud quos ſolerent deponi inſtrumẽta privatorum contractuum obſignata. Quo ſenſu ſignatas tabulas de ſyngraphis dixerit Aſconius. Signare idem eſſe quod ſcribere, ut conſignare quod conſcribere, & ſubſignare ſubſcribere. Adſcriptionem apud Iuriſconſultum pro ſubſcriptione. De obſignatione ſyngrapharum. Aſconium

nium de ſyngraphis utrique parti ſervandis traditis conciliari poſſe cum auctoribus, qui depoſitas apud tertium affirmant. Quomodo videatur conciliandus. Exempla ſyngraphæ utrique contrahentium dabantur ſervanda, ipſum authenticum exemplar penes argentarium, aut alium amicum deponebatur. Ita vulgo fieri & circa contractuum inſtrumenta, quæ à Tabellione, ſive Notario publico componuntur. Quid ſit βίβλειος συγγραφή, *vel* βιβλίον συγγραφῆς *apud Demoſthenem. Eſſe exemplum ex ſyngrapha deſcriptum, vel ſimul cùm ea ſcriptum, ut exempli loco eſſet alterutri parti vel utrique. Quid ſit* χάρτης, *quid* βιβλίον, *&* γραμματεῖον *apud Græcos. Contrariæ veterum ac recentium Græcorum opiniones de differentia vocis* χάρτης *&* βιβλίον. *Nomen* χάρτης *Ægyptiacum videri. De variis vocabuli* قرطاس *Chartas, vel Chirtas notionibus apud Arabes. Authenticas ſyngrapharum tabulas in codice cerato, quod* γραμματεῖον *dicebatur, conſcriptas vulgo, exempla vero in charta, vel libello, quod* βιβλίον, *vel* βιβλίδιον *vocatur. Hinc tabulæ proprie de ſyngraphis. Syngrapharum exempla nec obſignata tradebantur utrique parti ſervanda, forte nec à teſtibus ſubſignata. Quid proprie Atticis ſignificet* γραμματεῖον, *quo nomine appellata ſyngrapha. Ceratas proprie fuiſſe è ligno tabulas. Duplices ex his & alias, & triplices factas, & plurium paginarum, quæ* πολύπτυχοι *dictæ. Eaſdem fuiſſe cum Codicibus. Hallucinatio magni Iuriſconſulti de Codicum duplici genere. Quid ſit proprie Codex. De forma tabularum in quibus ſcriberetur ad exemplum codicis, hoc eſt, contextus ex pluribus tabulis conjunctis. Alia forma fuiſſe libellos in volumen complicatos. Græcis* κυλίνδρους *dici, &* εἰλητάρια. *Locus ex Epiſtola Auguſti in vita Horatii emendatus. Formam*

eam-

eamdem fuiſſe omnium Codicum ad ſcribendum, ſive lignei eſſent, ſive eborei, membranei, aut chartacei. Quid differat liber à codice. De pugillaribus. Soſipater correctus. Tabellæ & libelli quomodo differant. De libris, an eorum appellatione contineantur & codices. Variatum ſententiis apud Iuriſconſultos. Opinio Vlpiani diverſa à Pauli ſententia, ſive potiùs ratio, cum in ſententia conveniant, legatis libris deberi & codices. Membranæ pro codicibus membraneis. Corporis & maſſæ nomine appellatos. Seneca correctus & explicatus. Librorum appellationem eſſe duplicem, generalem & ſpecialem. Libri nomen de certo ſcripturæ modo ingenio cujuſque æſtimando, qui ad molē libri juſtam ſufficiat. βιβλίων *appellationem Græcis etiam dupliciter ſumi. in lata & ſtricta ſignificatione. Vlpianus emendatus de tabulis teſtamenti ex omni materiæ figura factis. In codicibus cujuſcunque materiæ perſcribi ſolitas teſtamenti tabulas, non etiam in voluminibus, atque inde tabulas appellatas. Explicata lex* I *D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas. De differentia exemplaris & exempli. Apud Atticos* χειρόγραφα, *ut exempla ſyngrapharum in* βιβλιδίοις, *ſive voluminibus chartaceis vulgo deſcripta fuiſſe: ipſas* συγγραφὰς *authenticas in pugillaribus. De etymo pugillarium. De biforibus pugillaribus ac* διθύροις. *Cur non* τρίθυρα, *ut* δίθυρα *appellata* γραμματεῖα. *Quid proprie* γραμματεῖον *Atticis fuerit, & unde dictum. Etiam pro loculo reponendæ monetæ ea vox uſurpata. Locus Harpocrationis correctus. Apud Romanos etiam in tabulis ac codicibus ſcripta chirographa. Codicem, tabulas, & pugillares eſſe ſynonyma.* Γραμματεῖα *propriè dicta, quæ* ὑπὸ γραμματέως, *id eſt, à ſcriba publico eſſent conſcripta inſtrumenta.* Χειρόγραφα *ea eſſe, quæ in libellis & chartaceis ſchedulis ſcriberentur apud Græcos.* Συμβόλαιον *Atticis, pro ipſo*

contractu poni, non pro ſyngrapha, vel inſtrumento ſcripto. Συμβάλλειν eſſe contrahere cum aliquo. Συμβολαίου apud recentiores Græcos definitio. Inſtrumentum à litteris diverſum. Sæpe tamen hæc duo confundi. Syngrapha Græcis veteribus inter publicas ſcripturas. Iuſtinianum exæquaviſſe ſyngraphis chirographa in ſummis non excedentibus auri libram novißima conſtitutione. Antea uſque ad quinquaginta auri pondo chirographa privatæ ſcriptura, ut valerent juſſiſſe. Iterum de ea lectione dubitatum. Debitum uſque ad triginta auri pondo ſolis teſtibus duobus ſine ſcriptura probatum. A triginta ad quinquaginta tres requiri. Cur συγγραφῶν in novo Græcorum jure nulla mentio. Συμβολαίου nomen pro ſyngrapha recentioribus uſurpari. Συγγραφὴν eoſdem pro chirographo uſurpaſſe. Alia multa.

SI creditæ pecuniæ periculum, quod in ſe ſuſcipit creditor, cauſa eſt, ut ampliores uſuræ competant, ubi ſecurus eſt, minores petere debet. Et certum eſt tum minoribus locum fuiſſe. Hoc adeo naturale, ut in cõmuni etiam fœnore, cum res mutuo data in ſpeciem aleæ caderet, liceret creditori majores ſtipulari uſuras, ut ex lege Scævolæ, quam explicavimus, ſupra oſtenſum eſt. Quinimmo quando debitor talis erat, ut non bene nec tuto illi crederetur, vel ob fidem male ambulantem, vel ob facultates tam exiguas ut facile malæ fidei patrocinarentur, jus fuit plus paciſci, quam ex tutis boniſque utraque re nominibus. Cicero lib. v ad Atticum Epiſt. ultima: *Nam aut bono nomine centeſimis contentus erat; aut non bono quaternas ſperabat.* Hinc qui ſentiebant ſe non eſſe ſolvendo, idque non neſciri ſciebant, plura uſuræ nomine ſolebant polliceri, quam quantus erat vulgatus ac legitimus fœnoris modus.

modus. Idque faciebant ut lucri magnitudine allicerent qui vellent ipſis credere. Sed ne ſic quidem inveniebant fatuos. Quis enim non præoptet tuta habere ſex in centum uſuris ſemiſſibus, quam de ſorte & fœnore periclitari centeſimis? Juvenalis lib. III, Satyr. IX:

Non erat hac facie miſerabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem uſuram præſtare paratus
Circuit, & fatuos non invenit.

Hic erat Pollio, quem iterum dente Satyrico rodit, lib. IV, Sat. XI:

Talibus à dominis poſt cuncta noviſſimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

De his loquitur, qui opibus paternis in ventrem merſis, ut gulæ per nepotinos ſumptus facerent ſatis, undequaque quantolibet fœnore pecunias quærebant, oppignerato ad extremum equeſtri annulo, cum nihil aliud haberent. Pertinet igitur ad modum uſurarum explicare quot quibuſve modis ſecuritas creditori conciliari queat, quandoquidem hæc res vel præcipue moderandis uſuris facere videtur. Aut de fide debitoris dubitatur, aut de facultatibus, aut de utroque. Multi enim ſunt, qui utraque dote æque caſſi creditores merito ac juſto metu afficiunt. Difficile eſt ſuccurrere utroque malo laborantibus. Pro deſperatis itaque hi habeantur, quibus aliquid credere, perdere eſt. Quibus fides adeſt, res deeſt, ſimiles ſunt illis, qui aliquid volunt nec poſſunt. Tales, eunuchi ſunt, quos Comicus amatores mulierum eſſe ſummos dixit, ſed nihil poteſſe. Ita iſti probi viri, qui fidem habent, pro bonis haberentur nominibus, ſi opes haberent, non fide caſtrati ſed facultatibus, qui bonam voluntatem pro facto non poſſunt imputare. Quis enim in ſolutum acciperet animum ſolvendi non parem ſolvendo? Meliores tamen hi forſitan habendi, quam qui fide deficiuntur, & opibus abundant. Nam & Juriſcon-

ſultus recte dicit, *idoneum aliquem fide magis cenſeri quam bonis.* Vulgare quippe proverbium eſt, nullos pejores eſſe ſurdos, quam qui nolunt audire, quos ἐθελοκώφους Græci appellant. Ita debitores illi qui appellati non reſpondent, ſi ex improbitate potius quàm inopia lenti ſint, utpote qui poſſent ſi vellent, omnino deteriores eſſe compertum eſt eo genere hominum, quibus animus reddendi ſatis promptus eſt, ſi ex prompta copia eis ſuppeteret. Non vitio ſuo tardi ſunt ac tricones, ſed rei qua deficiuntur. Non tamen penitus iſtos extra culpam eſſe liquet, ſi cum ſcirent ſe non poſſe reddere, ſibi dari id paſſi ſunt, atque etiam petierunt. Si quo tamen tempore rogarunt mutuum, ſperabant ſe reddituros, ſed adverſa fortuna quæ nec opinantes poſtea oppreſſit, poteſtatem avertit retinentibus voluntatem, minus eo facto reprehendendi. Quandocunque poterunt, ſolvent. Si iterum faventior reviſat fortuna, certum eſt eſſe ſoluturos. Ideo meliora nomina ſolent haberi, quorum fides amplior quam res. Nam quibus è contra res ſatis ampla eſt, fidei egenis, nunquam niſi vi extunditur quod debent. Malunt tamen hos pleriq; creditorum. E pumice, licet omnia facias, aquam non exprimas. At ſpongia quod imbiberit, ſi prematur, reddet. In jus vocati, & malo coacti, & probationibus convicti, ſic tandem revomunt quod acceperunt. His adde, quod rei defectus interdum etiam fidei jacturam una trahit. Difficile quippe eſt & pauperem eſſe, & fidelem. Qui habent unde ſolvant, non raro & eos conſequitur fides, quæ ut plurimum deſerere conſuevit quos deſeruit bona copia. Fides ἀξιοπίστους facit, res ἀξιοχρέους. Qui & hanc & illam habent, ſecurum ac tutum præſtant ab omni parte creditorem, modo certus ſit de utroque. Si non ſit, non enim qualibus quiſque ſit moribus, aut facultatibus, ſcire poteſt creditor, tum qui mutuum ſumunt, notores ſolēt allegare, qui fidem ſuam interponant ita eſſe,

ac

ac ſpondeant pro illo, ut fiduciam capiat fœnerator ſe non perditurum quod credet. Alia multa ſunt quibus fidem facere poſſit debitor, tutum fore creditori quod ab eo ſit accepturus. Quædam ex his, ut dixi, perſonam ſpectant, quædam facultates debitoris. Dicamus prius de his quæ perſonam, & perſonæ fidem reſpiciunt. Si notus eſt ſatis debitor creditori, nihilo-ſecius, ut humana ſunt; quia mutari poteſt qui hodie vir probus videtur, & multi etiam fallunt ſpecie virtutis, & ſi quid humanitus ei contigerit, non in ſimiles hæredes debitum deveniet ſolvendum. Inficiari quippe poſſent quicquam accepiſſe illum cujus hæreditatem adierunt, ab eo qui nunc reddi ſibi quaſi debitum petit. Propterea non quia dubitet de fide debitoris creditor, ſed ut aliquando probare poſſit hoc ſibi deberi, varia ſolet poſtulare, quibus arguat hanc illum pecuniam à ſe mutuam accepiſſe. Aut igitur coram teſtibus eam dare vult, aut ſcriptura aliqua id confirmari. In Græcia plerumque ſine ulla ſcriptura, ſolis teſtibus præſentibus mutua dabatur pecunia. Χειρόδοτα δανείσματα hujuſmodi fœnerationes ab his dicebantur, quæ ſola teſtium præſentia non ullo ſcripto contractu firmabantur. Pollux lib. II, cap. IV: Χειρόδοτον δὲ, δάνεισμα τὸ ἄνευ συμβόλου. Lege, συμβολαίου. Inepte ibi interpres, ſed more ſuo: *Chirodotum vero eſt ſumptus ſine ſymbolo.* Immo: *creditum eſt ſine ſcriptura.* Quia nimirum ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα dabatur, numeratione præſentaria pecuniæ facta, ſub teſtibus, nulla ſyngrapha aut chirographo. Hoc enim συμβόλαιον. Hæc eadem ἀσύγγραφα δάνεια dicta Diodoro Siculo lib. I de inſtitutis ac moribus Ægyptiorum: Τοὺς δὲ περὶ τῶν συμβολαίων νόμους Βοκχόριδος εἶναί φασι. Προστέταχε δὲ τοὺς μὲν ἀσυγγράφως δανεισαμένους, ἂν μὴ φάσκωσιν ὀφείλειν, ὀμόσαντας ἀπολύεσθαι τοῦ δανείου. Sed & hæc ſine teſtibus, ut apparet, dabantur, cum ſola jusjurandi religione ea voluerit probari legiſlator Ægyptius à creditore debitori defe-

rendi. De quo modo nos in ſequenti capite. Hujuſmodi mutuationes erant, quæ ſine fœnore contrahebantur. Heſychius: Χειρόδοτον, ἀχρημάτιστον δάνειον. Hoc eſt, *gratuitum mutuum*. Nam χρηματισμὸς eſt *negotiatio, quæſtus*. Et χρηματίζεσθαι, πραγματεύεσθαι. Ergo quod ſine uſura, hoc eſt, quæſtu dabatur mutuum, hoc proprie Græcis χειρόδοτον, & ἀχρημάτιστον, & Latinis *mutuum gratuitum*, cui contrarium *fœnebre*. Ubi autem fœnus ex mutuo ſolebat exigi, in pactionem deducebatur, quæ ſcripto mandabatur, hoc eſt, ſyngrapha, vel chirographo. Diodorus cum tradit, apud Ægyptios, ex conſtitutione regis Bocchoris, qui ſine ſyngrapha mutuum acciperent, debito liberari ſi jurarent ſe nihil accepiſſe, de hujuſmodi gratuitis mutuis plane intellexit. Nam paulo poſt oſtendit, eos, qui ſub uſuris crederent, ſolitos conficere ſyngraphas: Τοὺς δὲ μετὰ συγγραφῆς δανείσαντας ἐκώλυσε διὰ τοῦ τόκου τὸ κεφάλαιον πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον. Opponit τοὺς τὰ ἀσύγγραφα δανείσαντας, *qui ſine uſura & ſyngrapha mutuum darent*, τοῖς μετὰ συγγραφῆς δανείσασι, hoc eſt, *credentibus ſub uſura, & cum ſyngrapha*. In hujuſmodi autem mutuationibus ἀσυγγράφοις, χειροδότοις, atque ἀχρηματίστοις, ſaltem teſtes advocabantur, qui intervenirent, dum pernumeratio ac traditio nummorum fieret. De teſtibus adhibitis jam in ſuperiore libro notavimus ex Ariſtophane ac Demoſthene. Qui amicis quos bene noverant, mutuum dabant, ut melius de his mererentur, neque teſtes in dando advocabant, neque pignus accipiebant. Demoſthenes contra Timotheum ὑπὲρ χρέους, καίτοι σφαλέντος μὲν τούτου, ἀπώλλυτο καὶ τὸ πατρὶ τῷ ἐμῷ συμβόλαιον. Οὔτε γὰρ ἐπ' ἐνεχύρῳ, οὔτε μετὰ μαρτύρων ἔδωκε. Qui hoc argentum dedit Timotheo mutuum, trapezita fuit Paſion amicus ejus, qui & ſine fœnore utendum commodavit, nec teſtes fecit cum daret, nec pignora aut hypothecas accepit, ſed tantum expenſum ei tulit id argentum, & nomen

ejus

ejus in tabulas ſuas retulit, ut moris erat trapezitis. Qua de re in tertio volumine pluribus dicendum. De ſcriptura nunc videamus. Ea duplicis generis fuit, aut enim χειρόγραφον dicebatur, aut συγγραφή. De chirographo prius. Attici χεῖρα vocabant. Atque ita Hyperides in oratione pro Lycophrone, teſte Polluce lib. II, cap. IV: Ὑπερείδης δ' ἐν τῷ ὑπὲρ Λυκόφρονος καὶ τὸ ὑπὸ τῶν πολλῶν ὀνομαζόμενον χειρόγραφον χεῖρα ὀνόμασεν, εἰπών, ὅτι τὴν ἑαυτοῦ χεῖρα δυνατὸν ἀρνήσασθαι. Nec mirum, *manum*, id eſt, χεῖρα vocari ſcripturam alicujus, cum & ſimiliter picturam ita appellarint, id eſt, γραφήν. Nam tabula picta ab Apelle, χεὶρ Ἀπελλοῦ dicebatur. Idem Pollux: Καὶ Ἀπελλοῦ χεὶρ, ἡ γραφή. Latini ſimiliter *manum*, ut jam ab eruditis obſervatum eſt. Quin etiam ſimulacra ſtatuariorum *manus* ipſorum ſolita tam Græcis quam Latinis appellari. Propertius:

Sive ebore exacta, ſeu magis are manus.

Græci: Καὶ Πολυκλείτου χεὶρ, τὸ ἄγαλμα. Sed hæc nota. Suidas: Χεῖρα, τὸ χειρόγραφον. Eumdem auctorem citat Hyperidem. Sic Latini & *manum*, pro chirographo dixere. Ut Seneca lib. III de beneficiis cap. XV, ex noſtra correctione: *Ille non eſt interrogatione contentus niſi reum ſua manu tenuit.* Id eſt, ſuo chirographo. E contrario *chirographum*, pro manu cujuſque, vel ſcriptura ἰδιοχείρῳ, ſæpe ab optimis auctoribus uſurpatur. Suetonius in Auguſto: *Notavi & in chirographo ejus illa pracipue. Non dividit verba.* Non enim hic de *chirographaria* debiti *cautione* intelligi debet, ſed de ſcriptura Auguſti ἰδιοχείρῳ. Item in eodem: *Nihil aque laboravit, quam ut chirographum ſuum imitarentur.* Id eſt, *ſuam manum.* Idem in Tito, quem dicit imitatum eſſe *chirographa* quæcunque vidiſſet, id eſt, omnium hominum ſcripturam ἰδιόγραφον. Sic etiam accipi oportet in leg. XXX D. Qui teſtamenta. *Singulos teſtes qui in teſtamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis &*

cujus teſtamentum ſubſignaverit. Quod idem eſt ac propria manu, ἰδίᾳ χειρί. Septuaginta quoque interpretes χεῖρα verterunt, hoc eſt, manum, quod in Hebræo erat כתוב, id eſt, ſcriptura, in Paral. II, cap. XXXV: Καὶ διὰ χειρὸς Σολομὼν υἱοῦ αὐτοῦ. Quod in alia verſione, καὶ κατὰ τὴν ἀπογραφὴν Σολομών. Cautionem hanc quæ dabatur creditori à debitore, qua fatebatur ſe accepiſſe, & promittebat ſe redditurum, manu ipſius propria ſcriptam fuiſſe, nomen ipſum indicio eſt, χειρόγραφον & χείρ. An & χειρόδοτον δάνειον de quo ante, inde dictum, ut in quo non ſyngrapha conficeretur, ſed χεῖρα tantum ſuam, hoc eſt, chirographum debitor daret? Et forſitan chirographi datio in eo tantum genere mutui locum habebat, quod ſine uſuris erat commodatum. Nam ſimpliciter manu ſua cavebat debitor pecuniam quam acceperat reddendam. In ſyngraphis quæ manu alterius conſcribi ſolebant, conditiones debiti ſub uſuris adſcribebantur, & aliæ, quæ majoris erant cautelæ, inſerebantur pactiones. Non puto tamen χειρόδοτον δάνεισμα dictum eſſe ἀπὸ τῆς χειρὸς, id eſt, χειρογράφου. Pollux enim interpretatur, quod ἄνευ συμβολαίου contraheretur. Atqui χειρόγραφον, etiam συμβόλαιον appellatum. Heſychius: Χειρόγραφον, συμβόλαιον, γραμματεῖον. Præterea certum eſt, chirographis apud Græcos uſuras paciſci licuiſſe. Quinetiam & chirographis apud Latinos inſerebantur ſtipulationes ex quibus uſuræ debebantur. At χειρόδοτον δάνειον proprie eſt, ut recte expoſuit Heſychius, mutuum gratuitum, & minime creditori lucroſum, τὸ ἀχρημάτιστον. Sic ergo dictum, quod ſola numeratione ac traditione pecuniæ de manu in manum, ſine ulla ſcriptura, aut inſtrumento perageretur. Ita in veteris chirographi exemplo, quod ſupra retulimus, pecunia χειροδότως data dicitur, quæ de facto numerata, atque in manum tradita eſt. *Syngrapha* alia à *chirographo*, etſi utramque ſcripturam *cautionis* nomine Latini

tini appellarint, atque etiam *ſecuritatis*. Aſconius inter alia diſcrimina quibus chirographum à ſyngrapha diſtinguit, hoc etiam ponit diſcerniculum, *quod cetera tabulæ*, nempe & chirographæ, *ab una parte ſervari ſolent: ſyngrapha neutrius manu utrique parti ſervandæ traduntur*. Idque more & inſtituto Græcorum fieri docet. Sed quod ait de ſyngraphis utrique parti ſervandis traditis, vereor, ut ſatis verum ſit. Quid enim attinebat ad ſecuritatem creditoris utrique parti ſervandas committi? Cum multi eſſent qui ſuam manum, ut debitum inficiarentur, negabant eſſe, & falſi Chirographum arguebant, quidni & idem de ſyngrapha, quam non ſcripſiſſent, facere potuerunt? Quod exemplum ejus ipſi ſervandum accepiſſent, nunquam contra ſe ſane protuliſſent. At raro, dices, contra Syngraphæ pactionem veniebat quis, quia teſtibus firmata, & à tabellione publico ſcripta. Ponamus ita eſſe; quid opus ea quoque à debitore ſervata? Nonne ſatis fuit, à creditore haberi, ut quando dies ſolutionis adveniſſet, poſſet ex ſyngrapha agere, & debitum repoſcere cum uſuris? Non ſum quidem tam rerum imperitus, ut neſciam, etiam hodieque, contractuum multorum, & tranſactionum litteras utrique parti aſſervandas dari. Verum hic loquimur de ſyngrapha mutuaticia, & more ſyngrapharum hujuſmodi Attico. Nego igitur ab utraque parte fuiſſe ſervatas, quippe quæ à neutra cuſtodiri ſolerent, ſed obſignatæ traderentur amico cuidam communi, ad quas cum tempus implendæ conventionis veniſſet, utraque pars ſolebat recurrere. Clariſſime hoc teſtatur Demoſthenes in παραγραφῇ adverſus Apaturium, his verbis: Καὶ ἐνταῦθα αὐτῷ ἀπαντᾶ τι, ὅτι πάντες ἄνθρωποι, ὅταν πρὸς ἀλλήλους ποιῶνται συγγραφὰς, τούτου ἕνεκα σημηνάμενοι τίθενται παρ' οἷς ἂν πιστεύωσιν, ἵν' ἐάν τι ἀντιλέγωσιν ἑαυτοῖς, ἐπανέλθωσιν ἐπὶ τὰ γράμματα, ἐντεῦθεν τὸν ἔλεγχον ποιήσασθαι περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων. *Et hic ei reſpondete;*

quod omnes homines cum ſyngraphas inter ſe conficiunt ea gratia obſignatas apud eos quibus fidem habent deponere ſolent, ut ſi qua controverſia extiterit inter ipſos, ad tabularum ſcripturam recurrant, atque inde componendæ controverſiæ rationem petant. Solebant igitur ſyngrapham deponere apud amicum communem cui plurimum fiderent, obſignatam. Nam ſi utrique parti ſervanda fuiſſet tradita, nihil opus erat obſignare. Sicut etiam hodieque fit. Cum utraque pars exemplum contractus, aut tranſactionis à tabellione accipit, quod *groſſam* vocant, hoc eſt, τὸ ἴσον, ac *pariculum*, neutri conſuevit obſignatum dari. Apud trapezitas plerumque eæ deponebantur, ut liquet ex Demoſthenis oratione adverſus Phormionem de mutua pecunia: ἐγὼ γὰρ, ὦ ἄνδρες, ἐδάνεισα Φορμίωνι τούτῳ εἴκοσι μνᾶς, ἀμφοτερόπλουν εἰς τὸν Πόντον ἐπὶ ἑτέρᾳ ὑποθήκῃ, καὶ συγγραφὴν ἐθέμην παρὰ Κίττῳ τῷ τραπεζίτῃ. Hic ab una tantum parte, hoc eſt, à creditore depoſita dicitur ſyngrapha. Sed certum eſt ab utraque ex communi conſenſu deponi conſuetam, ut perſpicue patet ex παραγραφῇ contra Lacritum, ubi teſtimonium citatur ejus apud quem ex communi contrahentium voluntate depoſitæ fuerant ſyngraphæ nautici fœnoris, qui adſeverat penes ſe eas adhuc eſſe. Ἀρχενομίδης Ἀρχεδάμαντος Ἀναγυράσιος μαρτυρεῖ συνθήκας παρ' ἑαυτῷ καταθέσθαι Ἀνδροκλέα Σφήττιον, Ναυκράτην Καρύστιον, Ἀρτέμωνα, Ἀπολλόδωρον, Φασηλίτας, καὶ εἶναι παρ' ἑαυτῷ ἔτι κειμένην τὴν συγγραφήν. Androcles & Naucrates fuere creditores, Artemon & Apollodorus debitores. Nec ſolum teſtes adhibebantur, qui ſyngraphæ ſubſcriberent, tres, ſed præter eos alii vocabantur, qui aderant dum ſcriberetur ſyngrapha, & dum deponeretur, ut ex eorum teſtimonio, quod ibidem ſubjunctum eſt, apparet: Θεόδοτος Ἰσοτελὴς, Χαρῖνος Ἐπιχάρους Λευκονοεὺς, Φορμίων ὁ Κηφισοφῶντος Πειραιεὺς, Κηφισόδωρος Βοιώτιος, μαρτυροῦσι παρεῖναι ὅτ' ἐδάνειζεν Ἀνδροκλῆς Ἀπολλοδώρῳ

καὶ

καὶ Ἀρτέμωνι ἀργυρίου τρισχιλίας δραχμάς, καὶ εἰδέναι τὴν συγγραφὴν κατατεθειμένους παρ' Ἀρχενομίδῃ Ἀναγυρασίῳ. Hi teſtes alii ab his qui in ipſa ſyngrapha ſubſcripſerunt. Hi enim tres in exemplo ſyngraphæ nominantur, *Phormion Piraeus, Cephiſodotus Bœotius, & Heliodorus Pitthenſis.* Sed omnino Cephiſodotus Bœotius idem cum Cephiſodoro Bœotio, ut & Phormion Piræeus, idem eſt qui teſtatur ſe adfuiſſe ſcribendæ ſyngraphæ, & cum apud Archenomidem deponeretur. Puto itaque & in illa μαρτυρίᾳ deeſſe nomen Ἡλιοδώρου Πιτθέως, qui ſyngrapham cum illis duobus ſubſignavit. Præter illos tres igitur, qui ſubſcriptionem ſyngraphæ fecerunt, quia non plures ad id advocari moris erat, alii duo, ut eſſent quinq;, accerſiti, qui in ſcribenda ſyngrapha præſentes eſſent, & in deponenda. Adeo ſine teſtibus nihil gerebant, ut poſt ſyngraphas nauticas conſcriptas, ſubſcriptas, depoſitas teſtibus præſentibus, etiam cum è portu ſolverent, teſtes aliquot facere ſoliti eſſent, coram quibus declararent pecuniam trajectitiam periculo creditoris navigare. Demoſthenes adverſus Phormionem: Καὶ οἱ μὲν ἄλλοι πάντες οἱ τὰ ἑτερόπλοια δανειζόμενοι, ὅταν ἀποστέλλωνται ἐκ τοῦ ἐμπορίου πολλοὺς παρίστανται, ἐπιμαρτυρόμενοι ὅτι τὰ χρήματα ἐπικινδυνεύεται τῷ δανείσαντι. Quinimmo & cum pecuniam illam redderent debitores, plures adhibere ſoliti erant teſtes, quam quando acciperent, ut bonam ſuam fidem omnibus in contrahendo notificarent. Idem ibidem: Ἴστε γὰρ δήπου πάντες, ὅτι δανείζονται μὲν μετ' ὀλίγων μαρτύρων, ὅταν δ' ἀποδιδῶσι, πολλοὺς παρίστανται μάρτυρας, ἵνα ἐπιεικεῖς δοκῶσιν εἶναι περὶ τὰ συμβόλαια. Ex his quæ ante diximus planum fit, non duobus exemplis, ſed uno ſyngraphas ſcribi, & ab utroque contrahentium, apud amicum deponi ſolitas fuiſſe, vel apud argentarium aliquem, ut eorum publica erat fides, & miniſterium, quo fungebantur, publicam cauſam habebat. Unde & non ſolum apud eos pecunia ſolebat deponi,

ut apud ſequeſtres, ſed etiam rationes, & inſtrumenta privatorum contractuum. Inter hos ergo & ſyngraphæ pecuniæ fœnebris, eæque obſignatæ. Quod conſtat ex his Demoſthenis paulo ante citatis: πάντες ἄνθρωποι ὅταν πρὸς ἀλλήλους ποιῶνται συγγραφὰς, τούτου ἕνεκα σημηνάμενοι τίθενται παρ' οἷς ἂν πιστεύωσιν, ἵνα ἐάν τι ἀντιλέγωσιν ἑαυτοῖς, ἐπανέλθωσιν ἐπὶ τὰ γράμματα, κἀντεῦθεν τὸν ἔλεγχον ποιήσωνται περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων. *Obſignatas eas deponunt apud eos quibus habent fidem, ut ſi quid controverſentur inter ſe, ad litteras revertantur, & litem inde dirimant.* Quid eſt igitur quod ſcribit Aſconius, *ſyngraphas neutrius manu ſignatas, utrique parti ſervandas tradi?* Si per *ſignatas* intelligimus obſignatas, ut fere ſemper in talibus accipitur, cui bono, aut quam ad rem obſignatæ, id eſt, clauſæ, & impreſſis ſignis obſeratæ tabulæ utrique contrahentium ſervandæ traderentur? An ad fidem faciendam? Quaſi vero qui debitum inficiari ſuſtinuerit, non etiam auſit negare tabulas apud ſe eſſe? Nulla deinde cauſa cur obſignatæ tradi debeant cuſtodiendæ utrique parti, quas ideo accipiunt, ut ſcire poſſint & meminiſſe, quid inter ſe pacti ſint. Quis enim illis uſus clauſarum tabularum, quas non audeant reſignare & aperire? Si poſſunt cum velint eas reſerare, quorſum obſeratæ & ſignatæ tradantur? Poſt apertas teſtamenti tabulas, lino inciſo & avulſis ſignis, hæredibus & legatariis deſcribendi ex eo exempli, & habendi fiebat poteſtas. Sed exemplum illud quod aſſervandum iis quorum intererat tradebatur, nec obſignatum erat, nec ſubſignatum ſive ſubſcriptum. Ipſæ vero teſtamenti authenticæ tabulæ ſigno publico obſignatæ redigebantur in archivum, ut ſi quando exemplum intercidiſſet, inde peti poſſet. Profecto quod ait Aſconius, *neutrius manu ſignatas*, hoc quidem verum eſt, non tamen *ſignatæ* hic erunt pro *obſignatis* accipiendæ. Non enim obſignabantur manu, ſed annulo. Deinde diſtinguit ſyngraphas

graphas à chirographis eo maxime nomine, quod cum chirographa propria debitoris manu eſſent conſcripta & ab una tantum parte ſervari ſolerent, hoc eſt, à creditore, ſyngraphæ contra neutrius manu ſcriptæ utrique ſervandæ traderentur parti. Ergo *ſignatas* hic poſuit pro ſcriptis. Nam & *ſignare*, idem quod ſcribere, ut *ſubſignare*, idem eſt quod ſubſcribere. Feſtus: *Signare ſignificat modo ſcribere, modo annulo ſigna imprimere, modo pecora ſignis notare.* Ita *ſubſignare* apud Juriſconſultos etiam pro ſubſcribere uſitatum fuit, ne quis miretur in Aſconio *ſignatas tabulas* pro ſcriptis. Paulus leg XXXIX D. de verborum ſignificatione: *Subſignatum dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt. Nam veteres ſubſignationis verbo pro adſcriptione utebantur.* Ideo autem *adſcriptionem* dixit pro ſubſcriptione, quia *ſubſcriptio* in jure proprie vocata conſtitutio principis, qua præſentibus reſpondere ſolitus ſe conſulentibus, ut *Epiſtola* qua abſentibus. Inde per Epiſtolam, aut ſubſcriptionem aliquid ſtatuere dicebatur. Deinde & *ſubſcriptionem criminis* in aliquem edebat, qui ſe accuſationi, qua rei alicujus nomen detulerat, ſubſcribebat. Ceterum Græci illam adſcriptionem non aliter quam pro ſubſcriptione acceperunt, & ὑπογραφὴν verterunt, hoc modo: *Ὑποσημανθὲν λέγεται, τὸ ὑφ' ἑτέρου ὑπογραφόμενον. Οἱ γὰρ παλαιοὶ τὸ τῆς ὑποσημειώσεως ὄνομα ἀντὶ τῆς ὑπογραφῆς χρῆσθαι εἰώθεσαν.* Melius ὑποσημάνσεως dixiſſet, hoc eſt, ſubſignationis. Nam ὑποσημείωσις aliud. Sed & Juſtinianus in Novellis verbum ὑποσημαίνεσθαι, uſurpavit pro ſubſcribere. Sed & *ſubſcriptio* in jure ponitur ſæpe pro ὑπογραφῇ, in Codice & Novellis. Ut *ſubſignare* autem idem quod ſubſcribere Juriſconſultis, ita & *conſignare* conſcribere eſt apud Florentinum leg. XXIV, D. Qui teſtamenta facere poſſunt: *Vnum teſtamentum pluribus exemplis conſignare quis poteſt, idque interdum neceſſarium eſt, ſi forte navigaturus & ſecum ferre, & relinquere judiciorum*

diciorum ſuorum teſtationem velit. Id eſt, conſcribere. Non enim aliter intelligi poteſt. Ita ergo & *ſignata ſyngrapha neutrius manu*, de his intelligendæ quæ neutrius manu ſcriptæ ſunt. Quod dicit Aſconius, neutrius manu ſcriptas ſyngraphas, utrique ſervandas parti tradi ſolitas, videndum an contra ea faciat, quæ ex Demoſthene ante adnotabamus, obſignatas in Attica terra ſyngraphas, vulgo deponi apud tertium conſueviſſe. Forſitan quippe aliquis poſſet inferre, Aſconii temporibus mutatum illum morem, quem Demoſthenes ſua ætate inter contrahentes invaluiſſe apud Græcos notat. Atqui certum eſt, etiam poſt Aſconii tempora apud Latinos ſolitas obſignari pecuniæ mutuaticiæ ſyngraphas. Seneca lib. III de beneficiis, cap. XV: *Vtinam quidem perſuadere poſſemus, ut pecunias creditas tantum à volentibus acciperent. Vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur, fides potius illa ſervaret, & æquum colens animus.* Per *pacta conventaque* ſyngraphas eum pecuniæ creditæ intellexiſſe, ex his quæ ſequuntur, colligitur: *Annulis noſtris pluſquam animis creditur. In quid iſti viri ornati adhibiti ſunt? In quid imprimunt ſigna? Nempe ne ille neget ſe accepiſſe quod accepit.* Ergo pactorum conventorum nomine, quæ impreſſis ſignis cuſtodiebantur, palam eſt ſignificaſſe pecuniæ creditæ ſyngraphas, quæ ad hoc conſcribebantur, adhibitis teſtibus ſubſcribebantur, & poſtea impreſſis ſignis teſtium obſignabantur, ne debitor poſſet negare ſe accepiſſe quod accepiſſet. *Pacta conventaque* ſunt συνθῆκαι. Ita etiam συγγραφὰς vocat multis locis Demoſthenes. Idem lib. II Beneficiorum, ita *ſyngraphas & chirographa* diviſit, ut per ſignatores, qui advocarentur, eas deſignaverit. *Quidam volunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores advocari, nec chirographum dari.* Id eſt, nec ſyngrapham confici, cui conficiendæ

ciendæ advocantur ſignatores, nec chirographum dari. Agellius inter modos quibus pecunia data numerata probari ſoleret, *tabularum obſignationem* etiam recenſet, & *ſyngraphas* ita vocat, *obſignatas.* Quod igitur Seneca teſtatur, eas ſyngraphas, ſive pacta conventaque pecuniæ creditæ, impreſſis ſignis cuſtodiri ſolitas, non ita id accipiendum ut parti utrique ſervandas traditas, quomodo apud Pædianum legitur, intelligamus. Nam, ut dixi, quam auctoritatem, aut fidem habuiſſent à debitore cuſtoditæ? Nonne ſatis fuerat, ut ipſa chirographa, à ſolo creditore ſervari, cujus maxime intererat eas non perire? Immo vel debitor, qui his obligabatur, & reus ſolvendi quod acceperat per has fiebat, non ſervatas mallet, quæ perditæ ipſum citra ſolutionem liberarent. Quod autem illis pactiones de quibus inter utrumque convenerat continebantur, ut in nautici fœnoris ſyngraphis, quos ad portus adpellere deberet debitor, in communibus, quem ad diem ſolutio eſſet facienda, & niſi eſſet facta, pœnæ nomine graviores uſuras præſtari debere, ideo uterque exemplum ſyngraphæ apud ſe habere deſiderabat. Non ut fides his exemplis haberetur ſi controverſia aliqua inter contrahentes incidiſſet, ſed memoriæ tantum cauſa. Nam ſi quid ortum eſſet litium circa pacta conventa ſyngraphæ, non ad hæc exempla recurrebatur, quæ penes contrahentes ſervabantur, ſed ad ipſum autographum & authenticum exemplar, quod teſtibus advocatis ſubſignatum, id eſt, ſubſcriptum, & impreſſis eorumdem ſignis, obſignatum cuſtodiebatur, vel in archivis publicis, ſi publici juris contractus eſſet: vel apud argentarium, aut amicum communem ſi privatus eſſet. Ita igitur conciliabimus, quod ſcribit Aſconius Pædianus de ſyngraphis neutrius manu ſignatis, utrique parti datis ſervandis, cum more apud Græcos Demoſthenis ætate obſervato, quique etiam apud Romanos obtinuit, de ſyngraphis obſi-

gnatis apud trapezitam, vel alium amicum cui partes fiderent, deponendis & cuſtodiendis. Hæc etiam quippe hodieque conſuetudo viget, ut pactionum ſyngraphæ manu tabellionis publice conſcriptæ & ſubſignatæ ab ipſo & teſtibus qui adfuerunt ſcribendo inſtrumento, penes eum maneant, ad fidem, ſi quando uſus venerit, inde faciendam ſervandæ. Interim utrique parti exempla ex authentico deſcripta tradi ſolent. Quod ipſe retinet, *Minuta* vocatur: exempla vel apographa, quæ contrahentibus tradit, *Groſſa*. Nec alium circa ſyngraphas mutuæ pecuniæ morem Atticis receptum, facile ſit ex Demoſthene probare. Docuimus, ipſam ſyngrapham obſignatam, depoſitã apud argentarium, ſive trapezitam, ut ad eas utraque pars confugeret, ſi quando controverſia aliqua incidiſſet de conventis quæ ea continerentur. Omnes homines ita facere conſueſſe, clare profitetur in Exceptione contra Apaturium. Atqui legimus apud eumdem Demoſthenem in παραγραφῇ adverſus Zenothemin, debitorem ſyngraphæ nauticæ exemplum ejuſdem habuiſſe in navi, quæ tamen debuiſſet apud amicum ſervanda in urbe deponi, ex perpetua & communiter ab omnibus recepta conſuetudine. Hæc enim ibi verba ſunt: Πρὸ γὰρ τοῦ διακόπτειν ἐπιχειρῆσαι τὴν ναῦν, τίθενται πρός τινα τῶν συμπλεόντων οὗτος καὶ Ἡγήστρατος βιβλίον συγγραφήν. Zenothemis hic & Hegeſtratus pecuniam ſub uſuris maritimis mutuam Syracuſis acceperant, Athenas navigaturi. Qui conſilio, inter ſe capto de fraudandis creditoribus ſtatuerant navẽ ab imo pertundere, ut periret, & pecuniam creditam interverterent, quam ex pacto ſyngraphæ nauticæ reddere tenebantur, ſi ſalva navis in Athenarum portum perveniſſet. Trajecticiam autem pecuniam non intulerant in eam navim cujus perdendæ conſilium ceperant, ut ſic ipſis ſalva eſſet, creditori non reddẽda quia periiſſet navis. Ergo exemplum ſyngraphæ in navi illi habebant, non ipſum autogra-

tographum, quod apud argentarium, aut alium fidum amicum, ex more in urbe depoſitum manſerat. Et notandum quod Demoſthenes vocat *βιβλίον συγγραφὴν*, vel ut potius legendum eſt, *βίβλειον συγγραφὴν*; ut oſtendat, eſſe exemplum ſyngraphæ in charta ſcriptum, ac diverſum ab authentico. Βίβλειος, ut dixi, *συγγραφὴ* vocatur, chartacea vel in charta ſcripta, quam *βίβλον* dixerunt. Inde *βίβλειος*, ex *charta*. Nam *τὸ βιβλίον* diminutium eſt, parva nempe *βίβλος*, exiguus liber chartaceus. Poſſet tamen etiam legi, quod interpreti video placuiſſe, *βιβλίον συγγραφῆς*. Βίβλον autem & *βιβλίον* proprie vocarunt, ſi fides grammaticis, librum ex charta nondum ſcriptum. Βίβλος καὶ βιβλίον ἐπὶ τοῦ *ἀγράφου*, *χάρται δὲ οἱ γεγραμμένοι*. Unde apud Herodotum, *γράψας ἐν βιβλίῳ*. Contrarium tamen obtinuit uſus tam apud Græcos, quam apud Latinos, ut *charta* de non ſcripta diceretur; qualis ex philyris papyri recens facta eſt: *βιβλίον*, ſive liber, de charta ſcripta. Hinc genera chartarum, pro tenuitate ac magnitudine diverſa: *charta regia*, quam *βασιλικὴν* Græci vocant: *charta ἱερατικὴ*, *ἐμπορευτικὴ*, & ſimilia, de quibus nos alibi. Hinc legatis libris apud noſtros Juriſconſultos, quæ perſcripta ſunt volumina, chartæ nō debentur, nec legatis chartis libri. Vide leg. LII, D. de legatis III. Græcis quoq; *χάρτης* eſt pura charta quæ ex papyro fit. Dioſcorides: Πάπυρος, ἀφ' ἧς ὁ *χάρτης κατασκευάζεται*. Arabibus etiam قرطاس *chartas* dicitur quæ fit ex بردي *burdi*, id eſt, papyro, ſive junco Ægyptio. Et ſcio illud nomen non eſſe Græcum, ſed Ægyptiacum. Quidquid formam chartæ habebat, Græci *χάρτην* inde dixere, ut & Latini: ut *chartam plumbeam*, id eſt, laminam ad inſtar ac modulum chartæ factam. At *βιβλίον* aliud eſt. Nempe volumen ex pluribus chartis invicem adtextis, & conglutinatis factum ad ſcribendum, vel jam perſcriptum. Vetuſtiſſimis tamen Græ-

cis,ut vides ex Polluce,aliter iſtæ voces uſurpatæ.Nam χάρται Platoni Comico ſunt libri perſcripti, βιβλίον Herodoto charta pura, ex βίβλῳ, id eſt, papyri cortice facta. Nam ipſam plantam, hoc eſt, juncum, vocarunt Græci πάπυρον teſte Theophraſto, cortex autem junci ex quo chartæ fiebant,& alia quamplurima, ut veſtes, tegetes, vela navium, eidem auctori eſt βίβλος, unde βιβλία, chartæ inde confectæ, & eadem cum libris apud Græcos vetuſtiſſimos. Nam & ipſe Theophraſtus βιβλία, id eſt, chartas ex illa βίβλῳ, ſive papyri corticeis philyris, cum aliis parari dicit, nec uſquam χάρτου meminit. Quæ vox χάρτης,ut dixi, Ægyptiaca non de ſolis βιβλίοις,ſed etiam de aliis rebus,quæ ex illo cortice Ægyptiacæ papyri contexerentur,uſurpari ſolet.Nam & Arabibus قرطاس *chirtas* eſt veſtis Ægyptiaca, ex biblo nimirum contexta. Sed & eadem voce,omnem cujuſque rei ſuperficiem قرطاس *chirtas* vocant. At βιβλεῖος συγγραφὴ eſt ſyngrapha ἐν βίβλῳ, ſive βιβλίῳ conſignata & conſcripta, non in tabulis, ſive γραμματείῳ. Authenticæ ſyngraphæ conſcribi ſolebant in γραμματείοις, ſive γραμματιδίοις, quæ erant tabulæ cera inductæ, quas ſtilo ferreo exarari mos olim fuit. Ideo γραμματεῖα ἀπὸ τῶν χαρτῶν diſtinguit Plato Comicus hoc verſu:

Τὰ γραμματεῖα, τούς τε χάρτας ἐκφέρειν.

Nam χάρται, ut obſervant Grammatici ex uſu loquendi Attico, ſunt βιβλία γεγραμμένα. Quomodo hæc diſtinguantur, optime etiam docet Pollux lib.x,cap.xiv, de ſupellectile libraria & inſtrumentis ad ſcribendum aptis: Εἰ δὲ καὶ ἀπὸ τῆς αἰωρήσεως ἢ καὶ ἀπό τινος περιπάτου ἐν στοαῖς, ἢ δρόμῳ, ἢ ἄλλος ἐπὶ τὴν περὶ τὰ βιβλία συνουσίαν τις τράποιτο, ὥρα αὐτὸν ἔχειν βιβλία, χάρτας, πίνακας, διφθέρας, γραμματεῖα, γραμματίδια, δέλτους, δελτία. Ita locus ille legendus vulgo corruptiſſimus, ea parte qua ſcribitur, ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, pro αἰωρήσεως. Differunt

ergo

ergo *γραμματεῖα* & *γραμματίδια* proprie loquendo, *ἀπὸ τῶν χαρτῶν καὶ βιβλίων.* Authenticas autem ſyngraphas, quæ & deponebantur, in *γραμματιδίοις* conſcribi ſolitas, optimus & idoneus teſtis eſt idem Demoſthenes in ea adverſus Dionyſodorum, ubi ſtatim in principio dicit, longe meliorem eſſe conditionem eorum qui mutuas accipiunt pecunias, quam dantium. Nam qui accipit, inquit, *λαβὼν ἀργύριον φανερὸν καὶ ὁμολογούμενον ἐν γραμματιδίῳ δυοῖν χαλκοῖν ἐωνημένῳ ἢ βιβλιδίῳ μικρῷ πάνυ τὴν ὁμολογίαν καταλέλοιπε τοῦ ποιήσειν τὰ δίκαια.* Per *γραμματίδιον* intelligit tabulas ſyngrapharum, per *βιβλίδιον* chirographa, quia ut ſyngraphæ in tabulis ceratis perſcribebantur, ita chirographa in chartaceis, quo *βιβλίδια* appellabantur. Duobus autem his modis tam in terra Græcia, quam apud Romanos pecuniam reddendam creditori cavebant debitores per ſyngraphas & chirographa. Hæc ſcribi ſolita in papyro Ægyptiaca, illa in ceratis tabulis. Unde & apud Latinos *tabularum* nomine ubi agitur de pecunia credita, intelliguntur ſæpius ſyngraphæ. Cum *tabularum obſignationem* vocat Agellius, quibus probabatur pecunia data ac numerata, *ſyngraphas* palam eſt intelligi. Sic Paulus lib. II Sententiarum, tabulas à cautionibus diſtinxit, id eſt, ſyngraphas à chirographis, Tit. de Furtis: *Qui tabulas cautioneſve ſurripuit in adſcriptam ſummam, furti actione tenebitur.* Ubi perſpicuum eſt, *tabularum* nomine dici ſyngraphas, *cautionum* chirographa. Ita enim *cautiones* Seneca proprie de chirographis dixit, & à ſyngraphis eas diſtinxit. *Video*, inquit, *iſtic diplomata & ſyngraphas, & cautiones vana habendi ſimulacra.* Ubi *cautiones* proprie de chirographis. Alibi tamen & cautiones ſunt ſyngraphæ, & *tabulæ* etiam de chirographis dictæ, ut infra dicam. Syngrapharum porro exempla, ſive apographa, quæ utrique ſervanda parti tradebantur, nec obſignata, nec teſtibus ſubſignata, in charta, hoc eſt,

βιϐλιδία, ſimiliter ut chirographa moris erat conſcribi. Unde βίϐλειος συγγραφὴ dicitur Demoſtheni ſyngraphæ exemplum chartaceum, cùm authenticum exemplar in tabulis eſſet ſcriptum, hoc eſt, γραμματιδίοις, quæ ſunt tabulæ ligneæ ceratæ. Γραμματεῖον, vel γραμματίδιον id eſſe quod diximus, nempe ligneum codicem ex pluribus tabellis compaginatum, cera vel maltha ad ſcribendum apta inductis, demonſtrari facile poteſt. Ariſtophanes apud Pollucem in Γηρυτάδῃ comœdia:

Τὴν μάλθαν ἐκ τῶν γραμματείων ἐσθίων.

Ubi *maltha* eſt cera malaxata. Grammatici in ſuis Rhetoricis lexicis, μεμαλαγμένον κηρὸν interpretantur. Pollux: ὁ δὲ ἐνὼν τῇ πινακίδι κηρὸς, ἡ μάλθη. Nam hæc γραμματεῖα, πίνακες etiam & πινακίδες vocabantur, id eſt, *tabulæ*. Ariſtophanes in Θεσμοφοριαζούσαις:

Πινάκων ξεστῶν δέλτοι
Δέξασθε σμίλης ὄλκους
Κήρυκας ἐμῶν μόχθων.

De tabulis ligneis ceratis loquitur, quæ ſulcos in ſcribendo ſtilo factos ad litteras formandas excipiunt. Ita & γραμματεῖα ἀπὸ τῶν χαρτῶν diſcrevit Plato Comicus eo verſu quem paulo ante attulimus. Ex his γραμματείοις, ſive tabulis aliæ erant *duplices*, quæ Atticis δίθυρα γραμματίδια, aliis Græcis δίπτυχα, aliæ *triplices*, quæ τρίπτυχα, aliæ etiam pluribus conſtantes paginis, quæ πολύπτυχα. Qua voce *polyptychorum* etiam uſa eſt poſterior Latinitas. Pollux lib. x, cap. xiv: ὡς ἐστὶν εἰπεῖν γραμματίδιον δίθυρον ἢ τρίπτυχον, ἢ πλειόνων πτυχῶν, ἢ καθ' Ὅμηρον Πίνακα πτυκτόν. De his jam olim multa obſervavimus ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, quæ hic non ſunt repetenda. Tantum hic dicam, halucinari clariſſimum Juriſconſultum, qui in libris Obſervationum notavit, *codices* duum generum ſe reperiſſe dictos, *unum proprie nominatum, quod pluribus inter ſe contextis per extremas oras tabulis, ſive paginis, ita conſta-*

conſtabat, ut in gyrum convolveretur. Nunquam hoc factum, ut ex pluribus paginis, ſive tabulis ligneis aliis ad alias per extremas oras adtextis codices tanquam volumina concinnarentur. Nec fieri porro potuit. Nec hilum hæc opinio juvatur, quod Grammatici veteres ex Varrone citant, *quod antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant, à quo in Tiberi naves codicariæ appellatæ ſint.* Nam conjunctæ illæ tabulæ aliæ ſuper alias fuere impoſitæ, non aliæ ad aliarum latera adtextæ. Ea plane forma fuit & tabularum in quibus ſcribebant, quæ aliæ ſuper alias ſtructæ codicem pariter appellatum dederunt, ad inſtar codicum amni devehendorum, qui plures tabulas ſic colligatas ac junctas habuere. Unde *naves codicariæ* dictæ, quæ plures hujuſmodi codices veherent. Inde & *codex*, pro maſſa, vel corpore tabularum plurium ſcriptarum, vel ſcribendarum. Hinc etiam ad earum inſtar de quacunque materia concinnatus contextus plurium tabellarum paginarumve, aliarum aliis ſuperſtructarum *codicis* nomine veniebat. Ex eo non *codices* tantum *lignei*, ſed & *eborei*, & *membranei*, atque etiam *chartacei* veteribus noti. Quorum eadem forma fuit, quæ & noſtrorum, quæ ex noſtrate charta compinguntur. Ideo dubitatum olim à Juriſconſultis, an libris legatis, quo volumina cujuſcunque generis certum eſt deſignari, etiam *codices* omne genus continerentur. Nihil enim tam diverſum quoad formam, quam *codex*, & *volumen*. In volumine chartaceo, chartæ chartis adtexuntur in longitudinē, ut volvi poſſint in rutulum. In codice, *maſſa* fit ſive *corpus* ex pluribus veluti tabellis aliis ſuper alias ſtructis. Græci quoq; σωμάτιον, & πτύχες nominant. Quod tamē & de volumine magno uſurpant. Sed *maſſam* Martialis de ſtruice tabellarum multiplicium, quæ codicem membraneum componunt, proprie dixit, ut Græci σωμάτιον. Hæc vox in Gloſſis Philexoni, *membrana*, exponitur, quæ eſt mēbraneus codex. Inde

 intelli-

intelligendus, & recte legendus Seneca in Epiſt. xlvi, quem male interpretantur viri docti. Sic autem ſcribunt libri: *Brevis mihi viſus eſt, cum eſſet nec mei, nec tui corporis, ſed qui primo adſpectu aut T. Livii, aut Epicuri poſſet videri.* Brevis, inquit, mihi viſus eſt tuus liber pro voluptate, quam in eo legendo cepi, quamvis ejus eſſet molis, ut Epicuri videri poſſet, aut Livii, qui ingentia volumina ſcripſerunt, *non tui, aut mei corporis*, id eſt, non qualia ſunt corpora, ſive σωμάτια codicum, quæ ego tuque ſcribimus, quia brevioribus modulis arctantur. Nec Lipſius audiendus, qui *temporis mei* legit: nec Gruterus, qui corpus ipſum Senecæ & amici ejus intelligit. Nominibus etiam hæc differunt, apud Græcos Latinoſque. Nam liber eſt βιβλίον, codex eſt πίναξ. Æoles βίβλορ dicebant, & ſolita ſibi tranſpoſitione βλίβορ, atque etiam γλίβορ, ut γλέφαρον, pro βλέφαρον, & γληχὼν, pro βληχών. Hinc Latinorum, qui Æolum aborigines fuere, *liber*. Nam & *lanam* dixere, quæ Græcis χλαῖνα. At *liber* pro cortice aliam habet originem, nimirum ex λέπορ, *liber*. Sic *plaga* pro vulnere, & *plaga* pro reti, & pro regione, à tribus diverſis Græcis vocabulis facta ſunt. Ineptiunt itaque grammatici, qui libros, hoc eſt, βιβλία, ex eo dictos putant, quod olim in libris, id eſt, corticibus ſcriberetur. Nam *liber* pro arboris cortice diverſæ eſt cum ſignificationis tum originis à *libro* qui βιβλίον eſt. Paſſim porro apud auctores Latinos veteres, *tabulæ*, & *codices*, pro eodem appellantur. Nam codices ex multis, ut dixi, tabulis compoſiti cujuſcunque materiæ. Præcipue autem qui ex multis tabulis compactus erat, *codicis* nomẽ merebatur. Qui ex duobus, aut tribus, à numero nomen inveniebat, & *duplices*, aut *triplices*, aut etiam *quincuplices* vocabantur. Qui parvi erant, ut *pugillo* poſſent teneri, ut quibuſdam placet, *pugillares* inde appellati. Hæ ſic à libellis differunt forma, ut *codices* à libris. Suetonius in Nero-

Nerone: *Venere in manus meas pugillares libelliqve, cum quibuſdam notiſſimis verſibus ipſius chirographo ſcriptis.* Id eſt, πινακίδες καὶ βιβλίδια. Nam ibi nihil vidit doctiſſimus commentator. *Pugillus eſt*, ut inquit Aſinius apud Soſipatrum, *qui plures continet tabellas in ſeriem ſitas.* Sed mendum eſt in verbis Soſipatri. Nunquam enim *pugillus*, pro pugillari dictus eſt. Ita ergo apud eum legenda verba Aſinii in Valerium: *Quia pugillares plures continent tabellas in ſeriem ſitas.* Ipſæ pugillares *tabulæ* appellatæ, ſingulæ paginæ, ſive πτυχαὶ quibus conſtabant, *tabellæ* vocatæ. Sic codicem membraneum *multiplici tabella conſtare* dixit Martialis. Pugillares ergo ſive pugillaria, πινακίδες. Græcis etiam πτύκτιον, qui & πίναξ πτυκτὸς Homero. Πύκτιον etiam quidam dixere. Sed & à πτύκτιον eſt πτυχεῖον, quia plures haberet πτύχας, ſive tabellas, ut infra dicam. Nam ridiculum eſt, *pugillares* appellatas, quod *pugillo*, id eſt, pugno comprehendi poſſint. *Codicilli* quoque cerati minoris formæ quam *codices*, non minus tabellarum habebant. *Librorum*, inquit Juriſconſultus, *appellatione continentur omnia volumina, ſive in charta, ſive in membrana ſint, ſive in quavis alia materia, ſed & ſi in tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio, idem erit dicendum.* Ergo ex quacunque materia, quæ volvi in rutulum & ſcribi poterat, libri apud antiquos conficiebantur. Sequitur apud eumdem: *Quod ſi in codicibus ſint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, an debeantur, videamus.* Si libri illi in codicibus ſint, hoc eſt, in formam codicum facti, non in voluminum, an codices illi librorum appellatione contineantur, dubitari ait. Atqui vel dubitationem ſuſtulit, dicendo, *ſi libri illi in codicibus ſint.* Nam per hoc oſtendit *librorum* eſſe generalem appellationem, & *codices* etiam comprehendere. Nec liceat quippe de codicibus vice verſa

pronunciare, ſi codices in libris ſint membraneis, vel chartaceis, quia codex habet formam propriam, quæ non convenit libris ſic proprie dictis, utpote qui iidem ſint cum voluminibus. Generaliori autem appellatione librorum etiam codices comprehenduntur. Idcirco & libris legatis, certum eſt etiam deberi codices. At ſi codices legati fuerint, neutiquam *libri*, hoc eſt, *volumina* debebantur. Poſt illam dubitationem addit Ulpianus, *Et Gaius Caſſius ſcribit, deberi & membranas libris legatis. Conſequenter igitur & cetera quoque debebuntur, ſi non adverſetur voluntas teſtatoris.* Nullam heic video conſequentiam ex Caſſii ſententia, qui reſpondit libris legatis deberi & membranas, niſi per membranas intellexerit codices membraneos. Nam & libros, hoc eſt, volumina, ex membranis etiam fieri hic dixit Ulpianus. Sed certum eſt, nomine *membranarum* veteres intellexiſſe codices membraneos, quia ut plurimum membranæ compingebantur in codicis formam, multiplicibus tabellis in maſſam codiceam ſtructæ, cum libri chartacei in volumen rotarentur, vel rutularentur, more ac figura cylindrorum. Hanc librorum ex charta qui volverentur fuiſſe formam, clare oſtendit luculentus locus ex Epiſtola Auguſti ad Horatium, qui apud Suetonium in ejus vita corruptiſſime ſcriptus habetur, ſic noſtra conjectura conſtituendus: *Pertulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego, ne accuſem brevitatem, quantuluſcunque eſt, boni conſulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui ſint, quam ipſe es. Sed ſi tibi ſtatura deeſt, ventris abunde eſt. Itaque licebit in ſextario illos ſcribas, quo circuitus tui voluminis ſit ὀγκωδέστατος, ſicut eſt ventriculi tui.* Queritur, nimis eſſe brevem Horatii libellum, ſive libri volumen, ſuadetque illi, quo modulum ventris ſui imitarentur, qui erat craſſior, deinceps libellos ſuos in ſextario ſcribere. Sextarium *ad granum* intelligit. Si ad eam craſſitiem libelli

belli tui non poſſunt pervenire, ut ventriculi tui molem exæquent, fac eos ſcribas in ſextario, ſic exæquabunt. Græci κυλίνδρους vocabant hæc librorum volumina. Diogenes Laërtius in vita Epicuri: Γέγονε δὲ πολυγραφώτατος Ἐπίκουρος, πάντας ὑπερβαλλόμενος πλήθει βιβλίων. Κύλινδροι μὲν γὰρ πρὸς τοὺς τριακοσίους εἰσί. *Volumina ejus ſunt uſque ad trecenta.* Græci recentiores εἰλητὰ, & εἰλητάρια vocarunt. Quidquid contra dicant, penis magnitudine duorum Anticatonum, quem Satyricus ait intuliſſe Clodium operto bonæ deæ, non debet aliter exponi, quam qui craſſus æque eſſet ac duo Cæſaris libelli in cylindrum voluti. At ex membranis non volumina fiebant, ſed ſtruices tabellarum, quos vocabant *codices.* Hinc in lemmate diſtichi Martialis, *Ovidius in membranis*, de Metamorphoſi ejus in codice membraneo ſcripta, quod & ipſum diſtichon oſtendit:

Hæc tibi multiplici, quæ ſtructa eſt maſſa tabella,
Carmina Naſonis quinque decemque gerit.

Ita eidem *Homerus in membranis*, *Virgilius in membranis*, *Cicero*, *Livius in membranis*, accipiendi ſint, pro codicibus membraneis illorum auctorum. Quin & *membrana* codex eſt membraneus. Sub titulo enim *Ciceronis in membranis* ſubjecit iſtos verſiculos:

Si comes iſta tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Si igitur membranæ, hoc eſt, codices membranei, libris legatis ex ſententia Caſſii debentur, recte conſequi ſcribit Ulpianus, omnes etiam codices cujuſcunque ſint materiæ deberi. Sine ulla ambigendi ſignificatione Paulus *codices* deberi dixit legatis libris, lib. III ſententiarum, his verbis, quæ ſic interpungenda ſunt: *Libris legatis charta volumina, vel membrana, & philura continentur. Codices quoque debentur.* Volumina chartacea & membranacea & tiliacea intellexit, quæ legatis libris continentur. Nam

liber volumen. Addit, *codices quoque debentur*, & rationem ſubjungit iſtam, *Librorum enim appellatione non volumina chartarum, ſed ſcripturæ modus, qui certo fine concluditur, æſtimatur.* Hæc ratio eſt qua vult librorum legato etiam codices contineri, non ſola volumina, quia libri appellatione non chartæ volumen tantum ſignificetur, ſed ſcripturæ modus certo fine concluſæ. Hoc puto voluiſſe Paulum. Non tantum volumen aliquod ſignificat vox *liber*, ſed etiam modum ſcripturæ, quem auctor certo fine concluſit. Exempli gratia, omnia Homeri opera, hoc eſt, Ilias & Odyſſea in unum corpus redacta, aut unum volumen plerumque efficiunt, ſi in charta ſcribantur, aut unum σωμάτιον, ſi in membrana, vel codice membraneo. Unum illud σωμάτιον in plures partes diviſum eſt. Nam Ilias viginti quattuor habet; Odyſſea totidem. Sic utraque in unum corpus collecta ſive volumen ſit, ſive membraneus codex, quadraginta octo partibus diviſa conſtabit. Partes illæ *libri* ſunt, & *libri* vocantur, quamvis in codicis formam compacti. Hoc eſt quod voluit Paulus cum dixit, *librorum appellatione non volumina chartarum, ſed ſcripturæ modum, qui certo fine concluditur, æſtimari.* Nam Homerus in membranis, ut loquitur Martialis, hoc eſt, in membranaceo codice deſcriptus, quadraginta octo libros habet. Ergo *libris legatis* debentur etiam codices. Aliter Ulpianus, ut ſemper contrarius eſt Paulo. *Si cui*, inquit, *centum libri ſunt legati, centum volumina ei dabimus, non centum quæ quis ingenio ſuo metitus eſt.* Hæc ex diametro pugnant, cum ſententia Pauli. Nam librorum appellatione plane volumina chartarum intelligi cenſet, non ſcripturæ modum, quem quis ingenio ſuo metitus eſt, & certo fine concluſit, qui ad libri ſcripturam ſufficeret. *Vt puta*, ſubjicit, *cum haberet Homerum totum in uno volumine, non quadraginta octo libros computamus, ſed unum Homeri volumen pro libro accipien-*

cipiendum eſt. Et certe paſſim apud auctores Latinos & idoneos *liber & volumen* idem eſt. Ut in ſecundo ad Herennium: *Quoniam ſatis hujus voluminis magnitudo crevit, in altero libro exponemus.* At contra libri diſcernuntur à codicibus & tabulis. Idem Verrina IV: *Litteræ lituræque omnes expreſſæ de tabulis in libros transferuntur.* Tabulæ autem & codex apud eum plane idem ſunt, ut in ea pro Roſcio Comœdo: *Non conficit tabulas? Immo diligentiſſime. Non refert parva nomina in codicem? Immo omnes ſummas.* Non caret igitur dubitatione, ex uſu loquendi, & forma librorum & codicum tam diverſa tum uſitata, quod viſum eſt Ulpiano, an libris legatis etiam deberentur codices. Stricta enim ac propria librorum appellatione, quæ obtinebat eo tempore, quo ſola volumina cujuſlibet materiæ ad ſcribendum idoneæ eo nomine appellata, certum eſt deberi non poſſe, ut nec codicibus legatis libros. In eamdem tamen ſententiam cum Paulo Ulpianus coincidit, deberi nimirum & codices libris legatis, ſed longe diverſa ratione. Ulpianus Caſſii auctoritatem habet pro ratione, qui libris legatis etiam membranas deberi reſpondit, id eſt, membraneos codices. Unde infert Ulpianus, *conſequenter cetera quoque deberi*, id eſt, ceteros cujuſcunque materiæ codices, eboreos, ceratos, alioſque. Nec tamen recedit à ſua dubitatione: *ſi non adverſetur*, inquit, *voluntas teſtatoris.* Pauli vero ratio non mihi ſatisfacit, ideo libris legatis deberi & codices, quia libri non de voluminibus tantum dicantur, ſed de certo ſcripturæ modo quem quis ingenio ſuo definierit, cujuſcunque formæ chartis, aut membranis conſignata ſit, aut in volumen complicatis, aut in codicem compactis. Nam & ſcripturæ ille modus potuit etiam totidem voluminibus diſtingui. Ut ſi totam quis conſcriptionem in decem partes diviſerit, ſi decem ex his volumina fecerit, decem erunt libri: ſi vero totas decem

partes

partes uno volumine concluſerit, unus erit liber, in plures non libros diſtinctus, ſed partes, quas & τόμους Græci propterea dixere. Certum tamen eſt, & ſectiones iſtas Græcos recentiores nomine βιβλίων appellaſſe, quia modus ſcripturæ, quem quis putaret ad libri ſcripturam ſufficere, uno volumine, ut plurimum definiebatur. Et ſæpius quot partes ac ſectiones unius operis deſtinabantur, totidem quoque volumina ſi in chartis deſcriberentur, fiebant, hoc eſt, totidem βιβλία, ſive libri. Ex eo ut dixi manavit, ut ex opere Homerico Iliadis & Odyſſeæ, quia in totidem volumina deſcribi ſolerent, quot partes ac diſtinctiones operis eſſent, in totidem quoque libros diviſum cenſeretur. Liber quippe, hoc eſt, βιβλίον proprie volumen ex charta. Quæ βιβλία chartacea quoniam non erant opiſtographa, & ſingulæ operis unius partes ſingulis voluminibus dabantur, ideo in bibliothecis ingens ſpatium occupabant. Quod ſi eadem in codices membraneos referrentur, anguſto admodum loco contineri poterant. Martialis de *Livio in membranis*, id eſt, qui in codice membraneo ſcriptus:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

Quem vix totum capit mea bibliotheca, cum in chartæ voluminibus, hoc eſt, libris deſcriptus eſt, nunc exiguis membranis concluſus in arcto tenetur. Hinc *centeſima pagina Livii* dicitur poëtæ, qui centum voluminibus chartaceis, id eſt, libris erat deſcriptus. Nam in quot libros auctor opus ſuum totum partitus erat, totidem volumina ſeparata deſcribi à librariis ſolebant. Et hic eſt modus ſcripturæ quem certo fine concluſum, & *libri* nomine appellatum intellexit Paulus. At proprie loquendo, ut recte viſum eſt Ulpiano, aliud eſt volumen, ſive liber, hoc eſt, chartæ multæ certo modulo ac fine concluſæ & adglutinatæ, ad unum volumen juſtæ molis conficiendum, aliud modus ille ſcripturæ,

pturæ, quem quis ex ingenio ſuo metitur, quaſi ſufficientem ad unius juſti voluminis magnitudinem. Nam hic modus opinione cujuſque definitus & æſtimatus non ſemper reſpondebat modulo voluminis qui à librariis deſtinabatur ad eam molem quæ decorum ſervaret in libris deſcribendis. Poterat Paulus alia ratione defendere, libris legatis etiam codices deberi. Librorum nempe appellatio duplex, una generalis, altera ſpecialis ac propria. Generali appellatione *liber* vocatur quacunque materia ſit & forma id in quo aliquid perſcriptum eſt, cujus rei memoriam conſervari oportet, ſive codex ſit, ſive volumen, ſive charta ſit, ſive membrana, aut lignum ceratum, aliudve quid ſcribendo idoneum. Ita & Græci βιβλία vocant hac univerſali notione quidquid comparatum eſt, & paratum ad ſcripturam excipiendam. Hinc Pollux βιβλίων nomine complexus eſt βιβλία, χάρτας, πίλλας, διφθέρας, γραμματεῖα, δέλτους, πίνακας. Hinc & βιβλιοπῶλαι appellati, qui omnia hæc promercalia haberent, & βιβλιοθήκη dicta, quæ omnia hæc contineret, & βιβλιογράφοι, tam qui codices, quam qui in volumina ſcriberent, *librarii* appellati. Hac generali ſignificatione Herodotus lib. v, dixit Iones βίβλους vocare διφθέρας, ab antiquo nimirum, quum διφθέραι, id eſt, pelles, uſum librorum præberent: Ὅτι ποτὲ ἐν σπάνι βίβλων ἐχρέοντο διφθέρῃσι αἰγέῃσι, καὶ οἰέῃσι. *Quod penuria chartarum uterentur pellibus caprinis, & ovillis.* Heſychius: Διφθέρα, δέρμα, βύρσα, δέλτος, γραμματεῖον. Sic legendum. Vides vocare δέλτον, & γραμματεῖον, id eſt, codicem, quam βίβλον vocavit Herodotus, quia διφθέρα eumdem uſum Ionibus præſtaret, quem aliis δέλτος & βίβλος, dum ex pellibus & codices conficerent, & volumina. Strictiore, & magis propria notione βιβλίον, hoc eſt, liber, pro volumine accipitur. Quia enim ex βίβλῳ Ægyptiaca charta conficeretur, & ex pluribus chartis adglutinatis invicem volumen formaretur, id-

circo

circo non niſi de chartaceo volumine βιβλίον proprie loquendo debet ſumi. Charta enim veterum volvi tantum poterat, immo etiam plicari, ut noſtra. Sed nec in averſa parte, præcipue quæ optima eſſet ac tenuiſſima, ſcripturam bene ferebat. Ideo volumina ex ea potius contexebantur, quam codices. Ex membranis potius ac pergamenis, ubi poſtea inventa fuere, codices compingi ſoliti. Quæ membranæ conſuebantur, ut hodieque fit, ut inde codex componeretur. At libri proprie dicti, ex charta nempe volumina, conglutinabantur, adtextis in longitudinem glutino pluribus invicem chartis. Ulpianus leg. LII D. de Legatis III: *Vnde non male quæritur, ſi libri legati ſint, an contineantur nondum perſcripti. Et puto non contineri, non magis quam veſtis appellatione nondum detexta continetur. Sed perſcripti libri nondum malleati, vel ornati, continebuntur, proinde & nondum conglutinati, ſed & membranæ nondum conſutæ continebuntur.* Duplici & hic modo *librorum* nomen ſumitur, generali notione ac propria. Si libri legati ſunt, inquit, continentur perſcripti libri, quamvis nondum conglutinati, & membranæ perſcriptæ, licet nondum conſutæ, id eſt, tam libri proprie dicti, quam codices membranei. Libri quippe illi, qui conglutinantur, de voluminibus prorſus ſunt intelligendi. At generalis eſt illa appellatio librorum, quibus legatis etiam membranæ, id eſt, codices continentur. Pollux libro x, capite xv, cum ab exercitio & geſtatione reverſum, ἐπὶ τὴν πρὸς τὰ βιβλία σπουδὴν τραπέσθαι dicit, de libris in genere omnibus intellexit, ſive codices ſint, ſive volumina. At cum ſtatim ſubjicit, qui ad librorum ſtudia ſe convertere velit, illi habenda eſſe βιβλία, χάρτας, πίλλας, διφθέρας, γραμματεῖα, δέλτους & πίνακας, vocem βιβλία, quam ab aliis omnibus librorum generibus diſtinguit, proprię accepit de voluminibus chartaceis. Ea βιβλία, ut dixi, ſolita ex pluribus chartis conglu-

conglutinari, ad volumen conficiendum, ut membranei codices pluribus τετραδίοις conſuebantur, notiſſimum eſt. Βιβλιδίου κόλλημα apud Antiphanem Poluci. Hinc ἐσχατοκόλλιον Martiali, in libris, ſive voluminibus, idem eſt quod in codicibus *extrema tabella*, vel in ceratis codicillis *extrema cera*. De Protocollis nos etiam alibi diximus, quæ in chartis tantum adglutinatis ad libros proprie dictos, hoc eſt, volumina facienda locum habuere. Libris ergo legatis ſi generaliter ſic appellentur certum eſt & codices deberi. Si de libris ſpeciali ac ſtricta notione ſumptis ſenſerit teſtator, ſola volumina debebuntur. Atque hæc Ulpiani ſententia fuit, cum dixit, librorum legato comprehendi etiam membranas, hoc eſt, membraneos codices, niſi voluntas teſtatoris adverſetur. Quod ita exponendum, niſi teſtator intellexerit, à ſe ſolos libros legatos qui hoc nomen proprie habent, hoc eſt, volumina. At dicet aliquis, eoſdem Juriſconſultos *tabularum* nomine, qui ſunt codices, aliquando & libros, ſive volumina ex charta, intelligere ſolere, ut in tabulis teſtamenti accipi debere Ulpianus ſcribit omnem materiæ figuram. *Sive igitur tabulæ ſint ligneæ, ſive cujuſcunque alterius materiæ, ſive chartæ, ſive membranæ ſint, vel ſi corio alicujus animalis, tabulæ recte dicentur*. leg. 1 D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas. Mendum eſt in illis Juriſconſulti, *tabulas teſtamenti accipere debemus, omnem materiæ figuram*. Inde enim ſequeretur, omni figura ex quacunque materia poſſe ſcribi teſtamentum, tam voluminibus nimirum quam codicibus. Quod ſecus fuit. Ex omni quidem materia fieri tabulæ teſtamenti potuerunt, ſed ut *tabulæ* dicerentur, figuram eamdem retinere debuerunt, quæ eſt in quadratis tabulis. Quacunque igitur ex materia componantur codices in quibus ſcribitur teſtamentum, dummodo forma quadrata, & ex pluribus contextis tabellis conſtent, ut olim fieri ſoliti codices

lignei ex pluribus ex ligno tabellis, recte *tabula teſtamenti* dicentur. Gloſſæ Nomicæ verborum Juris: Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ μὲν ἐν σχήματι τετραδίου ἐξ οἵας δήποτε ὕλης συντιθέμενον καὶ δεχόμενον τὴν διαθήκην τάβουλα λέγεται. Τὰ δὲ ἐξειλήματα χάρτου, αὐτὸ τοῦτο χάρτης καλεῖται. Ergo per tabulas teſtamenti non poſſunt intelligi volumina, ſive libri ex charta, ſed codices ex charta ita recte appellabuntur, ut & ex membrana. Hinc & *tabellas*, hoc eſt, τετράδια vocat Martialis etiam paginas codicum membraneorum, lib. 1:

Hos eme quos arctat brevibus membrana tabellis.
Scriniada magnis: me manus una capit.

Falſum igitur, quod ait Ulpianus, *omnem materiæ figuram* tabulas teſtamenti dici. Nam ſi in figura voluminum ſint, non erunt tabulæ. Legendum itaque: *Tabulas teſtamenti accipere debemus omnem materiam ea figura.* Id eſt, figura tabularum. Poſſet ſi forte & minori mutatione: *Omnis materia figuram.* Ut de figura tabularum intelligamus, quæ ex omni materia poteſt dari, dum tabularum formam præ ſe ferant. Nec vetat lex IV cod. ubi dicitur ab eodem Ulpiano, *chartæ appellationum & ad novam, & ad deleticiam chartam referri, proinde & ſi in opiſtographo quis teſtatus eſt, hinc peti poſſe bonorum poſſeſſionem.* Nam non de libro ſive volumine chartaceo hæc accipienda, ſed de codice ex charta deleticia. Fiebant quippe & ex charta deleticia pugillares, & codices, ut & ex membrana. De membraneis pugillaribus deleticiis Martialis:

Eſſe putes ceras, licet hæc membrana vocetur,
Delebis quoties ſcripta novare voles.

Palimpſeſta appellabantur. Quod in Inſtitutis ſcribitur, *nihil intereſſe, teſtamentum in tabulis an in chartis membraniſve, vel alia materia fiat*, chartæ illæ membranæve de codicibus chartaceis, & membraneis capiendæ. Statim quippe ſequitur, *ſed & unum teſtamentum pluribus codicibus conficere quem poſſe.*

Non

Non dixit, pluribus libris & voluminibus. Ulpianus leg. III D. de Tabulis exhibendis: *Si tabulæ in pluribus codicibus ſcriptæ ſint, unum teſtamentum eſt.* Perperam Hotomannus delendam cenſet eam vocem *codicibus*, ex leg. I D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, ex his verbis: *Sed etſi in duobus codicibus ſimul ſignatis alios atque alios heredes ſcripſerit, & utrumque extet, ex utroque quaſi ex uno, quia pro unis tabulis habendum eſt, & ſupremum utrumque accipiemus.* Non enim ut ille putavit doctiſſimus Juriſconſultus, illud *utrumque* ad exemplar refertur de quo in præcedente paragrapho dixerat, *ſi quis in duobus exemplaribus fecerit teſtamentum, & aliud extet, aliud non extet, tabulæ extare videntur.* Non, inquam, ad illius paragraphi exemplar referri debet *utrumque*, quod in iſto habetur, ſed ad vocem *teſtamenti* plane refertur figura πρὸς τὸ σημαινόμενον dicta. Et, *utrumque extet*, id eſt, utrumque teſtamentum, vel uterque teſtamenti codex. Duo quidem caſus ibi proponuntur à Juriſconſulto, ſed non illi ſunt quos poſuit idem Hotomannus: unum eſſe, ſi quis in duobus exemplaribus idem teſtamentum ſcripſerit, & unum extet, alterum non extet: alterum, cum utrumque extet. Non ita ut ille voluit, ſe res habet, nec ut ab illo propoſita eſt. Priore quidem caſu certum eſt agi de eo qui in duobus diverſis exemplaribus teſtamentum ſcripſerit, quorum ſi alterum extet, tabulas teſtamenti extare videri reſpondit Juriſconſultus. At in altero caſu, qui ſequitur, non ſimpliciter agitur de eo qui ſimiliter in duobus exemplaribus, ſive codicibus teſtamentum ſcripſerit, & utrumque extet, ſed de eo qui duos codices, ſive duo exemplaria teſtamenti ſimul ſignanda curaverit, id eſt, ſimul liganda & obſignanda, ita ut duo pro uno habeantur ſic ſimul juncta. Si igitur utrumque extet, ut ſimul & junctim conligata, & obſerata obſignataq; ſunt, pro uno utrumque eſſe habendum Juriſconſul-

tus ait, quamvis alii atque alii hæredes his codicibus ſimul ſignatis ſcripti ſint. *Quia pro unis tabulis*, inquit, *habendum eſt*, *& ſupremum utrumque accipiemus*. Hic error ex eo viro magno obortus eſt, quod cum pluribus aliis ignoraverit, quid eſſet *ſignare teſtamentum*, & modum moremque ſignandi ejus apud veteres uſitatum neſciverit. De quo in ſequenti capite. Errat etiam idem vir clariſſimus, cum *exemplar* & *exemplum*, idem eſſe ſibi perſuadet apud Juriſconſultos. Aliud quippe eſt cum quis teſtamentum feciſſe dicitur *in pluribus exemplaribus*. Idem enim hoc erit atque, in pluribus codicibus. Aliud cum *plures tabulas eodem exemplo ſcripſiſſe*. Quod ad rem ipſam attinet, idem eſt: quod ad verba, alia eſt loquutio. Non enim diceres tabulas plures teſtamenti *eodem exemplari ſcriptas*, nec *in duobus*, aut *pluribus exemplis ſcriptum* teſtamentum. *Exemplar* quippe aliud ab *exemplo*. *Exemplar teſtamenti*, idem eſt quod ipſe codex teſtamenti, vel tabulæ ejuſdem authenticæ. Quod ex eo exemplari deſcribitur apographum, *exemplum* eſt. In Græcia & apud Atticos non licebat ex teſtamenti exemplari exemplum deſcribi, ut notat Demoſthenes in ea contra Stephanum ſecunda: Τῶν διαθηκῶν οὐδεὶς πώποτε ἀντίγραφα ἐποιήσατο. Rationem addit, quia nemo ſic teſtatur, ut ſciri velit, quæ ſit ipſius voluntas. Immo contra: Τούτου ἕνεκα καταλείπουσιν οἱ διατιθέμενοι, ἵνα μηδεὶς εἰδῇ ἃ διατίθενται. In ſyngraphis contra mutuaticæ pecuniæ præter authenticum earum exemplar, exempla inde ſumpta utrique parti contrahentium dabantur ſervanda. Plura itaque exempla ex uno exemplari poſſunt deſcribi. Ideo *exemplar* appellatum, quod ex eo multa exempla traduci queunt. Nam exemplum eſt τὸ ἴσον, τὸ ἀντίγραφον, τὸ ἀντίτυπον. *Pariculum*, vel *paricula charta*. At exemplar, eſt πρωτότυπον. Caper de verbis dubiis: *Exemplar, quod transfertur: exemplum quod non transfertur, quamquam*

alii

alii contra. Et hoc verius. Sane ſemper ita Juriſconſulti accipiunt & alii idonei auctores. Proculus leg. XLVII D. de Legatis II: *Binæ tabulæ teſtamenti eodem tempore exemplarii cauſa ſcriptæ, ut vulgo fieri ſolet, ejuſdem patrisfamiliæ proferuntur.* Ubi *exemplarii cauſa* idem eſt, ut loco eſſent exemplarium, & exempla inde transferri poſſent. Nam & in ea loquutione bonis auctoribus uſitata, qua *eodem exemplo pluribus ſcripſiſſe* imperator dicitur, *exemplum* non eſt idem quod *exemplar.* Sed ita accipitur, quaſi ab uno exemplari plura exempla fuiſſent tranſcripta, ſic, *omnibus ſcripſiſſe eodem exemplo.* Videtur tamen apud Florentinum *exemplum* poni pro exemplari leg. XXIV D. Qui teſtamenta, in his, *unum teſtamentum pluribus exemplis conſignare quis poteſt.* Quod idem eſt ac ſi dixiſſet, *pluribus exemplaribus*, vel *pluribus codicibus*, ut alii loquuti ſint. In libris quoq; quibus auctorũ opera deſcripta ſunt, nominandis, Latini *exemplaria* ea appellant, ut Græci ἀντίγραφα, cum ἀντίγραφα exẽpla potius ſint, quam πρωτότυπα. Gloſſæ Philoxeni: *Exemplum*, ἀντίγραφον, ἀντίτυπον. Sed hæc ratio eſt, quod exemplaria hujuſmodi, tam ſunt πρωτότυπα, quam ἀντίτυπα. Quatenus quippe ex aliis antiquioribus deſcripta ſunt, *exempla*, id eſt, ἀντίγραφα vocantur. Quia autem & ipſa deſcribendis aliis ex ſe exemplis ſerviunt, inde *exemplaria* nominantur, id eſt, πρωτότυπα. Auctores quidam hæc confundunt, ſed non ii qui accuratius, & exquiſitius loquuti ſunt. Sed de his alias. Tabulæ teſtamenti & codices ſemper dicuntur, nunquam libri teſtamenti, aut volumina. Quòd argumentum eſt, in codicibus omnis materiæ ſemper olim ſcriptas fuiſſe teſtamenti tabulas, non in voluminibus. Hinc & *codicilli*, qui parvi ſunt codices cerati, quibus teſtator voluntatem ſuam declarat ſine ulla ſollemnitate. *Codicilli* quoque pro epiſtolis ſcriptis in hujuſmodi parvis codicibus. Inde & *codicilli officiorum.* Πινακίδας &

δέλτους Græci ſolent vertere, non βιβλία. *Codicilli* etiam pro ſupplicibus libellis, quæ Imperatori porriguntur, in ſententiis Adriani, quia nimirum in codicibus erant dati. In iiſdem ſententiis *libelli* à *codicibus* diſtinguuntur, hoc eſt, βιβλίδια & πινακίδες. Codicilli quoque teſtamentarii, non aliud quam epiſtolæ, ut alio loco dicam. Nam & concepti erant epiſtolarum formula, & apud Juriſconſultos *Epiſtola* pro tali codicillo ſæpe uſurpatur. Sed & ſi quis pertendat, tabulas teſtamenti conſcribi etiam ſolitas in libris, vel voluminibus, non propterea Juriſconſultus aliquis vetus dixiſſet, legatis tabulis vel codicibus libros, vel volumina deberi. Non enim poſſunt contineri eo legato libri ſpecialiter ſumpti, quia in totum forma differret. Nihil minus quippe eſt volumen quam codex. Rurſus libros generaliter acceptos, ſub legato codicum comprehendi nemo poſſet putare, quia ſub nomine ſpeciei non quit genus intelligi. At *librorum* appellatio lata ſignificatione ſumendorum generis nomen habet, *codicum* ſpeciei. Tabularum vero nomen in teſtamentis ab eo tempore manſit, quo in ceratis tantum tabulis, ut mos fuit antiquiorum, perſcribi ſolita. Sic πυξὶς cum ex buxo olim fieret, poſtea & ex omni alia materia facta, etiam ex auro, idem nomen retinuit. His expoſitis melius conſtabit differentia inter χειρόγραφα & συγγραφὰς, non ſolum quoad materiam, ſed etiam quoad formam. Χειρόγραφον apud Atticos in charta involvenda ſcribi conſuetum manu, ut plurimum, ipſius debitoris, qua ſola & ſubſcribebatur, non à teſtibus, nec ſignatum, ſed à creditore tantum ſervandum, quo fatebatur reus debiti, ſe eam pecuniæ ſummam accepiſſe, ac redditurum eſſe promittebat ſua diē. Inde ὁμολογία etiam appellata, id eſt, *confeſſio debiti*, & ἀσφάλεια, quaſi ſecuritas creditoris in eo verſaretur, & inde Latinis *cautio*. Βιβλίδιον vocavit Demoſthenes, quia ex charta, & in volumine.

mine. At συγγραφὴ, ab eodem γραμματίδιον appellatur. Nam in γραμματιδίῳ ſcribi ſolere affirmat. Γραμματίδιον diminutivum eſt à voce γραμματεῖον, quo nomine tabulæ ceratæ nuncupabantur, unde μάλθα ἐκ γραμματείων, cera ex tabellis, apud Pollucem lib. x, cap. xiv. Et lib. iv, cap. i: Καὶ Ἡρόδοτος μὲν δελτίον δίπτυχον, οἱ δὲ Ἀττικοὶ γραμματεῖον δίθυρον, καὶ θύρας τὰς πτυχὰς ἄχρι δύο, εἶτα πτύχας, καὶ τρίπτυχον, καὶ πολύπτυχον. Quæ peſſime & ineptiſſime reddidit interpres. Verte: *Et Herodotus quidem codicillum duplicem. Attici vero tabulas bifores, & fores vocant tabellas uſque ad duas. Deinde tabellas, ut triptycha, & polyptycha.* Græcis πτυχαὶ ſunt tabellæ, vel πτύχες. Inde πτυχεῖον *pugillar*, quia plures *pugillas*, hoc eſt, tabellas contineret in ordinem ſitas, à πτύξ. At *pugillus* diminutivum à *pugnus*, qui eſt πὺξ, ut *tigillum* à tignum. At vetus vox *pugilla* à πτὺξ, pro *tabella*, unde *pugillares*, τὰ πτυχεῖα, plurium nempe πτυχῶν codex. Sic πτίσσω, *piſo*. Ideo ultra duarum tabellarum pugillar, non dictum eſt τρίθυρον & πολύθυρον à Græcis, ſed tantum δίθυρον, quia ſimile eſſet valvæ, vel fori δίθυρῳ, quæ in duas partes aperitur. Hinc *bipatens pugillar* Auſonio, quod Atticis δίθυρον. Τρίθυρον ea gratia non dicitur, quia nullæ fores ex tribus tabellis, quæ tripertito aperiantur. Hujuſmodi fores δικλίδες Græcis appellatæ, Latinis etiam *duplices*, ut apud Ovidium: *Me duplices occuluere fores*. At *ſimplices fores*, ut *ſimplices tabulæ*, quæ unica conſtabant tabula, ut erant è quibus judices ſententiam recitare jubebantur, quæ & *pericula* dicta, ut infra notabimus. Duplices vero δίπτυχοι, duabus tabellis conſtantes. Idem Pollux ſimiliter γραμματίδιον δίθυρον, & τρίπτυχον πολύπτυχον nominat, quia ὑποκοριστικὸν eſt à primitivo γραμματεῖον. Heſychius: Γραμματίδιον, ὅτε μὲν τὸ πινακίδιον, ὅτε δὲ ὅμοιον γλωσσοκόμῳ. Quod addit γλωσσοκόμῳ, id exponendum ex Polluce, qui notat, γραμματεῖον apud Atticos etiam locu-

lum ſignificare in quo argentum reponebatur, quod γραμματεῖον Βοιώτιον vocabant, id eſt, pugillare Bœotium, quod hujuſmodi loculi ſimiles eſſent pugillaribus, vulgoque eſſent in uſu Bœotis. *Loculos* vocarunt Romani iſta Bœotorum γραμματεῖα. Hinc Martialis in lib. XIV, ſtatim poſt mentionem tabellarum & pugillarium varii generis, ſubjecit & *Loculos eboreos ligneoſque* monetæ recondendæ. Græci poſteriores teſte eodem Polluce ἀργυροθήκην appellarunt. Id eſt, argenti ſignati thecam, vel loculum, ut δακτυλιοθήκην, annulorum. Corruptiſſimus de his loculis locus, ſive γραμματείοις Βοιωτίοις, apud Harpocrationem extat, ad hunc reformandus modum: Ἀργυρὶς καὶ ἀργυρῖτις γῆ, καὶ χρυσῖτις, ἡ ἐργαζομένη χρυσὸν καὶ ἄργυρον. Sequatur ab alio jam principio: Ἀργυροθήκη. Διπλᾶ ἦν γραμματίδια οἷς ἐχρῶντο Ἀθηναῖοι, τὰ μὲν ὥστε γράφειν μόνον τι ἐν αὐτοῖς, τὰ δὲ ὥστε καὶ ἀργύριον καταθέσθαι, ἅπερ καὶ Βοιώτια γραμματεῖα ἐκάλουν, καὶ ἀργυροθήκας. Γραμματεῖον porro pugillar ad ſcribendum, cum olim ſic diceretur tantum quod ὑπὸ τοῦ γραμματέως conſcriptum eſſet, à ſcriba nimirum publico, vel tabellione. Nam γραμματεῖον non ἀπὸ τῶν γραμμάτων dictum eſt, à litteris, vel ſcriptura, ſed ἀπὸ τοῦ γραμματέως. Certe etiam cum γραμματεῖον uſurparunt & de his, quæ à tabulario publico conſcripta non eſſent inſtrumentis, ut de ſyngraphis pecuniæ debitæ, non tamen chirographa, ſed tabulas ceratas & pugillares tantum ſic vocarunt Attici. Recentiores vero hæc miſere confuderunt, & γραμματεῖον etiam de chirographo poſuerunt. Heſychius: Χειρόγραφον, συμβόλαιον, γραμματεῖον. Enimvero in pugillaribus etiam aliquando perſcribi ſolitas apud Romanos liquet cautiones chirographarias, ut colligitur ex his Pauli leg. XVII D. commodati: *Si pugillares mihi commodaſti, ut debitor mihi caveret.* Certe & Aſconius Pædianus, ubi notat differentiam, quæ fuit inter chirographa & ſyngraphas, de chirographis loquens,

quens, *tabulas* etiam appellat. Cicero quoque in Topicis *tabularum* nomine, tam chirographa, quam ſyngraphas intellexit, nec minus codices ipſos in quibus patres familias expenſam alicui pecuniam ferebant. Quod cum facerent, *nomina facere* proprie dicebantur: *Multum enim differt, in arca poſitum ne ſit argentum, an in tabulis debeatur.* Id ergo apud Romanos magis quam apud Græcos vulgo obtinuiſſe videtur. Juvenalis *lignum chirographi* vocat, & ligneas tabulas intelligit, ſive pugillares:

Vana ſupervacui dicens chirographa ligni.

Tabulas chirographi appellat Ulpianus leg. XXVII D. de furtis; *Qui tabulas vel cautiones amovet, furti tenetur, non tantum pretii ipſarum tabularum, verum ejus quod interfuit.* De tabulis chirographariis, non ſyngraphariis eum intelligere, palam faciunt quæ ſequuntur: *Scilicet ſi tanti interfuit, ut puta ſi chirographa aureorum decem tabulæ fuerint.* Ergo & de chirographis tabulas capi poſſe apud Paulum lib. II Sentent. cap. XXXI, hic locus Ulpiani indicat: *Qui tabulas cautioneſve ſurripuit in adſcriptam ſummam furti actione tenebitur.* Idem Ulpianus leg. XLIV D. de legatis I: *Eum qui chirographum legat, debitum legare, non ſolum tabulas, argumento eſt venditio.* Ex eodem conſtat, & in codicibus chirographo caveri poſſe creditori, leg. V D. commodati, quam in ſuperiore libro citavimus. Quidni? cum certum ſit, *codicem*, *tabulas*, & *pugillares* eſſe ſynonyma. Falſus igitur magnus Juriſconſultus, qui notavit quaſi magnum, chirographo, & in codice, & in pugillaribus, & in tabulis debitores cavere. Quoad materiam igitur inſtrumenti, quo cavebatur creditori per debitorem de pecunia mutua reddenda, non differebant apud Romanos ſyngraphæ & chirographa. Apud Græcos chirographa in charta, vel libello magis perſcribebantur, ut & exempla ſyngrapharum, quæ dabantur utrique parti ſervandæ, cum

ipſæ in tabulis ſcriberentur. Quod cum ex conjectura primo ſcripſiſſem, poſtea incidi in Demoſthenis locum, qui id mihi diſerte confirmavit, in oratione contra Stephanum, ſub finem, his verbis: Ἄξιον τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τόδε ἐνθυμηθῆναι, ὅτι διαθηκῶν οὐδείς πώποτε ἀντίγραφα ἐποιήσατο, ἀλλὰ συγγραφῶν μέν, ἵνα εἰδῶσι, καὶ μὴ παραβαίνωσι· διαθηκῶν δ' οὔ. τούτου γὰρ ἕνεκα καταλείπουσιν οἱ διατιθέμενοι, ἵνα μηδεὶς εἰδῇ ἃ διατέθειται. Ceterum non omnes ut dixi pugillares & codices proprie γραμματείων nomine veniebant, ſed illa antiquitus γραμματεῖα tantum vocata, quæ à Grammateo, id eſt, publico ſcriba, conſcripta. Quod nunquam in chirographis factum, ſed in ſyngraphis aliquando, quas proinde ἐν γραμματιδίοις ſcribi moris fuiſſe tradit Demoſthenes, ut χειρόγραφα in βιβλιδίοις, in chartaceis libellis ac brevibus. *Schedulas* inde hodieque vocamus hujuſmodi chirographarias ſecuritates. Ceterum nec ſyngraphæ mutuæ pecuniæ tunc temporis in Græcia ſolitę erant ſcribi manu tabularii publici, ſive γραμματέως, ſed interdum ac ſæpius proxenetæ ipſius manu conſcribebantur, qui nomen conciliaverat, aut interceſſoris, qui pro reo ſpoponderat. Ut apud Demoſthenem in παραγραφῇ adverſus Lacritum, ipſe Lacritus legum & fori peritus, ipſius debitoris frater Artemonis nomine, pro quo interceſſerat, ſyngraphæ inſtrumentum conſcribit & conſignat: Ἐδάνεισα τὰ χρήματα Ἀρτέμωνι τῷ τούτου ἀδελφῷ, κελεύοντος τούτου, καὶ ἀναδεχομένου πάντα ἔσεσθαί μοι τὰ κατὰ τὴν συγγραφήν, καθ' ἣν ἐδάνεισα τούτου αὐτοῦ γράφοντος, καὶ σημηναμένου ἐπειδὴ ἐγράφη. Inde tamen, ut dixi, γραμματεῖα nomen ἀπὸ τοῦ γραμματέως. Sic nec vox συμβόλαιον apud Græcos recentiores, in proprietate ſua manſit, quam apud Atticos habuit antiquos. Illi enim συμβολαίου appellatione non inſtrumentum contractus, manu debitoris aut tabellionis publici ſcriptum vocitare norant, ſed ipſum contractum, etiam ſi ſine ſcripto ſolis verbis obligatio

ligatio contracta eſſet. Ut enim συμβάλλειν abſolute, pro contrahere dicebant & pactum conventumque facere, ita συμβόλαιον, pro ipſa conventione & contractu quocunque, de quo inter contrahentes conveniſſet. Pollux lib. v, cap. XXXIII: συμβόλαιον, συνάλλαγμα, κοινώνημα, κοινωνία, ἀπαλλαγή ἰδιωτῶν τῷ συναλλαγή. Deinde verba ipſa addit: συναλλάξαι, συμβαλεῖν, κοινωνῆσαι. Lex fuit Attica: Παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν, μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν, apud Iſæum. Pro quo apud Scholiaſtem Ariſtophanis legitur: ταῖς γυναιξὶ μὴ ἐξεῖναι ὑπὲρ μέδιμνόν τι συναλλάσσειν, *contrahere cum aliquo ultra hordei medimnum.* De quo alibi. Nam vir doctus ad leges Atticas perperam illud συμβάλλειν apud Iſæum in lege Solonis vertit, *teſtamento dare, legare, ultra hordei medimnum*, cum de omni contractu accipiendum ſit. Inde inter nomina actionum privatarum ab eodem recenſetur, δίκη χρέους, συμβολαίου, συνθηκῶν. Ubi συμβόλαιον eſt ipſe contractus, vel obligatio & conventio, non contractus inſtrumentum, ut poſteriores acceperunt. Unde & συμβόλαιον φιλίας, eidem lib. VIII, cap. XII: ἀπὸ δὲ συναλλάγματος συναλλάσσειν, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ συμβολαίου, συμβαλεῖν, συμβαλόντες, & συμβόλαιον συμβεβλημένον ἤδη λέγουσιν. Ubi συμβόλαιον συμβεβλημένον eſt *pactum conventum*. Inde verbum συμβολαιεύειν Epicharmo, idem quod Atticis συμβάλλειν, *contrahere*. Ita enim hi verſus in Athenæo legendi:

Τοῖς Ἐλευσινίοις φυλάσσων δαιμονίως ἀπώλεσα,
Οὐχ ἑκών, καὶ ταῦτα δή με συμβολαιεύειν ἔφη,
Τοῖς Ἀχαιοῖσι παρεδιδόμην τ' ὤμνυέν με τὴν δέλφακα.

Ita etiam ſcribendum apud Heſychium, qui συμβολαιεύειν interpretatur συναλλακτεύειν. Niſi quis συμβολαιτεύειν dictum putet Dorice, pro συμβολητεύειν, ex συμβολητής. Quod ratione non caret. Ideo & συναλλακτεύειν interpretatur Heſychius, quod ita à συναλλακτής deductum eſt pro συναλλάσσειν, ut συμβολαιτεύειν,

pro *συμβάλλειν*, à *συμβολαίων*, vel *συμβολητέον*. Idem hujus vocis utramque notionem adnotavit recentem & veterem: *Συμβόλαιον, συνάλλαγμα, συγγραφὴ, ἀσφάλεια, γραμματεῖον.* Diverſum quid eſſe à ſyngrapha, vel chirographo, patet ex Demoſthene, initio *παραγραφῆς* contra Zenothemin, his verbis: *Οἱ νόμοι κελεύουσιν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τὰς δίκας εἶναι τοῖς ναυκλήροις, καὶ τοῖς ἐμπόροις τῶν Ἀθήναζε, καὶ τῶν Ἀθήνηθεν συμβολαίων, περὶ ὧν ἂν ὦσι συγγραφαί. In his contractibus de quibus extent ſyngrapha.* Idem clarius in oratione adverſus Phormionem: *Καὶ εἰ μὲν ἐμοὶ τῷ δανείσαντι ἀπεδίδους, οὐδὲν ἔδει μαρτύρων. Τὴν γὰρ συγγραφὴν ἀνελόμενος, ἀπηλλάξα ἂν τοῦ συμβολαίου. Et ſi quidem mihi qui credidi pecuniam, eam reddidiſſes, nihil opus fuiſſet teſtibus. Syngrapha quippe ſublata liberaſſem te obligatione.* At recentioribus *συμβόλαιον* pro ipſa ſyngrapha, unde *συμβολαιογράφος* Heſychio, *ὁ τὰ συμβόλαια γράφων.* Hinc Græci juris interpretes *συμβόλαιον, ἔγγραφον συνάλλαγμα.* Atque ita definiunt: *Συμβόλαιόν ἐστιν ὑπόμνημα ἤτοι καταγραφὴ τῶν συμφωνηθέντων, καὶ στοιχηθέντων μεταξὺ ἑκατέρων τῶν συμφωνούντων, καὶ συμβαλλόντων. Inſtrumentum eſt commentarius, ſive conſignatio pactorum conventorumque inter duos contrahentes.* Gloſſæ: *Inſtrumentum, συμβόλαιον, γραμματεῖον. Inſtrumentum* quidam pro publice confecta ſcriptura ſunt qui notent proprie debere accipi, & à *litteris* eo nomine diſtingui in leg. 1 Cod. de Jurejurando propter calumniam, *in omnibus cauſis, ſive propter litteras fuerit certatum, ſive propter inſtrumenta.* Et ſane *litteras* ita plerumque à Juſtiniano, ſive Triboniano accipi, notum eſſe debet juris ejus eruditis. Inde & *litterarum obligationem* interpretatus eſt, pro ea quæ chirographo privato olim contrahebatur. Falſus quidem ille, ſed tamen ſi eadem fuit cum ea quæ *nominibus fieri* dicebatur, æque de privata ſcriptura intelligenda hæ *littera* fuerint. Sed & apud Julianum anteceſſorem, Conſt. xxvi,

littera depoſitarii, de ἰδιοχείρῳ ſcriptura depoſitarii dicuntur. Et alibi paſſim ſic dictas litteras reperies. Veteres tamen tam de publicis, quam de privatis inſtrumentis hanc vocem uſurparunt, & de quacunque ſcriptura, ut in priore libro notavimus. Quinimmo & *inſtrumenti* appellationem æque ad privatas, quam ad publicas ſcripturas extendi, poteſt multis teſtimoniis è jure petitis probari. Unum ſufficiat ex leg. v Cod. de probationibus, *inſtrumenta domeſtica, ſeu privata teſtatio, ſi non alius quoque adminiculis adjuventur, ad probationem ſola non ſufficient.* Ubi inſtrumenta domeſtica ſcripturæ ſunt quibus *unuſquiſque adnotatione propria ſibi debitorem conſtituit*, ut habetur in leg. VII Cod. eod. Ipſe quinetiam Juſtinianus leg. ult. Cod. Si certum petatur, *chirographaria inſtrumenta* dixit etiam de illis chirographis, quæ antea obtinebant, ſine teſtium ſubſcriptione factis, & ſola manu debitoris ſcriptis. Falſum etiam quod idem Juriſconſultus ibidem inter privatas litteras recenſet cum rationibus, breviariis, & codice expenſi & accepti etiam ſyngraphas, quas compertum eſt ex more ac jure veterum Græcorum, Romanorumque publicis ſcripturis eſſe adnumerandas. Sic enim omnes tabulæ vocatæ ſunt, quæ neutrius partis manu ſcribebantur, & à teſtibus ſubſcribebantur, ſignabantur, ac deponebantur, traditis etiam exemplis utrique parti ſervandis. Hæc enim omnia in ſyngraphis conſcribendis fuiſſe obſervata, quæ diximus evincunt. Sed Juſtiniani ævo, & jure quod ipſe introduxit, nullus omnino ſyngrapharum uſus fuit. Chirographis quippe tranſcripta ab illo ſunt, quæ propria antiquitus fuerant ſyngrapharum, excepta obſignatione. In omnibus enim contractibus, etiam his qui de mutuo ſcriptura interveniente fierent, hoc voluit obſervari, ut apud tabellionem eorum inſtrumenta componerentur, & trium teſtium ſubſcriptione munirentur. Cum enim priſco jure ſufficeret

ficeret creditori *tenere debitorem ſua manu*, ut loquitur Seneca, hoc eſt, chirographum ipſius habere ad debitum recipiendum, id noluit ſatis eſſe Juſtinianus. *Nam & ſi quis vellet ſine tabellione inſtrumentum conficere, ſive de mutuo, ſive de depoſito, ſive de alia quacunque cauſa, tres teſtes ei adhibendos ſanxit*, alioquin, ut ait Julianus anteceſſor, Conſt. LXVI, *litteræ ipſius ſolæ, & comparatio earum credendæ non ſunt.* Ita & chirographa ſimul, qualia olim erant, recepta, & ſyngraphę pariter ab uſu receſſerunt, & medium quoddam genus exortum eſt, quod aliquid partim de chirographo, partim de ſyngrapha haberet, & ſincere neutrum haberetur. Quod idem in multis aliis fecit, ut in conſtituta pecunia cujus actionem ampliavit ex abolita actione recepticiæ. Sic abrogata *Reuxoria*, quodcunque juris atque auctoritatis habuit, eam tranſdidit repetitioni dotis ex ſtipulatu. Ita ille in multis fundamenta veteris juris evertit, non ego. Priſtinum tamen morem retinendum conſtituit circa chirographa, ut valerent, ſicut olim valebant, in ſummis pecuniæ creditæ, quæ libram auri non excederent. Ultra libram auri hujuſmodi chirographis fidem haberi vetuit niſi tres in his teſtes ſubſcripſiſſent, ut moris erat in veteribus ſyngraphis. Atque ita quidem ſanxit Novella LXIII. Ante hanc conſtitutionem lege ipſius, quæ in codicem relata eſt, ſub titulum, *Si certum petatur*, ſanxerat, chirographo debitum non probari, quod tres teſtes non ſubſcripſiſſent, ſi ſumma crediti ſupra quinquaginta libras auri exiret. Ergo uſque ad quinquaginta auri libras licebat ea lege chirographo privato pecuniam reddendam cavere. Quod mutavit Novella ſupraſcripta, & quinquaginta auri libras ad unam reduxit. Quam ſummam miror adeo magnam ad tam parvum numerum ab eodem fuiſſe redactam. Rara quippe chirographa fiebant de debito, quod eam ſummam ſuperaret. Non ſine cauſa itaque dubitavi, in

priore

priore libro an ex quinquaginta libris auri, quinque eſſent faciendæ. Ceterum quod ex libro Latino Magiſtri Tit. XXX, cap. VII, allegavit Harmenopulus in ſuo Amanuenſi, lib. I, Tit. VI, duorum teſtimonium ſufficere uſque ad triginta auri libras; uſque ad quinquaginta tribus idonee debitum probari poſſe teſtibus; ad chirographa, atque ea debita, quæ in ſcriptis eſſent, non puto debere referri. De his quippe contractibus mutuaticiis accipiendum cenſeo, quæ nulla interveniente ſcriptura fierent, ſed ſolis teſtibus niterentur: Ἐπὶ τριάκοντα χρυσίου λίτρας καὶ δύο ἀρκοῦσι πρὸς μαρτυρίαν, καὶ μέχρι τῶν πεντήκοντα τρεῖς ἀρκοῦσιν. Julianus antecessor in Novella Juſtiniani LXIII: *Hæc autem omnia de his contractibus dicimus, qui ſcriptura interveniente fiunt. Alioquin ſi ſine ſcriptura aliqui cõtraxerint liceat eis, vel teſtimoniis, vel jusjurandi religione veritatem manifeſtare, ſcilicet actore quidem teſtes producente, reo autem vel jurante vel jusjurandum referente, ſecundum hoc quod judex æſtimaverit.* Ergo ſecundum illud Ῥωμαϊκὸν, id eſt, Latinum Magiſtri librum, debitum triginta librarum auri contractum ſine ſcriptura probari poterat, ſolis duobus teſtibus; à triginta auri libris uſque ad quinquaginta tres ſufficiebant. Ultra quinquaginta quot teſtibus erat probatio facienda? An quinque vel ſeptem? An ſi ſummam eam tranſcenderet mutuum, ſcriptura erat probandum? Immo vel ſolis teſtibus, dum numerus à lege ſtatutus citaretur. Is erit teſtium quinque, ad ſummum ſeptem in omni vel maximi momenti teſtificatione. Ut ut ſit, noviſſima ſanctione Juſtinianus chirographa de ſumma debiti libram auri excedente exæquavit veteribus ſyngraphis. Intra libram auri ſi qua darentur, more ac jure priſco in chirographis recepto, ea valere juſſit. Ἰδιόχειρα vocavit potius quam χειρόγραφα ea Græciæ tempeſtas. Unde titulus eſt apud Harmenopulum περὶ ἰδιοχείρων. At συγγραφῶν ideo apud illius ævi ſcriptores,

etiam Juridicos, nuſquã mentio extat, quia συμβόλαιον eamdẽ tum ſignificationem habuit quod olim συγγραφή. Cum enim apud veteres Græcos συμβόλαιον proprie, ut jam dixi, contractus ſive conventio ipſa diceretur, & συγγραφὴ ſcriptura eſſet, quæ de illo contractu cum teſtium ſubſcriptione & obſignatione teſtaretur, poſtea συμβόλαιον pro ipſa ſyngrapha uſurpari cœptum eſt, quod Latini *inſtrumentum* dixere, generali voce etiam ad chirographa porrecta. Titulus apud eumdem Harmenopulum habetur περὶ συμβολαίων lib. I, cap. VIII. Quo nomine etiam ſyngraphas pecuniæ mutuaticiæ, quales apud veteres conſcribebantur, certum eſt intelligi. Τῷ συμβολαίῳ, inquit, δεῖ καὶ μάρτυρας τρεῖς παρεῖναι, ἵνα τὸ πιστὸν ἔχῃ, καὶ πάσης εἴη ἀντιλογίας ἐκτός. Totidem teſtes ſubſcripſiſſe ſyngraphis Græco more conficiendis, teſtis eſt Demoſthenes. Subjicit huic titulo idem Harmenopulus titulum περὶ ἰδιοχείρων, quæ ſunt chirographa veterum, quæ & ipſa ex Juſtiniani conſuetudine debuerunt habere trium teſtium ſubſcriptionem. Nec enim aliter in his fieri potuit litterarum comparatio. Ἐξ ἰδιοχείρων μηδεμίαν γίνεσθαι σύγκρισιν, εἰ μὴ ἄρα τριῶν ὑπογραφὴν ἔχουσι τὰ χειρόγραφα. Hæc igitur tum differentia ſola inter συμβόλαια, quæ fuerunt veteres ſyngraphæ; & ἰδιόχειρα, ſive χειρόγραφα; quod hæc manu tantum debitoris ſcripta, συμβόλαια vero ut olim ſyngraphæ à tabellione publico, qui & συμβολαιόγραφος inde dictus eſt. Si debitum tamen non plus quam ex auri libra contractum eſſet, potuit chirographo recte de eo reddendo etiam ſine teſtibus caveri. Συγγραφῆς porro vocabulum eo ævo ſi quando uſurparetur, non de ſyngrapha, ut in uſu fuit veteribus, ſed de chirographo, accipiebatur vulgo, ut liquet ex iſtis Harmenopuli Tit. περὶ ἰδιοχείρων. ὁ τὴν ἰδίαν συγγραφὴν, ἢ τὴν ἐπ' αὐτῇ γενομένην καταβολὴν ἀρνούμενος, τὸ διπλάσιον μετ' ἐλέγχου καταθήσει. Quæ ſumpta ſunt ex Novella Juſtiniani XVIII. De triente & ſemiſſe.

CA-

CAPVT XI.

De obſignatione tabularum. Præcipuam eam fuiſſe differentiam inter ſyngraphas & chirographa, quod illæ ſignarentur, iſta non. Obſignatæ tabulæ deponebantur ac ſervabantur, vel in publico loco. vel penes privatum. Obſignatis tabulis agere quid ſit, & cur dicatur. Quomodo tabulæ teſtamẽti ſignarentur. Maximos Iuriſconſultos hujus ævi in eo explicando erraſſe. Vlpianus expoſitus de duobus exemplaribus teſtamenti, & de duobus codicibus teſtamenti ſimul ſignatis. Subſignare non idem eſſe ac ſignare. Verbo ſignare duas res ſignificari. ſcribere, & obſignare. Formula ſubſcriptionis in teſtamentis. Lex penult. D. Qui teſtamenta, correcta. Signare pro ſubſcribere uſurpatum infimo Latinitatis ævo. Quomodo ſignare & ſubſcribere ſimul juncta in legibus VViſigothorum ſint accipienda. Diverſus ſignandi mos eo tempore ab antiquorũ obſignatione. De ſigillis diplomatum ac reſcriptorum Principum recentioris ævi. Quid ſit βύλλωσις, χρυσόβουλλον, & κηρίνη βύλλα. Apud Græcos poſteriores ὑποσήμανσις & ὑπογραφὴ ita diſtincta, ut poſterioribus Latinis ſubſcriptio & ſignatura Aliquando idem ὑποσημειοῦται quod ὑπογράφεται Quid ſit διασημειοῦται in Novella Leonis. Sententias ſuas judices manu propria ſcriptas edere juſſi. Ab ea confuſione ſignandi & ſubſcribendi inferioris ſæculi, multa loca veterum auctorum fuiſſe corrupta. Non intellexiſſe Iſidorum quid eſſet teſtamentum ſignare. Harmenopulus explicatus, & correctus. An temporibus Leonis teſtamenta eodem quo olim modo, obſignari ſolita. Quid ſit ἐπισφραγίζειν. De votis ſignandis. De more ſtudioſorum veterum, qui libris ceras adfigebant miniatas, ut pro nota eſſent laudis, aut culpæ, aut etiam amplioris inquiſitionis. Quod veteribus ſignum, & Græcis σφραγὶς, hoc nobis in Idio-

Idiotiſmo vulgari Cachetum. Omnia ferme utenſilia apud veteres annulo claudi ſolita, id eſt, ſignari. Quæ clave non obcludebantur, ſigno occludi moris erat. Græcis σημαίνεσθαι, & κατασημαίνεσθαι, & συσσημαίνεσθαι, pro eodem. Adſignare, conſignare & prænotare Latinis συνωνύμως de his quæ annulo obſignarentur, dici. Quomodo majora & minora utenſilium annulo clauderentur. Libellos ac tabulas eodem ferme modo cum utenſilibus obſignatas. Fores ita etiam obſerari ſolitas ſignaculis adpoſitis. Signata quomodo aperirentur? Lino nempe inciſo, & ſignis avulſis. De ceris turbatis locus Quintiliani expoſitus & emendatus. Duplicem in ceratis tabulis fuiſſe ceram, qua tabula ipſa inducta ad ſcribendum, & qua obſignata. Hæ ceræ & nominibus diſtinctæ apud Atticos. Quid ſit ῥύπος, quid μάλθη. Unde inciſum teſtamentum & inciſæ tabulæ dicuntur, quæ aperiuntur. Plauti locus correctus. Turbata ſigna quæ, apud Iuriſconſultum. Signa ſua agnoviſſe teſtes priuſquam aperirentur tabulæ. Sine agnitore ſigna Quintiliano quæ nemo teſtis agnoſceret. De tabulis omnium contractuum triplici lino conſtringendis adverſus falſarios. Id ſub Nerone Senatuſconſulto ſancitum. Pauli verba emendata. Vt ſignare eſt claudere, ita reſignare recludere, & aperire. Ita Græcis σφραγίζειν & ἀποσφραγίζειν. Signata, pro virgine intacta, apud Lucillium. Nonius correctus. Sigillum idem quod ſignum, & ſigillare quod ſignare. Sigillare oculos, Varroni idem quod claudere. Teſtamenta etiam ſignari poterant alia re quam annulo, modo characterem haberet. Lex XXII D. Qui teſtamenta, addita negatione corrigenda. An Vlpianus Paulo contrarius, cum linteum involucrum teſtamenti ſignari poſſe dixit. Suetonius expoſitus de duabus ceris ſignaturis oſtendendis. Quinam ibi ſignaturi accipiendi. Aut in ſignatores, aut in ſubſignaturos videri mutandos.

tandos. De prima & ſecunda cera. Quæ χίδια, quæ τελεγίδια. De tabulis, quæ ſuperiores in teſtamento, & inferiores. Vnde illa loquutio manarit. In tabellis inferioribus ſcribi ſolitæ ſubſtitutiones, tam vulgares, quam pupillares. Quid ſumma marginis nomine apud Paulum ſit intelligendum. De marginibus tabularum & codicum. Hotomannus notatus. Quintilianus explicatus, & emendatus. Duplici modo vox cera in tabulis accepi ſolita, aut pro ſingulis paginis, aut pro totis tabulis. Quid ſit ima cera. De primis & ſecundis teſtamenti tabulis. Lipſii conjectura Suetonius depravatus, ex antiquis libris reſtitutus. Hæredes primi in prima cera ſcripti, ſecundi in ima. Legata quoque & adoptiones, cum primis hæredibus in prima cera ſcripta. Ima cera eadem cum ima parte teſtamenti, & noviſſima. Tabulæ ſecunda, vel ima, pupillaris ſubſtitutionis, quomodo ſeorſim à priore parte teſtamenti proprio lino propriaque cera ſignarentur. Primas & ſecundas ceras eaſdem eſſe cum primis & ſecundis tabulis. Apud Græcos tabulas contractuum ſignis teſtium non fuiſſe ſignatas. Id introductum Romæ jure prætorio, quod jus civile non habuit, hac in re ſimile Attico. Alia etiam differentia notata inter ſyngrapham & chirographum. Quid ſit ἀνελέγξ συγγραφὴν apud Græcos. Inanifacere chirographum. Signifacere. Multa alia ſic uſurpata. Locus Iobi explicatus. Lex 1 Cod. de probationibus emendata. De variis probandi debiti modis. Quid ſit expenſi latio. De jurejurando, cur inter ſollemnes pecuniæ numeratæ dataque probationes ab Agellio omiſſum. Tabularum appellatione non ſolas ſyngraphas, & chirographa intellexiſſe Agellium, ſed omnem ſcripturam, qua debitum probaretur. De Iure Ægyptio à Bocchoride conſtituto, quo debitor jurans nihil ſe accepiſſe, liberabatur. Nobilis quæſtio apud Agellium agitata an in pecuniariis

mutui contractibus illi unde petitur, ſi ſit vir probus, potius credendum ſit cum creditorem deficiunt probationes. Multa in eam rem diſputata. Locus Catonis expenſus & emendatus.

EXpoſitis chirographi & ſyngraphæ ceteris differentiis, præcipua reſtat exponenda de obſignatione. Hoc enim maxime diſcrimine chirographo diſpar ſyngrapha, quod hæc obſignaretur, illud non. Quæ obſignabantur, ad hoc iis ſigna à teſtibus imponi ſolebant, ut deponerentur. In his porro tabulis variorum contractuum, ſive publicorum, ſive privatorum, quas moris erat à teſtibus ſubſcribi, & ab iiſdem ſignari, aliæ authenticæ fuere, aliæ exemplorum loco. Hæc ab illis deſcripta tradebantur contrahentibus ſervanda. Illæ aut in archivis, aut in æde aliqua ſacra, aut apud amicum communem, aut apud argentarium, aut tabularium, vel aliam perſonam publicam depoſitæ cuſtodiebantur. Per has autem tabulas, quæ obſignabantur longe validius fidem ſuam obſtringere cenſebatur obligationis reus, quam chirographo, aut domeſtico alio privatoque inſtrumento. Hinc *obſignatis tabulis agere cum aliquo*, cum ei non licet à pacto convento diſcedere, ſed omnimodo tenetur illud obſervare. Manum quippe ſuam ſępe qui fraudare vult, abnegat, & poteſt ſuum eſſe chirographum infitiari. Tum probatio incumbit creditori, qui niſi ex litterarum comparatione infitiatorem ſuum convincat, ubi teſtes non habet, & jusjurandi religio facile ab improbo infitiatore negligitur, debitum fruſtra exigat. Contra ſyngrapham à teſtibus ſubſcriptam, obſignatam, ex communi conſenſu apud amicum depoſitam, tale ut aliquid liceat improbitati, non adeo obvium eſt. Explicanda hæc igitur *obſignatio*. Nam quid eſſet, & quomodo fieret, pleroſq; etiam juris peritiſſimos antiqui video ignorare.

Hoto-

Hotomannus in commentario verborum juris, ubi interpretatur illam loquendi formulam; *tabulis obſignatis agere*, id eſſe tantum ait, cum pactio in tabulas relata eſſet. Atqui chirographi etiam tabulæ dicuntur, ut in ſuperiore capite oſtendimus, cum tamen qui ex chirographo debitum petat, *obſignatis tabulis agere* dici neutiquã queat. Qui ex ſyngrapha agebat, is agebat tabulis ſignatis, quia ſyngrapha obſignata, non chirographum. Cicero lib. I de oratore: *Tu mihi cum in circulo decipiare adverſarii ſtipulatiuncula, & cum obſignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id ſit ſcriptum quo ille capiatur, ego tibi ullam cauſam majorem committendam putem?* Idem Hotomannus fidem facile facit ex alia obſervatione, quæ habetur lib. IV, cap. I, ſe non intellexiſſe quid eſſet *tabulas teſtamenti ſignare*. In leg. I D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, duo caſus proponuntur ab Ulpiano: unus quo quis in duobus exemplaribus teſtamentum fecit: alter quo in duobus codicibus ſimul ſignatis alii atque alii hæredes ſcripti. In priore caſu cum ex duobus illis exemplaribus aliud extaret, aliud non extaret, *tabulas extare teſtamenti* videri Juriſconſultus ait, & ex eo peti poſſe bonorum poſſeſſionem. In ſecundo quo duo ſimul codices ſignati ſunt, cum utrumque extaret, utrumque pro uno habendum eſſe idem pronuntiat. *Perſpicue*, inquit Hotomannus, *duo proponit caſus: unum ſi quis in duobus exemplaribus idem teſtamentum ſcripſerit, & unum extet, alterum non extet: alterum cum utrumque extat exemplar.* Nón recte retulit caſum poſteriorem. Verba Juriſconſulti hæc ſunt: *Sed etſi in duobus codicibus ſimul ſignatis, alios atque alios hæredes ſcripſerit, & utrumque extet, ex utroque quaſi uno competit bonorum poſſeſſio, quia pro unis tabulis habendum eſt, & ſupremum utrumque accipiemus.* In hoc ſecundo caſu duo exemplaria ſcribuntur, ac duo teſtamenta, non unum

teſtamentum in duobus exemplaribus, ſive duo exemplaria teſtamenti eodem exemplo. In priore caſu ubi unum idemque teſtamentum in duobus exemplaribus ſcriptum eſt, altero ex his deperdito ſi alterum extet, ex eo peti poteſt bonorum poſſeſſio. In poſteriore themate duo teſtamenta ſcripta ſunt, hoc eſt, duo codices, ſive duo exemplaria, in quibus alii atque alii hæredes ſcripti ſint. Exempli gratia, in uno Titius & Mævius, in altero Publius & Sẽpronius. Pone, unum ex his prius, alterum poſterius ſcriptum fuiſſe. Vix enim aliter fieri potuit. Si ſic relicta fuiſſent, atque ut ſeorſim ſcripta, ita & ſeparatim ea ſignari placuiſſet teſtatori, omnino à poſteriore ruptum eſſet prius, & Publius Semproniuſque bonorum poſſeſſionem, ſecundum tabulas ex poſteriore teſtamento, contra Titium & Mævium, qui in priore ſcripti erãt, recte petiiſſent. Nunc duo illi codices teſtamenti, ſive duo teſtamenta diverſa, quia in his alii atque alii hæredes ſcripti, ſimul ſignata à Juriſconſulto proponuntur. Ergo pro unis tabulis, etiamſi utrumq; extet teſtamentum, id habendum eſſe reſpondit, quia utrumque ſupremum, nec alterum altero magis ſupremum, quandoquidem ſimul involuta lino, & ſignis impreſſis obſerata fuere. Hæc mens eſt Juriſconſulti, & verum thema legis. Alius porro Juriſconſultus, qui mihi olim doctor fuit, ad leg. penult. D. Qui teſtamenta facere poſſunt, notat, ſubſcriptionem alteri committi non poſſe, ne quidem notario, Baldum hinc colligere, alieno tamen anulo ſubſignare poſſe, ut habetur in Inſtit. eo. Non recte *ſubſignare* confundit cum *ſignare*. Nam eo loco Inſtitutorum *ſignare* legitur, non *ſubſignare Poſſunt autem & omnes teſtes, & uno anulo ſignare teſtamentum.* Id eſt. σφραγίζειν; ut recte vertit Theophilus. At *ſubſignare* idem quod ſubſcribere. Qui vero velit eſſe idem *ſignare*, & *ſubſignare* teſtamentum, eo ipſo indicet ſe non intelligere, quid ſit

ſignare

ſignare teſtamentum, aut alias tabulas. In ea autem lege penultima, Tit. quo ſupra, perperam *ſignaverit* ſcriptum eſt pro *ſubſignaverit*. Nam ita omnino in ea lege reſcribendum eſt: *Singulos teſtes qui in teſtamento adhibentur proprio chirographo annotare convenit, quis & cujus teſtamentum ſubſignaverit.* Atque ita plane, aut legerunt, aut intellexerunt Baſilicorum interpretes, qui ſic verterunt: ἕκαστος τῶν μαρτύρων ἰδιοχείρως δηλούτω, τίς ἐστι, καὶ τίνος ἐν τῇ διαθήκῃ ὑπέγραψε. *Quis & cujus in teſtamẽto ſubſignaverit vel ſubſcripſerit.* Nam *ſignare* duo tantum ſignificat, aut ſcribere, aut obſignare, ſive ſigna imprimere. Neutro modo teſtes hic ſignare debere poſſunt intelligi. Non enim hic de *obſignatione* agitur, qua clauſo teſtamento & lino circumpoſito ſigna imprimuntur, ſed de ſubſcriptione, quæ etiam *ſubſignatio* dicta, ut hoc ipſum *ſignare* aliquando, pro ſcribere accipi ſupra obſervavimus. Non ſignat autem, hoc eſt, non ſcribit teſtamentum, qui in eo ſubſcribit, vel ſubſignat. Ita enim ſubſcribebant teſtes olim in teſtamentis: *Ego Lucius Titius, manu mea Gaii Seii teſtamentum ſubſcripſi.* Hoc eſt, quod lex dicit, ſingulos teſtes, qui in teſtamento adhibentur, proprio chirographo adnotare debere, quis & cujus teſtamentum ſubſignaverit, hoc eſt, ſubſcripſerit. Nec recte formulam ſubſcriptionis in teſtamentis talem refert doctiſſimus Juriſconſultus: *Lucius Titius ſubſcripſi, & Gaii Seii teſtamentum obſignavi.* Quomodo enim tunc dicere poterant ſe obſignaſſe, cum ſubſcriberent, quod nondum erat factum, nec in ea tabularum parte fiebat? Nam tum cum omnes teſtes ſubſcripſiſſent, cum tabulæ teſtamenti lino ter circumducto obligatæ eſſent, in eo lino imprimebantur ſigna. Non igitur teſtabantur ſe obſignaſſe, qui nondum obſignaverant, cum ſubſcribebant. Falſum quippe ſcripſiſſent. In teſtamento Gregorii Nazianzeni non hoc ſcribunt teſtes, ſe obſignaſſe

teſtamentum, ſed tantum ſubſcripſiſſe, & nominant ipſum teſtatorem, cujus teſtamentum ut ſubſcriberent, rogati erant, quod lex illa præcipit: Ἀμφιλόχιος ἐπίσκοπος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, τῆς ἐν Ἰκονίῳ, παρὼν τῇ διαθήκῃ τοῦ αἰδεσιμωτάτου ἐπισκόπου, καὶ παρακληθεὶς παρ' αὐτοῦ, ὑπέγραψα. Non igitur dubium quin *ſubſignaverit* in ea lege recta ſit ſcriptura, pro *ſignaverit.* Nec enim puto Juriſconſultorum ætate *ſignare* uſurpatum fuiſſe, pro *ſubſcribere*, ut factum infimo Latinitatis ævo, quod hodieque obtinet in noſtro idiotiſmo. Nam *ſignum* vocamus, *le ſeing*, ſubſcriptionem alicujus chirographo factam, & *ſignare*, pro ſubſcribere. Eadem loquutio reperitur & in teſtamento beati Remigii, in quo ipſe teſtator ita ſubſcribit: *Ego Remigius Epiſcopus teſtamentum meum relegi, ſignavi, ſubſcripſi.* Non poteſt ſane ibi illud *ſignavi* intelligi eo ſenſu quo apud veteres accipiebatur, pro *obſignavi.* Ὕστερον πρότερον eſſet manifeſtum. Prius enim ſignaſſet quam ſubſcripſiſſet. Quod per rerum naturam ex more qui in teſtamentis ſubſcribendis & obſignandis obtinebat, plane impoſſibile fuit. Sed *ſignavi* ibi idem quod *ſubſignavi.* Quod etiam additur, *ſubſcripſi*, videtur eſſe ἐπεξηγητικόν, ut explicaret, qua notione illud *ſignavi* poſitum eſſet, vel ad magis id quod fieret exprimendum, & repetitione ſynonyma roborandum, ut in iſtis formulis multa. Nam reliqui teſtes qui ſubſcribunt, nihil amplius addunt, quam ſe ſubſcripiſſe. In teſtamento Porcelli Corocottæ, quod ætate Hieronymi in ſcholis à cirratis decantabatur, *ſignavi* idem eſt quod ſubſcripſi. *Lucanicus ſignavit. Tergillus ſignavit. Nuptialicus ſignavit*, & reliqua. Id eſt, ſubſcripſit, vel ut veteres loquuti ſunt *ſubſignavit.* In legibus VViſigothorum hæc duo aliquot locis junctim ponuntur, *ſubſcribere* & *ſignare.* Ubi *ſignare* non poteſt accipi de obſignatione qualis apud priſcos in uſu fuit Juriſconſultos. Lib. II, cap. V, Tit. XVII, de comproba-

tione

tione litterarum: *Poſt hæc quærenda ab utriſque partibus in domeſticis ſcriniis inſtrumenta chartarum, ut comprobatis aliarum ſcripturarum ſubſcriptionibus ac ſignis poſſit agnoſci, utrum habeatur idonea, an reprobetur indigna.* Non ex collatione & comparatione ſignorum de veritate eorumdem, quemadmodum de ſcripturis, cognoſci poterat, ut fuit veteribus ſignandi mos. Cum enim vel alieno anulo poſſet aliquis ſignare in teſtamento, & uno eodemque omnes teſtes fas eſſet ſigna imprimere, etiam teſtatoris anulo ad hoc uti quirent, ſi idem teſtis in alio teſtamento ſignando ſuo uſus eſſet, quomodo ſignorum fieri poſſet comparatio, qui modo ſuum, modo alienum in diverſis inſtrumentis adhibuiſſet? In iiſdem legibus lib. & cap. quo ſupra, tit. XII, mentio fit ſignatoris ac ſubſcriptoris in teſtamentis hoc modo: *Morientium extrema voluntas, ſive ſit auctoris & teſtium manu ſcripta, ſive utrarumq; partium ſignis extiterit roborata, ſeu etiam, etſi auctor ſubſcribere, vel ſignum facere non valeat, alium tamen cum legitimis teſtibus ſubſcriptorem, vel ſignatorem ordinationis ſuæ inſtituat.* In his quidem omnibus agnoſco aliud eſſe *ſignare*, aliud *ſubſcribere*, ſed ille ſignandi mos longe alius tunc ab eo qui veteribus receptus. Tunc temporis eadem fuit, quæ etiamnunc viget conſuetudo, ut ſimul cum ſubſcriptione in ima parte inſtrumenti affixa cera ſignum ſuum imprimerent. Id quia ſimul cum ſubſcriptione fieret, & eodem ferme loco, hinc factum, ut *ſignare* etiam pro ſubſcribere uſurpatum ſit, & *ſignum*, pro chirographo ſubſcriptionis. Hoc in diplomatis ac litteris Regum principumque, ſigillum eſt ex cera, cui impreſſa regis aut principis figura, idque pendet ex inferiore parte diplomatis. Græcis Imperatoribus hoc etiam in uſu, & κηρίνην βούλλωσιν vocarunt. Hinc in eorum conſtitutionibus & pragmaticis ſanctionibus hæc in fine ſemper habentur ſcripta, δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων τῆς βα-

σιλικῆς καὶ θείας χειρὸς, καὶ τὴν συνήθη δίπτυχον περισκιωτὴν βούλλωσιν. In Manuelis Comneni conſtitutione de homicidis: δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων τοῦ κράτους καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως τὴν συνήθη δίπτυχον, καὶ κηρίνην βούλλωσιν. Hæc κηρόβουλλα inde dicta, & *bulla* pontificum, decreta eorum, quia hujuſmodi βουλλώσεις haberent. Solebant interdum & ex auro bullam ejuſmodi apponere Imperatores, & ad eorum exemplum Pontifices Romani. Inde appellatum χρυσόβουλλον. Manuelis Commeni χρυσόβουλλον, ita in fine habet: ἐν ᾧ καὶ τὸ ἡμέτερον εὐσεβὲς, καὶ θεοπρόβλητον ὑπεσημήνατο κράτος, εἶχε τὸ σύνηθες κανίκλωμα, καὶ ὑπογραφὴν τοῦ βασιλέως τοιαύτην, Μανουὴλ ἐν Χριστῷ τῷ θεῷ πιστὸς βασιλεὺς Πορφυρογέννητος αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων, ὁ Κομνηνὸς, καὶ κάτωθεν ἀπῃωρημένην βούλλωσιν χρυσῆν διὰ μετάξης ὀξείας. Poſſet aliquis ex illo chryſobullo notare diſtingui aperte ὑποσήμανσιν, & ὑπογραφὴν, *ſubſcriptionem* & *ſubſignationem*, ſive ut tunc loquebantur Latini, *ſignum*, vel *ſignaturam*. Ὑπογραφὴ quippe videtur *ſubſcriptio* manu ipſius Imperatoris facta, & ὑποσήμανσις ad illam βούλλωσιν referēda. Non tamen ita eſt. Nam illo tempore ὑποσημαίνεσθαι & ὑπογράφειν idem fuit, ut veteribus Latinis eſt *ſubſcribere* & *ſubſignare*. Βούλλωσις quippe tunc proprie σφραγὶς, hoc eſt, ſigillum, non ὑποσήμανσις, quæ prorſus eadem cum ὑπογραφῇ. Ita enim differt σημαίνεσθαι & σφραγίσασθαι, ut *ſignare* & *ſigillare*, genus à ſpecie. Græcum σημαίνεσθαι, ut Latinum *ſignare*, verbo generali quidquid quomodocunque notatur, ſignificat. Inde & pro *ſcribere* Latinis uſurpatum. Attici & pro σφραγίζειν poſuerunt, ut & Latini ipſi. Σφραγίζειν vero nunquam acceperunt, niſi ubi aliquid ſignatur impreſſo in ceram annulo. Sic recentioribus Græcis ὑποσημαίνεσθαι nihil aliud denotat quam ſubſcribere. Ita & διασημαίνεσθαι in Leonis Novella XLV *deſcribere* eſt, non *obſignare*, ut vulgo vertunt: περὶ τοῦ πάντας δικαστὴν ἔγγραφον ἀπολύειν τὴν ψῆφον τῇ

οἰκείᾳ

οἰκείᾳ χειρὶ διασεσημασμένην. *Vt ſententiam judex omnis ſcriptam propria manu edat*, non *obſignatam*, ut reddunt interpretes. Nam *obſignare* non aliud eſt quam ſigno impoſito aliquid occludere, κατασφραγίσασθαι. Antea judices debebant ſententias ſuas ſcriptas in libellum conferre, & ex libello partibus recitare, nec exigebatur, ut propria manu eas conſcriberent, quod hæc Leonis Novella jubet. Non ſolum igitur ἔγγραφον ψῆφον judicibus emittendam ſanxit, ſed etiam οἰκείᾳ χειρὶ διασεσημασμένην, *propria manu conſcriptam*, vel *deſcriptam*. In his quæ præcedunt ejuſdem Imperatoris Novellis σφραγίζειν & ἐπισφραγίζειν, *ſignare* & *obſignare* eſt, cera annulo inſignita. At hic διασημαίνεσθαι eſt deſcribere, ut ὑποσημαίνεσθαι ſubſcribere. Solebant autem tunc temporis etiam privati in teſtamentis, aliiſque authenticis litteris, quas conſcribebant, ſive ſua manu, ſive per tabularios ac notarios publicos, non tantum eas ſubſcribere, ſed etiam, ut vocabant, *ſignare*, hoc eſt, affixæ in imo ceræ juxta ſubſcriptionē ſignum ſuum imprimere. Sic erit igitur exponendum, quod in teſtamento Remigii habetur, *relegi, ſignavi, & ſubſcripſi*. Id cum in multis non fieret, ſed ſola ſubſcriptio adponeretur, inde, ut dixi, obtinuit, ut *ſignum* pro ipſa ſubſcriptione uſurparetur, præcipue cum & veteribus in uſu fuiſſet *ſubſignare*, pro *ſubſcribere*. Hanc cauſam fuiſſe puto cur noſtri ſæculi homines minus advertiſſe videantur qualis ſignatio veterum fuerit, longe ab hac inferiore ævo uſitata differens. Inde etiam factum, ut librarii multis in locis veterum auctorum, dum ad ſuorum temporum morem reſpiciunt, & uſum loquendi, *ſignare* repoſuerint, pro *ſubſignare*. Ita certe in lege penult. D. Qui teſtamenta facere poſſunt, nullo modo ferri poteſt illud, *quis & cujus teſtamentum ſignaverit*, pro *ſubſignaverit*. Cum in tantum diverſa fuerit ſubſignatio, ſive ſubſcriptio teſtamenti illo tempore ab obſignatione, quod & *ſignare*

dicebatur, idem mendum etiam irrepſit apud Suetonium in Nerone in his verbis: *Cautum, ut in teſtamentis prima dua cera, teſtatorum modo nomine inſcripto vacua ſignaturis oſtenderentur.* Qui locum hunc corruperunt librarii, cum *ſignare* ſuo ævo, idem eſſet quod ſubſcribere, vel ſignum una cum ſubſcriptione, & in ima parte juxta ſubſcriptionem imprimere, pro *ſubſignaturis*, repoſuerunt *ſignaturis*. Atqui more loquendi qui tunc receptus, ex conſuetudine tralaticia ſignandi quæ illo ævo obtinebat, *ſignare* idem cum eo quod præceſſit *obſignare*, in his: *Adverſus falſarios tunc primum repertum, ne tabula niſi pertuſa, ac ter lino per foramina trajecto, obſignarentur.* Idem erat ſi dixiſſet, *ſignarentur*, ut infra docebimus. Sequitur deinde ἀνδυμέσυ: *Cautum, ut in teſtamentis prima dua cera, teſtatorum modo nomine inſcripto vacua ſignaturis oſtenderentur.* Ubi omnino reſcribendum eſt, ut fides eſt ſcripſiſſe Suetonium, *ſubſignaturis*. Non enim de eadem ſignatione intelligendum in utroque loco, cum priore de exteriore obſignatione accipiendum ſit, qua obſerabatur teſtamentum, altero de inferiore ſubſcriptione, quæ etiam *ſubſignatio*, nunquam *ſignatio* dicebatur, cum verbum *ſignare* illo ævo acciperetur pro *obſignare*, non autem pro *ſubſignare*, ut poſtea in uſu fuit promiſcuo. Sed locum illum Suetonii paulo poſt explicabimus. Quo magis ignoſcas hodierni temporis Juriſconſultis, qui ignorarunt, quid eſſet *ſignare teſtamentum*, etiam aliquot veterum in eadem culpa, præcipue illorum, qui ea ætate vixerunt, qua vetus ille mos ſignandi obſoleverat, & novus introductus fuerat, ſignandi pariter & ſubſcribendi, unde manavit ille abuſus, quo *ſignare* & *ſubſignare* confundi cœptum eſt. Iſidorus lib. v, cap. xxii: *Teſtamentum juris civilis eſt quinque teſtium ſignis ſignatum, ſubſcriptione firmatum.* Vides prius *ſignatum* dicere, deinde *ſubſcriptum*, dum morem

ſignandi

ſignandi ſui temporis ſpectat. Sic in teſtamento Remigii, *relegi, ſignavi*, & *ſubſcripſi.* Contra enim fuit apud antiquos, ſubſcribebatur, deinde clauſum lino circumducto ſignabatur. Quem ordinem obſervat Caius in Inſtitutis & Theophilus: *Conſtitutum eſt ut uno eodemque tempore, quod jus civile quodammodo exigebat, ſeptem teſtibus adhibitis, & ſubſcriptione teſtium, quod ex conſtitutionibus inventum eſt, & ex edicto pratoris ſignacula teſtamentis imponerentur.* Quæ ſequuntur apud eumdem Iſidorum, oſtendunt, neſciſſe illum quid eſſet ſignare teſtamentum apud veteres. *Teſtamentum ſignare*, inquit, *notare eſt, ut notum ſit quod ſcriptum eſt.* Si contrarium ſcripſiſſet, melius rem ipſam aperuiſſet. Nam verius eſt, ſignare teſtamentum idem eſſe quod claudere, & obſerare, ne notum ſit quod in eo ſcriptum eſt. Nobis quippe hodie *cachetum* eſt, ab occulendo & tegendo, quod veteribus *ſignum*, vel σφραγίς. At quod *ſignum* nobis hodie eſt, id antiquis fuit ὑπογραφὴ, vel *ſubſignatio.* Sub extremo certe Imperio Conſtantinopolitano σφραγὶς, in teſtamentis aliud fuiſſe videtur, quam ſub prioris, aut medii ævi imperatoribus. Non enim ſignacula adhibebantur tunc ad teſtamentorum inſtrumenta, ut iis clauſis & obſeratis imponerentur, ſed eo quo ante diximus modo. Cum ipſa enim ſubſcriptione teſtator, ut plurimum ſignum ſuum apponebat juxta eam affixum cera, & impreſſum aliqua imagine, vel nominis ſui monogrammo, vel quolibet alio charactere. Teſtes ſubſcribebant tantum, non etiam ſignum ſuum apponebant, ut videre eſt in teſtamento Remigii. Nam ibi teſtator ſignat & ſubſcribit, teſtes tantummodo ſubſcribunt. Solent hodieque & aliqui ad nomen ſuum aliquam notam ſibi familiarem adſcribere, quæ hujuſmodi, quam dico, ſignationis umbram retinet. *Paraſum* barbare vocant, quo & notarii publici tabellioneſque utuntur, ſed & plurimi

privati,

privati, ut mercatores & alii. Quod olim opinor factū. Unde & ἐπισφραγίζειν τὰ συμβόλαια οἰκείοις γράμμασιν, propriis litteris & ſubſcriptione ſignare tabellio dicitur in Gloſſis Nomicis: Ταβελλίων, ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς νομικὸς λεγόμενος, ἅπαντα ἐπιτελῶν τὰ τῶν πολιτῶν γραμματεῖα, ἔγραφεν αὐτῶν οἰκείοις ἐπισφραγίζων γράμμασιν Eadem habes & apud Suidam, in voce ταβελλίων. De hujuſmodi ſignatione, quæ fit ſimul cum ſubſcriptione, & juxta ipſam, intelligendus fortaſſe Harmenopulus lib. v, Tit. I, qui & veterem recentemque, quæ ipſius ævo obtinebat, ſignandi vel ſigna imponendi conſuetudinem miſcuit, ac confudit. Sic enim ſcribit, ut eſt in veteribus, quæ contuli, exemplaribus: ἐπειδὴ δὲ εἰρήκαμεν, τοὺς μάρτυρας χρῆναι σφραγῖδας ἐπιθεῖναι, ὀφείλεις εἰδέναι ὅτι ἐνὶ δύναται σφραγίζειν τὴν διαθήκην. Hæc pertinent ad veterem morem tabularum teſtamenti obligandarum lino, & lini impoſita cera obſignandi. Quæ ſequuntur, ad alterum recentiorem, qui tunc in uſu: καὶ ἐν νυκτὶ σφραγίζεται, καὶ ὑπογράφεται διαθήκη. Citat Novellam ſeptimam Leonis, quæ ſanciat, poſſe etiam ſignari & ſubſcribi teſtamenta noctu: νεαρὰ ἡ ἑβδόμη τοῦ Καίσαρος Λέοντος, ἡ δὲ κζ' νεαρὰ Καίσαρος Λέοντος οὕτω φησὶν, ὡς εἴπερ μόνον οἱ μάρτυρες φασὶν οἰκείαν τοῦ ἀνθρώπου τὴν διαθήκην, οὐδὲν πλέον ἀπαιτεῖται. In illis verbis Harmenopuli vides, prius nominari σφραγῖσιν, quæ ὑπογραφή. Sic in teſtamento ſuo Remigius dicit, *ſe ſignaſſe ac ſubſcripſiſſe*. Quod non poteſt de priſco ſignandi more intelligi, quo teſtamenta perſcripta & ſubſcripta, & lino obligata cera impoſita ſignabantur & claudebantur. Quæ porro citat ex vigeſima ſeptima Leonis Novella, hodie leguntur in XLII. Ea conſtitutione valere vult teſtamenta Leo, etiamſi nec ſubſcriptiones teſtium habeant, nec ſignacula, ſi modo teſtes affirment, hoc illius de quo quæritur eſſe teſtamentum: ἀλλὰ βεβαίαν εἶναι, καὶ μὴ μόνον εἰ αἱ σφρα-

σφραγῖδες ἐνεδέησαν ἐπικεῖσθαι, ἀλλ' εἰ καὶ τῶν μαρτύρων ὑπογραφαὶ μετὰ τῶν σφραγίδων ἐλλείπουσιν. Apparet, de ſignationibus intellexiſſe, quæ, ut dixi, cum ſubſcriptionibus fiebant. Ex ſequenti Novella ejuſdem Imperatoris conſtat, in teſtamentis, quæ neque à teſtibus ſubſcripta eſſent neque ſignata, robur & auctoritatem iis conciliaſſe ſignaculum Magiſtri cenſus appoſitum, idque obtinuiſſe ante illam conſtitutionem Leonis, ut ibidem docetur. At ea conſtitutione idem Leo ſanxit, ut firmitatem accipiant teſtamenta non ſubſcripta, neque ſignata per ſigillum Quæſtoris. Additque in fine Novellæ, non ſolum Quæſtorem, ſed etiam Magiſtros & Patricios, ipſumque urbis præfectum alioſque judices, debere ſigillis ſuis teſtamenta firmare, ut ἀξιοπιστίαν accipiant. Ἐπισφραγίζειν τὰ διατυπώματα dicit, eodem ſi forte ſenſu, quo tabellio ἐπισφραγίζειν contractus privatorum dicitur dum eos ſubſcribit & ſignat. Atqui citat Harmenopulus eodem lib. v, Tit. 1, Novellam xxxix, qua cōſtituit, ut etiam teſtamentum non ſignatum à magiſtratu valeat, ſi modo teſtium habeat ſubſcriptiones: Καὶ ἦλθεν ἡ λθ' νεαρὰ τοῦ αὐτοῦ περὶ τῆς ἀσφραγίστου διαθήκης, παρὰ τοῦ ἄρχοντος, φησὶν, ὥστε καὶ ἐκ μόνης τῆς μαρτύρων ὑπογραφῆς μὴ στερίσκεσθαι πίστεως. Hæc ſignacula vel ſigilla magiſtratuum, teſtamētis adponi vel imponi tunc ſolita, non alio more modoque videntur adpoſita, quam ut hodie ſolent ſigillum regis diplomatis adfigi, vel litteris aliis publicis ſigillum, ut vocant, Cancellariæ. Nam & tum, ut ante notamus, κηρόβουλλα, ſive σφραγῖδες Imperatorum reſcriptis & edictis eodem modo imponi conſueverant. Ubi autem ille mos exolevit teſtamentorum ligandorum lino, & obſignandorum, etiam teſtes ea obſignare deſierunt. Adhuc tamen in Codice Juſtinianeo, & in ipſius Juſtiniani leg. xxx. De Teſtamentis, mentio fit lini inciſi, & ſignaculorum ablatorum aperiendi teſtamenti cauſa, ex antiquo more. Sed & illa ſigilla Ma-

giſtri

giſtri cenſus, vel Quæſtoris, quæ aliquando debuerunt teſtamentis imponi, ut firmitatem acciperent, ad claudendas videntur teſtamenti tabulas pertinuiſſe. Nam & apud Magiſtrum cenſus inſinuari moris erat, ut conſtat ex leg. XXIII, Cod. eodem. Quod attinet ad ὑποσημειώσεις, quæ cum ipſa ſubſcriptione fiebant, vel unde hodieque *ſignum* pro ſubſcriptione dicimus, nihil ad obſignanda & claudenda teſtamenta illæ pertinuerunt. Sed & proprie *ſignare* de his dictum eſt. Nam & veteres non ſemper id verbum uſurparunt de his quæ ſigno erant firmanda, ut clauſa forent, ſed etiam de his quæ ſimpliciter adfigerentur & notarentur, ad rei cujuſcunque teſtimonium. Sic *vota ſignabant*, dum tabellam qua votum conceperant, pedibus aut genibus ſimulacri ejus dei cui voverant, cera adfigerent. Philoſtratus ἐπισφραγίζειν εὐχὰς id vocat. Hoc Apuleio *votum aſſignare in femore ſtatuæ.* Ita & *veſtiri porticum tabellis legitime fixis* dixit Satyricus, de hujuſmodi tabellis votum continentibus, quæ in porticu templi cera erant affixæ. Et *ſignare fores* Papinio adſignatis his quibus adfixæ cera hæ votivæ tabellæ. Sed & *ſignare* veteribus dicebantur ſtudioſi, qui inter legendum locis de quibus quæri adhuc deberent, ceram adfigebant, memoriæ cauſa. Heſychius: Παρεῤῥυπωμένα βιϐλία, οἷς κηρὸς προσπλάσσομεν πρὸς τὸ ζητῆσαί τινα. Nec diſſimile fuit quod Democritus faciebat in commentario de rerum natura, qui omnia quæ experimentis comprobaverat cera, affixa, & annulo ſignata notaverat. Hoc *ſignare* vocavit Vitruvius lib. IX, cap. III: *Admiror etiam Democriti de rerum natura volumina, & ejus commentarium, quod inſcribitur* χειρόκμητον, *in quo etiam utebatur annulo, ſignans cera ex multo quæ ipſe expertus eſſet.* Eodem pertinet & miniata illa cerula in Epiſtolis ad Atticum, quibus ille notabat quæ in ſcriptis Ciceronis non probabat. Hic erat Græcorum προσπλασσόμενος κηρὸς

τοῖς

τοῖς βιϐλίοις, quæ & παραπλάσματα dicebantur, ut eſt apudHeſychium in ea voce. Cera illa varios ad uſus pro lectoris propoſito adfigi libris ſolebat, aut ut laudandum, aut ad carpendum, aut ut amplius quærendi nota eſſet. Alium uſum præbuit etiam cera affigi ſolita litteris contractuum & teſtamentorum tabulis, & annulo ſignata cum ſubſcriptione, & juxta ipſam, ut majorem his auctoritatem conciliaret. Quod recentiore imperio uſurpatum, priſco ævo incognitum fuit. Alia illa quippe fuit veteribus, tam Græcis quam Latinis uſurpata ſignorum impoſitio ad ea obſignanda, quæ patere omnibus nollent, ſed clauſa eſſe ac tuta. Ita igitur mos erat tam Græcis quã Latinis, ut quidquid clauſum eſſe vellent, obſignarent, hoc eſt, cera appoſita & affixa ſignaculum imprimerent, ne id aperiri poſſet, niſi avulſa cera, & refracto ſignaculo. Anulos ad hunc uſum habuere, cum gemma aliqua cavata cum charactere, qui ectypam figuram ceræ impreſſus poſſet efficere. Hinc omnes gemmas σφραγῖδας Græci vocarunt, quia plurimæ ad hunc uſum ſcalptæ, & cavatæ, ut iis ſignarent, quæ obſeranda eſſent. Ante uſum annulorum rudi adhuc & imperito ſæculo, quod tamen tum ad rem ſuam conſervandam attentum fuit, lignis carie exeſis, ac vermiculatis, ac θριποϐρώτοις utebantur vice ſignaculi ad ceram notandam. Heſychius: Θριπόϐρωτος· οἱ Λάκωνες σφραγῖσιν ἐχρῶντο ξύλοις ὑπὸ σητῶν βεϐρωμένοις κατασημαινόμενοι ὁπότε βούλοιντο. Φιλοστέφανός φησι, πρῶτον Ἡρακλέα χρήσασθαι. De his jam multa notarunt docti, & nos etiam alibi. Cellæ, arcæ, armariola, ſcrinia, lagenæ etiam atque amphoræ, aliaque utenſilia, quæ patere nolebant, annulis obſignari olim ſolita, id eſt, claudi. Pyxides etiam in quibus pharmaca reponebantur ſub ejuſmodi ſignaculo ſervabantur, & vindicabatur à rapina quod in his erat, ut legere eſt apud Marcellum Empiricum aliquot locis. In ſumma, quæcunque non claudebantur clavi, claudi

ſole-

ſolebant ſigno, vel ſigillo. Hinc *claves* & *annulum* morientes hæredi ſuo, vel uni ex pluribus, tradebant, ut teſtarentur, eum dominum eſſe velle eorum, quæ relinquerent. Papinianus leg. lxxvii, D. de legatis: *Pater pluribus filiis hæredibus inſtitutis moriens claves & annulum cuſtodiæ cauſa majori natu filiæ tradidit.* *Signare* itaque hoc ſenſu, & *obſignare*, nihil aliud eſt, quam annulo claudere. Tacitus Annali ii, de Vonone Partho, qui mores Romanorum ex longo obſidatu imbuerat: *Irridebantur & Græci comites, ac viliſſima utenſilium annulo clauſa.* Id eſt, ſignata, vel obſignata. Nam *ſignare* in his idem quod obſignare. Martialis:

Nunc ſignat meus anulus lagenam.

Id eſt, obſignat, vel anulo claudit. Græci quoque σημαίνεσθαι, & κατασημαίνεσθαι, pro eodem dicunt in his utenſilibus, quæ annulo claudebantur. Ariſtophanes in Lyſiſtrate apud Pollucem:

— ὅπως μηδὲν

Εὖ σεσήμανται, τὸ μὴ οὐχὶ τοὺς ῥύπους ἀνασπάσαι.

Ibi notat Pollux, ῥύπον appellari proprie ceram illam, qua utebantur ad utenſilia obſignanda. Οὐ μὴν ἀγνοητέον, inquit, ὅτι τὴν ἐπιτήδειον εἰς τὸ κατασημαίνεσθαι κηρὸν οἱ παλαιοὶ ῥύπον ὠνόμαζον. Veteres ῥύπον vocabant ceram idoneam ad obſignandum. Eodem autem modo quo arcæ & ſcrinia obſignabantur, ita epiſtolæ, libri, ſyngraphæ contractuum, tabulæ teſtamentorum, & alia ejuſmodi. Nimirum ut clauderentur, nec paterent cuilibet, cera affixa, & ſigno impreſſo annuli gemma ſignari ſolebant, & obſignari. Quod & ipſum ἐνσημαίνεσθαι, & ἐπισημαίνεσθαι dicebant Græci. Polllux lib. viii, cap. vi: Τῶν δὲ δικαστικῶν ὀνομάτων γραμματεῖα, διαμαρτυρίαι, διαθῆκαι, ἀντίγραφα κατασεσημασμένα. Hæc igitur obſignata, tabulæ ſyngrapharum, teſtificationum, teſtamentorum, & alia contractum inſtrumenta, quæ intererat contrahentium deponi ac ſervari, ut

ſides aliquando ex his peteretur. Σημήναι idem quod καταϲημήναι. Idem ſtatim: καὶ σημήναι, καταϲημήναι. Apud Demoſthenem de ſyngrapha, σημηνάμενοι συγγραφὴν, cum ſignaſſent, vel obſignaſſent ſyngrapham. Iſæus & ἐπισημήναι dixit, pro eodem. Perſius *adſignare*, ſat. v:

Marcus dixit ita eſt, adſigna Marce tabellas.

Papinianus leg. LXXVII D. de Legatis II: *Annulum cuſtodiæ cauſa majori natu filiæ ſuæ tradidit, & libertum eidem filiæ qui præſens erat, res quas ſub cura ſua habuit adſignare juſſit.* Apud Ciceronem in ea pro Quintio *conſignare* eodem ſenſu: *Tabulæ maxime ſignis hominum nobilium conſignantur.* Et apud Gaium in Inſtitutis lib. II, cap. XVI: *Eamque partem proprio lino propriaque cera conſignare.* Hinc & *conſignari pecunia* in Codice dicitur, quæ ſub ſignaculo in judicio deponebatur. Græci quoque & præcipue Attici Rhetores συνσημήναι dixerunt pro eodem, id eſt, *conſignare.* Quod Suidas interpretatur, καταϲφραγίσαι, & citat locum Lycurgi: ὥστε προσταττόμενον ἐπὶ ψηφίσματος, καὶ τὴν ἱερέαν συνσημήναι τὰ γραμματεῖα. *Vt & antiſtita conſignaret tabulas.* Id eſt, obſignaret.. *Prænotare* in eadem ſignificatione poſuit Apuleius lib. x: *Ne forte aliquis iſtorum quos offers aureorum, nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipſo ſacculo conditos eos annulo tuo prænota, donec altera die nummulario præſente comprobentur.* In veteri inſcriptione: *pecunia in fiſcus obſignetur.* Obſignabatur enim fiſcus in quo erat pecunia repoſita. Sic apud Theophraſtum in characteriſmo diffidentis: εἰ κέκλεικε τὴν κιβωτὸν, καὶ εἰ σεσήμανται τὸ κυνοῦχιον. Ita enim ſcribendum: *Si arcam clauſit, ſi fiſcus eſt obſignatus.* Nam κυνοῦχος eſt fiſcus, marſupium, follis. Inde & explicandum illud Horatii: *Ponere ſigna novis præceptis.* Male Turnebus, *ſcripto & litteris conſignare* exponit. Nec melius novus criticus, qui notat, philoſophos opiniones ſuas, cum ſecum

ipſi concipiunt, & in commentarios referunt, ἀποσημειοῦν dici, & ἀποσημειώσεις illas commentationes vocari. Hæc ipſiſſima eſt Turnebi interpretatio, quam ſic bellule incruſtavit. Sed aliud *ponere ſigna*, vel *imponere* novis præceptis, aliud præcepta in commentarios referre. A ſimilitudine rerum, quæ reconduntur, & ſignis impoſitis obſerantur, ut poſt in uſum promantur, ita hic Catius huic interpellatori reſpondet, ſibi nunc non vacare aventi memoriæ mandare, & conſignare nova præcepta, quæ poſtea ad uſum promat. Sic debere accipi, quæ ſequuntur clare oſtendunt:

Quod ſi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox.

Non de ſcriptione, aut commentatione, ſed de præceptis memoriæ tantum conſignatis, & in ea veluti reconditis & obſignatis, ut firmius inhærerent, accipi oportere, loci lectio monſtrat. Et minora quidem utenſilium, ut arculæ & ſcriniola, lino circumducto, & cera ſuper linum affixa, ceræque impreſſo ſigno claudebant. Ciſtellæ apud Plautum in Amphitruone fit mentio ſigno Amphitruonis obſignatæ, quæ ſolvenda eſſet, lino nimirũ rupto, ut patera, quæ inerat eximeretur. Majora autem, aut quæ lino circumduci non poterant, ut lagenæ & amphoræ, affixis pittaciis ad operculum cera adpoſita, & ſigno prænotata occludebantur. Nec utenſilia tantum, aut vaſa domus majora minorave, ſed etiam ipſæ fores cellarum & conclavium aliorumque domus membrorum ſic obſignari ſolebant, & obſerari. Stobæus ex libris Sereni: Διογένης κατεγέλα τῶν τὰ ταμεῖα κατασημαινομένων μοχλοῖς καὶ κλεισὶ, καὶ σημάντροις, τὸ δὲ στόμα τὸ αὐτῶν πολλαῖς θυρίσι, καὶ θύραις ἀνοιγόντων. Ubi notabis, tria poni quibus cellæ promptuariæ clauduntur, ſeras, claves, & ſignacula. Item κατασημαίνεσθαι, id eſt, *obſignare*, abſolute uſurpari, pro claudi, vel obſerari, quia ſignaculis plurima occludi ſolita. Menander apud eumdem Stobæum:

Ὅσις

Ὅσις δὲ μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων
Σώζει δάμαρτα, κἂν ἀνὴρ δοκῶν σοφὸς
Μάταιός ἐστι, καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ.

Hoc ſenſu & *ſignata limina* dixit ſummus Græcorum imitator Propertius lib. IV, de puella non ſervanda:

Nec mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt
Limina; perſuaſæ fallere, rima ſat eſt.

Ariſtoteles de mirabilibus, θύρας κατασφραγίζεσθαι, *fores obſignare:* Τοῦτο δὲ ποιήσαντες παραγγέλλουσιν τῶν Ἑλλήνων, τῶν ἐπιδημούντων, τὸν βουλόμενον ἐξάγειν τὰ ἀγγεῖα, καὶ τοῦ οἴκου κατασφραγίζεσθαι τὰς θύρας, καὶ ἐπειδὰν μέλλωσιν ἀνοίγειν, ἐπιδείξαντες τοῖς πολίταις, καὶ τοῖς ξένοις τὰς σφραγῖδας, οὕτως ἀνοίγουσι. Libelli porro & tabulæ ſimiliter, cum minoribus utenſilibus, lino circumducto ceraque impoſita lino obſerari ſolebant. Plautus in comœdia Palliata Bacchidibus, ubi conſcripta eſt epiſtola, & quidem in tabulis ceratis, poſcit ſibi ceram & linum ad tabulas obligandas:

Cedo tu ceram ac linum actutum, age obliga, obſigna cito.

Primo igitur perſcriptæ litteræ lino circumducto obligabantur, deinde ſuper linum cera poſita, ſignoque impreſſo obſignabantur. Parcam plura de lino congerere teſtimonia, quæ adfatim à doctis jam ſunt coacervata. Non poterant aperiri tabulæ ſcriptæ, & obſignatæ, niſi prius inciſo lino, quo erant obligatæ, aut etiam refracto, quo facto cera ſigni etiam diſrumpi ſolebat, aut turbari. Quintilianus lib. XII, cap. VIII, de litis inſtrumento, quod non ſatis ait videre, ſed omnino & perlegendum eſſe. *Nam frequentiſſime,* inquit, *aut non ſunt omnino, quæ promittebantur, aut minus continent, aut cum alio aliquo nocituro permiſta ſunt, aut nimia ſunt, & fidem hoc ipſo detractura, quod non habent modum. Denique linum ruptum, aut turbatam ceram, aut ſine agnitore ſigna frequenter invenies, quæ niſi domi excuſſeris, in foro inopinata decipient.*

cipient. Ita legendus ille locus. Vulgo enim eſt, *ſine agnitione*, & *turbata cera.* Duplex cera in tabulis veterum: illa primum, qua inductæ ipſæ tabulæ in qua ſtilo exarabantur litteræ. Hanc μάλθην proprie Attici vocabant, ut ſupra oſtendimus. Deinde alia cera fuit, quæ adfigebatur lino, quo circumvolutæ erant tabulæ, ut clauderentur, ſignis impreſſis teſtium, ſi publicum eſſet inſtrumentum, ut teſtamentum, aut ipſius auctoris, ſi privatum, ut epiſtola. Hanc ceram Græci Attici ῥύπον appellabant. Heſychius: Ῥύπος. ῥύπον Ἀττικοὶ τὸν εἰς τὰς σφραγῖδας κηρὸν λέγουσιν. *Attici ῥύπον vocant ceram cujus ad ſignacula uſus eſt.* In illis quæ ſine lino ſignabantur ille ῥύπος avellendus erat, quod ἀνασπάσαι ῥύπον dicebant:

— οὐδὲν
Εὖ σεσήμανται τὸ μὴ οὐχὶ τὸν ῥύπον ἀνασπάσαι.

Nihil tam bene obſignatum eſſe, quin cera avelli queat, ac reſignari. In his vero, quæ circumducto lino obligabantur & ſignabantur, linum erat incidendum, ut ſolverentur. Cicero in III Catilinaria: *Tabulas proferri juſſimus, ſignum cognovit, linum incidimus.* Hinc *teſtamentum inciſum*, leg. III D. de his quæ teſtamento: *cum Valerius Nepos mutata voluntate & inciderit, & hæredum nomina induxerit, hæreditas ejus ſecundum divi patris mei conſtitutionem, ad eos qui ſcripti fuerint, pertinere non videtur.* Ubi *teſtamentum incidere*, pro lino inciſo teſtamenti tabulas aperire. *Tabulas inciſas* apud Ulpianum alibi eodem ſenſu legere eſt. Si de epiſtola privata quæſtio eſſet, oſtendebatur ſignum auctori an cognoſſet, priuſquam reſeraretur, ut à Cicerone factum in Lentulo. Plautus in Pſeudolo:

Miles Lenoni Ballioni epiſtolam
Conſcriptam mittit Polymacharoplegides
Imagine obſignatam, qua inter nos duo
Convenit olim.

Ita ſcribendum, non ut vulgo eſt, *imaginem obſignatam.*

tam. Nam imagine obſignata epiſtola, eſt ſigno obſignata in quo imago expreſſa. Sequitur:

Video & cognoſco ſignum.

Hinc apud Quintilianum loco ſupra citato, *ceram turbatam, ſine agnitore ſigna invenies.* Nam ſi de tabulis teſtamentariis, aut ſyngraphis obſignatis ageretur, in judicio oſtendebantur teſtibus, qui eas ſignaverant, priuſquam reſerarentur, an agnoſcerent ſigna ſua. Quod de *turbata cera* idem dixit ibidem Quintilianus, de ea cera jam diximus intelligendum, in qua ſigna imprimebantur, ad obſerandum & claudendum inſtrumentum. Sic *turbata ſigna* apud Juriſconſultum leg. XXII. D. Qui teſtamenta facere poſſunt: *ſi ſigna turbata ſint ab ipſo teſtatore, non videtur ſignatum.* Nam cera cui ſigna impreſſa ſunt, turbari non poteſt, quin ſigna una quoque turbentur. In aperiendo itaque teſtamento aliiſque tabulis à teſtibus obſignatis, eos ipſos adeſſe oportebat, ut agnoſcerent ſigna quæ impreſſerant. Paulus in Sentent. lib. IV, Tit. VI: *Tabulæ teſtamenti aperiuntur hoc modo. Ut teſtes vel maxima pars eorum adhibeatur, qui ſignaverunt teſtamentum, ita ut agnitis ſignis, rupto lino, aperiatur & recitetur.* Hinc *ſine agnitore ſigna* vocat Quintilianus cum nemo ex teſtibus ſignum ſuum agnoſcit. Atque olim quidem non ſolum teſtamenta, ſed etiam ceteræ tabulæ, quæ obſignabantur, ſemel circumducto lino, ceraque impoſita & ſignata, obſerari ſolebant. Ita epiſtolæ, ita libelli ſignabantur. Poſtea cum falſarii nimium multi eſſent, qui linum ſolvere & ſigna convellere, atque aperire tabulas quamlibet obſignatas ita ſolide ſcirent, ut non appareret, inventum eſt, ut tabulæ in ſumma margine, in media earum parte perforata, triplici lino obligarentur. Sub Nerone hoc repertum eſſe ſcribit Suetonius in ejus vita: *Adverſus falſarios tunc primum repertum, ne tabulæ niſi pertuſa, ter lino per foramina trajecto obſignarentur.* An tria

 fora-

foramina fiebant, ut totidem lina trajicerentur quibus conſtringeretur tabulæ?Puto, unicum tantum fuiſſe foramen, per quod ter linum trajiceretur. Cum tabulas vocat, non de ſolis teſtamentis loquitur, ſed de omnibus quibus, vel publici, vel privati contractus ſcriptura contineretur. Ita enim exponendum à Paulo docemur, qui id ſenatus decreto ſancitum tradit, ut tabulæ aliter, quam hoc modo obſignatæ, ſi proferrentur, nihil momenti haberent, lib. v ſentent. Tit. xxv: *Ampliſſimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici, vel privati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma margine ad mediam partem perforata, triplici lino conſtringantur, atque impoſita ſupra linum cera ſigna imprimantur, ut exterior cera fidem interiori ſervet.* Ita legendus ille locus, qui non una parte vitio laborat in vulgatis. Falſum enim quod editur, *impoſitum ſupra linum.* Item, *ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent.* Nulla enim exterior ſcriptura in tabulis, ſed interior tantum. At tota ratio obſignandi in cera exteriore, quæ ſupra linum impoſita ſignorum impreſſionem excipiebat. Ita exterior cera fidem ſervabat interiori. Scribebant enim in tabulis ceratis. Unde *prima* & *ſecunda cera*, in teſtamentis. Hic igitur modus ſignandarum tabularum fuit, apud Græcos Latinoſque, ſimplici quidem lino olim circumducto, cui cera ſignanda imponebatur, ad tabulas obſerandas, poſtea ex illo ſenatuſconſulto; quod ſub Nerone factum eſt, triplici lino per foramen quod fieret ad mediam tabularum partem in ſumma earumdem margine trajecto. Cum igitur legimus apud auctores Claſſicos & Juriſconſultos ſignata teſtamenta, aut alias tabulas obſignatas annuli ſigno, clauſas accipere debemus. Adeo autem verum eſt, *ſignare* in hac ſignificatione idem eſſe, quod claudere, ut contrarium *reſignare* accipiatur pro aperire. Ulpianus leg. vi D. Teſtamenta: *Sed ſi major pars ſignatorum*

torum fuerit inventa, poterit ipſis intervenienti- reſignari teſtamentum, & recitari. Id eſt, aperiri. od & alibi paſſim occurrit. Nam & pœna legis rneliæ de falſis tenebatur, qui teſtamentum falſum ipſerat, recitaverat, ſubjecerat, ſignaverat, amove- ,reſignaverat, deleverat. Ubi *reſignaverat*, idē quod eruerat. Inſtituta lib.11, cap.xi: *Si quis ante militiam n jure fecit teſtamentum, & miles factus, & in cpeditione degens reſignavit illud, & quadam adje- it ſive detraxit.* Hoc Græcis ἀποσφραγίζειν, hoc eſt, ignis ſublatis aperire. Nam σφραγίζειν & σφραγίζε- σθαι *ſignare* illis eſt. Omnino inter *obſignare* & *reſi- gnare*, eadem ex contrariis ratio ſignificationis, quæ inter *obſerare* & *reſerare*. At ſimplex *ſignare* eodem modo, & pro *obſignare* uſurpatur, ut *ſerare* quibuſ- dam ſera obducta oſtium claudere. Unde noſtrum *ſerare* pro condere. Monet Nonius, *ſignatam* veteres dixiſſe pro virgine, & Lucillium citat hoc verſu:

Primam criſi cum negat ſignatam reddere.

Arguunt imperitiæ, vel ἀβλεψίας Nonium viri docti, quod legerit *ſignatam* pro *ſe gnatam*, putantque de Agamemnone ſermonem eſſe, qui negaret ſe gnatam Chryſi reddere. Ita enim legunt: *Primum Chryſi quum negat ſe gnatam reddere.* Quibus aſſentiri non poſſum. Nec eſt cauſa cur ob illud vitioſum *criſi* cre- damus ibi de Chryſeide agi apud Lucillium, vel de pa- tre Chryſeidis. Et cum *ſignatam* legerit in ſuis codici- bus, & interpretamentum illud habeat à vetuſtiori- bus, quid eſt cur in vitioſos codices quibus uſus ſit, culpam conferamus ejus erroris, qui valde eſt incer- tus? Scripſerim potius minima mutatione, *Primum & riſi cum negat ſignatam reddere.* De quodam qui negabat ſe intactam & virginem reddere puellam ſicut acceperat. *Signata* quippe virgo intelligitur ele- ganti metaphora cuius virginitatis clauſtra non fue- re perfracta. Ut *ſignare* autem *anulo* claudere eſt, ita.

ita & *ſigillare* quoque pro eodem. Nam *ſigillum* ex ſigno diminutivum, ut *ligillum* ex ligno, *tigillum* ex tigno. Hinc *ſigillare* abſolute, pro claudere apud Varronem citante eodem Nonio: *Contra lex Mania eſt in pietate, ne filii patribus luci claro ſigillent oculos.* Quo loci perperam ſcribitur, *ſugillent*, & male apud ipſum Nonium legitur, *ſugillare, obcludere.* Sermo eſt de ea occluſione oculorum, quæ fit mortuis. Quod munus olim fuit filiorum, ut id parentibus facerent, & parentes filiis. Martialis:

Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.

Id Varroni, *ſigillare* eſt ab illis rebus, quæ ſigillo clauduntur, vel ſigno. Et mirum, cum utrumque verbum idem ſignificet, *ſigillumque* à voce ſignum, ὑποκορι-σικῶς formetur, tam diverſe nos in noſtro hodie Idiotiſmo qui Romanus eſt, *ſigillare* quidem pro his quæ occluduntur ſigno, ponere, *ſignare* vero pro ſubſcribere. *Sigilla* etiam de ſignis, quibus conditur & occluditur teſtamentum, poſuit Ulpianus aliquot locis D. Teſtamenta. Ut leg. IV: *Cum ab initio aperiendæ ſunt tabulæ, prætoris id officium eſt ut cogat ſignatores convenire, & ſigilla ſua recognoſcere.* Et alibi paſſim toto titulo. Inde *annulus ſigillaricius* Vopiſco in Aureliani vita, quo ſigna, vel ſigilla imprimebantur loculis, vel utenſilibus, quæ occluſa volebant, atque, etiam quo ſigilla ſignandis tabulis imponebant. Cicero in Lucullo: *Quid ſi ejuſmodi cera centum ſigilla hoc annulo impreſſero, ecqua poterit in agnoſcēdo eſſe diſtinctio?* Quidquid autem dicant Cujacius & Robertus, addenda omnino negatio in leg. XXII D. Qui teſtamenta: *Signum autem utrum annulo tantum impreſſum adhibemus, an vero etſi non annulo, verum alio quodam impreſſo? Varie enim homines ſignant. Et verum eſt ut non tantum annulo quis poſſit ſignare, dum tamen habeat charactera.* Cum dicat, homines varie ſignare, & quærat, an & alia re quam annulo poſſit ſignari teſtamentum,

mentum, quidni pronuntiaturus fuerit, eo modo quo quiſque ſignat, etiam poſſe ſignari teſtamenti tabulas, dum character in eo inſit ad ſignandum, & figuram imprimendam? Non enim annuli forma eſt, quæ ſignum imprimit, ſed gemma, quæ inſignita eſt aliqua imagine, vel charactere. Quid ſi igitur illa gemma incluſa ſit non annulo, ſed inſtrumento oblongo ad hoc facto ut ſignet? Hodieque hujuſmodi ſigilla habemus, quæ annulis incluſa non ſunt, ſed parvo manubrio, quod manu tantum tenetur. Fiunt & parva aurea, argentea, æreaque, quæ duobus digitulis teneri poſſint ad ſignum imprimendum, quæ nec veteribus incognita fuiſſe certus ſum. Vidi in manibus antiquarii cujuſdam ſigillum ex ferro terete oblongum cui vultus Neronis erat à cavatore inſculptus. Hoc eſt quod ait Juriſconſultus, homines varie ſignare, non tantum annulo ſcilicet, ſed etiam variis rebus, quas admittit in teſtamentis ſignandis, dum tamen χαρακτῆρα, id eſt, imaginem haberent. Certe ante uſum annulorum Lacedæmonii & plerique Græciæ populi lignis utebantur carie vermiculorum eroſis, quæ θριπήδεστα vocabantur & θριπόβρωτα. Videantur & aliæ rationes quas Hotomannus adduxit. Cum igitur ad obcludendum teſtamentum aliaſque tabulas, quæ obſignabantur, adhiberentur ſigna in exteriori facie tabularum, impoſita ea cum cera & lino quo obligabantur fuiſſe, certum eſt. Ex eo Ulpianus etiam ſcribit leg. eadem tit. quo ſupra, *ſignatas tabulas accipi oportere, etſi linteo quo tabulæ involutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint*. Numquid hoc contra ſententiam Pauli, cui ſemper adverſatur Ulpianus, qui negavit, aliter prolatas tabulas nihil momenti, aut fidei habere, quam ſi in margine perforatæ lino triplici per foramina trajecto conſtringerentur? An involucrum linteum nihil vetabat, quo minus linum illud per foramina tabularum trajectum, ſimul & ipſum linteum comprehenderet, conſtringe-

 retque,

retque, cum ipſis tabulis. Hoc fortaſſe verius eſt. Nunc his explicatis videndũ quomodo exponi debeat, quod apud Suetonium legitur in vita Neronis: *Cautum, ut in teſtamentis primæ duæ ceræ teſtatorum modo nomine inſcripto, vacuæ ſignaturis oſtenderentur.* Cum ante docuerimus, in tabulis duplicis generis fuiſſe ceras, quibus ipſæ tabellæ interiùs inceratæ erant ad ſcribendum, & quæ extrinſecus lino, quo obligatæ, imponebantur ad ſignandum, de quibus hic intelligendum erit? De exterioribus ceris accipi oportere, ſuadet vulgata ſcriptura, *ſignaturis.* Non enim ſignabant niſi in exteriori ſuperficie. At quænam illæ duæ ceræ? Aut enim una cera fuit continua, quæ lino impoſita omnium ſigna ſuſciperet, aut totidem ceras affixas fuiſſe liquet, quot erant teſtes ſigna impreſſuri. Neutro modo illæ duæ ceræ hic locum habeant. Præterea cum primæ duæ ceræ nominentur, quas vacuas ſignaturis oſtendi voluit ſenatuſconſultum, cur reliquæ non pariter oſtenſæ? An in duabus ceris omnes erant modo ſigna impreſſuri? Quid ceteris poſteà factum? Poſtremo quorſum pertinuit eas tantum duas primas ceras ſignaturis oſtendi? Quid in eo ſecreti, ut reliquæ debuerint eos latere? Atqui nec potuerunt. Nam in ſuperficie omnes ceræ ſignandæ ſignis teſtium fuere, patebantq; omnium obtutibus. Denique non oſtendi illæ ceræ ſignatoribus poterant, niſi perſcripto ac perfecto jam teſtamento, cui & nomina ſua jam teſtes adſcripſerant. Abſurdum igitur quibus nota erat ſcriptura teſtamenti, quæ plerumque arcana eſſe debet, iis occultas fuiſſe ceras ad ſignãdum, quæ in propatulo ſemper expoſitæ fuere, utpote quæ ſuperficiem clauſi teſtamenti occuparent, ut ſolent ſigilla in omnibus chartis, aut libellis, qui ſigillo occluſi ſunt. Certiſſimum eſt igitur, de interioribus ceris, quibus tabellæ inductæ ad ſcripturam accipiendam, eas intelligi debere. At in his non ſignabant teſtes, ſed nomina tan-

ſua adſcribebant, quod & *ſubſignare* dicebatur.
d igitur certius, quam ſcribendum eſſe, ut ante
rvavimus, *ut prima duæ ceræ teſtatorum modo no-
inſcripto vacua ſubſignatutis oſtenderentur?* Pri-
duæ ceræ ſunt duæ primæ tabellæ, ſive paginæ ce-
um tabularum. In quibus primi & ſecundi hære-
teſtatore ſcribebantur. Inde illud apud Hora-
:

— quid prima ſecundo
era velit verſu. —

te Acron *primam tabulam* exponit, hoc eſt, pri-
n πίνακίδιον. In primo verſu primæ tabulæ nomen
toris inſcribebatur, deinde nomen hæredis in ſe-
do. Porphyrio ad illum locum: *Bene hoc & juxta
nem, quia prius teſtatoris nomen, deinde hæredis.*
tator igitur, qui nolebat à teſtibus ſciri nomen hæ-
m, quos inſtituebat, neque primorum, neque ſe-
dorum, in duabus primis ceris tabularum nomen
um ſuum inſcribebat, reliqua pagina, vel cera va-
relicta, quæ ſubſignaturis teſtibus oſtendebatur.
s enim fuit, ut validum eſſet teſtamentum, nomen
atoris à teſtibus teneri, ſcirique, has ejus teſtamenti
ulas eſſe quibus nomina ſua adſcriberent. Ubi por-
ubſcripſiſſent omnes, tum teſtator vacuas illas ce-
ſive paginas implebat nominibus hæredum, quos
oratos voluerat eſſe teſtibus, & pro qua quemque
te inſtitueret. Tum clauſis tabulis & lino conſtri-
, cera impoſita & affixa ſua in ea ſigna imprimebant
es, quorum nihil interfuit ad validitatem teſta-
nti ſcire, qui in eo ſcripti eſſent hæredes, dummo-
teſtamentum hoc eſſe tenerent illius teſtatoris,
od ſubſcripſiſſent. Quod ſi *ſignaturos* hic accipi-
s, pro ſignatoribus ipſis, hoc eſt, teſtibus, nihil erit
tandum. Utrumque enim faciebant teſtes, adſcri-
bant primo nomen ſuum in interioribus ceris, dein-
& in exterioribus ſignum ſuum imprimebant. Ab
hoc

hoc ultimo actu paſſim *ſignatores* vocantur. Utrumque autem adeo neceſſarium, ut ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſiſſet, qui tamen ſignaſſet, pro eo eſſet ac ſi adhibitus non fuiſſet, & contra ſi ſe adſcripſiſſet, non tamen ſignaſſet, pro nullo haberetur teſtamentum, leg. XXII D. Qui teſtamenta. Seneca: *Quidam volunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores advocari.* Id eſt, teſtes. Atqui prius ſubſcribunt, quam ſignant. Et fortaſſe melius in Suetonio emendabimus: *Vacuæ ſignatoribus oſtenderentur.* Nempe ad nomina ſua adſcribenda. Nam ſi *ſignaturis* legatur, non poterit aliter intelligi, quam de illo actu cui adhibebantur ſignaturi. Quod non poteſt verum eſſe. Ergo aut *ſubſignaturis*, aut *ſignatoribus*, recta eſt ejus loci lectio. Nam qui in ea parte ſignari tabulas teſtamenti credidere, quamvis doctiſſimi viri, valde hallucinati ſunt. Simili modo cum teſtator vellet neſciri nomen ejus, quem ſubſtituebat pupillo ſi intra pubertatis annos deceſſiſſet, *ſeparatim*, ut habetur in Inſtitutis lib. II, cap. XVI, *in inferioribus partibus tabularum id ſcribere debebat, eamque partem proprio lino, propriaque cera conſignare, & in priore parte teſtamenti cavere, ne inferiores tabulæ vivo filio & adhuc impubere aperirentur.* Finge, tabulas teſtamenti conſtare quattuor tabellis, ſive πιτταδίοις. Duæ primæ tabellæ, ſive ceræ, quæ nomina primorum hæredum continebant, pro priore parte teſtamenti habebuntur, vel quod idem eſt, pro ſuperioribus partibus: reliquæ duæ, pro inferioribus, in quibus ſubſtitutio pupillaris ſcribetur. Duæ priores tabellæ primam & ſecundam ceram habebunt, duæ poſteriores tertiam & quartam. Sic *quattuor ceras* dixit Plautus, pro quattuor paginis, in Curculione:

Novi edepol nomen, nam mihi iſtoc nomine
Cum ſcribo, explevi totas ceras quattuor.

Quæ duplices tabellæ dicebantur veteribus, duas tantum

paginas habebant. Hinc δίθυρα & δίπτυχα Græ-
Quæ quippe erant junctæ tabellæ, quarum pars
rior vacua cera, interior cerata in qua ſcribebatur.
is enim dicitur, *utramque paginam facere ratio.*
enim oppoſitæ inter ſe eſſent, in prima *accepta,*
cunda *expenſa* ſcribi ſolebant, vel contra. Si paria-
traque pagina impleta, tam acceptorum, quam
nſorum, pares in utraque rationes erant. In tri-
bus tabulis quattuor erant ceræ. Hoc eſt igitur,
l ait ille apud Plautum, ſe totas ceras quattuor illo
ine expleſſe, hoc eſt, integras triplices, quæ Græ-
ρίπτυχα, quia tria haberent πιττάκια. Nam πιττάκις
cis, vel πιττάκιον, idem quod Latinis tabella, folium
pe quadratum; ſive ex ligno foret, ſive ex mem-
a, ſive ex charta. Hinc σχίδια opponuntur πιττα-
. Quia σχίδια ex charta, unde adverſaria fiebant;
ίδια tabellæ codicum, in quas ab illis ſchediis trans-
bantur, quæ eſſent manſura. Fiebant & tabulæ
luribus tabellis, ut *quinquuplices* & *polyptycha.*
ut erat futurum teſtamentum, ita plurium, aut pau-
um tabellarum ſumebantur codices. Ea pars co-
s, quæ pupillarem ſubſtitutionem continebat, in-
or; ut pars quæ hæredes primos habuit, ſuperior.
c ex uſu loquendi obtinuit. Nam inter ſcriben-
n, quæ præceſſiſſent *ſupraſcripta* eſſe dicebant, quæ
uutura eſſent, *infra* ſe ſcripturos. Quæ loquutio
etur manaſſe ex forma libellorum, ſive volumi-
n ex charta Ægyptia, quæ ante membranas reper-
in uſu fuere. In his enim ſuperior pars eadem, quæ
ma, & quæ infima, poſterior. Ergo & in tabulis cera-
ad hoc exemplum, & primæ tabellæ codicis ſupe-
res habitæ, & poſtremæ inferiores. Τὸ κάτω μέρος, ἢ
τὸ κατώτερον, vocat Theophilus. Pupillaris itaque ſub-
tutio ordinata in tabulis inferioribus teſtamenti, ſi
m ſignatam manere vellet teſtator, nec aperiri ante
ortem impuberis, de quo caviſſet in primore parte
tabu-

tabularum, ita proprio lino, ut ait Juriſconſultus, propriaque cera poterat conſignari, ut priore parte aperta, hæc operta ultima perſeveraret. Duæ tabellæ ad minimum iſti pupillari ſubſtitutioni, quæ ſeorſim ſigillata maneret, vacare debuerunt. Hæ autem ſic lino privo conſtringendæ, & cera propria obſignandæ fuere, ut intelligamus, tabulas illas non in media parte marginis, qua longior eſt, ſed in ea qua latior, pertuſas neceſſario fuiſſe. Tabulæ enim illæ oblongæ, & minus in latitudine, quam in longitudine habentes. Si vero in ea parte qua longiores ſunt, obligatæ & ſignatæ fuiſſent, non ſeorſim pars tabularum lino proprio ligari potuiſſet, dum altera ſoluta permaneret. Atque ita plane exponenda verba Pauli ſicut ea correximus, tabulas contractuum ita fuiſſe ſignatas, *ut in ſumma margine ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringerentur.* Per ſummam marginem intelligit eam, quæ in ſumma parte tabularum relinquitur, ubi titulus libri vulgo ponitur. Huic oppoſita, *ima margo*, vel extrema. Quamvis & ſummam poſſimus etiam accipere de hac ima, vel extrema margine. Nam & ſummum aliquando capitur pro extremo. Nihil autem intereſt, quæ margo perforata fuerit, ſumma an ima, dum conſtet, non mediam fuiſſe pertuſam. In ceris enim vacabat & locus ad oram paginarum ad notanda quæ occurrerent, quæq; inſerenda non erant. Ita enim vult Quintilianus lib. x, cap. III: *Debet vacare etiam locus, in quo notentur, quæ ſcribentibus extra ordinem, id eſt, ex aliis quam qui ſunt in manibus locis occurrere.* Alias nullo ad latus paginarum ſpatio vacuo relicto, quod pro margine eſſet, vulgo in ceris ſcribebant. Id conſtare puto ex his ejuſdem Quintiliani: *Ne latas quidem*, inquit, *ultra modum eſſe ceras velim, expertus, juvenem ſtudioſum alioquin, prælongos habuiſſe ſermones, quia illos numero verſuum metiebatur. Idque vitium quod frequenti admonitione corrigi*

non

potuerat, mutatis codicibus eſſe ſublatum. Poſſe
dem dici video, in quamlibet latis, aut anguſtis ce-
uiſſe ſuas margines relictas, ad quas ſcribentis ma-
veluti in extremo verſu reſiſteret. Quod certe & in
is videtur locum habuiſſe. Per *ceras* Quintilianus
s tabulas ceratas intelligit. Hotomannus Obſerv.
III, cap. I, *tabellas* apud Quintilianum, pro vacuis
tiis accipit & marginibus, quas in tabulis raró ſoli-
relinqui vult, in membranis ſemper. Sed egregie
itur. Nam tabellæ quas meditantibus, & ſtilum
rcentibus in utroque genere relinquendas præci-
ille Rhetor, ſunt integræ tabellæ ſive paginæ, quas
adverſo earum in quibus ſcribebatur ſuadebat va-
re, ut liberum eſſet adjicere, quæ ferret animus. *Re-
quenda*, inquit, *in utrolibet genere vacua tabella in
ibus libera adjicienti fiat excurſio.* Nam de ſpatio
oram cerarum relinquendo marginis vice paulo
ſt ſubjicit; *Debet vacare etiam locus in quo noten-
r.* In tabulis autem apertis, cum duæ ſint paginæ, al-
a ad dextram, altera ad ſiniſtram, in altera ſcribi
lt, alteram vacare totam, ut ſit quo libere, quæ velit,
jecturus poſſit excurrere. Nec ſecus erat, quoad mar-
nes, in membranis, atque in ceris. Eodem quippe
odo & forma codices ex utroque genere fiebant.
uod autem ex alio loco Quintiliani, idem magnus
riſconſultus probare contendit, in membranis mar-
nes fuiſſe, qui non erant in ceris, magnam in eo
lepſiam oſtendit. Locus Quintiliani habetur lib. I,
p. I, in hæc verba: *Nam neque errabit quemadmo-
um in ceris, continebitur enim utrinque marginibus,
eque extra præſcriptum poterit egredi.* Non ibi lo-
uitur auctor de librorum marginibus, ſed de littera-
um, quæ inſculptæ erant in tabella lignea, ut puer,
ui ſcribere addiſcebat, per illos ductus ſtilum tra-
ens, litteras optime formare aſſueſceret, articuloſ-
ue firmaret. Quod ex præcedentibus clare liquet,
quæ

quæ etiam ſic legenda ſunt: *Cum vero jam ductus ſequi cœperit, non inutile erit eos tabellæ quam optime inſculpi, ut per illos velut ſulcos ducatur ſtilus.* Per tabellam intelligit ligneam σανίδα, cui inſculpti ductus litterarum, per quos puer diſcens manum ſubinde duceret ad formanda elementa. Non enim, inquit, errabit quemadmodum in ceris, & continebitur utrimque marginibus, nempe litterarum inſculptarum. In ceris quippe modo grandiores juſto, modo breviores litteras effingeret, niſi regeretur ipſius manus, aliena ſuperpoſita. At ſtilum ducens per ea inciſa veſtigia non opus habebit tali adjutorio. Idem paulo poſt: *Neque extra præceptum poterit egredi, & celerius ac ſæpius ſequendo raſa veſtigia firmabit articulos, neque egebit adjutorio manus ſuam ſuperimpoſitæ regentis.* Sic illa verba jam olim emendanda ex veſtigiis veteris ſcripturæ in meo codice adnotavi: In ſummo & in imo tabellæ ceratæ etiam margines relictas fuiſſe, certiſſimum eſt, atque etiam in ora laterali. De imis & ſummis planum eſt ex his quæ diximus. In ſummma margine foramen fiebat, per quod linum trajiciebatur ad colligandas tabulas, quæ erant ſignandæ. De extrema, hoc eſt ima margine, ita Ovidius:

Odi, cum late ſplendida cera vacat,
Comprimito ordinibus verſus, oculoſque moretur
Margine in extrema littera raſa meas.

Ita vocat *litteram raſam* in cera, ut Quintiliano *raſa veſtigia.* Sic enim ſcripſimus, cum omnes libri ſcripti habeant *caſa.* *Raſa* littera eſt ξυσθεῖσα, & in cera, vel ligno cavata. Inde *interraſile*, quod Græcis διάτρητον, quod ſic cælatum eſt, ut traluceat, & viſum tranſmittat. Auctor incertus de Theoderico: *Laminam auream juſſit interraſilem fieri, quattuor litteras regis habentem, unde ut ſi ſubſcribere voluiſſet, poſita lamina ſuper chartam, per id ſubſcriptio ejus tantum videretur.* Littera igitur raſa eſt inarata & cavata. Non vult

Ovi-

dius latum inter lineas patere interſtitium, ſed
preſſos, ac denſos verſuum ordines fieri,& in ima,
extrema etiam margine litteras ſcalpi. Ut ima &
ma margo in eadem pagina dicitur, ita in eadem
, ſumma & ima cera, ita ſumma & ima pars ceræ.
lici autem modo accipitur vox ceræ in tabulis,
pro totis tabulis, & codice toto aliquot tabellis
ſtante, aut pro unica tabella. Pro unica tabella
cis lignei incerati accipitur, cum prima & ſecun-
era appellatur, id eſt, prima & ſecunda tabella.
ginus: *Has conternationes ſublata ſorte, quidam*
las appellaverunt, quoniam codicibus excipieban-
& à prima cera primam tabulam appellaverunt.
ſenſu *ima cera* diceretur ima pars uniuſcujuſque
ſive tabulæ, primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ. Sed
na cera, pro ima, vel extrema tabula potuit dici,
fferentiam primæ & ſuperioris ceræ, quæ eadem
ſuperiori teſtamenti parte. Atque ita plane ap-
ta eſt. *Tabularum* quoque appellatio modo pro
codice, modo pro parte in uſu fuit. Tabulas te-
enti, qui dicit, intelligit codicem ipſum, qui plu-
abet tabulas. At cum *ſecunda tabula* dicuntur
menti, ut paſſim apud Juriſconſultos, pro parte
palam eſt, eademque plane ſignificatione, qua
onius *ſecundas ceras* dixit, ut diſtinguuntur à pri-
abulis, ſive ceris. Nec enim audiendi doctiſſimi
ores, qui *tabulas ſecundas* ex eo dictas putarunt,
ſubſtitutio pupillaris, quæ in his ſcribebatur, velu-
erni teſtamenti quædam adpendicula & ſequela
Ita enim Hotomannus. At Briſſonius ſecundas
dictas cenſet, quod primas, id eſt, paternas ſe-
ntur. Quæ eadem eſt ſententia. Certe non pu-
is tantum ſubſtitutio, ſed etiam vulgaris in omni-
eſtamentis ſolita erat in ſecundis tabulis teſta-
i, ſive ſecundis ceris ſcribi. Nam ut primos hære-
prima cera, id eſt, in prima pagina, ſive tabula

teſtamenti moris erat inſtitui, ita ſecundos, vel ſubſtitutos in ſecunda pagina, quæ eadem cum ſecunda cera, vel tabula. Et fallitur Beroaldus aliique, qui obſervant ad Suetonium, in prima cera ſcribi teſtatoris nomen, in ſecunda hæredis. Quaſi unico teſtatoris nomine tota pagina occupari debuerit. Immo in prima cera, hæredes primi ſcribi ſoliti: in ſecunda, ſecundi, id eſt, ſubſtituti, ſive pupillariter ſubſtituerentur, ſive vulgariter. Hæc ſecunda cera etiam *ima cera* appellatur Suetonio, quæ & inferior pars teſtamenti dicebatur ob eam, quam attulimus ſupra, rationem. Quod facile conſtabit ex verbis Suetonii in vita Julii Cæſaris: *Noviſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes ſororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Padium ex quadrante, reliquos in ima cera. Caium Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit.* Ita ſcriptum habent omnia Suetonii exemplaria, etiam antiquiſſima, quæ vidi. Lipſius correxit: *L. Pinarium & Padium ex quadrante reliquo. In ima cera Caium Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit.* Quæ falſiſſima eſt emendatio. *Qui iſti*, inquit, *reliqui in ima cera ſcripti?* Dicam tibi. Hi ſecundi fuere. In his ſtatim ſubjicit etiam Decium Brutum fuiſſe: *Decium Brutum etiam in ſecundis hæredibus.* An putamus, hunc Brutum ſolum à Cæſare hæredem ſecundum factum, id eſt, primis ſubſtitutum? Immo & plures alii cum illo. Ergo iſti ſunt quos reliquos vocat, & in ima cera inſtitutos, qui locus in teſtamento ſubſtitutorum hæredum. Quid opus autem, *ex quadrante reliquo* addere, cum id per ſe ſatis intelligeretur, exhauſto dodrante, nihil ad hæreditatis aſſem ſupereſſe niſi quadrantem? Solebant quippe in teſtamentis, cum partem aliquam hæreditatis nominaſſent, ex aſſis parte quod reliquum eſſet non nominatim deſignare, ſed reliquam partem dicere. Exempli gratia, *ex beſſe mihi hæres eſto Titius, ex reliqua parte Mævius.*

ius. Cujus loquutionis exempla multa occurrunt in ꝛiſconſultorum libris. Si dixiſſent, *ex beſſe mihi ha-ſ Titius eſto, ex triente Mævius*, quid neceſſe erat ljicere, ex triente reliquo, cum nemo ignoraret, eſſe nominato, ſi triens addatur, id ſolum eſſe reli-ium? Quod autem viri docti notant, in ima cera, le-ta, adoptiones, commendationes adſcribi ſolita, ve-ħenter errant. Quæ enim legata à primis hæredi-s relinquebantur, neceſſe fuit ea relinqui in prima ra, in qua & primi hæredes inſtituti. Caius porro ctavius, quem Cæſar in familiam nomenque teſta-ento adoptavit, cum inter primos hæredes fuerit ex drante inſtitutus, veriſimile eſt, & in prima cera, n in ima, in familiam nomenque adoptatum. Nam ima ſecundi tantum hæredes, id eſt, ſubſtituti, ſcri-ſoliti. Ima autem cera eadem ideo cum ſecunda, ia vulgo duplices erant tabulæ, in quibus teſtamen-n ſcribebatur, binis tabellis, ſive ceris, hoc eſt, ce-is paginis conſtantes, prima & ſecunda. Atque hæc am ima, vel infima, vel extrema, vel noviſſima, quia ſt eam nulla. Nam ſi duæ tantum eſſent, ut in vulgo tamentis, ſecunda eadem erat noviſſima, & extre-. Scævola *imam partem teſtamenti* vocat, quæ Sue-nio *ima cera*, leg. xxxiv D. de uſu & uſufructu le-o. Cicero *extremam ceram codicis*, in Verrina III. i Pædianus interpretatur, *ultimam tabulam*, ſive od idem eſt, *ultimam partem tabularum*, non ta-læ. Nam ultima pars tabulæ eſſet ima pars, ſive in-a ſingularum tabellarum, ſive paginarum. Marcel-*noviſſimam partem* teſtamenti vocat leg. ult. D. de ei commiſſariis libertatibus. Certe ſecundi, hoc , ſubſtituti hæredes in noviſſima parte vel cera te-menti in ea lege ſcribuntur, quam propterea diſtin-a priore parte teſtamenti, ſive ut ibidem vocatur, *ore teſtamento*, quo primi inſtituti. *Deinde no-ſſima parte ita cavit. Quod ſi mihi liberi nati non*

 erunt,

erunt, aut intra pubertatem deceſſerint, tunc hæredes ex partibus ſunto Mucius & Mævius, legata quæ priore teſtamento, quo filios & inſtitui, reliqui, præſtari volo. Ubi prius teſtamentum, pro priore parte teſtamenti ponitur, quas & primas tabulas, ſicut primas ceras, dicere liceat, ut *ſecundæ tabulæ*, pro ima & noviſſima parte teſtamenti, quæ ſubſtitutionibus deſtinabatur, accipiuntur leg. II, leg. XII, De vulgari & pupill. ſubſtitutione. Item leg. ult. D. ad S. Trebellianum: *Polycrati ſi intra pubertatem deceſſiſſet, ſecundas tabulas fecit, quas matri ejus commendavit aperiendas, ſi impubes obiiſſet.* Cave putes duas ſecundas ſeorſim fuiſſe factas & alio codice exceptas quam primas quibus pupillus inſtitutus hæres. Idem codex fuit inſtitutionis & ſubſtitutionis, ſed illa in primis tabulis codicis, hæc in ſecundis ſolita excipi, hoc eſt, in primis ſecundiſque tabularum teſtamenti paginis. Gaius *extremam paginam* teſtamenti vocat, qua & pupillarem ſubſtitutionem fieri tralaticium erat, quæ & ἰδιάζοντι λίνῳ ligabatur, ut vocat Theophilus, & ἰδιάζοντι κηρῷ ſignabatur, ſi teſtator nollet eam teſtamenti partem aperiri antequam impubes obiiſſet. *Sed pupillaris*, inquit, *ſubſtitutio, ita ſecreta eſſe debet, ut ad noticiam ſubſtituti pervenire non poſſit, ne vitæ pupilli aliquas ſubſtitutus inſidias moliatur. Nam in extrema pagina teſtamenti fieri debet, ut pars illa in qua ſubſtitutio pupillaris ſcripta eſt, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obſignata permaneat, & prior pars teſtamenti, in qua hæres ſcriptus eſt, reſeretur.* Primæ paginæ, ſive tabulæ teſtamenti, priorem partem ejus conſtituunt: ſecundæ, vel extremæ, noviſſimam & ultimam. Quod æque in aliis contractuum, qua publicorum, qua privatorum pervulgatum eſt, ut in teſtamenti, & quodcunque συνάλλαγμα exciperetur, codicibus, ſive tabulis. Quod attinet ad ſigna teſtium, quæ in tabulis teſtamenti more Romano, & in aliis inſtrumentis imprimeban-

ebantur, ad ea obſignanda, apud Græcos non idem
ɔſervatum fuiſſe liquet. In omnibus enim inſtru-
entis ſyngraphiſque contractuum, teſtes ſolum ſub-
ribebant, hoc eſt, nomina ſua adſcribebant, non
iam ea ſignabant. Obſignabantur tamen quæcun-
ie erant deponenda, ſed à contrahentibus ſolis. At-
ie idem quoque olim mos viguit apud Romanos,
iamdiu ſolo jure civili uſi ſunt, quod in duodecim
bulis erat perſcriptum, ex jure Græco, id eſt, Attico
anſlatis. At prætores novum jus illud introduxerunt,
inſtrumenta obſignanda, ſignis etiam teſtium clau-
erentur ac munirentur. Quod cum de ſolis teſta-
enti tabulis Juriſconſulti tradiderint, jure nempe
ætorio ſeptem teſtium ſignacula teſtamentis obſi-
nandis inſtituta, cum jure civili non eſſent neceſſa-
, ad alias etiam tabulas συμβολαίων traductum fuiſſe
orſus conſtat. Sic & quod ſub Nerone ſancitum fuit
natuſconſulto, Suetonio auctore, ut tabulæ teſta-
enti pertuſæ in margine ter lino circumducto obli-
arentur, idem etiam de omnibus tabulis decretum
ulus docet, *quæ publici, vel privati contractus ſcri-
uram continerent.* Sed qui ſunt illi publici contra-
us? An qui de rebus fiunt publicis, aut qui cum re-
blica contrahuntur? Immo & teſtamenta quamvis
ter privatos facta, inter publicos contractus relata
nt. Sed cur teſtamentum publicus eſt contractus? An
ia teſte Papiniano leg. III D. Qui teſtamenta, *te-
menti factio non privati ſed publici juris eſt?* Quod
interpretantur, quia jus teſtamenti faciendi tribui-
r cuique jure publico & legibus, non privatorum vo-
ntate. Sed ea re non efficitur, ut cui jus faciendi te-
menti datum eſt, ſi id fecerit, pro publico habea-
r quod fuerit ab eo factum. Nam & apud Atticos
e quo utebantur non licebat mulieri, neque puero
npuberi ultra medimnum hordei, cum quoquam
ntrahere obligationem. Cui licebat ultra, non pro-

pterea publici contractus id nomen habebat. Aliam rationem videtur afferre Juriſconſultus leg. 11 D. Teſtamenta, cur tabularum teſtamenti inſtrumentum publicum videatur. *Tabularum*, inquit, *teſtamenti inſtrumentum non eſt unius hominis, hoc eſt, hæredis, ſed univerſorum quibus quid illic adſcriptum eſt, quin potius publicum eſt inſtrumentum.* Si publicum eſt, quia non unius ſit hominis, ſed plurium quibus aliquid in eo relictum eſt, ergo quicunque contractus inter duo conciliabitur, erit privatus; qui plures attinebit, publicus. Unus vendit, alter emit, privatus eſt contractus, quia unius eſt hominis cui res ex empto traditur. Si res agatur inter plures, ut in ſocietate, collegio, & corpore, publica eſt. An audiendi, qui publicum eſſe contractum volunt, ubi ſcriptura publica intervenit, confecto à tabulario publico inſtrumento? Sic fieret, ut mutui contractus, quod reddendum chirographo, hoc eſt, privata ſcriptura cavetur, pro privato eſſet habendus, ſi idem ſyngrapha & obſignatis tabulis, publicoque à tabellione conſcriptis firmaretur, in naturam publici contractus tranſiret. Syngrapha hoc etiam differt à chirographo, quod ſolutione crediti perfunctus debitor manuariam cautionem à creditore recipit; in ſyngrapha, quæ deponitur apud amicum communem, & cujus exemplum utrique ſervandum datur, aliud juris obſervatur. Quam habet penes ſe, ſervátque uterque contrahentium, cujuſque authenticum exemplar cuſtoditur, vel in publico, vel apud communem amicum, neutri reddi debet ſolutione facta, & obligatione diſſoluta. Quid igitur? Græci *ἀνελέσθαι συγγραφὴν* dicunt, ut apud Demoſthenem ſæpe occurrit. Ἀνελέσθαι quidem eſt recipere, atque idem quod *ἀναλαβεῖν*. Sic *ἀνελέσθαι συγγραφὴν*, idem eſſet quod ab eo apud quẽ depoſita eſt, eam recipere. Sed melius accipitur, pro tollere & extinguere, ut *ἀνελέσθαι γραφὴν* & *δίκην* apud eoſdem Rhetores. Septuaginta interpretes,

,ſive alii ſunt,qui Jobi parabolam inGręcum ſermo-
m verterunt, *συγγραφὴν* pro chirographo videntur
cepiſſe cap.XXXI: Συγγραφὴν δὲ ἣν εἶχον κατά τινος, εἰ ἐπ'
ις περιθέμενος ὡς στέφανον ἀνεγίνωσκον, καὶ εἰ μὴ ῥήξας αὐ-
ὴ ἀπέδωκα οὐδὲν λαβὼν παρὰ χρεωφειλέτου. Immane
antum Hebraica ab his Græcis diſcrepant. Hoc ſane
eptum in chirographo proprie,ut redderetur debi-
i, atque etiam prius cancellatum, aut laceratum.
tus interpres ex Catena, quam nuper edidit clariſ-
ius ac doctiſſimus Patricius Junius: Καὶ οὐχ ἁπλῶς
ιδίδου, ἀλλὰ πρότερον ποιῶν ἐξηφανισμένην τῷ διαῤῥῆξαι.
que ſimpliciter tantum reddit, ſed prius inanefactam
aceratione. Sic *inanefacere chirographum* apud Ul-
num leg. XVIII D. de ſolutionibus: *chirographo ina-*
facto & pignoribus liberatis. Ita enim ibi ſcriben-
n unica voce, *inanefacto*, non inani facto. Nam
nefacere ſic dictum, ut *ſignefacere* Mæciano leg.
D. ad Sc. Trebell. *Nam ſi auditus capaces ſunt,*
interrogati nutu poſſunt ſignefacere, velle ſe peri-
o ſuo hæreditatem adire. Male legitur vulgo, ſigni-
ere. Sic *evallefacere*, pro evallare. Ita *aliefacere*,
liefactare, apud Ammianum, τὸ ἀλλοιῶσαι, lib. XXVI.
cadefacere apud eumdem lib. XXIV: *cadefactis ar-*
, pro abjectis. Et *ardefacere*, pro comburere. Quæ
nia apud eum in vulgatis corrupta ſunt. In He-
eo Iobi *συγγραφὴ* vocatur ספר, libellus quem con-
pſit איש ריבי, *vir litis meæ.* Is eſt *χρεωφειλέτης*
æcorum interpretum. Sed videntur accepiſſe ריבי
uſuræ meæ, vel fœnoris mei, ex Arabico ריבא *riba.*
lta autem & Arabica in illo Iobi ſcripto reperiri,
n latet illius linguæ peritos. Nihil autem prohibet,
yngrapham authenticam ſimiliter cõmuni conſen-
ab eo apud quem depoſita fuerat receptam, lacera-
nq; debitori reddi. Hæc igitur tria præcipua quibus
batio debiti à creditore fiebat, quibuſque adeo fi-
n ſuam creditori debitor approbabat, teſtes, chi-

rographa & ſyngraphæ. Hæc duo poſtrema *inſtrumenta* etiam appellata, quia ut ait Juriſconſultus, *inſtrumentorum nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt, ideo tam teſtimonia, quam perſonæ inſtrumentorum loco habentur.* Chirographa itaque & ſyngraphæ inſtrumenta ſunt, hoc eſt, teſtimonia ſcripto conſignata, quibus creditor probare poſſit, ſi forte id debitor infitiari vellet, pecuniam quam petit, ſibi deberi. Hinc *fides inſtrumentorum* dicitur, quæ fidem ſupplet eorum quibus pecunia credita eſt, ſi non habent, & obſtringunt quam habent. Lex I Cod. de probationibus, vulgo hoc modo inſincere admodum excuſa legitur: *Vt creditor, qui pecuniam petit numeratam, implere cogitur, ita rurſum debitor, qui ſolutam adfirmat, ejus rei probationem præſtare debet.* Quid enim illa ſibi volunt, *qui pecuniam petit numeratam?* Deinde, *implere cogitur creditor?* Quid eſt quod cogitur implere? Veteres codices eo loci legunt, *Qui pecuniam tradit numeratam.* Omnino ſcribendum ac diſtinguendum: *Vt creditor, qui pecuniam tradidit, numeratam implere cogitur, ita rurſum debitor, qui ſolutam affirmat, ejus rei probationem præſtare debet.* Creditor, qui pecuniam dedit mutuam, debet probare eam à ſe numeratam. Inde exceptio pecuniæ non numeratæ adverſus creditores debitoribus data, qui eam ſibi non eſſe numeratam contendunt, ἀναργυρίας παραγραφὴ nominatur. Qui hac igitur exceptione ſummovetur creditor, pecuniæ non numeratæ, eam numeratam probare debet, id eſt, implere: ut contra debitor, qui ſolutam affirmat, onus probationis in ſe ſuſcipit, qua oſtendat ſolutam. Alios modos enumerat præter ſupra ſcriptos debiti probandi Agellius lib. XIV, cap. II: *Is tamen cum ſuis multis patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam datam conſuetis modis, expenſi latione, menſæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obſignatione, teſtium*

rceſſione. Tria hæc ultima jam explicavimus, teſtes, graphas, quæ tabularum obſignatione intelligen- & chirographa. Utraque, ſyngraphas & chirogra-, tabularum appellatione comprehendit paulo an-is verbis: *Petebatur apud me pecunia, quæ diceba- data numerataque, ſed qui petebat, neque tabulis, ue teſtibus id factum docebat.* Item in ſequentibus, *ſi quod inter duos actum eſt, neque teſtibus, neque ulis planum fieri poſſit.* Id eſt, neque chirographis, ue ſyngraphis. Nam & chirographa etiam in ta-s olim perſcribi ſolita docuimus. Sed hæc diffe-tia erat inter utraſque tabulas, quod ſyngrapharum ulæ à teſtibus ſubſcriptæ & obſignatæ. At chirogra-rum, non ſignabantur, & à debitore ſolo ſubſcri-antur. Quod ad *expenſilationem* attinet, & *menſæ ones,* quæ inter ſollemnes pecuniæ datæ numera-ue probationes ibi ab Agellio recenſentur, genera e credendæ pecuniæ, neque teſtibus interpoſitis, ne ulla interveniente ſcriptura chirographaria, aut grapharia. Qui pecuniam quam ibant creditum ex ſua non numerabant, ſed per argentarium, ſive ezitam, ex menſa eam dare dicebantur, vel ex nſæ ſcriptura. Trapezita qui eorum nomine eam nerabat, in rationes ſuas referebat, ſe nomine τ͂ ..., τοῦ δεῖνι, tantam pecuniam numeraſſe. Qui ſic uniam crediderat, ſi debitor eam inficiaretur ſibi m numeratamve, rationibus menſæ id factum do-atur. Alia ratio credendi fuit per *expenſilationem.* pecuniam quam mutuo dabant, domo numera-t, & ex arca ſua, nomen illius cui eam dederant in lis ſuis perſcribebant, & ſummam debiti. Tabulæ etſi domeſticæ in judicio prolatæ fidem tunc fa-ant, ad debitum probandum *Expenſilatio* dice-ir, quia creditor in tabulis ſuis ſcribebat nomen itoris, cui expenſam illam crediti ſummam fere-quam dediſſet mutuam. Cum debitum illud re-

 cepe-

ceperat, tum acceptum in iiſdem tabulis ferebat. Inde expenſi & accepti tabulæ illæ dicebantur. Hinc in optimis Gloſſis, *expenſum*, δάνειον exponitur. Hæc erat mutui contrahendi obligatio, quæ *nominibus* olim fieri dicebatur, quam non intellexiſſe Tribonianum in priore libro oſtendimus. De qua & in tertio volumine de uſuris Juſtinianeis ſumus dicturi. Fortaſſean & Agellius cum *teſtibus tabuliſque* debitum ſollemniter probari dixit, per tabulas non tantum chirographarias ſyngraphariaſque intellexit, ſed etiam expenſi tabulas & ſcripturam menſæ, quæ in tabulas quoque ab argentario, ſive menſario regerebatur, in quibus rationes ſuas perſcribere ſolitus erat. Omnes igitur tunc ſollemnes debiti, ſi negaretur, probandi à creditore modos his duobus verbis complexus eſt, tabulis teſtibuſque, expenſi nimirum lationem, menſæ rationes, chirographi exhibitionem, tabularum obſignationem, teſtiumque interceſſionem. Omnia quippe quæ præcedunt generali tabularum appellatione intellexit, quia per tabulas omnis ea probatio procederet. At ſpecialiter *obſignatio tabularum* de ſyngraphis dicebatur, quia nullæ aliæ tabulæ præter has ſolerent obſignari. Mirum, inter has ſollemnes probationes quibus numerata pecunia probabatur omiſiſſe Agellium jusjurandi religionem. Nam ſi nulla alia via creditori pateret debiti, quod petebat, probandi, poterat jusjurandum deferre illi unde petebatur. Paulus lib. II Sentent. cap. I: *In pecuniariis cauſis ſi alter ex litigatoribus jusjurandum deferat, audiendus eſt.* Ubi Anianus interpres: *Cum de repetitione pecuniæ agitur, & probatio debitæ pecuniæ nulla profertur, jubet hujus rei ambiguitatem ſacramentorum interpoſitione finiri.* Juſtinianus Conſt. LXVI, ex interpretatione Juliani Anteceſſoris: *Hæc autem omnia quæ de his contractibus dicimus, qui ſcriptura interveniente fiunt: alioquin ſi ſine ſcriptura aliqui contraxerint,*

, liceat eis, vel teſtimoniis, vel jurisjurandi reli-
e veritatem manifeſtare, ſcilicet actore quidem te-
producente, reo autem, vel jurante, vel jusjuran-
referente ſecundum hoc quod judex æſtimaverit.
igitur jurabat tantum reus deferente creditore
randum, ſed etiam creditor referente jusjuran-
debitore, aut etiam ab initio poſtulante ut ju-
t. Tunc enim actionem dabat prætor creditori,
tum petenti, per quam non illud quærebatur an
cunia deberetur; ſed an juraſſet. Si juraſſet au-
debitor, creditore deferente, nihil ſe dare opor-
adhuc quidem obligatus manebat, ſed quia ini-
n erat de perjurio quæri adverſus petentem de-
m creditorem, ſe tuebatur jurisjurandi religione,
que repellebat hac exceptione, quod juraſſet. Vi-
ſtit. lib. IV, cap. XIII de exceptionibus. Quo ma-
niror, cum hæc ita ſint, & tam frequens fuerit hoc
ationis genus in pecuniæ mutuo, ubi cetera pro-
di debiti argumenta creditori deeſſent, id potuiſſe
llium prætermittere, præcipue cum judex ſederet
cauſa, qua creditor non poterat docere, ſibi de-
, quod intenderet, debitorque id negaret. Ea gra-
rtaſſe omiſit quod creditor, qui vir bonus erat, ab
robo rem petens debitore, nolebat ei jusjuran-
deferre, quem ſciebat ob improbitatem facile
rio ſe obſtricturum eſſe. Rurſus debitor, qui frau-
volebat, cum ſibi conſcius eſſet, eam ſummam ſe
re, quia ceteræ probationes deficerent credito-
, ideo noluit jusjurandum referre creditori, quod
acile ſuſcepiſſet, & ſic coactus fuiſſet ſolvere, qui
tum infitiabatur. Apud Ægyptios in pecuniariis
tis, quæ ſine ſyngrapha contraherentur, ſola ju-
andi religione jus fuit ea tranſigi, ſi juraret de-
, nihil ſe dare oportere. Tunc enim omnimodo
lvebatur debitor. Diodorus Siculus lib. I de Boc-
is legibus circa contractus: Τοὺς δὲ περὶ συμβο-
λαίων

λαίων νόμους Βοκχόριδος εἶναί φασι, προστάττουσι δὲ τοὺς μὲν ἀσυγγράφως δανεισαμένους, ἂν μὴ φάσκωσιν ὀφείλειν, ὀμόσαντας ἀπολύεσθαι τοῦ δανείου. Cuju- rei tres rationes habuiſſe legiſlatorem ita refert auctor. Primam, ut magni facere jurisjurandi religionem aſſueſcerent homines. Non enim facile ad temere ac falſo jurandum quemquam eſſe deventurum, qui ſciret, ex frequenti perjurio fidem omnem eſſe amiſſurum, nec reperiundum poſthac fore, qui ſibi vellet pecuniam credere. Πρόδηλον γὰρ ὄντος ὅτι τῷ πολλάκις ὀμόσαντι συμβήσεται τὴν πίστιν ἀποβαλεῖν, ἵνα τῆς εὐχρηστίας μὴ στερηθῇ, περὶ πλείστου πᾶς τις ἕξει τὸ μὴ καταντᾶν ἐπὶ τὸν ὅρκον. Quæ verba ἵνα τῆς εὐχρηστίας μὴ στερηθῇ perperam accepta ſunt ab interpretibus. Nam ſignificant, ad verbum, *ne privetur pecuniarum commodatione*, vel, ne careat commodatoribus. Ne deſint poſthac, qui ſibi velint pecuniam utendam dare, qui tam facile juraret, ſe nihil accepiſſe. Εὐχρηστία eſt commodatio, ſive χρῆσις pecuniæ mutuæ. Nam & verbum εὐχρηστεῖν, pro pecuniam utendam dare, & commodare, à quibuſdam uſurpatum eſt. Quod tamen Phrynicho in vocum Atticarum collectione minus probatur. Εὐχρηστεῖν ἀπόῤῥιψον, λέγε δὲ κιχρᾶναι. Inde Diodoro, qui ſæpe vocabulis è medio petitis utitur, εὐχρηστία commodatio. Secunda ratio fuit Bocchori, ut ſic homines ad bonos mores colendos invitaret, cum viderent, omnem fidem in probitate reponi, & vereri merito deberent, ne indigni viderentur quibus fides haberetur. Ultimò iniquum judicavit, eos quibus pecunia crederetur abſque jusjurando, cum in eodem pacto convento jurati dicerent, nihil ſe debere, non his fidem haberi. Priuſquam finiam hoc caput, diſcutiam quæſtionem ſatis nobilem, quæ apud Agellium agitatur, circa hujuſmodi probationes creditæ pecuniæ. Si nullæ eſſent creditori, quibus poſſet dicere, ſibi pecuniam ab illo unde peteret, deberi, quid juris eſſet ſi creditor vir bonus habe-

eretur, aut qui debitum negaret, pro malo &
nam exiſtimaretur? Dubitaſſe ſuper ea re ſe fate-
Agellius, cum apud ſe ea cauſa diſceptaretur. Cum
n qui ſecum in conſilio eſſent, viri exercitati in
nodi judiciis, dicerent, non ſedendum diutius, ſed
m ſecundum eum pronuntiandum contra quem
a adferretur probatio, qua debitor ejus pecuniæ,
petebatur, convinci poſſet, ipſe ampliandum cen-
. Tum qui ad abſolvendum reum adduci non po-
ſet, ea tantum de cauſa, quod conſtaret, eum eſſe
ninem nullius bonæ rei, cum è contra is qui pete-
, quamvis nullo argumento ſatis firmo niteretur,
ſola probitate multum diuque ſpectata ſe tueretur,
philoſophum Phavorinum conſulendum perrexit.
i philoſophus ipſi auctor fuit, ut in ea cauſa de qua
bigebatur, quandoquidem optimus eſſet qui pete-
, unde peteretur deterrimus, & res inter duos acta
et ſine teſtibus, ut fidem haberet ei qui petebat, &
ndemnaret eum de quo petebatur. Ille idem tamen
gellius, quamvis tanti philoſophi authoritate nixus,
rmoveri non potuit, ut abſolveret reum, aut ut ſe-
ndum petitorem judicaret, ſed juratus pronuntiavit,
i non liquere, ſicque illo judicato ſolutus eſt. *Sed
ajus*, inquit, *altiuſque id eſſe exiſtimavi, quam quod
ea ætati & mediocritati conveniret, ut cognoviſſe &
ndemnaſſe de moribus, non de probationibus rei geſtæ
derer: ut abſolverem tamen, inducere in animum non
uivi, & propterea juravi, mihi non liquere.* Phavo-
nus in conſilio, quod Agellio dabat de condemnan-
o eo unde petebatur, quoniam notæ eſſet improbi-
tis, & contra, famam probitatis haberet qui petebat,
quutus eſt auctoritatem priſci Catonis, qui ita à ma-
ribus traditum obſervatumque ſcripſit in oratione
ro L. Turio contra Gn. Gallium, cujus verba Agel-
us ibi retulit, quæ hic adferam emendatiora quam
ulgo leguntur: *Atque ego à majoribus memoria ſic*

accepi, ſi quis quid alter ab altero peterent, ſive ambo pares eſſent, ſive boni, ſive mali eſſent, quod duo res geſſiſſent, ubi teſtes non intereſſent, illi unde petitur potius credendum eſſe. Sed ego non poſſum Catoni aſſentiri, neque illis majoribus à quibus memoria ſic accepiſſe ſe dicit, ſiquidem in ea ſententia fuerint, qua eos fuiſſe vult, quaſi auctore Catone, ille philoſophus ſpado. Rationes ei rei dicam. Lex fuit, eaque juſtiſſima, ut qui ex credito pecuniam ſibi deberi contenderet, niſi eam datam à ſe probaret, nihil ab eo ferre deberet unde peteret. Si bonus à bono peteret, malus à malo, ita ut ambo pares, aut probitate, aut improbitate eſſent, lex illa tenuit. Si malus à bono ſine probatione rem quaſi mutuo datam repeteret, tanto magis vim legis valere oportuit. Sola itaque ambiguitas ibi vertitur quando vir ſpectatæ probitatis repetit, quod ſe dediſſe affirmat, ab homine mendace & nequam. Quæro ſi judex hodie contemplatione probitatis ejus qui petit, cum nullo probat argumento quod intendit, litem ſecundum eum judicaverit, quia deterior ſit unde petitur, quid futurum ſit ſi cras idem iſte vir bonæ exiſtimationis mutuum repetet ab homine non deterioris atque ipſe eſt famæ? Si non mentitur vir bonus ab improbo petens, & obtinere debet quod petit, quamvis nulla nitatur probatione, certe nec cauſa eſt cur ad mendacium ac fraudem pronior videri queat in repetitione pecuniæ, quam veluti ſibi debitam à bono jam exigit. Quo colore judex, qui hodie petenti ſatisfieri juſſit ab homine vitæ impuratæ, cras eumdem, ſi petat ab homine notæ & expertæ fidei, repellet, & de calumnia damnabit? Cur tam cito videri debuit mutatus ille vir probitatis ſinceritatiſque edecumatæ? Heri illi credidit judex, hodie non credet? An quia ab æque probo hodie petit? An hoc facit illum improbum? Quia cum probo nunc illi res eſt, ideo eum pro improbo & calumniatore condemna-

mnabis, de cujus fide atque integritate heſterno die n dubitabas? Deinde ſi ſemel ſibi permiſerit judex n legem ſequi, ſed vitas examinare diſceptantium, agnam ex eo feneſtram aperiri iniquis judiciis quis n videt? Cui favebit judex, eum pro viro bono licet habebit: à quo erit averſus, tam cito eum conmnabit, quam pirum vulpes comeſt, quia nimim erit illi improbus inteſtabiliſque. Si famam in nſilium advocabit, quis neſcit, tam falſi plerumque nciam eſſe quam veri. Mentitur & illa ſæpius, eamе æque in vitio ac laude frequenter habent qui non erentur. Præterea quid incertius hominum habitu terno? Quot receſſus in pectore eorum ſinuoſi, maiam celantes, dum probitas in vultu elucet? Hic iem pelle exteriori decorum vides, ſi penitius inoſpicias ac propius noveris, introrſum turpis appabit. Poſtremo ſi id admitteretur, ut ex virtutis, aut tii menſura, quam quiſque ex fama videretur obtiere, lis eſſet dijudicanda, res eo tandem neceſſario eveniret, ut de moribus prius ſemper habenda foret uæſtio, quam de probationibus rei geſtæ. De morum uippe examine penderet abſolutio, aut condemnao debitoris. Ecquis erit modus ſi ita procedatur? Deque cum difficultas in eo tantum verſetur, qua cona legem probationum faciendum videatur, ſi res inr duos geſta ſine teſtibus aut tabulis proponatur, ubi us ſit homo malæ exiſtimationis, petitor integer vi, iſte qui petit, imputare ſibi debet, quod nomen caturus fraudatori, & in mendaciis ſæpius convio, temere illi crediderit ſine teſte ac ſcriptura. Nam ait Menander:

Ὅταν δανείζῃ τις πονηρῷ χρήματα,
Ἀνὴρ δίκαιος τὸν τόκον λύπας ἔχει.
Cum fœneratur vir probus viro improbo,
Pro credito malum aufert uſuræ vicem.

erte ſi judex eſſem, longe mallem peccare, vel ſæpius,

pius, legem habens auctorem, eamque ſequens, quam vel ſemel errare contra legis præſcriptum, quamvis in aliis plurimis recto talo mea ſtatura eſſēt judicia. Quis autem judex ſibi poſſit polliceri, ea via ſe ſemper quod æquum rectumque eſt, obtenturum, ſi omni occaſione ſecundum eum qui ſibi probus videbitur, quemque fama feret talem, in debito ſine probatione repetendo adverſus alterum probri plenum unde petitur, pronuntiabit? Sæpe falleret hæc judiciorum alea, ſi quod geſtum ſit, ex allegatis ac probatis non ſpectaretur, ſed ex moribus diſceptantium. Nunc videndū an hæc ipſa Catonis & illorum veterum à quibus ſic memoria ſe accepiſſe profitetur, ſententia, quam illis Favorinus adfinxit. Ex auctoritate enim ac verbis Catonis, quæ Agellius ibi citavit, hoc conſilium ipſi Agellio dare inſtituit, ut quandoquidem optimus eſſet, qui peteret, peſſimus ille unde peteretur, crederet ei qui petebat, condemnaretque eum de quo petebatur, idque ex Catonis ſententia. *Quod autem ad pecuniam pertinet, quam apud judicem peti dixiſti, ſuadeo hercle tibi utare M. Catonis prudentiſſimi viri conſilio, qui in oratione, quam pro L. Turio contra Gn. Gallium dixit, ita eſſe à majoribus memoria traditum obſervatumque ait, ut ſi quid inter duos actum eſt, neque tabulis, neque teſtibus planum fieri poſſit, tum apud judicem, qui de ea re cognoſceret, uter ex iis vir melior eſſet quæreretur, & ſi pares eſſent, ſeu boni pariter, ſeu mali, tum illi unde petitur crederetur, ac ſecundum eum judicaretur.* Hic ſane ſenſus eſt verborum Catonis, quæ paulo poſt adducit Agellius, & jam ante attulimus. Sed an ex his ſequitur, ut idem ille judex viro bono non probanti debitum, quod à viro malo petit, pecuniam qua de agitur adjudicare debeat? Quæ dicit ibi Cato, non faciunt contra legem debiti non exigendi, quod contractum eſſe nulla ſollemni ac legibus recepta probatione conſtet. Quæ lex generalis eſt de omni-

nibus, ſive bonis contra bonos, maliſque adverſus
los petentibus, ſive etiam bonus à malo petat, aut
lus à bono. Et tanto certe magis tenere lex, ut
dixi, debet, ſi malæ fidei homo, & mendacio-
fraudumq; plenus, pecuniam petat ab homine ſe
ge meliore, quam ei ab ſe creditam ſine probatio-
lleget. Et hoc plane argumento uſus eſt Cato in
oratione, ut oſtenderet Turium nihil dare opor-
Gellio, primum quia nullam præſtaret probatio-
n, quo aliquid ſibi deberi à Gellio doceret. Quo
,etiam ſi probitate pares eſſent, nihil à Turio Gel-
auferre deberet. Sic enim, inquit, à majoribus ac-
i, ſi quis quid alter ab altero peterent, ſive ambo
es eſſent, ſive boni, ſive mali eſſent, quod duo res
iſſent, ubi teſtes non intereſſent, ei potius unde
tur credendum eſſe. Nunc cum tanto peior ha-
tur Turio Gellius, quis judicet, huic potius, qui de-
or eſt, & qui petit, quam meliori unde petitur cre-
dum eſſe? Verba Catonis: *Nunc ſi ſponſionem fe-
t Gellius cum Turio, ni vir melior eſſet Gellius,
m Turius, nemo opinor tam inſanus eſſet, qui judi-
t meliorem eſſe Gellium, quam Turium. Si non
or Gellius eſt Turio, potius oportet credi unde peti-*
Ita Cato. Quid igitur? An ſi melior Gellius Turio
catus eſſet, æquum fuiſſet, judice Catone, ſecun-
eum judicari petentem ab altero, qui minus pro-
quam ipſe foret? Sic conſequi intellexit Favorinus.
tamen aperte hoc dicit Cato. Si per cōſequen-
d elicitur, quid ex ipſa conſequentia adprobata, ac
ota mali cōſequuturum ſit, nos abunde docuimus.
Diogenes Cynicus audiſſet aliquando homi-
fraudulentum, ac mendacem, alterum furti ac-
tem, utrumque condemnavit, alterum quaſi qui
iretur aliquid ſibi furto ablatum, alterum quaſi
convictum. Utrumque quippe in utroque cri-
veriſimile vita amborum faciebat. Quod Phæ-

drus in apologum retulit. Atque hæc quidem in joco & deridiculi gratia dicta. In judicio ubi res ſerio ageretur, non idem valeret. Si fur notus furem æque notum argueret apud judicem ſibi aliquid ſurripuiſſe, nec probaret, an non eum qui accuſaretur, abſolveret? Quid ſi homo minime furax nec mendax, alteri dicam furti ſubſcriberet, qui infamia furtorum laboraret, nec tamen hoc ſibi furtum ab illo factum ullo modo poſſet oſtendere, an judex ſola habita ratione hujus probitatis, qui rem ſibi furto ſurreptam ab iſto, qui furari ſolitus eſt, contendit, ſine ullo alio probationis argumento pro fure hunc puniturus eſſet? Non equidem cenſeo. Idem eſt & in illo qui cum probus ſit, ab improbo alio debitum non probatum petit, ac ſibi credi poſtulat. Hæc quæſtio exercuit nobiles duos juris doctores Martinum & Johannem, quorum alter judicem ex ſua conſcientia debere judicare, alter ex iis quæ probata, teſtata, partes proferrent. Quibuſdam placet, locum tantum hanc dubitationem habere, ubi quæritur de facto. Cum nimirum aliter factum probatur, quam factum ſit, & quam factum eſſe ipſe judex ſibi conſcius eſt. Nam ſi de jure ſit quæſtio, non videri ſtare debere iis judicem, quæ partes allegarunt, ſed judicare prout ipſe æquius melius viderit. Ratio unica eſt cur judici neceſſe ſit, ſententiam ferre non è ſua conſcientia, ſed ſecundum ea quæ teſtibus probantur, aliaſque legitimas probationes. Nam ſi male judicaſſe quis arguatur, hac ſe ſemper defenſione tuebitur, quod ſciverit, rem ſe aliter habere, quam partes demonſtrarint. Hæc rima ſemel aperta, latiſſimam aperiret feneſtram judicum impotentiæ & iniquitati. Ad ſummam, nihil magis contra jus & æquitatem fieri poteſt, quam ſi judex de pecunia credita ſumptus, de moribus litigantium pronuntiare velit, non de ipſa cauſa, qua de agitur. Non ſedet de vita & moribus utriuſque cogniturus, ſed de pecunia, nec præmium

ſignaturus probitati, & improbitati pœnam irroga-
rus. Deinde, quod jam diximus, cum interior ho-
num vita nemini ſatis cognita ſit, & ſub perſona
ulti obambulent, qui nihil minus ſunt, quam quod
entur, periniquum eſt, in alterius noxam & inju-
m exteriori hominum facie ac fuco fidere.

CAPVT XII.

ibus modis ſecurus à debitore reddatur creditor. Aut ex bonis debitoris ei ſecuritatem præſtari, aut ex alienis per idoneum ſponſorem. Specialiter obligari debere aliqua bona debitoris, ut jus in his habeat creditor ad debitum inde ſervandum. Ex creditoribus alios dici perſonales, alios hypothecarios. Hos quam llos videri ſecuriores. Bona quæ obligantur propter debitum eſſe mobilia, aut immobilia. Mobilia tradi reditori, immobilia vulgo obligari tantum. Quæ raduntur, pignora Latine dici, Græce ἐνέχυρα. Vnde dictum ſit ἐνέχυρον. Vel ἀπὸ τοῦ ἐχυροῦ dici, vel ἀπὸ ἐνέχεσθαι. Teneri proprie quæ poſſidentur, ut pignora. De hypothecis tamen id verbi etiam uſurpari. Apud edii ævi Græcos, qui Latinos ſunt ſequuti, eamdem ſe differentiam inter ἐνέχυρον, & ὑποθήκην, quæ inter gnus & hypothecam. Pignus ab hypotheca non ſic verſum ſtatuiſſe Romanos, ut apocham ab acceptitione, cum tamen idem ſit pignus Latinum, quod racum ὑποθήκη. Errare Cujacium, qui ita ſentit. ignus id eſſe Latinis, quod Græcis ἐνέχυρον. Ergo & ὸ τῆς ὑποθήκης diſtingui, quamvis Græcis veteribus men ὑποθήκης generalius ſit. Sententia Marciani ſcuſſa, qua pignus ab hypotheca nominis tantum no differre dixit. Fuſius explicata pignoris & hy- hecæ differentia. An aliud ſit, pignus dare, aliud, nori dare. Hypothecam non tantum ſignificare m hypotheca datam, ſed etiam ipſam obligationem.

Error Hotomanni notatus, cujus illa ſententia. Διδό-ναι & λαβεῖν ὑποθήκην, *etiam de dato acceptoque hypotheca fundo, qui non tradatur. Teneri à creditore etiam non tradita, ſed obligata tantum. Vetus inſcriptio explicata. An plus ſecuritatis in hypothecis, quam in pignoribus proprie ſumptis. Marcianum qui nullum diſcrimen ſtatuit inter pignus & hypothecam fortaſſean id intellexiſſe quoad actionem quaſi Servianam. Generalem eſſe apud Latinos pignoris appellationem, & ad hypothecam etiam porrigi, non contra hypotheca nomen ad pignus. Inde & pignora etiam pro fundis oppigneratis poni. Lex* LIX *D. Mandati contra doctorum ſententiam expoſita. Plus ſecuritatis eſſe creditori in fundis hypotheca datis, quam in pignoribus rerum mobilium traditis. Inde & fiducia, pro hypotheca Romanis Iuriſconſultis. Plus in ea fiducia creditori, quam in pignore tradito. Pignus Papiniano & Modeſtino etiam de fundo pignori dato. Titulum apud Paulum in libro ſententiarum, & in codice Theodoſii de Pignoribus, etiam hypothecas comprehendere. Græcos verbum* ὑποτίθε-σθαι, *& nomen* ὑποθήκης *etiam de pignore rerum mobilium uſurpare. Opponere veteribus Latinis, idem quod oppignerare, & recentioribus ex Græco, ſupponere. Ita repoſuiſſe Tribonianum multis locis Iuriſconſultorum. Deponi etiam dicebantur, quæ pignori dabantur, ut & Græcis* κατατίθεσθαι. *Sed & poni, ut Græcis* θέσθαι. *Deponi de pignoribus mobilium. Poni, opponi & ſupponi de immobilibus. Apud Atticos* ὑποθήκης *nomine appellatur quidquid oppigneratum eſt, ſive mobile ſit, ſive immobile.* Ὑποτίθησι *debitor qui oppignerat,* ὑποτίθεται *creditor, qui accipit pignori. Sic aliud eſt* τιθέναι νόμον, *aliud* τίθεσθαι. *Græci recentiores id diſcrimen inſuper habuerunt, &* ὑπο-τίθεσθαι *etiam accipiunt pro oppignerare. De jure hypothecarum apud Græcos. Tenebantur eas* ἀνεπάφους *repræ-*

repraſentare & exhibere debitores. Actionis nomen ad eam exhibitionem petendam prodita, εἰς τὸ ἐμφανὲς κατάστασις. Qua pœna multarentur apud Athenienſes, qui pignora non repraſentarent. Ὑποθήκη Atticis, pro pignore rei mobilis & immobilis. Locus Ariſtotelis ex Oeconomico ſecundo explicatus. Ἐνέχυρον Græcis etiam ὑποθήκη, ſed omnis ὑποθήκη non eſt ἐνέχυρον. Hoc de his tantum, quæ in manu tradi, ac teneri reapſe poſſunt, uſurpari. Quid ſit ἐφορίζειν. Demoſthenes emendatus. Ὁρίζειν, pro eodem, & ὡρισμένον χωρίον, oppigneratum, & titulis creditorum notatum. Apud Romanos nomen pignoris eſſe generale, hypothecæ ſpeciale, contra quã apud Græcos. Pignus proprie non differre ab hypotheca, quod hæc ſit immobilium, illud mobilium. Rei mobilis eſſe hypothecam ſi non tradatur, rei immobilis eſſe pignus ſi tradatur. Leges duæ ex Digeſtis partim explicatæ, partim emendatæ. Duo pignoris genera, σωματικὸν & συμφωνιαῖον, corporale, & conventionale. Conventionalis duæ item ſpecies, quod ſine ſcripto contrahitur, & quod ſcripto. Lex IV de Pignoribus explicata. Quid ſit pactum conventum, & quomodo à pacto differat. In hujus vocis expoſitione omnes hactenus doctores erraſſe. Non ſolum pactum conventum dici, ſed etiam pactum atque conventum, vel pactum conventùmque. Multa auctorum loca ſuper hac voce emendata & expoſita. Pactum conventum componere. Συνθήκας veteribus Græcis appellari, quæ Latinis pacta conventa. Διαθήκη etiam idem quod συνθήκη. Recentioribus Græcis στοιχήματα vocari pacta conventa. Quid ſit proprie στοιχεῖν. Hoc verbum à re militari ductum. Paulus in epiſtola ad Galatas explicatus. Doctores perperam pactum interpretari de omni contractu. Quid ſit proprie contractus. Quid συνάλλαγμα Græcis ſignificet. Contractus etiam pro inſtrumento contractus, ut Græcis

 συμβό-

συμβόλαιον. Pacti appellationem latiſſime patere, & latius vocem contractus Latinis, quam Græcis συνάλλαγμα̂ος. De pignore quod nudo conſenſu, & nuda conventione, item pacto convento contrahitur. Ad quas obligationes proprie conſenſus pertineat. In his locum habere in qua utrimque convenitur à conſentientibus. Pignus proprie dictum re contrahi, hypothecam, aut ſolo conſenſu ſine ſcriptura, aut cum ſcriptura.

EXplicavimus omnes ferme modos, qui faciunt ad conſtringendam malam debitoris fidem, bonamque cuſtodiendam, utramque certe obſtringendam. Nunc ad eòs tranſeamus exponendos, qui bonam ſpectant copiam, præſtantque ne poſſit eam debitor ejurare. Non enim ſatis eſt eum habere ſolvendi voluntatem, niſi etiam habeat facultatem. Ea dupliciter conſideratur. Aut enim ex propriis bonis poteſt ſecurum reddere creditorem, aut, ſi dubia ſint, & fiduciam ab illis capere creditor nolit, alienis. Interdum non dubitatur de opibus rei, ſed ſi nimis potens ſit, ut adigi ad ſolvendum facile non poſſit, neque in jus vocari, tum alium pro ſe dat, quem inquietare libere queat creditor, & jus ſuum ab illo exigere. Sæpius tamẽ eum dat, qui pro ſe ſpondeat, & cujus bonis ſecurus fiat creditor, quem non poteſt tutum tectumque præſtare ex ſuis. Cum igitur parvi ſit facienda fides, niſi etiam res accedat, nolim eum mihi reum dati, qui bona ſemper verba det, cuique aliud nihil ſit unde ſolvat, niſi promptus animus, nec interim adſit quod ex arca promat. Sed nec etiam ſufficit, habere debitorem meum unde ſolutioni par ſit, ſi non ex opibus, quibus abundat, certam partem mihi concedat, quam in poteſtate mea habeam, ut liceat, ſi moram ſolvendo afferat, eam diſtrahere, & debitum recuperare. Fieri quippe poteſt,

ut

plurima quidem poſſideat, qui mihi debet, ſed
ıribus etiam debeat, qui priores ei mutuum dede-
t. Fac, nos omnes, qui ejus creditores ſumus, æquo
e venire ad debitum repetendum, nec quemquam
nobis pactum fuiſſe, ut aliquid ex bonis debitoris
nmunis ſpeciali nexu obligatum haberet, vel reapſe
ſecuritate debiti traditum poſſideret. Certe ſi bona
ı omnibus ſunt ſatis factura, qui prius ei credide-
t, ut poſteriores præcedant in debito recipiendo
venditione bonorum, plane rationis eſt. Quod ſi
omnes anteriores me creditores perſonam tan-
ı elegerint debitoris pro ſua ſecuritate, nec quid-
m bonorum ejus, ſive mobilium, ſive immobi-
n ſibi pro fiducia crediti ſupponendum provide-
, ego qui poſterior credidi ſi cautior fui, ex eo
od acceperim, vel etiam mihi obligaverim, potero
are quod mutuum dedi, dum illi ex perſona co-
ıtur extundere quod mihi ex re ipſa proclive eſt
inere. Fruſtra enim perſona vexatur, ſi res non ad-
quæ jure invadatur, præcipue ubi lex vetuit perſo-
ı ipſam debitoris pro re credita abducere, & poſſi-
e quaſi manu captam. Quod ἐπὶ σώματι δανείζειν,
ıe olim licuit, ut ἐπὶ ἐνεχύρῳ quolibet. De quo in
ıentibus. Hinc differentia eſt creditorum, qui per-
am tantum ſibi obligatam habent, & eorum, qui
pſas debitoris. Græci προσωπικοὺς δανειστὰς illos ap-
ant, iſtos ἐνυποθήκους. Hi autem qui res debitoris
aut corpore poſſident, potiores habentur illis, qui
onæ tantum crediderunt, nulla aut univerſali, aut
iali bonorum ejus hypotheca ab eo accepta. Græci
ſconſulti: Πᾶς δανειστὴς ἢ προσωπικός ἐστιν, ἢ ἐνυπόθη-
. καὶ προσωπικὸς μὲν ἐστιν ὁ δανείζων τινὶ ἄνευ ἐνεχύρων,
ποθήκης, καὶ ἔχει μόνον τὸ πρόσωπον τοῦ δανειζαμένου
ν τοῦ δανείσαι, οὐ μὴν καὶ τὴν περιουσίαν· ἐνυπόθηκος δὲ
λαβεν ὑποθήκην, ἢ οἶκον, ἢ κτῆμα, καὶ ἔστιν ἰσχυρότερος
οσωπικοῦ, ὡς ἔχων καὶ τὰ ὑποτεθέντα πράγματα ἔνοχα.

Quatenus igitur ſecurior eſt creditor *pigneraticius*, quam *perſonalis*, ſecuritatem eam quæ major eſt ac ſolidior, mihi proſpiciam. Sæpius præterea contingit, ut qui opulentus erat cum illi mutuum darem, repente infortunio aliquo facultates amittat, aut etiam ipſe ſponte eas dilapidatione conterat. Plurimum itaque refert ad meam ſecuritatem, ut mihi conſulam in futurum, & in manu mea, aut in meo jure habeam ex facultatibus etiamnunc integris debitoris, quod crediti mei ſummæ æquiperet. Ut duum generum bona ſunt, mobilia & immobilia, ita & duplici modo ſecuritas præſtatur creditori ex bonis debitoris, aut pignoribus, aut hypothecis. Nec per res tantum proprias debitoris ſibi obligatas ſecurus redditur, ſed per alienas etiam, interpoſita perſona, quæ ſe ac ſua obliget pro debitore. Sed de rebus prius debitoris propriis dicamus, tum de perſonis, quæ pro debitore ſpondent, ac ſeſe interponunt, pro alieno nomine, quo ſecurus fiat creditor. Eæ res, ut dixi, aut mobiles ſunt, aut ſunt ſoli. Si mobiles ſunt, traduntur in manum creditori, & poteſtati ejus concreduntur, quoad ſolutio facta ſit, ut ſi non fiat præſtituto tempore, ea bona diſtrahantur, & ex pretio ſuum recipiat creditor. *Pignora* ea proprie nomen habent apud Latinos, Græcis ἐνέχυρα. Nam pignus eſt quod poteſt in manum alicui dari, vel de loco in locum transferri, ac deponi. Græci ἐνέχυρον dictum interpretantur ἀπὸ τοῦ ἔχω τὸ χεῖρ τινί, ἰχυρὸν, τὸ ἐνέχυρον. Sed pace eorum dixerim, magis mihi probatur dici quod ἐν ἰχυρῷ ponat, id eſt, in tuto collocet, creditam pecuniam. Nam ἰχυρὸν eſt ἀσφαλές. Quod & ὀχυρὸν ex dialecto. Illud certe ἰχυρὸν ab ἔχω appellatum conſtat. Quæ enim habemus ac manu tenemus, ea nobis maxime tuta videntur, utpote quæ in poteſtate noſtra ſint, nec aliunde pendeant. Grammatici, ἰχυρὸν, ἀσφαλές. Inde igitur ἐνέχυρον, quod ἐν ἀσφαλεῖ ſtatuat pecuniam creditoris. Græci enim definiunt, ἐνέχυρον,

τὸ εἰς

εἰς ἀσφάλειαν ἀντίβλαγμα. Quo nomine etiam res
i, quæ creditori ad ſecuritatem obligarentur, vo-
ri poſſunt ἐνέχυρα. Sed & alia ratione quidquid ob-
atur alicui, atque ἔνοχον ſit, id ἐνέχεσθαι merito dica-
, ac proinde ἐνέχυρον eſſe. Nam ut ἐχυρὸν ἀπὸ τοῦ ἔχε-
, ita ἐνέχυρον ἀπὸ τοῦ ἐνέχεσθαι, atque ἔνοχον εἶναι. Con-
tudo tamen pervicit, ut ἐνέχυρον Græcis proprie ſu-
tur, pro re mobili, quæ in pignus datur. Suidas:
χυρον τὸ διδόμενον ὑπὲρ χρέους. Heſychius doctiſſimus
ammaticus, ἐνέχυρον interpretatur ἀῤῥαβῶνα. Atqui
αβὼν etiam pignus eſt, ut paulo poſt docebo. Pro-
to, vel ſic optime etymon ἐνεχύρου poteſt deduci
τοῦ ἐνέχεσθαι, quod & κρατεῖσθαι & κατέχεσθαι ſignificat,
eſt, manu teneri ac poſſideri. Idem Heſychius: ἐνέ-
ς, κρατεῖται, συνέχεται. Pignori data à creditore κρα-
ται & κατέχεσθαι paſſim dicuntur. Leg. XXXIV D. de
noribus, οἶδας γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι καὶ ἡ ταβέρνα, καὶ οἱ δοῦ-
οι οὐδενὶ κατέχονται ἢ σοι, καὶ ὡς εὐσχήμονι ἀνθρώπῳ ἐπί-
σας. Quæ tamen de hypotheca dici ibi videntur.
ane etiam *teneri* dicuntur jure pignoris, quæ hypo-
cæ data & obligata. Magis tamen proprie de tra-
s pignoribus id uſurpatur. Sic ergo ἐνέχυρον & ὑπο-
ην Græci, qui Latinos ſequuti ſunt, diſtinguunt, ut
ni pignus & hypothecam. Gloſſæ Nomicæ: Ἐνέ-
κυρίως λέγεται, τὸ κινητὸν, διὰ τὸ ἐν τῇ χειρὶ δίδοσθαι
δανειστῇ. Διαφέρει δὲ τῆς ὑποθήκης ὅτι ἡ ὑποθήκη ἐστὶ τὸ
ακείμενον μὲν τῷ χρεώστῃ, ὑποτιθέμενον δὲ τῷ δανειστῇ εἰς
εμαλεῖον ἕνεκεν τῆς τοῦ χρέους ἱκανώσεως. Manet igitur
otheca in poteſtate debitoris, ſed pacto convento,
tura intercedente, obligatur creditori pro debiti
factione. Ergo de re immobili tantum accipitur,
non poteſt in manum tradi debitori, ſicut ea de
us pignoris vox & ἐνεχύρου uſurpatur. Ita & opti-
Gloſſæ *pignus* exponunt, ἐνέχυρον, ὑπάλλαγμα,
άγγελμα, non etiam ὑποθήκην. Per ἐπάγγελμα au-
intelligunt *ſponſionem*. Nam pignore aliquo de-

 poſito

poſito fiebant ſponſiones. Et recte Cajus leg. CCXXXVIII D. de verborum ſignificationibus, *pignus appellatum*, ait, *à pugno, quia rei, quæ pignori dantur, manu traduntur. Vnde etiam videri poteſt verum eſſe quod quidam putant pignus proprie rei mobilis conſtitui.* Et nihil ſane verius. Nec aſſentior Cujacio, qui licentiam eſſe vult, qua Latini pignus ab hypotheca diſtinxerint, eamdem ferme, qua, & *apocham* ab *acceptilatione*, & medici *carbunculum* à Græcorum *anthrace*, & Theologi *pentecoſten* à *quinquageſima* diverſam fecere. Hoc ſi eſſet, nullam haberent vocem Græci, qua pignus ab hypotheca diſcernerent, ſed Latini ex Græco ὑποθήκη, quæ eadem eſſet cum dictione Romana *pignus*, eam differentiam inſtituerent, quæ eſt inter pignus & hypothecam, cum tamen *pignus* Latinum idem omnino ſit quoad ſonum, quod Græcorum ὑποθήκη. Quæ ſunt falſiſſima. Nam quod Latinis *pignus*, Græcis appellatur ἐνέχυρον, iidemque Græci antiqui ita ἐνέχυρον & ὑποθήκην diviſerunt, ut Latini pignus & hypothecam, quamvis ὑποθήκης nomen apud eos generalius ſit quam apud Latinos, & ἐνέχυρον etiam comprehendat. At illud certum, ἐνέχυρον eos ἀπὸ τῆς ὑποθήκης diſtinguere, & ἐνέχυρον ita ſumere, ut Latini *pignus*, cum in propria, & ſtricta ſignificatione ab eis ſumitur. De quo nos paulo poſt. Ergo, *hypotheca* Latinorum, cum ſit ex Græco facta, à pignore dividitur, ut etiam Græci ἀπὸ τοῦ ἐνεχύρου dividunt ὑποθήκην, licet ὑποθήκης nomen apud eos ſit generalius. Quid igitur ſibi vult Marcianus cum dicit leg. V D. de pignoribus & hypothecis, *inter pignus & hypothecam nominis tantum differre?* Nec enim verum eſt, quod quidam afferunt, ideo hoc dici à Marciano, quia *pignus* Latina vox ſit, *hypotheca* Græcum nomen, utriuſque enim eamdem ſignificationem eſſe oporteret. Atqui non eſt. Et *pignus*, Græcorum eſt ἐνέχυρον, non ὑποθήκη. Quod ἐνέχυρον Græcis ſic diſtinguitur ἀπὸ τῆς ὑποθήκης·

θήκης·

θήκης, ut Latinorum *pignus* ab *hypotheca*. Vide Pollucem lib. III, cap. IX. *Pignus* certe Latinis pro eo ſumitur de quo nunquam *hypotheca* nomen poſſit uſurpari. Qui pignore poſito cum aliquo contendit, ſponſionem facit ita eſſe, aut non eſſe, rei alicujus in medio poſitæ, vel apud aliquem depoſitæ, periculo, quam victor ſponſionis ablaturus ſit. *Hypothecam* hoc non diceres. Ergo pignus aliquid eſt mobile, quod teneri poteſt, atque in medio deponi. Cum res talis obligatur creditori, ſimul etiam ei traditur, & *pignus* proprie vocatur non *hypotheca*. Ea enim vox locum habet tantum in his, quæ cum in manum dari non poſſint, ſubjiciuntur tamen ac ſupponuntur creditoris poteſtati ac juri, poſſeſſione penes debitorem remanente, quam in pignore ad tempus conſequitur creditor, dominio penes debitorem relicto. Iſidorus lib. v Originum cap. XXV: *Pignus eſt quod propter rem creditam obligatur: cujus rei poſſeſſionem ſolam ad tempus conſequitur creditor. Ceterum dominium penes debitorem eſt.* At de *hypotheca* ita habet, eam nempe eſſe, *cum res aliqua commodatur ſine depoſitione, pacto vel cautione ſola interveniente.* Igitur ubi res ipſa non deponitur, nec ejus poſſeſſio creditori traditur, ſed nudo conſenſu & pacto eidem ſubjicitur, poſſeſſione debitori relicta, *hypotheca* eſt, non *pignus*. At *pignus* eſt, non *hypotheca*, ἐνέχυρον, οὐχ ὑποθήκη, cum rei obligatæ poſſeſſionem habet. Ideo in pignore pigneraticia experiri intra certum tẽpus non cogitur creditor, quia poſſidet, nec cauſam agendi habet, etiamſi per centum annos pignus teneat. Cur enim illa actione perſequi tentaret quod ipſe tenet ac poſſidet? At in hypotheca, ſi rem ſibi obligatam alius poſſidere cœperit, ac per decem annos bona fide poſſederit, præſente ac vidente creditore, qui hypothecariam habet, aut per viginti eodem abſente, hypothecaria agere amplius non poteſt, niſi eadem experiatur intra decem annos præſens, abſens

vero

vero intra vicennium. Multæ aliæ ſunt pignoris & hypothecæ differentiæ à Juriſconſultis noſtris obſervatæ, inter quas & illa, hypothecarium creditorem non poſſe adverſus tertium poſſeſſorem hypothecaria experiri, niſi principali prius diſcuſſo, cum pigneraticius creditor poſſit convenire tertium pignoris poſſeſſorem, etiam priuſquam diſcuſſerit principalem debitorem. Non igitur video, quæ ratio moverit Marcianum, ut diceret, ſolo nominis ſono diſtare pignus & hypothecam. Synonyma plane eſſe verbis illis hæc duo vult vocabula. Quod non poteſt defendi. An quia *pignori dari* vulgo dicuntur etiam quæ hypothecæ dantur? Certe *oppignerari* ager, domus, & quodcunque aliud ſoli dicitur, quod hypothecæ datur. Sed rurſus quærendum eſt, an quæ pignori opponuntur, ſi proprie ſumatur ea vox, hoc eſt, creditori traduntur poſſidenda, etiam hypothecæ dari dicantur? Non ſane puto. Ergo generalior eſt appellatio pignoris, quam hypothecæ. Nam quæ hypothecæ nomine obligabantur, prædia nimirum aliaque, quæ tradi non poſſunt, etiam *pignori dari* dicebantur. Quæ vero in pignus tradebantur, non hypothecæ data intelligebantur. Atque ita prorſus aliud erit *pignora*, vel *pignus dare*, aliud, *pignori*: quamvis ſciam hæc etiam confundi, & *pignus dari* legatur etiam de fundo, qui datur hypothecæ. Sed agimus de proprie loquutionis uſu, non de abuſu. *Pignus* ergo *datur* proprie, quod in manus traditur, *pignori* vero quod hypothecæ nomine obligatur. Ideo utrumque aliquando adjiciebatur in rebus ſoli, quæ obligabantur, ut diceretur, *ea pignori hypothecave dari*. Marcianus leg. XII D. Qui potiores: *A Titio mutuatus, pactus eſt cum illo, ut ei prædium ſuum pignori hypothecave eſſet*. Sed & ſimpliciter paſſim apud Juriſconſultos, ager, fundus, prædium *pignori data* occurrunt, quod idem eſt, atque *hypotheca data*. At ſi quis dicat, pignus ſe dediſſe vel

hypo-

hypothecam creditori, aut creditorem à debitore accepiſſe *pignora*, vel *hypothecas*, tunc *hypotheca* nomine res immobilis erit intelligenda, *pignoris* vero appellatione res mobilis. Papinianus leg. II D. de pignoribus hypothecis, *Fidejuſſor qui pignora, vel hypothecas ſuſcepit, atque ita pecunias ſolvit.* Id eſt, ἐνέχυρα ἢ ὑποθήκας, vel quod idem eſt, res mobiles pignori datas, aut immobiles. Quinetiam ipſe titulus Digeſtorum, *de pignoribus & hypothecis*, ita eſt intelligendus, ut pignora ſint res mobiles pignori datæ, hypothecæ vero res ſoli oppigneratæ. Qui *hypothecam* accipit, prædium omnino accipere cenſendus, qui *pignus*, rem mobilem. Doctiſſimus Juriſconſultus in commentario verborum juris, hanc ſe alteram reperiſſe jactat inter pignus & hypothecam differentiam, quod illud & pro rebus obligatis & pro ipſo obligationis contractu ſæpe uſurpatur, hæc vero tantum pro rebus ſuppoſitis. Quod falſum eſt. Cum *pignus* dicitur *dari*, pro re obligata certum eſt accipi, eaque mobili. At cum *pignori* aliquid *dari* dicitur, pro ipſa obligatione & nexu accipitur. Nam & prædia ſic pignori dari dicuntur, quæ obligantur. Quod ſi pignus ibi acciperetur pro re ipſa obligata, tum nulla foret inter pignus & hypothecam differentia. Quod autem ait in hypotheca aliud eſſe, & tantum pro re obligata ſumi, non verum poteſt eſſe. Nam & *hypotheca datum* cum aliquid dicimus, tum hypotheca ipſa eſt obligatio, cum vero *hypothecam datam*, aut *acceptam*, rem ipſam eamque immobilem proprie intelligi, quæ pignori, vel hypothecæ data eſt, plane conſtat. Certum tamen eſt, etiam *hypothecam dare*, & *accipere* dici, cum res hypothecæ tantum datur, id eſt, obligatur. Sic enim & Græci λαβεῖν ὑποθήκην dicunt, cum res accipitur in hypothecam, licet non tradatur, ſed obligetur tantum hypothecæ titulo. Lex XXXIV D. de pignoribus, διανεισάμενος παρά σου δηνάρια πεντακόσια,

παρε-

παρεκάλεσά σε, μὴ βιβαιωτὴν, ἀλλ᾽ ὑποθήκην παρ᾽ ἐμοῦ λαβεῖν. Sequitur enim de taberna & ſervis hypothecæ datis. Juriſconſultus, autem qui hypothecam pro ipſa re tantum obligata poni dixit, non meminerat hypothecæ tacitæ. Quo nomine vix aliud poteſt intelligi, quam obligatio. Sed & optimæ Gloſſæ ὑποθήκην, *obligationem* interpretantur. Hypotheca igitur tam de ipſa re quæ obligata eſt, uſurpatur, quam de obligatione. Nec aliud eſt de pignore. Arabes ſimiliter الرهن vocant & detentionem ipſam pignoris, & rem quæ detinetur. De quo infra. Tabula marmorea Græca, quæ extat Venetiis: καὶ εἰς ἄλλα χωρία ἐξουσίαν ἐχόντων διδόντες ἀσφαλεῖς ὑποθήκας. Paulo poſt ἐγγαίους ὑποθήκας eas appellat, quæ in fundis ac prædiis dabantur. Vides δίδοσθαι ὑποθήκας, dici de fundis, qui tamen non traduntur, ſed hypothecæ tantum obligantur. Sic & λαβεῖν ὑποθήκην, paulo ante apud Scævolam, de taberna hypothecæ titulo obligata. In quibus loquutionibus poteſt & illud exiſtimari, ὑποθήκας non eſſe obligationes, ſed res ipſas quæ obligantur, præcipue cum vetus inſcriptio ἐγγαίους ὑποθήκας appellat, id eſt, hypothecas, quæ ſolo continentur, quo nomine prædia tam urbana, quam ruſtica deſignari palam eſt. Sic Ciceroni *hypothecæ* pro ipſis prædiis. Dicere hic aliquis poſſet, ὑποθήκας eſſe ipſas obligationes, & ἐγγαίους in ea inſcriptione accipi pro non terreſtribus, aut ſolo contentis, ſed pro ſecuris, quia ἀσφαλεῖς ὑποθήκας eaſdem appellet, quas alio loco ἐγγαίους. Docuimus autem ſupra, ἔγγαιον, & ἔγγυον, pro ἀσφαλεῖ Græcis uſurpari. Sed hoc nihili. Hypothecæ ipſi ſunt fundi, qui obligantur. Et licet non tradantur creditori poſſidendi, nihilominus tamen dari dicuntur cum obligantur. Nam & *teneri* à creditore dicuntur, quæ non poſſidet, ſed jure tantum hypothecæ habet obligata. Ita Græci κρατεῖσθαι & κατέχεσθαι dicunt de his, quæ à creditore hypothecæ

pothecæ titulo tenentur. Quinimmo & ipſe debitor teneri dicitur, qui obligatus eſt, & fidejuſſor, qui pro eo ſpopondit, ut ex Caio obſervabamus in priore libro. Cum itaque teneantur hypothecæ, id eſt, fundi, quos obligatos habet creditor, accipere illas dici poteſt, quæ ſic tenendæ dantur, & debitor eas dare. Cicero Epiſt. lib. XIII; *Præterea Philotas Alabadenſis ὑποθήκας Cluvio dedit, hæ commiſſa ſunt.* Quis non diceret, traditas ad poſſidendum creditori has eſſe hypothecas? Immo non eſſe, ſed penes debitorem manſiſſe, quæ ſtatim ſequuntur, oſtendunt: *Velim cures, ut aut de hypothecis decedat, eaſq; procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam ſolvat.* Nihilominus certum, eſt hypothecam, pro ipſa obligatione & nexu poni, non ſolum pro rebus oppoſitis, ut doctiſſimus Juriſconſultus pertendit. Notandum in illa inſcriptione Græca, ἀσφαλεῖς dici hypothecas, quæ ſunt ἔγγαιοι, & ſolo continentur, ut ſunt ædes & fundi. Plus tamen ſecuritatis in pignoribus eſſe Juriſconſultis noſtris viſum eſt, quam in hypothecis, ut colligere eſt ex leg. LIX D. mandati, ubi Paulus reſpondiſſe dicitur, *non videri paruiſſe conditioni mandati, qui idoneam cautionem à debitore exigere juſſus, neque fidejuſſorem, neque pignora accepiſſet.* Ergo minus idonea cautio hypothecæ, quam pignora, id eſt, quæ nuda tantum conventione obligantur, quam quæ traduntur. Quod ſi verum eſſet, per ἐγγαίους ὑποθήκας dicendum foret non fundos intellexiſſe auctorem inſcriptionis hypothecæ datos, ſed hypothecas ſecuras & idoneas, quas ἀσφαλεῖς antea dixit. Nam ἔγγαιον & ἔγγυον idem, ut jam ante diximus. Et ſane Græci vetuſtiſſimi ὑποθήκης nomine omnia intelligunt, quæ debitor ſubjicit & obligat creditori, ſive mobilia ſint, ſive immobilia, ut paulo poſt docebimus. Inde hanc addunt doctores ad ſuperius adnotatas differentiam pignoris & hypothecæ apud Latinos Juriſconſultos, quod pignus ad ſecuritatem magis

idoneum

idoneum habeatur, quam hypotheca. Quod an verum ſit, paulo poſt videbimus. Interim miror, Marcianum ſcripſiſſe, pignus & hypothecam ſolo nominis ſono differre. Hypothecæ etiam pignori dari dicuntur; non contra pignora vice hypothecæ obligari. certe non ita loquuntur Latini auctores, ac Juriſconſulti præcipue. Quantum ad *quaſi Servianam* attinet, ſive hypothecariam, Caius in Inſtitutis tradit, inter pignus & hypothecam nihil intereſſe. *Quaſi Serviana* autem eſt, qua creditores pignora hypothecasve perſequebantur. Unde & hypothecaria eadem, pigneratitiaque actio dicebatur. Sed in aliis, inquit Caius, ubi *quaſi Serviana* locus non datur, differentia eſt pignoris & hypothecæ. *Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, qua ſimul etiam traditur creditori, maxime ſi mobilis ſit. At eam qua ſine traditione nuda conventione tenetur proprie hypotheca appellatione contineri dicimus.* Theophilus proprietatem verborum ſequutus, ita hæc interpretatur: Μεταξὺ δὲ ἐνεχύρου, καὶ ὑποθήκης, ὅσον ἐπὶ τῷ κινῆσαι μὲν τὴν quaſi Servianam, οὐδεμία ἐστὶ διαφορά· εἴτε γὰρ ἐνεχυράσας μοι, εἴτε ὑποθεὶς τὸ σεαυτοῦ πρᾶγμα σὺ ὁ δεβίτωρ ὑπὲρ ὧν ἐδανείσω, ὀρθῶς κινήσω τὴν *quaſi Servianam*. An igitur Marcianus, cum nullum eſſe diſcrimen niſi ex ſono nominis inter pignus & hypothecam dixit, de *quaſi Serviana* intellexit? Quod cum omiſerit Tribonianus, contrariam affinxit Marciani menti ſententiam? Ne video quidem rationem, cur ſcripſerit Caius, nullam quantum ad actionem hypothecariam intereſſe differentiam inter pignus & hypothecam, in aliis intereſſe. Nec enim *quaſi Serviana* ſuſtulit diſcrimen pignoris, & hypothecæ, ſed illa actione, tam pignora, quam hypothecas perſequi creditori permiſit. Quo etiam nomine clare inter pignora & hypothecas diſtinxit, cum utriuſque perſequutionem, una eademque actione conceſſit creditoribus. Niſi tamen ita intellexerit

tellexerit Marcianus, reſpectu nimirum *quaſi Serviana* idem eſſe pignus & hypothecam, neſcio quid ſequutus ſit, præcipue adeo conſtante conſenſu aliorum Juriſconſultorum in his diſtinguendis. Cum enim ex iis quæ ſunt pro debito creditori obligata, alia tradi ſoleant, alia non tradantur, & hæc ſine traditione teneantur nuda conventione, de his obtinuit in jure, ut *hypotheca* dicerentur, de illis ut *pignora*. Quod tamen *pignoris* nomen, cum de obligatione ipſa accipitur, etiam ad hypothecam extenditur, & non contra, præcipue apud Latinos Juriſconſultos. Hinc *pigneraticia actio*, quæ datur debitori ad recuperandum à creditore pignus, non dicitur etiam *hypothecario*, quia *hypotheca*, vel res hypothecæ data, quæ nuda conventione obligata fuit, cujuſque poſſeſſio non tranſiit ad creditorem, fruſtra hac actione repeteretur, quæ competit illi tantum, qui rem ſuam tradidit poſſidendam creditori. Sic *pigneraticius* creditor differt ab *hypothecario*. Ut generalior tamen eſt appellatio pignoris, quam hypothecæ, quatenus & *pignori dari* dicuntur agri & fundi, quæ non traduntur, hypothecæ etiam generis nomine viderentur appellari poſſe pignora, non & contra quæ proprie pignora ſunt, in nomen hypothecarum tranſire. Sic ergo omnino acceperim vocem *pignora* apud Paulum leg. LIX D. mandati; *Paulus reſpondit, non videri mandati conditioni paritum, cum in mandato adjectum ſit, ut idonea cautio à debitore exigeretur, ſi neq; fidejuſſor, neq; pignora accepta ſint.* Non enim heic ſequor doctores noſtros, qui de ſolo pignore, non etiam de hypotheca accipiendum putāt. Quaſi vero, qui hypothecæ aliquid accipit, non idonee cautum ei videri queat. Et notandus inſignis hic error noſtrorum doctorum, quibus perſuaſum eſt, ſed nulla ratione, plus eſſe ſecuritatis creditori in pignoribus traditis, hoc eſt, in rebus mobilibus, quam in fundis hypothecæ datis. Atqui contrarium veriſſi-

mum eſt. Quis enim credat, rem mobilem, furtis obnoxiam, quæ & deperire apud creditorem poteſt, & ad quam cuſtodiendam exactam diligentiam adhibere debet, magis eum ſecurum facere, quam fundos qui non poſſunt interire? Certe & in veteri Græca inſcriptione hypothecæ fundorum, dicuntur etiam ἀσφαλεῖς, quia maxime ſunt ſecuræ, & longe ſecuriores pignoribus rerum mobilium, quæ deponuntur apud creditorem. Per pignora igitur accepta palam eſt Paulum, tam hypothecas, quæ & accipi dicuntur & nomine etiam pignorum ſignificantur, intellexiſſe, quam pignora rerum mobilium. Utriſque datis idoneam cautionem acceptam, ut & ſi datus eſſet fidejuſſor, viſum eſt veteribus Juriſconſultis. Adeo autem iidem exiſtimarunt magis majorem eſſe ſecuritatem in hypothecis, ut *fiduciæ* nomine eas proprie cenſuerint appellandas. De quo inferius. In hoc igitur caſu hypotheca & pignus idem ſunt. Si hoc Marcianus voluit, certe pignus & hypotheca ſolo nominis ſono differunt. Nam & *pigneratus fundus* dicitur, & *pigneraticius*, qui in eo hypothecam habet, *creditor*. Quidni ergo & *pignus* dici poſſet ipſe fundus, ut & hypotheca? Sic *pignus inſulæ* dixit Papinianus leg. I D. In quibus cauſis pignus. Ipſe Marcianus, *prædium pignori hypothecave eſſe* ſcripſit. Quod & apud alios occurrit. Modeſtinus leg. XXXIX D. de pigneraticia, fundum pignori datum, etiam *pignus* appellavit: *Gaius Seius ob pecuniam mutuam fundum ſuum Lucio Titio pignori dedit, poſtea pactum inter eos factum eſt, ut creditor pignus ſuum, in compenſationem pecuniæ ſuæ, certo tempore poſſideret.* Titulus eſt in ſententiarum lib. II apud Paulum, *de commodato, & depoſito, pignore fiduciave.* Quod interpretor, de pignore hypothecave. Nec pote aliter. Nam & *fiducia* in Gloſſis exponitur ὑποθήκη. De quo paulo poſt. Sequitur ſtatim apud eumdem Tit. V *de pignoribus.* Et pignorum nomine etiam

etiam hypothecas ipſum comprehendiſſe plane mihi perſuadeo, etſi nihil Epitomator ſub illo titulo reliquerit quod ad hypothecas proprie pertineat. Nam nec ſub priore titulo quidquam eſt quod ad pignus & fiduciam ſpectet. Nec aliter exponendus titulus Theodoſiani codicis, qui *de pignoribus* tantum cõceptus eſt, quo nomine & hypothecas intellexiſſe illum, qui ejus auctor fuit, vero verius eſt. Nam lex ſecunda, quæ ſub illum titulum relata eſt, vetat nexum fieri prædiorum niſi à perſona, quæ jure poſſit obligari. Potuit & Juſtinianus in titulo Codicis inſcribendo contentus eſſe ἐπιγραφῇ *de pignoribus*, abſque *hypothecis*. Ita ergo *pignora* eidem Paulo D. mandati hypothecas etiam ſignificant, & qui pignora accepit, pignori obligata prædia accepiſſe exiſtimatur, quæ prædia ſic obligata etiam *hypotheca* vocantur. Favet & Marciani ſententiæ, quod & Græci τὰ ἐνέχυρα, etiam ὑποτίθεσθαι dicunt. Phrynichus in Ecloga dictionum Atticarum: Ὑποτίθησι μὲν δανειζόμενος τὰ ἐνέχυρα, ὑποτίθεται δὲ ὁ λαμβάνων. Inde & apud Heſychium ὑποθήκη etiam ἐνέχυρον exponitur: Ὑποθήκη, παραίνεσις, διδασκαλία, ἢ ἐνέχυρον, ἢ συμβολή. Certe & ὑποθήκην λαβεῖν, iidem Græci dicunt de his qui pignus traditum accipiunt. Quodcunque obligatur pro debito, ſive tradatur, ſive tantum conveniat ut obligatum ſit ſine traditione, de eo Græci ὑποτίθεσθαι dicunt cum creditor accipit, & ὑποθεῖναι cum debitor dat. Unde ὑποθήκη tã de pignore, quam de hypotheca dicēda, ſi origo nominis reſpiciatur. Latinitas media *ſupponere res*, pro obligare pignori hypothecæve, at vetuſtiores *opponere* ſimpliciter dixere, quod Græcis ὑποθεῖναι. Hinc jocus ille Catulli:

Furi, villula noſtra non ad auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Favoni,
Non ſævi boreæ, aut apeliotæ,
Verum ad millia quindecim ac ducenta.
Dii ventum horribilem atque peſtilentem!

 Sene-

Seneca lib. vii de beneficiis: *Puta cum captus eſſes me pecuniam mutuatum, rebus meis in ſecuritatem creditoris oppoſitis.* Alia ſexcenta poſſent proferri, quæ omitto. Nec aliter loquutos eſſe veteres Juriſconſultos, qui puriſſimo ſermone Latino uſi ſunt, abunde nobis ex eorum ſcriptis conſtaret niſi à Triboniano interpolata eſſent. Is enim ubicunque *oppoſita* bona pro oppigneratis apud Juriſconſultos, quos compilabat, reperit, *ſuppoſita* repoſuit, quia id ex Græciſmo illius temporis magis uſitatum. Nam Græcorum ὑποθεῖναι, quod eſt hypothecæ dare & obligare, ad verbum verterunt, *ſupponere.* Hinc titulum Digeſtorum, ita inſcripſit idem Tribonianus: *De rebus eorum qui ſub tutela, vel cura ſunt ſine decreto non alienandis, vel ſupponendis.* Nec dubito quin ſcripſerit Juriſconſultus, *vel opponendis.* Quod mutatum à Triboniano aliis etiam in locis reperies. Ita enim tunc loquebantur. Julianus Anteceſſor Conſt. xxxvi: *Non ſolum res ipſius, id eſt, matris, liberis ejus titulo hypothecæ ſupponantur.* Idem Conſt. lib. cxl: *Liceat adminiſtratoribus rem immobilem ſupponere.* Et paulo poſt: *Res autem immobiles, quæ ab imperiali domo ad quemcunque religioſum locum pervenerunt, vel poſtea pervenerint, nullo modo vendi, vel ſupponi, vel permutari, vel quocunque modo alienari concedimus.* Idque verbum hoc ſenſu ſæpiſſime occurrit apud alios auctores, qui ſub extremo imperio vixerunt. *Deponi* etiam dixere optimi Latinitatis auctores, quæ opponerentur, & oppignerarentur. Paulus lib. ii Sententiarum cap. de pignoribus: *Creditor ſi ſimpliciter ſibi pignus depoſitum diſtrahere velit, ter ante denuntiare debitori ſuo debet.* Græci quoque καταθέσθαι dicunt de re quæ pignoris titulo apud creditorem deponitur. Vetus inſcriptio tabulæ marmoreæ, quæ Venetiis extat, & quam paulo ante citavimus: Τῶν συγγενῶν μὴ ἐχέτω ἐξουσίαν μηθεὶς, μηδὲ ἀποδόσθαι τὸ μνημεῖον, μήτε τὸ τύμβος

τέμενος τῶν ἡρώων, μήτε τι τῶν πραγμάτων τῶν ἐν τῷ μυσείῳ, μηδὲ τῶν ἐν τῷ τεμένει, τούτων μηδὲν μηδὲ καταθέμενον μήτε διαλλάξασθαι, μήτε ἐξαλλοτριῶσαι τρόπῳ μηδενὶ, μηδὲ παρευρέσει μηδεμιᾷ. *Horum ne cui liceat ex conſanguineis, vendere, deponere,* hoc eſt, oppignerare, permutare, *neque quocunque modo, atque adinventione alienare.* Et certe vere deponuntur apud creditorem pignora debitoris, quibus & cuſtodiendis exactam debet adhibere diligentiam. *Poni* ſimpliciter eam, quæ ſic opponerentur, & obligarentur, dicebant. Juvenalis:

— Viginti millia fœnus
Pignoribus poſitis. —

Attici quoque θεῖναι ἐνέχυρον, ponere apud creditorem, vel deponere. Hinc lex apud illos, quæ prohibebat, ὅπλα ἐνέχυρα μὴ τιθέναι. Ariſtophanes in Pluto:

Πλοῖον γὰρ οὐ θύραζε, ποίαν ἀσπίδα
Οὐκ ἐνέχυρον τέθηκεν ἡ μιαρωτάτη;

Inde & θέμα pro pignore, ut infra dicam. Anianus: *Si quis creditor debitore in ſolutione tardante, rem ſibi pro debito poſitam diſtraxerit.* Etiam Græci recentiores, ne mireris de Latinis, τιθέναι ἐνέχυρα dixere, *ponere pignora.* Liber Leonis & Conſtantini tit. XXII: Ἐὰν ὁ δανεισάμενος ἐνέχυρα τέθεικεν. Inde & κεῖσθαι ἐνέχυρα Atticis pro ὑποκεῖσθαι. Apud Demoſthenem contra Euergum, τὰ μὲν ἐνέχυρα κεῖται αὐτῶν, τὰ δὲ πέπραται. Sed *deponi* quidem proprie locum habuit in his, quæ traderentur creditori, pignoribus. *Poni, opponi,* & *ſupponi,* etiam in his quæ tantum obligarentur, ut & Græcorum ὑποτίθεσθαι. Nam & θεῖναι ὑποθήκην, æque atq; ἐνέχυρον dixere. Iidem autem, & præcipue vetuſtiores, ὑποθήκης nomine omne quod opponeretur creditori in ſecuritatem debiti, ſive traderetur, ut mobilia, ſive obligaretur tantum, ut prædia, vocarunt. Et ὑποθήκην quidem θεῖναι dicebatur debitor, qui rem ſuam oppignerabat; θέσθαι ὑποθήκην, cui oppoſita erat, creditor. Pollux: Ὑποθήκην θεὶς, ὁ δανειζόμενος. ὑποθή-

κλω θέμενος ὁ δανείζων χρέα. Sic aliud eſt τιθέναι νόμον, aliud τίθεσθαι. Legiſlator qui legem fert, eam τίθησι. Populus cui fertur, & qui accipit, τίθεται. Ammonius: Τίθησι μὲν τὸν νόμον ὁ νομοθέτης, τίθενται τὸν νόμον οἱ δικάζοντες καὶ οἱ αἱρούμενοι. Eadem differentia eſt inter ὑποτιθέναι τὰ ἐνέχυρα & ὑποτίθεσθαι, ut ex Phrynicho ſupra notavimus: Ὑποτίθησι μὲν δανειζόμενος τὰ ἐνέχυρα, ὑποτίθεται δὲ ὁ λαμβάνων. Atque ita ſcriptores Attici paſſim loquuti ſunt. Demoſthenes contra Timotheum: Ἀλλὰ γὰρ ὑποθέσθαι φησὶν αὐτὸν χαλκόν. *Sed & pignori accepiſſe as ipſum dicit.* Male doctiſſimus interpres vertit, *oppigneraſſe.* Nam ὑποθεῖναι χαλκὸν id ſupra dixit, *as oppignerare.* Καὶ ὑποθεῖναι τούτου τοῦ ἀργυρίου τῷ πατρὶ τῷ ἐμῷ χαλκόν. *Et pro hoc argento patri meo as oppoſuiſſe.* Lege tamen LX D. Mandati, ὑποτίθεσθαι dicitur, non ὑποτιθέναι, qui pignori res obligat: Ἐπιτρέπω σοι περὶ πάντων ἐμῶν, ὡς θέλεις πραγματεύεσθαι, εἴτε πωλεῖν θέλεις, εἴτε ὑποτίθεσθαι, εἴτε ἀγοράζειν, εἴτε ὁτιοῦν πράττειν. Ubi ὑποτίθεσθαι perperam vulgo vertunt *paciſci.* Nam ὑποτίθεσθαι eſt oppignerare, poſitum pro ὑποτιθέναι. Poſſet tamen accipi etiam pro pignori accipere, ut revera ſignificat pure loquentibus. Cui igitur permiſſum eſt negotiari ex alienis rebus, ita ut vendere & emere queat ejus nomine à quo hanc poteſtatem accepit, quidni & pecuniam mutuam dare queat ejus vicem, & pignora, vel hypothecas accipere? Ita ſane intelligendum illud ὑποτίθεσθαι ſi grammatice loquutum auctorem volumus. Sed cum Græci Juriſconſulti paſſim ὑποτίθεσθαι pro *oppignerare* uſurpent, ita plane & hic vertendum, ut poſitum ſit pro ὑποτιθέναι. Liber Romanus apud Harmenopulum lib. III, cap. V: Ἐὰν πρᾶγμα ἀλλότριον ὑπέθετό τις, εἶτα δεσπόσῃ αὐτοῦ μετὰ ταῦτα, οὐδὲν ἧττον ἰσχυρῶς ἔδοξεν ὑποτίθεσθαι αὐτὸ ἐξ ἀποτελέσματος. Antiquus auctor dixiſſet, ἐὰν πρᾶγμα ἀλλότριον ὑπέθηκέ τις, & ἔδοξεν ὑποθεῖναι. Demoſthenes in ea adverſus Timotheum:

motheum : Δάνεισμα ποιεῖται ἰδίᾳ παρ' ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἑπτὰ μνᾶς, καὶ ὑποτίθησιν αὐτοῖς τὴν οὐσίαν, ἧς νῦν αὐτοὺς ἀποστερεῖ, καὶ τοὺς ὅρους ἀνέσπακε. Hæc hypotheca rei eſt immobilis, cum mentio fiat ὅρων revulſorum, id eſt, titulorum, qui affixi erant ex more prædiis oppigneratis. Idem in oratione πρὸς Λακρίτου παραγραφήν, de vini amphoris hypothecæ datis: Μετὰ δὲ ταῦτα ἐστὶν ἐν τῇ συγγραφῇ, ὅτι ὑποτιθέασι ταῦτα ἐλεύθερα, καὶ οὐδενὶ οὐδὲν ὀφείλοντες, καὶ ὅτι οὐδ' ἐπιδανείσονται ἐπὶ τούτοις παρ' οὐδενός.. Verba ipſa ſyngraphæ ita habebant: Ὑποτιθέασι δὲ ταῦτα οὐκ ὀφείλοντες ἐπὶ τούτοις ἄλλῳ οὐδενὶ οὐδὲν ἀργύριον, οὐδ' ἐπιδανείσονται. In ea ſyngrapha cavetur, ut debitores vini κεράμια tot, quæ pignori erant obligata, in Pontum deveherent, merceſque quas iis divendidis Athenas eſſent inde revecturi, hypothecæ eſſent creditori, & in ejus poteſtate donec creditum eſſet diſſolutum : Καὶ παρέξουσι τοῖς δανείσασι τὴν ὑποθήκην ἀνέπαφον κρατεῖν ἕως ἂν ἀποδῶσι γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφήν· ἐὰν δὲ μὴ ἀποδῶσιν ἐν τῷ συγκειμένῳ χρόνῳ, τὰ ὑποκείμενα, τοῖς δανείσασιν ἐξέστω ὑποθεῖναι, καὶ ἀποδόσθαι τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς. Si non die ſua ſolviſſent debitores, licitum erat creditoribus ex ſyngrapha, merces quas pro vino oppignerato comparaverant, ipſas quoq; pigneratas diſtrahere. Hæ merces nomine pignorum Latinis vocarentur Juriſconſultis, quæ ſunt ὑποθῆκαι. Nam revectas illas è Ponto tradere creditori tenebantur ex pacto convento ſyngraphæ, ut ſi non ſolviſſent ad diem, creditor eas diſtrahere poſſet, & pretio inde redacto ſuum recuperare. Quod ſi minus haberent ex pretio pignorum diſtractorum, quam in ſumma debiti eſſet, licebat ex aliis debitoris bonis, qua mobilibus, qua immobilibus ubicunque forent, divenditis, quod deeſſet integræ ſolutioni, ſupplere : ἔστω ἡ πρᾶξις τοῖς δανείσασι, καὶ ἐκ τούτων ἁπάντων καὶ ἐγγείων, καὶ ναυτικῶν, πανταχοῦ ὅπου ἂν ὦσι, καθάπερ δίκην ὠφληκότων, καὶ ὑπερημέρων ὄντων. Merces igitur pignori

oppoſitæ, poſt reditum navis tradebantur fœneratori. Quod ex his verbis liquet ex Demoſthenis exceptione contra Lacritum: Ἕως δ' ἂν ἀποδῶσι, κρατεῖν τῶν χρημάτων ἁπάντων ἡμᾶς, καὶ ἀνέπαφα παρέχειν ταῦτα, ἕως ἂν ἀπολάβωμεν. Repræſentare eas debebant & exhibere tradereque intactas. Φανερὰ ποιῆσαι dicebant, & ἀνέπαφα παρέχειν, ut habetur paulo poſt in eadem oratione. Item τὸ ἐνέχυρον καταστῆσαι εἰς τὸ ἐμφανές, in ea contra Dionyſodorum: Ὑμῖν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, δανείσασι οὐδέπω νῦν, οὔτε τὰ χρήματα ἀποδίδωσι, οὔτε τὸ ἐνέχυρον καθίστησιν εἰς τὸ ἐμφανές. Hinc nomen actionis apud Athenienſes proditæ, εἰς τὸ ἐμφανὲς κατάστασις, qua exhibere in re præſenti aliquis interpellabatur rem de qua eſſet controverſia. Quæ non ſolum in pignoribus, ſed in aliis rebus quæ erant repræſentandæ locum habuit. Harpocration: Εἰς ἐμφανὲς κατάστασις, ὄνομα δίκης ἐστὶν ὑπὲρ τοῦ τὰ ἀμφισβητήσιμα εἶναι ἐν φανερῷ. Vulgo peſſime legitur, εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν. De pignoribus exhibendis in rem præſentem ea maxime recepta. Quod hic εἰς τὸ ἐμφανὲς καταστῆσαι, dixit. Idem paulo poſt, in eadem, hæc dicit, παρασχεῖν τὰ ὑποκείμενα ἐμφανῆ καὶ ἀνέπαφα, *Tradere pignori obligata, manifeſta, & intacta.* Quod & παρέχεσθαι ὑποθήκας & παρασχεῖν, in ea contra Phormionem, dicitur, οὔτε γὰρ τὴν ὑποθήκην παρέσχε, οὔτε τὰ χρήματα ἐνέθετο εἰς τὴν ναῦν. Et alio loco in eadem: Ὑμεῖς γάρ ἐστε οἱ αὐτοί, οἱ τὸν ἐπιδεδανεισμένον ἐκ τῆς ἐμπορίας πολλὰ χρήματα, καὶ τοῖς δανεισταῖς οὐ παρασχόντα τὰς ὑποθήκας, θανάτῳ ζημιώσαντες. *Vos enim iidem eſtis, qui morte multandum eum judicaviſtis, qui non traderet hypothecas, & pecuniam ſub iiſdem ab aliis ſumeret mutuam.* Qui enim non tradebant hypothecas creditori, ſicut in ſyngrapha convenerat, ad hoc eas retinebant, ut poſſent & aliis eas obligare. Quod ἐπιδανείζεσθαι dicebatur. Nam δανείζεται ἐπὶ ὑποθήκῃ, vel ἐνεχύρῳ, qui ſub pignore, vel hypotheca pecuniam mutuatur. Pignus illud vel illam hypo-

hypothecam, ſi in re mobili, & quæ tradi poſſet, conſiſteret, tenebatur ex ſyngrapha liberam præſtare, & nulli obligatam, & in re præſenti exhibere, cavebaturque eadem ſyngrapha, ne pecuniam iterum ab alio ſub eadem hypotheca, vel pignore accipere ei liceret, quod erat ἐπιδανείζεσθαι. In exceptione contra Lacritum: Μετὰ ταῦτα ἐστὶν ἐν τῇ συγγραφῇ, ὅτι ὑποτιθέασι ταῦτα ἐλεύθερα, καὶ οὐδενὶ οὐδὲν ὀφείλοντες, καὶ ὅτι οὐδὲ ἐπιδανείσονται ἐπὶ τούτοις παρ' οὐδενός. *Praterea in ſyngrapha habetur, quod hac libera oppignerant, & nemini quidquam debentes, & quod ſub iiſdem hypothecis à nemine inpoſterum aliquid mutuabuntur.* Ita in jure Romano in pacto convento, quo pignus contrahebatur, ſæpe exprimi ſolebat, *rem qua pignori dabatur, nulli alii eſſe obligatam.* Hoc eſt, ut Græci loquebantur, ἐλεύθεραν. In eadem oratione: Καὶ παρέξουσι τοῖς δανείσασι τὴν ὑποθήκην ἀνέπαφον κρατεῖν. *Et tradent creditoribus hypothecam intactam, & integram poſſidendam ac detinendam.* Hæc ὑποθήκη de rei mobilis pignore intelligenda. Apud Ariſtotelem in Oeconomico ſecundo, pretium olei pro hypotheca eis, qui oleum crediderant, oppigneratur. Clazomenii in magna caritate annonæ, & pecuniæ raritate decretũ fecerant, ut quod quiſq; civium olei haberet, cujus in ea civitate magnus ſolebat eſſe proventus, id reipublicæ fœneraretur, δανεισάντων δὲ μισθωσάμενοι πλοῖα ἀπέστελλον εἰς τὰ ἐμπόρια ὅθεν αὐτοῖς ἧκε σῖτος, ὑποθήκης γενομένης τῆς τοῦ ἐλαίου τιμῆς. *Cum cives oleum quod habebant publico fœnerati eſſent, conductis navigiis miſſum eſt ad ea emporia unde ipſis frumentum advehebatur, oppoſito olei pretio.* Quomodo hæc intelligenda? Cives oleum reipublicæ fœnerantur ſub hypotheca pretii, quo oleum vendetur in emporiis. Ad frumentum autem coëmendum pretium illud deſtinabatur. An & frumentum quod olei pretio coëmptum fuerat, eiſdem oppigneratum fuit? Ita ſane oportuit. Sed illud frumentum

rurſus privatis, qui egebant, ex publico vendendum erat, aut gratis diſtribuendum. Ubi tunc hypotheca privatorum, qui oleum fœneraverant? Aut quomodo ex more ac jure hypothecarũ, *εἰς τὸ ἐμφανὲς* illam potuiſſent ſiſtere ac repræſentare? An hoc voluiſſe videtur Ariſtoteles, civitatem ob oleum acceptum fœnore, non in aliud pro eo fuiſſe civibus illis qui dederant obligatam, quam quanti foret venditum in emporiis? Quod pretium olei cum pro ſorte eſſet, ejus uſuras ſe perſoluturam reſpublica creditoribus promiſerat. Poſſet tamen dubitari an æſtimatum fuerit oleum eo pretio, quo venale fuit in ipſa civitate Clazomeniorum, priuſquam navibus exportandum curaret magiſtratus ad eas regiones ex quibus frumentum pro eo devehendum mandaverat. Sed quocunque tempore & loco æſtimatio olei facta fuerit, ſive in urbe Clazomenis, ſive in emporio ipſo, quo ad mercatum frumenti miſerant, pretium olei oppigneratum oportuit privatis, qui mutuum oleum dederant. Sed & frumentum ex eo coëmptum. Hoc enim jure etiam utebantur tunc Attici. Si quis mercatori, aut naviculario in mercatum proficiſcenti pecuniam fœneratus eſſet ſub pignore, vel hypotheca mercium, quas ille mercator peregre vendundas portabat, merces, ſi quas inde reveheret permutatas illis quas eo invexerat, aut pecunia ex iis venditis redacta, pignori manebãt creditori obligata. Et ſive merces alias, ſive pecuniam ex mercibus factam eadem navi reportaſſet, neceſſe habebat, eas creditori repræſentare *εἰς τοὐμφανὲς*, donec ſolviſſet. Idque ſyngrapha caveri ſolebat. Demoſthenes in ſyngrapha Androclis: *Καὶ ἀπάξουσι τὰ χρήματα ἐκ τοῦ οἴνου ἀντιφορτισθέντα πάλιν Ἀθήναζε ἐν τῷ αὐτῷ πλοίῳ ἅπαντα, σωθέντων δὲ τῶν χρημάτων Ἀθήναζε, ἀποδώσουσιν οἱ δανεισάμενοι τοῖς δανείσασι τὸ γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφήν.* Fœneratores illi pecuniam crediderant ſub pignore vini, quod vinum mercatores Athenienſes Mendæ coëmere

mere ex ea pecunia parabant, & inde in Boſporum illud vectare, ibique diſtrahere. Res quas pro eo vino ibidem emere in animo habebant & in naves onerare, quod ἀντιφορτίζεσθαι dicebatur, ſibi pro debito pignori eſſe, Athenas eadem navi revehendas, creditores illi ſyngrapha caverant. Ita & Clazomenii cives oleo civitati mutuo dato, pretium olei, quo æſtimatum fuit in urbe priuſquam exportaretur, vel quo venditum eſt peregre, ut eo frumentum nomine reipublicæ coemeretur, pignori acceperunt. Nec dubitum quin & frumentum inde coëmptum ipſis obligatum fuerit, ut & pretium, quo deinde Clazomenis à republica venditum fuit. Omnino Atticis ὑποθήκη tam rem mobilem, quam immobilem, quæ pro debito obligatur, atq; ex vi verbi ſupponitur creditori, ſignificat, ipſamque adeo obligationem, ut videtur in illo Ariſtotelis loco, ubi cives Clazomenarum urbis, ὑποθήκην habent in rebus quæ ad rempublicam pertinent, ejus ſummæ qua oleum, quod fœnori dederant, fuerat divenditum. Ergo & ἐνέχυρον ipſis etiam ὑποθήκη eſt, quatenus & ipſum obligatur, & ſubjicitur creditori. Sed omne quod obligatur, apud ipſos non dicitur ἐνέχυρον, cum eo nomine iis veniat tantum, quod poteſt ἐνέχεσθαι, id eſt, κρατεῖσθαι & κατέχεσθαι, ut ſupra docuimus. Aperte ea diſtinguuntur in oratione adverſus Timotheum: Ὅτι δὲ οὐκ ἐμπορῶν οὗτος ἐξέπλει ἐνθένδε, ἴστε μὲν καὶ αὐτοί, ὅσοις αὐτοῦ ἡ οὐσία ἐφωρισμένη ἦν, οὓς νῦν ἀποστερεῖ· ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι καὶ ἄνευ ἐνεχύρων ὤφειλέ τισι τῶν πολιτῶν οὐκ ἔχων ὑποθεῖναι τὰ ἄξια, ἀνάγνωθί μοι τὴν μαρτυρίαν. *Non admodum locupletem fuiſſe cum hinc enavigavit, vos quidem & ipſi ſcitis, quibus ejus prædia obligata erant, quos nunc fraudare vult. Vt vero etiam ſciatis, quod quibuſdam civium debuit ſine pignoribus, quia non habebat idonea quæ daret, teſtimonium recitetur.* Ubi obſervabis, & ἐνέχυρα dici ὑποθεῖναι. Ergo de his & ὑποθήκη dicitur. Οὐσίαν abſolute vocabant, quæ

in

in rebus ſoli conſiſtebat, ut antea diximus. Quod vel liquet ex hoc loco ubi ἐφωρισμένη ὐσία vocatur, quæ obligata eſt pro debito. Quod non poteſt intelligi niſi de immobilium ſubſtantia. Nam quia ὅροι imponebantur prædiis oppigneratis, inde ἐφωρισμένη ὐσία appellatur, quæ ὅρυς habet impoſitos, quibus obligata creditori ob æs alienum probatur. Legendum autem ἐφωρισμένη, non ut vulgo eſt ἀφωρισμένη. Nam ἐφορίζειν eſt ὅρυς imponere, hoc eſt, titulos, de quibus paulo poſt. Ὁρίζειν etiam ſimpliciter dicebant pro eodem. Pollux lib. IX, cap. I: Ὁ δὲ ὁρίζων ὁριστής, καὶ τὸ ὑπόχρεων χωρίον ὡρισμένον, καὶ ἡ ἐνεστηκυῖα στήλη, ὅρος. Ergo quod ſequitur & περὶ ἐνεχύρων, plane oſtēdit, ea dari ſolita in rebus tantum mobilibus, non in prædiis, quæ ſolerent ἐφορίζεσθαι. Idque etiam conſtat ex oratione contra eumdem Timotheum, ubi hæc verba habentur: Οὐ γὰρ δήπου ἄνευ γε σταθμοῦ ἔμελλεν οὐθ' ὁ ὑποθεὶς τὸν χαλκὸν παραδώσειν, οὐδ' αὖ πάλιν ἔμελλεν αὐτὸς οὔτε οἴσειν τὸν χαλκὸν οὔτι στήσεσθαι, ἀλλ' οἰκέται ἦσαν αὐτῷ, οἱ τὰ ἐνέχυρα τῶν δανεισμάτων παρελάμβανον. De æris certo pondere, quod obligatum erat pro debito, ibi ſermo eſt. Dicit, non niſi appenſum tradi ab eo qui obligaret debere, qui & ferendum domum creditoris curare deberet, & appendere, non ipſe creditor. Æs illud ita pignori obligatum, ad creditorem deferendum, eique tradendum, vel ejus famulis, qui ſolerent pignora rerum creditarum à debitoribus ſuſcipere, ἐνέχυρον vocat. Id & ὑποθήκη dici potuit, quatenus & ἐνέχυρον, hoc eſt, rei mobilis pignus etiam ὑποτίθεσθαι dicitur. At res immobilis, ut prædium vel fundus, quod tradi in manus non poteſt, ὑποθήκη quidem & ipſa eſt, quia ὑποτιθεῖσα eſt, ſed non ἐνέχυρον. Quidam tamen, ſed ex recentioribus grammaticis, ἐνέχυρον & pro ὑποθήκη uſurparunt. Ut Harpocration in voce ἀποτίμημα, his verbis: Εἰώθεσαν δὲ καὶ εἴ ποτε, ἐν γυναικὶ γαμουμένῃ προῖκα διδοῖεν οἱ προσήκοντες, αἰτεῖν παρὰ τοῦ ἀνδρὸς, ὥσπερ ἐνέχυρόν τι τῆς προικὸς ἄξιον,

οἷον οἰκίαν ἢ χωρίον. Fundus aut ædes quas vir dabat pignoris nomine, pro ſecuritate dotis, *ἐνέχυρον* appellat, cum proprie ſit *ὑποθήκη*. Atque ita recte vocat Pollux lib. III, cap. III: *Αἱ δὲ πρὸς τὴν προῖκα ὑποθῆκαι ἀποτιμήματα ἐλέγοντο.* Et notandum ex his, tutiores habitas hypothecas rerum immobilium, quam mobilium pignora. Nam pro dote non mobilia à marito expetebantur ad dotis ſecuritatem, ſed res ſoli, fundi aut ædes. Quæ *ἀποτιμήματα* ideo dicebantur, quia ſolebant æſtimari, ut æquivalentia doti darentur. Ita etiam vocabant pignora rerum mobilium, quæ exigebantur ab his qui pupillorum agros & domos conducebant. Vide Harpocrationem in eadem voce. Hypothecas autem pro dote non ſimpliciter *ἐνέχυρα* vocat, ſed *οἷον ἐνέχυρα*. Veteres certe Attici has voces, ita ut diximus, diſtinxerunt. Sic *ὑποθήκη* apud Græcos antiquos Atticoſque generis nomen erat, *ἐνέχυρον* ſpeciei, de ſolis mobilibus, quæ tradi in manum poſſent, oppigneratis. Contrarium eſt apud Romanos Juriſconſultos, quibus *pignoris* nomen generale eſt, tam ad immobilia, quam mobilia, quæ opponuntur creditoribus: hypotheca vero de ſolis tantum immobilibus uſurpatur, quæ ſola conventione ſine traditione oppignerantur. Sciendum tamen, hanc ſpecificam & propriam non fuiſſe apud Latinos Juriſprudentes pignoris & hypothecæ differentiam, quod hæc de immobilibus diceretur tantum, illud de mobilibus pariter & immobilibus, ſed quidquid ſine traditione obligaretur, nomine hypothecæ ipſis veniebat, etiamſi mobile eſſet. Quia vero res ſoli magis ſic ſolerent obligari ex nuda conventione, quandoquidē in manum tradi non poſſent, ideo *hypothecæ* ut plurimum de immobilibus oppigneratis dicuntur, *pignora* de mobilibus. Gaii verba hoc clare teſtantur: *Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ ſimul etiam traditur, maxime ſi mobilis ſit. At eam quæ ſine traditione,*

nuda

nuda conventione tenetur, proprie appellatione contineri dicimus. Ergo ſi res mobilis nuda conventione abſque traditione teneatur, etiam appellabitur *hypothecæ* nomine. Si vero rei immobilis poſſeſſio creditori tradatur hypothecæ, an pignus quoq; proprie dicetur? Non proprie certe. Nam Gaius pignoris appellatione proprie contineri dicit rem quæ traditur, maxime ſi mobilis ſit. Ergo ſi immobilis, quamvis tradatur, non proprie erit pignus. Atqui pignus etiam appellari rem immobilem, quæ pignori datur, etiamſi non tradatur, ſupra oſtendimus. Quanto ergo magis dicetur pignus res immobilis, ſi etiam poſſidenda tradatur, ut ex fructibus ejus uſuræ crediti compenſentur? Certe res mobilis poteſt & hypothecæ dari, id eſt, conveniri ut hypothecæ ſit, etiam ſine traditione. Hujuſmodi hypothecæ rei mobilis, nec traditæ, ſed obligatæ tantum, exemplum extat leg. 1, tit. 11 D. de pigneraticia actione. Poſtquam enim dixiſſet Juriſconſultus, pignus contrahi non ſola traditione, ſed etiam nuda conventione, etſi non traditum ſit, id exemplo hoc firmat: *Si igitur contractum ſit pignus nuda conventione, videamus an ſi quis aurum oſtenderit, quaſi pignori daturus, & æs dederit, obligaverit aurum pignori? Et conſequens eſt, ut aurum obligetur, non autem æs, quia in hoc non conſenſerint.* In ea lege perperam legi puto, ſive à Triboniano ita mutatum ſit, ſive librarii ita vitioſe deſcripſerint, *& æs dederit.* Tribonianum in culpa eſſe, teſtes Baſilicorum interpretes, qui ita legerunt. Non enim hic quæſtio eſt de pignoris datione, ſed de ſola conventione. Præcedente quippe paragrapho clare dixit Ulpianus pignus contrahi non ſola traditione, ſed etiam nuda conventione, etſi non traditum eſt. Ergo caſus qui ſequenti paragrapho proponitur non de tradito, aut tradendo pignore eſſe debet, ſed de contrahendo ſola ac nuda conventione. Cur igitur diceret, aurum quidem oſtendiſſe debito-

rem,

rem, quaſi pignori daturum, æs autem dediſſe? Ita corrupiſſe videtur Tribonianus ipſe. Cum fieri videret mentionem in verbis Juriſconſulti auri pignori dandi, etiam æs datum pro eo putavit. Atqui *pignori dari* dicuntur etiam quæ obligantur tantum, non & traduntur. Quod ſi ita intelligamus & æs datum pro auro, id eſt, obligatum, nihil erit difficultatis. Græci tamen ita verterunt, ut appareat de trahendo non de obligando intellexiſſe. Ἐὰν δέ τις χρυσὸν δείξας μέλλων ὑποτίθεσθαι, χαλκὸν παρέχῃ. Quæ longe abeunt à legis mente. Mihi omnino reponendum videtur, *an ſi quis aurum oſtenderit, quaſi pignori daturus, & æs ſubdiderit, obligaverit aurum pignori?* Quam emendationem confirmat lex XXXVI D. eodem: *Si quis pignori pro auro æs ſubjeciſſet creditori, qualiter teneatur, quæſitum eſt.* In qua tamen lege non agi de pignore ſola conventione contracto, ſed de tradito, planum eſt, cum ſubjungat Ulpianus, *in ea ſpecie rectiſſime Sabinum ſcribere, ſiquidem dato auro æs ſubjeciſſet, furti teneri: quod ſi in dando ſubjeciſſet, turpiter feciſſe, non furem eſſe.* Si cum jam datum eſſet aurum, id eſt, traditum, pro eo æs ſuppoſuit debitor, furti tenetur. Si vero in dando, id eſt, cum traderetur, æs ſubjecit, turpiter fecit, non furtum. Extra ordinem tamen ſtellionatus crimine plecti poſſe, ex reſcriptis principum ibidem adſtruitur. At in hac ſpecie, ubi in contrahendo ſola conventione pignore æs pro auro ſubditum eſt, quod oſtenſum fuerat quaſi hypothecæ futurum, neque furtum committere debitorem, neque ſtellionatus crimine plectendum eſſe Juriſconſultus ait, ſed aurum obligatum videri, non æs, quia in aurum conſenſerint. Ex his conſtat, & rem mobilem poſſe hypothecæ dari, cum ſola conventione pignus ejus contrahitur, & rem immobilem etiam tradi corporaliter poſſe, cum utenda fruenda datur creditori in vicem uſurarum, ſicut pluribus in ſequenti capite dicturi ſumus. Duo igitur

pignoris genera ſtatuere poſſumus. Unum quod Græci σωματικὸν appellant, id eſt, *pignus corporale*, quod in traditione rei conſiſtit à parte debitoris, & in detentione ejus corporali à parte creditoris. Idque generis ſui nomine appellatur. Alterum συμφωνιαῖον, quod doctores noſtri vocant *conventionale*, quia nuda conventione contrahitur, & proprie ὑποθήκης appellatione cenſetur. Hujus autem conventionalis pignoris duæ etiam debent ſpecies conſtitui, una quæ ſine ſcripto conventione obligatur, altera quæ *pacto convento*, id eſt, ſcripto. De quo genere lex IV accipienda eſt, D. de pignoribus & hypothecis. *Contrahitur*, inquit, *hypotheca per pactum conventum, cum quis paciſcatur, ut res ejus propter aliquam obligationem ſint hypothecæ nomine obligatæ. Nec ad rem pertinet quibus fit verbis, ſicut eſt & in his obligationibus quæ conſenſu contrahuntur, ut ideo & ſine ſcriptura, ſi convenit ut hypotheca ſit, & probari poſſit, de qua conveniunt.* His poſtremis verbis prorſum evincitur, hypothecam, quæ per pactum conventum contrahitur, ſcriptura contrahi, cum hic dicat & poſſe ſine ſcriptura, ſi convenerit, hypothecæ obligationem fieri. Et ſane *pactum conventum* Latinis proprie de eo pacto, quod ſcriptura interveniente fit, uſurpari, nunc docendi noſtri ſunt doctores, qui id fortaſſe ignorant. Græci Juriſconſulti, quod *pactum conventum* in lege ſupraſcripta dicitur, γραμματεῖον reddiderunt, cum ὑποθήκην definierunt: Ὑποθήκη δέ ἐστι τὸ παραμένον μὲν τῷ χρεώστῃ, ὑποτιθέμενον δὲ τῷ δανειστῇ εἰς τὸ γραμματεῖον, ἕνεκεν τῆς τοῦ χρέους ἱκανώσεως. *Hypotheca eſt quod manet penes debitorem, ſed obligatur creditori per pactum conventum, pro debiti ſecuritate.* Quantum eſt Juriſconſultorum neotericorum, immane hallucinati omnes ſunt in hac voce *pacti conventi* exponenda. Quidam idem eſſe cum nudo pacto, & nuda conventione, ut Hotomannus lib. XII obſervat. cap. I. Ubi perperam ex collatione

tione leg. IV D. de pignoribus, & leg. I D. de actione pigneraticia colligit, pactum conventum non aliud eſſe à conventione nuda. Certe conventio nuda poteſt eſſe & cum ſcriptura, & ſine ſcriptura. Nam conventio cui traditio pignoris non intervenit, ſed quæ de re tantum obliganda pignoris jure pactum interpoſuit, ſive ſcripto fuerit conſignata, ſive ſine ſcripto verbis tantum fuerit contracta, *nudæ conventionis* nomen poteſt habere. Et pignus quod contrahi dicitur nuda conventione leg. I D. de actione pigneraticia, tam de pactione quæ verbis fit, quam de ea quæ litteris, quamque *pacti conventi* nomine appellatam aſſerimus, poteſt accipi. At pignus quod per pactum conventium contrahitur leg. IV D. de pignoribus, illud plane intelligi debet, cui contrahendo ſcriptura adhibita eſt, non ſola pactio quæ verbis fit. Pignus διὰ γραμμάτων contractum non aliud eſt ab eo quod *pacto convento* contractum, legimus. Ulpianus *pactum conventum* ita plane accepit, pro contractu ſcriptura interveniente facto, leg. LXXI D. pro ſocio. *Duo ſocietatem coierunt, ut grammatica docerent, & quod ex eo artificio quæſtus feciſſent commune eorum eſſet. De ea re quam voluerunt fieri, in pacto convento ſocietatis perſcripſerunt.* Id eſt, ἐν συμβολαίῳ. Sed omnium clariſſime Seneca id teſtatur III de beneficiis his verbis: *Vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur.* Vides contractuum tabulas obſignatas *pacta conventaque* vocari. Non ſolum autem *pacta conventa* dicebantur, ſed *pacta conventaque*, atque etiam, *pacta & conventa.* Egregie enim falſus eſt celeberrimus Juriſconſultus, qui ex eo quod legerat, *pacta atque conventa,* apud auctores, putarit has voces eſſe ſeparandas, & inde collegerit, pacta à conventis eſſe diverſa. Primum, inquit, ſi *pactum* & *conventum* idem eſſet, ea neque Paulus in Collect. I diſtinxiſſet, tit. *de pactis atque*

conventis, neque Cicero pro Cæcina. Non vidit homo doctiſſimus, quod nec miror, cum id omnibus hactenus fuerit inviſum, *pacta atque conventa* ſine diſtinctione eſſe dicenda; quæ eadem ſint *cum pactis conventis*. Idem quippe eſt *pactum atque conventum*, & *pactum conventumque*, cum *pacto convento*. Ita enim loquebantur. Sic *pactum atque condictum*, pro una eademque re & conventione, cum quis pacto condixerat ſe alicui præſto futurum. Agellius lib. XX, cap. I: *Hiſtoria de Metio Fufetio Albano nobis quoque non admodum numero iſtiuſmodi libros lectitantibus, ignota non eſt, qui quoniam pactum atque condictum cum rege populi Romani perfide ruperat*. Ita & *pactum atque conſtitutum* de ea conventione & pactione, qua quis conſtituit cum aliquo, ſe venturum, aut adfuturum certo die & loco. Simili itaque modo, *pactum atque conventum* de quocunque contractu, quo aliquis cum alio pactus eſt & convenit tabulis ſcriptis, & ſignatis. Proprie enim *pactum conventumque* de hujuſmodi contractu, qui ſcripturæ fit, dixerunt, quod & *pactum conventum* aliis dicitur. Cicero pro Cæcina: *Quæ judicia, aut ſtipulationis, aut pacti & conventi formula*. Non duo hæc ſunt, *pacti, & conventi formula*, ſed unum, *pacti conventique*. Quod potuit etiam dici, *pacti conventi*. Nam & idem Cicero II de oratore, *pacta conventa*, dixit: *In foro tabulæ, teſtimonia, pacta conventa, ſtipulationes, cognationes, affinitates*. Ita enim conjunctim legendum, non ut vulgo, disjunctive; *pacta, conventa*. Duobus his locis *pacta conventa* à ſtipulationibus diviſit, quia ſtipulationes verbis fiunt, *pacta atque conventa* ſcriptura. Nuptiales tabulas Juvenalis *pacti & conventi* nomine appellavit, in Sat. VI:

Conventum tamen & pactum, & ſponſalia, noſtra
Tempeſtate paras.

Perperam vulgo diſtinguitur, *conventum tamen; & pactum.*

pactum. Immo *conventum & pactum*, idem eſt quod *pactum conventum*. Dotale pactum intellegit, vel inſtrumentum dotale. Titulus in Sententiis Pauli lib. II non ſeparatim legendus eſt, de *pactis*, *& conventis*, ſed de *pactis & conventis*. Quod idem eſt ac ſi ſcripſiſſet, *de pactis conventis*. Nam ſi ex diviſa ſcriptura, de pactis, & conventis, arguitur, ut faciunt vulgo doctiſſimi Juriſconſulti, diverſa eſſe pacta à conventis, ecquod erit beſtiæ genus ex utroque mixtum, pactum conventum,

Diverſum confuſa genus panthera camelo?

Quod *pactum* & *conventum* dixit in titulo, paulo poſt in ipſo corpore vocat pactum conventum. *In bona fidei contractibus*, inquit, *pactum conventum alio pacto diſſolvitur*. Titulus Codicis *de pactis conventis tam ſuper dote, quam ſuper donatione ante nuptias, & paraphernis*, non aliam in ea voce recipit ſignificationem. Nam *pacta conventa*, ſunt συμβόλαια ἔγγραφα ſuper dote. *Pactum dotale* appellatur lege IV eodem. Et leg. V, *inſtrumentum dotale*, quo pactum de dote factum: *Cum igitur adfirmes dotali inſtrumento pactum interpoſitum eſſe vice teſtamenti*. Nihil igitur aliud intereſt, inter pactum, & pactum conventum, niſi quod illud ſine ſcripto, hoc cum ſcripto conventum eſt. Utrumque tamen nudum eſt, niſi ſtipulatio intervenerit, aut numeratio pecuniæ. Seneca lib. XI de controverſiis: *Pacta conventaque legibus rata ſint*. *Pacta* poſtea ſimpliciter vocat tota Controverſia, ſed pactum illud de quo ibi tractatur in litteris fuiſſe hæc verba indicant: *Cedo mihi teſtamenti tabulas, plures in teſtamento habeo, quam in pacto*. Id eſt, in pacto quod ſcriptura interveniente factum eſt. Quod *pactum conventumque* dicebatur. Adeo hoc verum eſt, ut extremum Latinitatis imperium, non ignorarit *pactum conventum* eſſe quod ſcripto conſignatur. Julianus Anteceſſor Conſt. CXVIII: *Liceat argyropratis ſi habeant principalem debitorem*,

 &

& fidejuſſorem ejus, pactum conventum componere, ut poteſtatem habeant prius fidejuſſorem pulſare, quamvis principalis reus locupletiſſimus fuerit. De pacto conſcripto eſſe accipiendum, conſtat ex Novella Juſtiniani CXXXVI, περὶ συμφώνου γεγραμμένου. Præterea idem Julianus *componere inſtrumenta*, pro conſcribere ſemper uſurpat. Vide Conſtitutionem LXVI. Ut Latini autem *pactum conventum* de pacto quo perſcriptum eſt, & litteris firmatum dixere, ita Græcos veteres συνθήκην eodem ſenſu poſuiſſe certum eſt. Iſocrates in Trapezitico συνθήκας vocat σεσημασμένας, quæ Senecæ dicuntur *pacta conventa obſignata.* Demoſthenes in παραγραφῇ, pro Phormione: Πρῶτον μὲν οὖν ὑμῖν ἀναγνώσεται τὰς συνθήκας καθ' ἃς ἐμίσθωσε Πασίων τὴν τράπεζαν τούτῳ. *Et quidem vobis recitabit pactum conventum quo menſam huic elocavit.* Et in ea contra Dionyſodorum: Καὶ συγγραφὴν ἐγράψαντο ὑπὲρ τούτων. ἐν μὲν οὖν ταῖς συνθήκαις δανειστὴς ἐγράφη Πάμφιλος οὑτοσί. *In pactis conventis ſcriptus eſt creditor hic Pamphilus.* Idem contra Phormionem: Οὐκοῦν δανείσασθαι μὲν τὰ χρήματα ὁμολογοῦσι, καὶ συνθήκας ποιήσασθαι τοῦ δανείσματος. *Igitur fatentur ſe pecunias accepiſſe mutuas, & pactum conventum ſuper credito ſcripſiſſe.* Græci quos Helleniſtas vocant, διαθήκην etiam pro eo dixere, ut in Maccabæis, συνθώμεθα πρὸς αὐτοὺς διαθήκην. *Pactum conventum cum ipſis faciamus.* Ut διαθήκας συνθέσθαι dixerunt, ita è contra pro eodem συνθήκας διαθέσθαι. Quod Hebræis ברית. Grammatici diſtinguunt inter διαθήκην & διαθήκας. Nam πληθυντικῶς διαθήκας de teſtamento & ultima voluntate defuncti dici debere, διαθήκην in ſingulari numero de compacto, pacto convento, & fœdere. Et ſane qui ex Græcis auctoribus jurius loquuti ſunt, ut Attici aliique vetuſtiores, ſemper διαθήκας in numero multitudinis appellant teſtamentum. Alii hoc diſcrimen ex numero parvifaciunt. Utrumque re ipſa idem. Quid enim aliud

δια-

διαθήκη, ſive teſtamentum, quam pactum conventum teſtatoris cum hærede? Plerumque enim teſtator hæreditatem ſuam relinquit cum conditionibus, quas implere debet ſucceſſor, aliter hæres non futurus. Sed de his alibi. Græci recentiores *pactum conventum* στοίχημα vocant, à verbo στοιχεῖν, quod convenire cum aliquo, eique conſentire ſignificat. Onirocriticωn auctor cap. XXXII: Γραφήσεται χάρτης παρά τινος κατὰ τοῦ σικυασθέντος στοιχημάτων βαρέων καταπισθεῖσας, καὶ ὅσον ἀφῃρέθη τοῦ αἵματος, τοσοῦτον ἀφειλεῖται ἐκ τοῦ λογαρίου αὐτοῦ. Ubi χάρτης στοιχημάτων eſt charta pactorum conventorum, non ut vertit interpres, *verſiculorum atrocium.* Βάρεα στοιχήματα, gravia pacta conventa, quibus ſe quis obligavit alicui in grandes pecuniæ ſummas. Liber legum Leonis & Conſtantini tit. XXI: Κατὰ τὸ στοίχημα, καὶ τὴν μεταξὺ ἀλλήλων προθεσμίαν, ἀπολαμβανέτω ὁ δανειστὴς τὰ ἴδια. Ita enim ſcribendum, κατὰ τὸ στοίχημα, *Secundum conventionem.* Ubi tamen τὸ στοίχημα etiam de conventione accipitur, quæ ſine litteris fit. Nam ita caput incipit, ἐάν τις ἐγγράφως ἢ ἀγράφως δανείσηται. Apud Harmenopulū συμβόλαιον definitur καταγραφὴ τῶν συμφωνηθέντων, καὶ στοιχηθέντων μεταξὺ ἑκατέρων τῶν συμβαλλόντων. Ubi στοιχηθέντα ſunt de quibus conventum eſt, & in quæ conſenſum à contrahentibus. Στοίχημα igitur non ſimpliciter eſt pactum conventum, ſed etiam στοίχημα ἄγραφον. Sic συνθήκη etiam dici queat, quæ non ſcripta ſit. Verum συνθήκη ἔγγραφος ea eſt quæ ſcripto mandata eſt. Ita & ὁμολογία ἔγγραφος, & σύμφωνον ἔγγραφον. Pollux lib. VIII, cap. XII, συγγραφή, συνάλλαγμα, συμβόλαιον, γραμματεῖον, συνθήκη ἔγγραφος, ὁμολογία ἔγγραφος. Exceptis vocibus συγγραφὴ & γραμματεῖον, ceteræ omnes tam de conventionibus ſcriptis, quam non ſcriptis poſſunt accipi. Ita & σύμφωνον de pacto convento apud Arrianum Epicteti lib. I, cap. XIX: Ἀλλ' οἱ τὰ σύμφωνα γράφοντες, γράψουσι τὸ ἐμὸν ὄνομα. *Pacta conventa ſcribentes.* Ergo *pactum conventum* & de

ἄγραφα, ut ἔγγραφα, accipietur. Hoc quidẽ certum, ſed uſu ita obtinente pro ſcripta conventione uſurparunt ut & στοίχημα poſteriores Græci. Στείχειν τινὸς γνώμῃ dicitur, qui ſtat alicujus ſententiæ, & ſecundum eam quaſi ambulat. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. VI: Διαριθμησάμενοι δὲ τὰς γνώμας τῶν συνέδρων, ταῖς πλείοσι γνώμαις στείχειν. *Et cum numeraſſent ſententias eorum qui in conſilio fuerunt, plurium ſententiis ſtare.* Στείχειν & στοιχεῖν idem, ut φέρειν & φορεῖν, βάλλειν & βολεῖν. Alii tamen Græci frequentius στοιχεῖν in eo ſenſu dicunt. Et ſic forſitan melius ſcribatur apud Dionyſium Halicarnaſſeum, στοιχεῖν πλείοσι γνώμαις, *plurium ſequi ſententiam.* Non enim στοιχεῖν proprie idem quod στείχειν, id eſt, incedere & ambulare, ſed in ordine ſuo ſtare, nec extra eum egredi. Sed nec στείχειν τινὶ poteſt dici eo ſenſu. Græci, & præcipue poëtæ, στείχειν πέδον, στείχειν χθόνα dicunt. Atque ita loquuti Sophocles & Euripides. Quos cum ſequutus ſit Nonnus, non debuit propterea vapulare Ariſtarcho. Sed in aliis ſexcentis ſic male à Critico ſacro reprehenſum, alibi monſtrabo. Στοιχεῖν aliud quam στείχειν. Στοῖχος enim eſt ordo, ut in choro & militia. Qui igitur ordinem ſervat, & in eo ſervando cum ſequentibus & præcedentibus conſentit, nec extra ſeriem, in qua collocatus eſt, divertit, στοιχεῖν dicitur. Quod verbum militiæ Græcæ in ordinibus aciei, ut & ζυγεῖν. Tactici στοιχεῖν exponunt, τὸ ἕκαστον ἄνδρα ἐν τῷ ἑαυτοῦ λόχῳ, ἐπ' εὐθείας εἶναι τῷ λοχαγῷ, καὶ τῷ οὐραγῷ, φυλάσσοντας τὰ ἴσα ἀπ' ἀλλήλων διαστήματα. Qui in recta itaque ſerie conſiſtit & rigore, cum ultimo ordinis ac primo, eum Græci στοιχεῖν dicunt. Inde & στοιχεῖν τινι, qui ſequitur priorem in eodem ordine, nec ab ea linea in qua cum ceteris ambulat, hilum recedit. Ex eo & pro convenire, & conſentire ponitur. Paulus ad Galatas cap. V: Εἰ πνεύματι ζῶμεν, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. Vetus interpres vertit, *ſi ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Nimirum accepit στοιχεῖν pro στείχειν, & pro

pro περιπατεῖν, ut ſupra πνεύματι περιπατεῖν. perperam. Rectius Syrus paraphraſtes *conſentire* reddit. Nec aliter Ægyptius vetus. Arabs qui eum interpretatus eſt, فلنوافق ايضا ما للروح. *Et ut conſentiamus etiam cum eo quod eſt ſpiritus.* Erpenii interpres vertit, quaſi legerit utrumque hortandi modo, فلنعش الان بالروح ونوافقه باعمالنا. *Et ut vivamus nunc in ſpiritu, & ſequamur eum, vel conſentiamus ei, in operibus noſtris.* Quaſi legerit in Græcis, Καὶ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ στοιχῶμεν. Sed de his ad locum plura. Idem Paulus capite ſequenti, καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχοῦσι. *Et quicunque huic regulæ inſiſtunt, nec ab ea exorbitant.* Nec male vetus: *Et quicunque hanc regulam ſequuntur.* Fatendum tamen eſt, qui recte incedit, & rectam viam inſiſtit, στοιχεῖν dici poſſe, & ſic per verbum *ambulare* non abſurde reddi. Nam qui ſpiritu incedit, vel ambulat, is vere στοιχεῖ. Στοιχεῖν enim eſt ordine procedere, & rectam viam inſiſtere. Quod & de his dicitur, quæ recte & ex animi noſtri ſententia, & voto fiunt. In Eccleſiaſte cap. XI: Ὅτι οὐ γινώσκεις ποῖον στοιχήσει τοῦτο ἢ τοῦτο. Ubi pro στοιχήσει Aquila reddiderat, εὐθηνήσει. Symmachus, ut notant, εὐρήσει. Scribe εὐροήσει. *Quod non noſti, utrum recte & ordine, hoc vel illud ſit proceſſurum.* In Hebræo eſt כשר, quod eſt *rectum eſſe.* Cum ergo στοιχεῖν dicantur, qui in ordine ſervando conveniunt conſentiuntq;, ita & στοιχοῦσι, qui pacti conventionem aliquam inter ſe faciunt, quam ſervari placeat. Inde στοίχημα, *pactum conventum.* De *pacto convento* porro, quæ dixi, ſcio me nova dixiſſe, & mira futura novis doctoribus, ſed quidquid contra dicturi, aut ſcripturi ſunt, veriſſima eſſe præſto. *Pacta*, inquiunt, qui in ea ſcientia magni fuere, *quæ modo nuda, modo conventa, modo pacta ſimpliciter in jure civili appellantur, ea ſunt quæ neque nomen certum, neque præſentem & ſubjectam*

negotii gerendi cauſam habent. Nam quæ nomen habent certum & proprium, ea contractus nominati adpellantur, veluti emptio, venditio, locatio, &c. At ego aio, in omnibus tam nominatis, quam innominatis contractibus *pactum convētum* ſic dictum, locum habere, ſi litteris obligatio contrahatur. Nam & *pactum conventum* venditionis dicitur pactio quæ ſuper venditione ſcriptura interveniente facta eſt. Sic *pactum conventum* ſocietatis, pactum cōventum mutui, pactum conventum pignoris, vel hypothecæ, & ſic de aliis. Doctores & gloſſa *pactum* putant eſſe generis nomen, quo contineantur etiam contractus. Sed eos errare oſtendit Paulus leg. XIX D. de Novationibus, ubi aperte pactionem, ſive pactum à contractu diſtinguit his verbis: *Quia in privatis contractibus & pactionibus non facile ſcire petitor poteſt, quid inter eum, qui delegatus eſt, & debitorem actum ſit.* Hic pactiones aliæ ponuntur à contractibus. Atqui *pactiones* & *pacta* non differunt. *Contractus* proprie ſunt, quæ Græcis vocantur συναλλάγματα, ut & Labeo dicit leg. XIX D. de verborum ſignificationibus. At συνάλλαγμα proprie eſt conventio, qua unus contrahentium aliquid alteri dare, aut facere tenetur, ex datione, aut facto alterius, quod præceſſit, vel qua ex mutuo facto dationeve alter alteri invicem obligantur. Ariſtoteles in Ethicis duo genera facit συναλλαγμάτων, voluntaria & involuntaria. Ἑκούσια ſunt de quibus hic agimus, & ea ſic ab eo recenſentur, πρᾶσις, ὠνὴ, δανεισμὸς, ἐγγύη, χρῆσις, παρακαταθήκη, μίσθωσις. *Venditio, emptio, mutuum, ſponſio, commodatum, depoſitum, locatio & conductio.* In hoc cenſu alii ſunt contractus, qui utrumque obligant, alii qui alterum tantum. Venditio & emptio utrumque obligat, item locatio & conductio. At ſponſio, mutuum, commodatum, depoſitum, alterum tantummodo. Spondeo pro te, mihi obligatus es. Do tibi mutuum, teneris reddere. Rem meam tibi commodo,

ad

ad hoc ut reddas æque & depoſitum quod ſervandum tibi commiſi. Labeo autem *contractus* nomen reſtrinxit ad obligationem ultro citroque, qua nimirum duo contrahentes invicem obligantur. Quod & teſtantur nomina contractuum, quæ ibi continentur enumerata, quibus non alter contrahentium tantum ſed ambo obligantur: *Contractum autem ultro citroque obligationem, quod Græci συνάλλαγμα vocant, veluti emptionem, venditionem, locationem, conductionem, ſocietatem.* Græci, ut Ariſtoteles, συναλλάγματος nomen, ad obligationem ex datione, vel mutua, vel alterius partis, quæ ad reddendum quod accepit, obſtringitur, reducunt. Qui accipit à volente quod volens eidem reddat, vel qui dat aliquid, ut viciſſim aliud accipiat, idque volens à volente, συνάλλαγμα facit, & quidem voluntarium. Et in eum θεμαλισμὸν cedunt omnes, quæ ibi enumeravit συναλλαγμάτων ſpecies. Hinc & ἀκούσια συναλλάγματα, involuntarios contractus, eos eſſe vult, cum aliquis, vel clam, vel palam, ſed per vim aliquid ab alio nolente capit, quod nolens ipſe debet poſtea reſtituere, vel pœnam pro eo ſufferre. Ita enim recte explicat Andronicus: Συναλλάγματα δὲ τὰ τοιαῦτα βίαια λέγονται, ὅτι ὁ περὶ ταῦτα ἀδικῶν, λαμβάνει μὲν λάθρα καὶ βιαίως, ἢ χρήματα, ἢ ἡδονήν, ἀποδίδωσι δὲ ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἢ ζημίαν, ἢ θάνατον, ἢ τὸ αἰκισθῆναι, ἢ τὸ ἀτιμασθῆναι. Et notandum, qui juris gentium ſunt contractus, quique ad ſocietatem humanam tuendam pertinent, eos proprie à Græcis appellatione συναλλάγματος contineri. Unde & συναλλαγαὶ, κοινωνίαι Græcis dicuntur, & ſocietates. Theophilus lib. 1, tit. 11, non alia ferme συναλλάγματα recenſet, quæ & ex jure gentium prodita ſcribit, τὸ γένος τὰ συναλλάγματα, πράσεις, ἀγορασίας, μισθώσεις, παρακαταθήκας, κοινωνίας, δάνεια. Quæ enim ſequuntur, non ex hac συναλλαγμάτων claſſe ſunt, quamvis ex jure gentium etiam ea deſcendere faciat, τὸ γίνεσθαι δωρεὰς, καὶ διαθήκας

συγγραφέως. Ergo nec δωρεὰ, ſive donatio, inter συναλλάγματα proprie appellata, quamvis inter contractus recenſeatur leg. VII Cod. de his quæ vi metuſve cauſa. An pignoris obligatio Græcis συναλλάγματος nomine cenſeri poſſit, videndum. Nam Latini *contractum* eam vocitant, & *pignus contrahi* dicunt. Cum in his ſit obligationibus, quæ utrumque obligant, & pigneraticia inde actio mutua detur, quæ & inter bonæ fidei actiones numeratur, non dubito quin & συναλλάγματος nomine hic contractus venire poſſit. In Macchabæis lib. I, cap. XIII, diſtinguitur συγγραφὴ ἀπὸ τοῦ συναλλάγματος hoc modo: Καὶ ἤρξατο ὁ λαὸς Ἰσραὴλ γράφειν ἐν ταῖς συγγραφαῖς καὶ συναλλάγμασιν, ἔτους πρώτου ἐπὶ Σίμωνος Ἀρχιερέως μεγάλου, καὶ στρατηγοῦ, καὶ ἡγουμένου Ἰουδαίων. Etſi enim συγγραφὴ dici queat omnis conventio ſcriptis mandata, proprie tamen uſitata hæc vox de pecuniæ mutuaticiæ pacto convento. At συνάλλαγμα, ut hic vides, accipitur de contractu ſcripto. Tranſactiones quoq; & ſtipulationes, *contractus* nomine appellantur Latinis, & jure Quiritum, cum hæ Græcis ignotæ fuerint, illæ diſſolutiones potius συναλλαγμάτων ſint, ac diſtractiones, quam συναλλάγματα. Sic latius patet apud Romanos nomen *contractus*, quam Græcis συναλλάγματος, niſi quis cōtractum proprie ſumendum exiſtimet, & ad ſignificationem συναλλάγματος reſtringendum. Συμβόλαιον veteres Græci id vocarunt proprie quod Latinis *contractus* nomine nuncupatum eſt. Et συμβάλλειν verbum idem quod *contrahere*. Unde & συμβόλαιον recentior Græcia, pro ipſo contractus inſtrumento uſurpavit, eo prorſus modo quo & Latini *contractum* quoque dixere. Sic hodieque & in idiomate noſtro uſurpatur. Alias certum eſt, jure Romano & contractum ſine inſtrumento ſubſiſtere, & valere, ut & Græcis συνάλλαγμα, & συμβόλαιον. *Pacti* autem appellatio latiſſime ſumpta etiam ad contractus omne genus porrigitur, ſed in ſtricta appellatione

tione à contractibus diſtinguitur, ut ex Paulo ſupra oſtendimus. Omnis quidem contractus etiam pactio eſt, ſed non omnis pactio in contractus ſpeciem cadit. At *pactum conventum*, quodcunque pactum, vel quicunque contractus appellatur, ſi ſcripto conſignatus ſit. De pactorum porro nudorum ex intervallo & ex continenti diſtinctione, nos in tertio volumine pluribus. Ut ad pignoris contractum redeamus & in eo finiamus, Severus leg. II Cod. Quæ res pignori, *conſtare* dicit, *pignus conſenſu contrahi*. Idem imperator leg. II Cod. de remiſſione pignoris, ait, *obligationem pignoris conſenſu contrahi, & diſſolvi*. Vel ſine litteris id fieri, immo & ſine verbis, ſola conſenſione ejus cujus intereſt, plane intelligit, qua in re pactum valet. Poteſt & nuda conventione, id eſt, conſenſione verbis facta, ſine traditione, poteſt & *pacto convento*, contrahi, id eſt, ſcriptura, ut probavimus ex leg. IV D. de pignoribus & hypotheeis. Quod videtur autem quibuſdam, pugnare legem Severi, quæ *conſenſu contrahi pignus* dicit, cum Inſtitutis, ubi inter obligationes pignus recenſetur, quæ re contrahuntur, id ſolvendum ex differentia *hypotheca*, & *pignoris* proprie dicti. Nam pignus quod traditur, re contrahitur. Quod ad hypothecam attinet quæ obligatur, ſolo conſenſu & conventione, vel ſcripta, vel non ſcripta, obligationem ejus contrahi certum eſt. Norunt porro & tirones Juris qui Inſtituta tantum legerunt, conſenſum ad eas obligationes proprie tantum pertinere, quæ utrimque reos faciunt. Nam conſenſus debet eſſe duorum in rem de qua convenitur, qua alter alteri invicem obligantur, vel præſens præſenti, vel abſens abſenti. Quod & in pignoris obligatione locum habere certum eſt.

CAPVT XIII.

Conventionalis pignoris, hoc eſt, hypothecæ diviſio in generalem & ſpecialem. Iuſtiniani Novella VII; περὶ γενικῆς ὑποθήκης & ἰδικοῦ ἐνεχύρου, *explicata & emendata.* Ἰδικὸν ἐνέχυρον *rei immobilis dici cum traditur creditori ad detentionem corporalem. Specialem hypothecam accipere ab Eccleſiis permiſſum, dum ne darent ſpeciale rei immobilis pignus. Specialem hypothecam leviorem eſſe generali omnium bonorum.* Ἰδικὸν ἐνέχυρον *accipi pro pignore ſpecialiter ſumpto, quo pignus traditur creditori, tam rei immobilis quam mobilis. Pignori datis omnibus bonis quænam excipi ſolerent. An vitioſa ſit rubrica Digeſtorum, In quibus cauſis pignus, vel hypotheca contrahatur. Non ea parte vitioſam videri, qua putavit Hotomannus. Aliam eſſe expreſſam hypothecam, aliam tacitam. Pignus quoque aliud tacitum, aliud expreſſum. Vtriuſque exempla. De differentia pignoris & hypothecæ. A Triboniano eam fuiſſe introductam, cum nulla antea fuerit, ſecundum Marcianum. Tribonianum in variis titulis juris Digeſtorum & Codicis vocem hypothecæ adjeciſſe præter veterum Iuriſconſultorum ſententiam. Pignoris nomine utrumque comprehendi, & quod traditur, & quod obligatur nuda conventione. Similiter & quidquid creditori oppigneratur, ſive res mobilis ſit, ſive immobilis,* ὑποθήκης *nomine vocari. De illa loquutione, pignori hypothecæve, pro qua veteres, pignori fiduciæve. Locus Inſtitutorum, quo agitur de diſcrimine pignoris & hypothecæ, excuſſus. A Triboniano videri interpolatum. Ineptum etymum pignoris quod à pugno deducitur. Quattuor rationes quæ à doctoribus vulgo adferuntur, adſtruendæ pignoris & hypothecæ differentiæ, refutatæ. Hypothecarias actiones etiam dictas fuiſſe pigneraticias, & pigneraticias eſſe eaſdem*

dem cum hypothecariis. Veteres Iuriſconſultos in fragmentis, quæ interpolationem Triboniani effugerunt, nuſquam feciſſe hypothecæ mentionem. Fiducias & pignora ſemper in his nominari. Non in eo conſiſtere diſcrimen pignoris & hypothecæ ſecundum Iuſtinianum, quod illud rei mobilis ſit, illud immobilis, ſed in traditione. Quod traditur, eſſe pignus, quod obligatur ſine traditione, hypothecam. Quæ ratio Iuſtinianum moverit, ut diſcrimen inſtitueret inter pignus & hypothecam. Ἐνέχυρον *Græcis de rei mobilis pignore fere ſemper uſurpari, cum pignoris apud Latinos generalis appellatio ſit. Lex* XI *D. de pignoribus explicata contra doctorum ſententiam. Cur Iura prædiorum urbanorum pignori dari non poſſint, dari poſſint ruſticorum. De pignoribus quæ ob moram ſolutionis ex cauſa crediti capiebantur apud Græcos. De hac pignorum capione verbum* ἐνεχυράζειν *proprie dici. Idem eſſe &* λαβεῖν ἐνέχυρα *Græcis, quod* ἐνεχυράζειν *de pignoribus quæ capit creditor. Aliud eſſe pignori capere, aliud pignori accipere.* Ἀνδρολήψιον *quo homines vice pignoris capiuntur, eſſe* ἐνεχυρασμόν. *Quid ſit* ἐνεχυράζειν πόλιν *&* ἐνεχυράζειν οἰκίαν. *Apud ſeptuaginta interpretes multis ſcripturæ locis verbum* ἐνεχυράζειν *non in alia ſignificatione accipi oportere. Male Hieronymum alioſque interpretes, de pignore conventionali, eum* ἐνεχυρασμὸν *interpretari. In ſcriptura fere ubique illum* ἐνεχυρασμὸν, *cum violentia & rapina conjungi. Locum Iobi de hujuſmodi capione pignorum eſſe capiendum, ut & Exodi. Aliud videri* ἐνεχυλάζειν, *aliud* ἐνεχυράζειν. *Titulus Baſilicorum* περὶ ἐνεχυραζόντων *expoſitus. Clarigationem Latine dici Græcorum* ἐνεχυρασμὸν, *de androlepſio. Vtrumque genus* ἐνεχυλασμοῦ *prohibuiſſe Iuſtinianum Novella* LII. *Verba Exodi Hebraica æque exponi poſſe de pignoris conventionalis acceptione & de coactivi capione.*

Ratio

Ratio cur de capione potius videantur accipienda. In Deuteronomio vix aliam poſſe habere ſignificationem, ἐνέχυρον ἐνεχυράσαι. Si ἐνεχυράζειν & ἐνεχυριάζειν idem, videri diverſum ex perſonarum, quæ agunt, diverſitate. Diogenes Laërtius explicatus in verbo ἐξενεχυράζειν. Pignoriscapio in mutui debito apud Romanos vix recepta, apud Græcos & ceteros Orientales uſitata. Ad pauperes ad ſolutionem cogendos præcipue ea inſtituta. Vtenſilia, & alia quæ in uſu quotidiano habentur, ut ſuppellex & veſtis, rarius ſolebant apud Græcos pignori dari. Nec apud Latinos id moris. Ideo excipiebantur ex hypotheca bonorum generali. Apud priſcos Romanos cum liceret corpora obæratorum abducere, licebat & capere pignora. Id ex Halicarnaſſeo probatum. Immo & poſtea ſemper id fuiſſe permiſſum, dum modo fieret auctoritate judicis. Pignora capta in cauſa judicati, vel aliis vendebantur, vel ipſi creditori addicebantur ex licitatione. Interdum & poſſidenda ea jure dominii à principe impetrabat. Ab alio non petebatur poſſeſſio pignoris, quà capti in re judicata, quà traditi ex cauſa crediti, quam à principe. Lex xv D. de re judicata, multis explicatur. Captum pignus in ſolutum dari non potuiſſe. Prætorium pignus male cum pignoriscapione à doctoribus confundi. Lex xiii Cod. de pignoribus, explicata & emendata. Pignorationes à barbaris Latinis vocatæ, quæ antiquorũ ſunt pignoriscapiones. Eæ prohibitæ etiam à pleriſque barbaris populis, non ſolum in ipſo reo qui deberet, ſed etiam ne quis pro alio pignoraretur. Pignorari perſona dicitur non quæ ipſa pignori capitur, ſed cujus bona. Sic Græci ἐνεχυράζειν πόλιν dicebant, ex qua homines jure ἀνδροληψίας capiebantur. Duplex pignoris genus, voluntarii & involuntarii. Ex quot modis pignus involuntarium capi jus eſſet, totidem ejus eſſe ſpecies. De pignore prætorio, & judiciali.

ciali. Legitimum pignus æque dici poſſe de conventionali, quia ex conventione legitima accipitur. De differentia pignoris prætorii, & conventionalis. Lex Baſilicorum explicata de dilatione debitoribus danda, & poſt moras ampliatas, pignoris capione facienda. Id contra jus Romanum videri, & prohibitum eſſe à Iuſtiniano. Quomodo id exponendum ſit. Pignoris capioni comparari jus prætorium. Pignus captum diverſum eſſe à pignore prætorio Pignus prætorium ad inſtar pignoris conventionalis ſi ab initio de eo inter contrahentes nihil conveniſſet. à judice conſtitui creditori ſolitum. Diocletianum permiſiſſe pignoris capionem in cauſa crediti, dum modo ſine judicis ſententia non fieret. Eam legem reſcidiſſe Iuſtinianum, ſed mox Leonem reſtituiſſe. Et ſic capienda eſſe verba Baſilicorum. Ἐνεχυρασμὸν Græcorum pignoris eſſe capionem in rebus tantum mobilibus. Ἐμβάτευσιν dici de rebus immobilibus. Quid ſit proprie ἐμβατεύειν. Quid jus ἐμβατευτικὸν Vlpiano. Ἐμβατεύειν atque ἀπλῶς κτημάτων differre. Illud in cauſa crediti, hoc in cauſa judicati proprie locum habuiſſe.

PErſequutio pignoris quæ creditori dabatur quaſi Serviana ad vindicandam poſſeſſionem rei ſibi obligatæ, nobis etiam hic detur, ſed alio ſenſu & nullo interdicto, nec in bona debitoris, ſed in hac ipſa de pignoribus materia, quam perſequemur. Diximus ante duplex eſſe pignoris genus: aut *reale*, ut barbare ſed apte loquamur, quod re contrahitur, idemque *corporale* Juſtiniano vocatur: aut *conventionale*, quod *hypothecæ* nomine proprie appellatur, juxta Juſtiniani juriſprudentiam. Hæc generalis eſt, aut ſpecialis. Illa omnium bonorum, quas habuit debitor, habituruſque eſt. Hæc certorum, de quibus nominatim, ut hypothecæ eſſent, convenit, vel

ſcripto,

ſcripto, vel ſine ſcripto. Juſtinianus Novella VII, *γενικὴν ὑποθήκην* diſtinguit ἀπὸ ἰδικοῦ ἐνεχύρου, generalem hypothecam à ſpeciali pignore, ubi interdicit œconomis Eccleſiarum res immobiles ad ſacra loca pertinentes pignori dare, dum ne eas tradant poſſidendas corporaliter creditoribus: ἔξεστι τοῖς προεστῶσιν αὐτῶν μέχρι τῆς γενικῆς ὑποθήκης ἵστασθαι, μηδὲν ἰδικὸν ἐνέχυρον τοῖς δανείζουσι παρεχομένοις. Ad quem locum notant docti Juriſconſulti, prædia, vaſa, veſtes Eccleſiæ, ſpecialiter pignori non poſſe obligari, generaliter poſſe. Cur ita, inquiunt? Quia facilius generalis conceditur hypotheca, quam ſpecialis. Rationem addunt, quia ſpecialis hypotheca obſtringit magis. Ego vero legis illius Juſtinianeæ hunc ſenſum eſſe non puto, ut ſpecialem ab Eccleſiis in prædiis oppignerandis prohibeat hypothecam, & generalem tantum permittat. Quinimo ſpecialem hypothecam leviorem eſſe crediderim, quam generalem, & proinde facilius concedendam Eccleſiis mutuum ſumentibus, quam generalem. Si ἰδικὴν ὑποθήκην dixiſſet Juſtinianus, tum ea ſententia, quam volunt, verbis legis accommodari poſſet, ſed ἰδικὸν ἐνέχυρον dixit. Hæc autem differentia eſt, ut ſupra docuimus, ὑποθήκης & ἐνεχύρου, *hypothecæ & pignoris*, ut per illam obligentur tantum bona, per hoc tradantur creditori, tam mobilia, quam immobilia. Quod σωματικὸν ἐνέχυρον vocat Juſtinianus. Cum igitur hoc princeps permittat œconomis, ac præpoſitis Eccleſiarum, quæ neceſſitate inexpugnabili adiguntur mutuam ſumere pecuniam, uſque ad generalem quidem hypothecam in rebus immobilibus Eccleſiæ pignori dandis conſiſtere, dum ne ullum dent ſpeciale pignus creditoribus, per ἰδικὸν ἐνέχυρον intellexit non ſpecialem hypothecam certorum Eccleſiæ bonorum, ſed traditionem ſpecialem pignoris rei immobilis à creditore poſſidendæ. Atque ita recte interpretatus eſt Julianus Anteceſſor Conſt. VII, qui mentem potius, quam

quam verba Græcæ Novellæ ita expreſſit: *Si qua neceſſaria cauſa & inexcuſabilis immineat, ut mutuam pecuniam accipiat venerabilis locus, liceat œconomis etiam res immobiles obligare pignoris jure, ita tamen, ut corporaliter non tradantur creditori.* Ergo ἐνέχυρον dicitur proprie, id eſt, *pignus*, etiam cum res immobilis corporaliter traditur creditori. Et tum quidem eſt ἰδικὸν ἐνέχυρον, cum certa res ex bonis immobilibus, ut fundus, aut domus, traditur. Γενικὸν vero ἐνέχυρον dici poſſe ſi quis omnia bona ſua creditori poſſidenda corporaliter concederet & fruenda, vice uſurarum, pecuniæ nomine quam dediſſet mutuam. Ut ergo alia eſt hypotheca ſpecialis, alia generalis, ita & pignus, ſi proprie ſumatur de corporali & reali pignore, aliud eſt generale, aliud ſpeciale. Ne ſpeciale quidem pignus rei immobilis ab Eccleſiarum œconomis, earum nomine, dari voluit Juſtinianus. Certe ſi meo judicio ſtandum foret, crederem vocem γενικῆς ex verbis Novellæ expungendam eſſe, quam nec Julianus agnovit, qui ſic omnino videtur legiſſe: Ἔξεστι τοῖς προεστῶσιν αὐτῶν μέχρι τῆς ὑποθήκης ἵστασθαι, μηδὲν ἰδικὸν ἐνέχυρον τοῖς δανείζουσιν παρεχομένοις. Nec enim ſpecialem hypothecam dari ab Eccleſiis mutuum ſumentibus prohibuit Juſtinianus, ut generalem tantum conceſſiſſe dici debeat, ſed hypothecæ quidem obligare bona ſua immobilia Eccleſiis permiſit, tam ſpeciali quam generali, ne vero quidquam traderent, *ſpecialis pignoris titulo poſſidendum* interdixit. Ideo & paulo ante creditores, qui ab Eccleſiis accipere ſuſtinuerint rem aliquam immobilem in pignus corporale, debitum perdere eos ſanxit. Εἰ δὲ δανειστὴς εἰς σωματικὸν ἐνέχυρον ἕλοιτο λαβεῖν πρᾶγμα ἀκίνητον ἐκκλησιαστικὸν, ἐκπιπτέτω τοῦ δανείσματος. Ut vetat creditores tale quid in pignus corporale accipere, ita & œconomos Eccleſiarum dare. Eadem ergo utrobique mens & ſententia legis. Σωματικὸν ἐνέχυρον interpretatur Julianus, *quod ad*

corporalem detentationem acceperit creditor. Quodcunque igitur traditur creditori ad corporalem detentationem, *pignus* eſt proprie; quod obligatur tantum, *hypotheca*. Non rectius autem aſſequutus eſt mentem Novellæ, quam noſtri doctores, quicunque ille fuit, qui titulum capitis illius fecit, περὶ τοῦ ὑποκεῖσθαι τὰ τῆς ἐκκλησίας γενικῇ τῇ ὑποθήκῃ, μηδὲ τῇ ἰδικῇ. Neque enim, ut dixi, vetuit ne ſpecialem hypothecam darent Eccleſiæ, quæ mutuum acciperent, ſed tantū pignus σωματικὸν rei immobilis, quæ tamen tam generali, quam ſpeciali hypotheca ab his poterat obligari, dum ne traderetur in pignus ad poſſeſſionem & detentionem creditori. Niſi tollenda eſt vox γενικῆς ex Novella Juſtiniani, luce ſit liquidius eam eſſe mutandam in ἰδικῆς, hoc modo: Ἔξεσι τοῖς προεστῶσιν αὐτῶν μέχρι τῆς ἰδικῆς ὑποθήκης ἵστασθαι, μηδὲν ἰδικὸν ἐνέχυρον τοῖς δανείζουσι παρεχομένοις. Quod ab imperitis corruptum fuiſſe manifeſta fides eſt, qui ἰδικὸν ἐνέχυρον, quia de ſpeciali hypotheca acciperent, putarunt opponi debere τῇ γενικῇ ὑποθήκῃ. Atqui ἰδικὸν ἐνέχυρον ſic opponitur γενικῷ ἐνεχύρῳ, ut ἰδικὴ ὑποθήκη τῇ γενικῇ. Nuſquam autem crediderim Eccleſiarum præpoſitis nomine Eccleſiæ mutuum accipientibus generalem hypothecam omnium bonorum, quæ ad Eccleſiam pertinerent, creditori dare licuiſſe. Certa bona Eccleſiæ hypothecæ obligari tantum poterant, ſi talis neceſſitas ei mutui ſumendi immineret, ut abſtinere non poſſet. Julianus Conſt. VII: *Si qua neceſſaria cauſa & inexcuſabilis immineat, ut mutuam pecuniam accipiat, venerabilis locus, liceat œconomis etiam res immobiles obligare pignoris jure, ita tamen, ut corporaliter non tradantur creditoribus*. Specialem hypothecam rei immobilis Eccleſiis permiſit Juſtinianus, hac lege, non ſpeciale pignus. Hoc eſt, ſpecialiter obligare rem immobilem Eccleſiæ, præfectis ejus permiſit, ob mutuum neceſſarium, non ipſam rem ſpeciali & corporali pignore

gnore poſſidendam creditori dare. Huic tamen conſtitutioni derogavit Novella cxi, qua Eccleſiarum adminiſtratoribus licitum eſſe voluit ſi Eccleſia propter tributa, vel alias neceſſitates pecuniis opus haberet, rem immobilem non ſolum hypothecæ dare, ſed etiam *in ſpeciale pignus, ut creditor poſſideat eam rem, & fructus ejus capiat, & imputet ſibi in ipſas quas mutavit pecunias, quoſdam in uſuras non ampliores, quam quarta portione centeſima.* Ita Julianus in Græco eſt Novellæ cxx, cap. iv: Ἐξεῖναι τοῖς τούτων διοικηταῖς ἀκίνητον πρᾶγμα ὑποτίθεσθαι, καὶ δοῦναι εἰς ἰδικὸν ἐνέχυρον, ἵνα ὁ δανειστὴς νέμηται τὸ αὐτὸ πρᾶγμα. *Licere venerabilium domorum adminiſtratoribus rem immobilem hypotheca obligare, & in ſpeciale pignus dare, ut creditor eam poſſideat.* Duo hic ſignanter exprimuntur, hypothecæ datio, id eſt, obligatio ſimplex rei immobilis, aut ejuſdem traditio ſpeciali pignore, quo datur poſſidenda creditori, ut ex fructibus ejus alios in ſortem imputet, alios in uſuras. Vetus interpres hanc diſtinctionem hypothecæ, id eſt, ſimplicis obligationis, & realis per pignus corporale traditionis, in ſua verſione clare expreſſit: *Liceat ejus ordinatoribus immobilem rem aut ſupponere, aut dare in ſpeciale pignus, & creditor poſſideat eamdem rem, & ejus fructus colligat.* Per verbum *ſupponere*, ὑποτίθεσθαι, plane hypothecam ſimplicem rei immobilis intellexit: per ἰδικὸν ἐνέχυρον, ejuſdem traditionem, ut eam corporali detentatione, ut loquitur Julianus, poſſideret. At idem Juſtinianus Novella vii, cap. vi, conceſſit procuratoribus Eccleſiarum in obligandis earum rebus immobilibus intra hypothecam conſiſtere, hoc eſt, ſimplicem obligationem, non etiam procedere uſque ad ſpeciale pignus, id eſt, traditionem earumdem rerum, à creditori detinendarum & poſſidendarum. Quo plane confirmatur, delendam eſſe vocem φυσικῆς, ac legendum, μέχρι τῆς ὑποθήκης ἵστασθαι, μηδὲν ἰδικὸν ἐνέχυρον παρεχομένοις. In

Novella vero cxx, utrumque permittit, & ὑποτίθεσθαι, id eſt, hypotheca obligare, & δοῦναι εἰς ἰδικὸν ἐνέχυρον. Quod ſi hic ἰδικὸν ἐνέχυρον non opponitur γενικῷ, profecto *ſpeciale pignus* accipiemus ſpecialiter ſumptum, eoque nomine diſtinguetur à pignore generaliter accepto, cujus ſignificatio porrigitur etiam ad hypothecam. Cum vero ſpecialiter ſumitur, tum pignus quod re contrahitur, id eſt, rei traditione, intelligitur, ſive ea ſit mobilis, ſive immobilis. Pignori porro datis generaliter bonis omnibus excipiuntur nihilominus ea quæ veriſimile eſt quemquam ſpecialiter obligaturum non fuiſſe, leg. vi D. de pignoribus, leg. i Cod, Quæ res pignori obligari poſſunt. Juſtinianus Novella xxxix, cap. i: Εἰ γὰρ καὶ οἱ περὶ ἡμῶν ἐκ τῶν γενικῶν ὑποθηκῶν πολλὰ κατὰ πρόληψιν ἐξεῖλον, καί τοί γε οὐχ οὕτως ἡμῖν ἀναγκαῖα καθεστῶτα. Excipiuntur ergo à generali obligatione, quæ in uſu quotidiano habentur; ut ſupellex, lege qua ſupra, D. eodem. Nam & hæc in uſu quotidiano leg. vii D. de ſupellectile legata. Ita & veſtis debitori relinquenda, & mancipia miniſteriaque perquam neceſſaria, lege qua ſupra, D. eodem. Item quæ ad affectionem ejus pertinent, ut concubina, liberi naturales, alumni, leg. viii D. eod. leg. penult. D. de rebus auctoritate judicis. Hæc omnia non continentur generali obligatione præſentium & futurorum bonorum, non ſolum ſi poſt acquiſivit, ſed etiam ſi tunc habuit, cum obligaret omnia bona. Alia diviſio eſt hypothecæ in *expreſſam*, & *tacitam*. *Expreſſa* eſt de qua nominatim convenit. *Tacita* quæ ipſo jure ſine ulla pacti conventione creditori datur. Hotomanus putabat, vitioſam eſſe rubricam Digeſtorum & Codicis, quæ habet; *In quibus cauſis pignus, vel hypotheca tacite contrahitur*; & verba illa, *pignus vel*, à librario, vel ab ipſo Triboniano eſſe adjecta. Ratio hæc illi eſt, quod cum pignus re & traditione contrahatur, nullus in eo tacitæ ac præſumptæ hypothecæ locus

locus relinqui poteſt. Sed fallitur. Nam pignus etſi tradatur, æque tacite poteſt contrahi, atque hypotheca, quæ ſola conventione obligatur. Si pignus accipimus proprie de rebus mobilibus, quæ tradi poſſunt, & hypothecam de immobilibus, quæ nuda conventione obligantur, quæ inquilinus in ædes conductas invexit & induxit, non ſolum pro penſionibus obligata eſſe Pomponius ſcripſit, ſed etiam ſi deterior facta eſſet habitatio culpa inquilini, leg. 11 D. In quibus cauſis. Quæ lex teſtatur, non ſuperfluum eſſe quod additur in rubrica, *vel pignus.* Immo verius exiſtimarim, additum eſſe illud à Triboniano, *vel hypotheca.* Nam pignus nomen eſt generale, tam de hypotheca Juſtinianea, quam de pignore proprie ſumpto. Æque quidem generalis eſt *hypotheca* appellatio ac *pignoris*, ſed non penes Juſtinianum. Si *hypothecam* tantum legimus in illa rubrica, tum omne pignus comprehendit, hoc eſt, pignus & hypothecam, non ſolam hypothecam Juſtinianeam, ut placuit Hotomanno. Nam, ut diximus, non minus tacitum contrahitur pignus, quam hypotheca. Jus autem illud retentionis, quod habet locator, qui res ab inquilino invectas & inlatas pro penſionibus non ſolutis retinet, tacitum quodammodo pignus eſt, quod æque tenetur à creditore, ac ſi eſſet ad hoc expreſſe traditum. Martialis:

Vidi, Vacerra, ſarcinas tuas, vidi,
Quas non retentas penſione pro bima
Portabat uxor.

At hypothecæ tacitæ exemplum eſt in leg. 1 D. eodem. Nam qui mutuam pecuniam dedit ad extruendum ædificium, in ipſo ædificio tacitam habet hypothecam. Similiter & qui redemptori domino mandante nummos miniſtravit, ædes quæ ex illis nummis extructæ fuerint, tacito nexu obligatas tenet. Ut expreſſa autem hypotheca in generalem & ſpecialem dividitur, ita & tacita. Nam qui cum fiſco contrahit,

omnia ejus bona hypothecæ titulo fiſcus habet obligata, leg. 11 Cod. In quibus cauſis, ubi *pignus* generali appellatione pro hypotheca intelligendum. Univerſa quoque bona eorum qui cenſentur, vice pignorum tributis eſſe obligata, dicit lex 1 Cod. eodem. Specialis vero hypothecæ tacitæ exemplum paulo ante retulimus ex leg. 1 D. eodem. Quot modis inducatur tacita hypotheca, & quibus ex cauſis competat, quibuſve perſonis, ex doctoribus petendum. Non enim id agimus hoc loco. Quod ſi locus hic eſſet illi tractationi, æque bene eam poſſemus expedire, atque illi, qui ſe pro magnis Juriſconſultis venditant. Quod hic inſtituimus, abſolvamus, & rem pignorum perſequamur, quantum attinet ad differentiam, quam Juſtinianus conſtituit inter illa, & hypothecas. Quæ ſuperiori capite diximus, omnia ſpectarunt ad conciliandam Marciani ſententiam, cum recepta opinione, quæ diſcernit *pignus* proprie ſumptum ab *hypotheca*, cum ille *pignus* & *hypothecam* ſono tantum nominis differre dixerit. Ne quis me argueret, ab ignorantia juris communem doctorum ſententiam ſubvertere voluiſſe, ea tum de conciliatione diverſiſſimarum opinionum diſputavimus, quæ ad rem pertinere viſa ſunt. Nunc meam ipſe proponam, & oſtendam à Triboniano introductum illud diſcrimen *pignoris & hypotheca*, quod antea in jure Romano notum non fuerat. Magnum opus, & arduum, quod an feliciter nobis ſucceſſurum ſit, judicent doctores, ſed doctiores. Præter alias plurimas ac validiſſimas rationes quibus adducti ita ſentire ſumus coacti, Marcianus nobis ſic autumandi quaſi auctor, & fundus fuit. Cum is dixit in libro ſingulari ad formulam hypothecariam, *inter pignus, & hypothecam tantum nominis ſonum differre*, quæ verba nullam recipiunt conciliandi viam cum vulgari diſtinctione Juſtinianea *pignoris & hypotheca*, quis poſſit credere diverſum eum abiiſſe à tot Juriſ-

conſultis,

conſultis, qui tunc vivebant, & in alia erant ſententia? Si ſæculum illud Juriſconſultorum, quo Marcianus vixit ſcripſitque, eam agnoſcebat differentiam pignoris & hypothecæ quam ſuggerunt Digeſta à Triboniano collecta, cur eam contraria finitione evertit idem Marcianus, qui nullam omnino videtur agnoſcere, niſi in nominis ſono? Rem ita eſſe, ut eam tradidit Marcianus, utriuſque nominis uſus & notio apud Græcos & Latinos oſtendit. Latinis *pignus* id omne ſignificat, quod conventione obligatur ob ſecuritatem crediti, aut quod eo nomine traditur. Ergo tam *hypothecam* Juſtiniani, quam *pignus* comprehendit. Pignus contrahi dicitur duplici modo, vel nuda conventione, in qua locum habet Juſtinianea vel Tribonianea hypotheca; vel rei ipſius traditione, in qua verſatur pignus ejuſdem. Græcis ὑποθήκη appellatur, quidquid ex bonis debitoris ſupponitur creditori, qua mobile, qua immobile, ſive per obligationem ex conventione, ſive per traditionem. Nam & ὑποτίθεσθαι ἐνέχυρον, hoc eſt, pignus rei mobilis, æque dicunt, ut immobilis. Vetus inſcriptio ἐγγαίους ὑποθήκας vocat, rerum ſoli hypothecas, ad differentiam ſcilicet hypothecarum rerum mobilium, quæ *pignora* ſunt Juſtiniano. Ergo ὑποθήκη ipſis idem cum ἐνεχύρῳ, & vera eſt Marciani ſententia, aſſerentis, idem eſſe pignus & hypothecam, nec aliam eſſe inter hæc nomina differitatem, niſi ſoni. Hanc eamdem fuiſſe & veterum Juriſconſultorum, qui Marciano erant contemporanei, opinionem, multis probari poteſt. Paulus cum de utroque pignore, tam reali, quam conventionali titulum in libris Sententiarum poneret, *De pignoribus* tantum inſcripſit. Sincerum incruſtavit Tribonianus, & de ſuo addidit, quod non erat in libris Juriſconſultorum, cum xx libro Digeſtorum ſuorum titulum primum fecit, *De pignoribus, & hypothecis.* Similiter & Codicis Theodoſiani titulus libri ſecundi trigeſimus fuit, *De pignoribus,*

ribus, ſine *hypothecis*. Eas adjecit Tribonianus in titulo Codicis Juſtinianei. Apud Paulum leg. xxxviii D. Mandati, idonea cautio exacta intelligitur, *cum fidejuſſor, & pignora accepta ſunt*. Doctores dum *pignora* Juſtiniani ſola ſomniant, *hypothecas*, hoc eſt, rerum immobilium pignora, excludunt ab idoneæ cautionis cenſu. Quam bene, nos ſupra oſtendimus. Nihil crebrius in libris Juris quam *pignori dari*, & *oppignerari*, quæ hypothecæ titulo obligantur. Ille idem Marcianus, qui nullum conſtituit inter pignus & hypothecam diſcerniculum, in eodẽ libro ad formulam hypothecariam, pignus cum hypotheca plane idem fecit, ubi dixit, *jura prædiorum urbanorum pignori dari non poſſe, ideo nec convenire poſſe, ut hypotheca ſint*. Quam legem infra explicamus contra doctorum ſententiam. Idem Marcianus in eodem libro ad formulam hypothecariam, leg. xvi D. eodem, *hypothecam* cum *pignore* confundit. Quod enim *hypothecam* prius nominarat, paulo poſt *pignus* vocavit: *Si duo pariter de hypotheca paciſcantur, in quantum quiſque obligatam hypothecam habeat, utrum pro quantitate debiti, an pro partibus dimidiis, quæritur. Et magis eſt ut pro quantitate debiti pignus habeant obligatum*. Si *pignus* idem cum *hypotheca*, cur ea loquutio in eodem opere Marciani reperitur, & in eadem lege ix, *Pignoris datio hypothecave*. Item apud eumdem leg. xi D. eod. *Vſusfructus an poſſit pignori hypothecave dari?* Idem Marcianus leg. xii D. Qui potiores, *Titio mutuatus, pactus eſt cum illo, ut ei prædium ſuum pignori hypothecave eſſet*. Si hypotheca, inquam, eadem cum pignore, cur in hac formula rei immobilis obligandæ additur, *pignori hypothecave?* Certe quod pignori datur, omnino etiam hypothecæ datur. Nam & pignus ſi generali notione accipiatur, ipſam etiam hypothecam proprie dictam comprehendit. Quid igitur opus generali nomine præpoſito, quod rem ſuppoſitam & obli-

gatam

gatam teſtatur, ſpeciale ſubjicere; quod nihil poteſt adjicere ad ſignificationem? Si vero pignus in ſpeciali ſignificatu ſumatur, etiam ὑποθήκη eſt, quatenus & ipſum ὑποτίθεται. Verum in obligatione fundi, quod non traditur, non poteſt habere locum ea ſignificatio ſpecialis vocis *pignus*. Veteres Juriſconſulti pro illis verbis, *pignori hypothecave*, dixerunt *pignori fiduciave*. Quod explicabimus in capite ſequenti. Id mutatum eſſe à Triboniano omnibus locis, quæ in Digeſta retulit, poſſem vel juratus affirmare. In formula illa *hypothecaria* ad quam citatur liber ſingularis Marciani illius, qui non diſtinxit pignus ab hypotheca, non ſolum actio in rem dabatur creditori, circa hypothecas, ut Juſtinianus eas accepit, ſed etiam circa pignora. Hinc & in actionis formula hypotheca eadem cum pignore, quia & *pignus* ipſum quod re contrahitur etiam *hypothecæ* nomine Græcis Latiniſque pariter cenſetur, præterquam Juſtiniano. Ideo in Inſtitutis lib. IV de Actionibus Tribonianus de ſuo hæc intertexuit, *inter pignus & hypothecam quantum ad actionem hypothecariam attinet nihil intereſt, ſed in aliis differentia eſt*. Atqui Marcianus abſolute dixit, nihil niſi ſonum inter illa duo vocabula differre. Subjungit Tribonianus; *Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ ſimul etiam traditur creditori, maxime ſi mobilis ſit*. Id eſſe falſum, ſexcentis Juriſconſultorum teſtimoniis doceri poteſt, quæ in Digeſta à ſe compilata congeſſit idem Tribonianus, quibus *pignus* etiam dictum probatur de re immobili ſola conventione obligata. Nam & *pignori dari*, & *pignus dare* paſſim occurrit, vel de fundo, qui non traditur, ſed tantum obligatur. Quod & Græci δοῦναι ὑποθήκην, καὶ εἰς ὑποθήκην dicunt. Id in Latinis *dare fiduciam*, & *dare fiduciæ*, nobis quoque pluries occurreret, niſi verba eorum interpolaſſet Tribonianus. Quod idem ſubnectit: *At eam quæ ſine traditione*

nuda conventione tenetur, proprie hypotheca appellatione contineri dicimus. Hoc ſaltem obtinuit ille, ut *hypotheca* ubique in Digeſtis & in Codice pro re tantum, quæ nuda conventione ſine traditione obligatur, legeretur. In pignore id non potuit impetrare, ut hujus appellatione ea modo res contineretur, quæ ſimul etiam traditur creditori, & maxime quidem mobilis. *Quaſi Serviana autem*, inquit, *eſt, qua creditores pignora hypothecaſve perſequuntur*. Cajus dixiſſet, *qua creditores pignora perſequuntur*, & pignora hypothecaſque Juſtinianeas ſimul intellexiſſet. Sic Paulus *de pignoribus* ſcripſit, & utrumque complexus eſt. Sic Codicis Theodoſiani titulus *de pignoribus*, etiam hypothecas ita proprie Triboniano intellectas, pariter involvit. Nunc diſcutiamus & expendamus rationes, quæ à doctoribus afferuntur adverſus Marciani dictatum, quo pignus & hypothecam ſolo nominis ſono diſtare pronuntiavit. *Pignus* primo rei mobilis eſſe, *hypothecam* immobilis probant ex leg. ccxxxviii D. de verborum ſignificatione. Verba Caii ſunt ex libro ſexto ad xii tabulas, *pignus appellatum à pugno, quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. Vnde etiam videri poteſt verum eſſe, quod quidam putant pignus rei mobilis proprie conſtitui.* Nulla in his mentio de hypotheca, eam eſſe rei immobilis. Quod de pignore dicitur, rei id proprie mobilis eſſe, ex etymo falſo & inepto adſtruitur. Abſurdum quippe eſt, *pignus* à pugno deducere, cum pugnus clauſam manum ſignificet. Unde & *pugnus* pro ictu, id eſt, κόνδυλοι, qui clauſa manu incutitur. Inde & *pugiles* appellati. At puſillum admodum id eſſe oportet, quod pugillo manus continetur. Talia ſunt & quæ Arabibus حفنة nomine veniunt. Quam multæ vero res ſunt mobiles, quæ manu teneri non poſſunt, nedum pugno? Ea tamen pignori dari poſſunt, & quidem in ſtricta, & ſpeciali

ſpeciali ſignificatione ſumendo de re mobili oppignerata. Uſus contra ſtetit, & Juriſconſultorum omnium auctoritas, qui pignus æque rei immobilis conſtitui dixerunt, & paſſim ita appellant. Demus hanc propriam ab origine ejus fuiſſe notionem; cum uſu loquendi contrarium ſtabilitum fuerit, id ſequendum. Ex his Caii apparet, quæ de hypotheca in Inſtitutis leguntur, à Triboniano fuiſſe adtexta. Græci certe ἐνέχυρον de rei mobilis pignore, & quæ manu traditur acceperunt. Nec unquam fere aliter ſaltem apud antiquiores, illud nominis uſurpatur. Non idem Latini de *pignoris* nomine fecerunt. Illud autem ἐνέχυρον Græcorum, & Latinorum *pignus* proprie ſumptum, etiam ὑποθήκη dicitur, quatenus ὑποτίθησιν illud debitor. Addunt doctores differentiæ pignoris & hypothecæ adſtruendæ, plus eſſe cautionis in pignore, quam in hypotheca. Id jam ſupra confutavimus, & docuimus non eſſe hanc Pauli mentem, qui per pignora, etiam hypothecas intellexerit. Quod tertio objiciunt de hypothecaria actione, jam planum factum eſt, ejus actionis vi tam rem mobilem pignori traditam, quam immobilem ex ſola conventione obligatam pignori, à creditore vindicari. Quinimmò & *pigneraticiam* eamdem quidam appellarunt. Unde hoc, niſi quia *pignus*, & *hypotheca* idem? Et cum pignus rei mobilis & immobilis æque ea actione, ſi in alterius poſſeſſionem incidiſſet, à creditori vindicaretur, quis non videt utrumque appellatum *hypothecæ* nomine? At ea hypothecaria niſi intra certum tempus experiretur creditor, actione cadebat, pigneraticia autem qui haberet pignus, intra certum tempus experiri non cogebatur. Hæc nihil ad rem, nec quidquam faciunt ad adſtruendum diſcrimen *pignoris* & *hypothecæ*, quale eſſe volunt. Diverſæ hæ ſunt actiones. Hypothecaria in rem eſt, pigneraticia in perſonam. Duplex pigneraticia, directa & contraria. Hæc datur creditori ad ſum-

ptus

ptus recuperandos in rem pignoratam factos, illa debitori ad pignus recipiendum, pecunia ſoluta. Nemo negaverit quin pigneraticia utraque etiam hypothecas ſic proprie appellatas complectatur, ſi hypothecæ dicendæ ſunt rerum tantum immobilium. Nam & rem immobilem ſibi traditam ſi meliorem fecit creditor, agit contraria pigneraticia, ut impenſas illas recipiat. Et de ea etiam tractaverat Marcianus in libro ſingulari *ad formulam hypothecariam*, ut manifeſtum fit ex leg. xxxii D. de pigneraticia actione, ubi dicit, *ſi pecuniam debitor ſolverit, poſſe pigneraticia actione uti ad recuperandam antichreſin.* Ergo & pigneraticia actio ad formulam hypothecariam pertinuit. Quinimmo cum antichreſis rerum ſit immobilium, ſi hypotheca, ut opinantur doctores, rei tantum eſt immobilis, pigneraticia qua ea repetenda eſt, hypothecaria etiam recte dicetur. Profecto Marcianus ille qui inter hypothecam & pignus nihil diſcriminis ſtatuit niſi litterarum ſonum, cum de hypothecaria μονόβιβλον ſcriberet, in eum librum congeſſit non ſolum quæcunque ad quaſi Servianam pertinerent, ſed etiam quæ ad omnes pigneraticias actiones. Idem fecerat & Gaius, qui & ipſe ὑποθηκαρίας librum unum compoſuit. Paulus etiam de *hypothecaria* μονόβιβλον ſcripſit. Nomen *hypothecariæ* in actione Quaſi Serviana plane generale eſt ad pignora & hypothecas perſequendas. Similiter & *pigneraticia* nomen habet generale, ad res immobiles mobileſque repetendas directa, aut contraria ad ea recuperanda quæ impendit creditor tam in pignus rei mobilis, quam immobilis, quam fecerit meliorem. Ergo tam pignus, quam hypotheca, ejuſdem rei appellatio cenſenda eſt, & quidem generalis, æque de rebus mobilibus, atque immobilibus. Reſtat quarta & ſumma ratio ad differentiam pignoris & hypothecæ ſtabiliendam. Hypothecarius creditor non poteſt experiri adverſus tertium poſſeſſorem principali

non

non diſcuſſo ex Novella IV de fidejuſſoribus cap. IV. At *pigneraticius* creditor, etiam principali non diſcuſſo tertium pignoris poſſeſſorem convenire poteſt, ex leg. ult. Cod. de prætorio pignore. At nos non hic loquimur de jure Juſtiniani, quem ſcimus introduxiſſe diſcrimen *pignoris & hypothecæ*, ſed de antiquorum Juriſconſultorum loquendi more & uſu, qui nihil tale noverunt. Præterea cum *pignus* generale ſit nomen, *pigneraticium* creditorem etiam de *hypothecario* dici poſſe nullum eſt dubium. Sed nec minus *hypothecarius*, quem ὑποθηκιμαῖον Græci dixere, antiqui Juriſconſulti *fiduciarium*, generali notione tam de eo creditore cui res mobilis tradita eſt, quam cui immobilis obligata eſt, poteſt accipi. Poſtremo ex illis duabus legibus neutiquam colligi poſſe video, quod diſtet pigneraticius creditor ab hypothecario. Novella illa quarta conſtituit, res debitoris apud alium conſtitutas non poſſe vindicari à creditore actione hypothecaria, niſi prius expertus ſit actione in perſonam contra mandatores, fidejuſſores & ſponſores. Hæc conſtitutio non ſolum valet in hypothecario creditore, ſed etiam in pigneraticio, quandoquidem non ſolum res immobiles, ſed etiam immobiles ea actione vindicari ſolebant. Nam & inſtituta Juſtiniani plane teſtantur, quoad hypothecariam quæ in rem datur creditori, nullam eſſe differentiam pignoris & hypothecæ. Ex lege porro illa ultima Cod. de pignore prætorio, nullo modo evinci poteſt, pigneraticium creditorem etiam principali non diſcuſſo convenire poſſe tertium poſſeſſorem. Primo prætorium pignus non ſolum creditori dabatur ſententia judicis ex rebus mobilibus; ſed etiam immobilibus & ſe moventibus, ut liquet ex leg. I Cod. eodem. Non itaque pigneraticio creditori id pignus à judice decernebatur, ſed etiam hypothecario. Deinde quod in ſequenti & ultima lege Juſtinianus exæquat prætorium pignus conventionali quan-

quantum ad actionem hypothecariam, non ex eo ſequitur, poſſe creditorem recta convenire tertium poſſeſſorem ac detentorem rei pignoratæ, non diſcuſſo principali, ſed poſſumus interpretari, ubi diſcuſſi fuerint mandatores, fidejuſſores & ſponſores, tum veniri ad tertium poſſeſſorem, qui res debitoris, quæ creditori oppigneratæ fuerant, detinet. Quod conſtitutum eſt à Juſtiniano Novella qua ſupra, IV. Sed demus, tum licuiſſe creditori res vindicare, quæ tertius poſſeſſor detineret non conventis fidejuſſoribus, id jus mutaſſe Novella illa dici tantum poſſet, non etiam inde argui ulla *pigneraticii* & *hypothecarii* creditoris differentia. Poſtremo omnia illa quæ ſuperius allata ſunt, nihil omnino faciunt ad probandum pignoris & hypothecæ diſcrimen, quale ab illis ipſis doctoribus ſtatuitur, ut pignus rei proprie ſit mobilis, hypotheca immobilis. Non enim in hoc vertitur harum vocum vel ex jure Juſtinianeo differentia, quod pignus in ſola traditione, aut hypotheca in ſola obligatione ſine traditione conſiſtat. Si res mobilis non tradatur, ſed obligetur tantummodo, ex pignore evadet *hypotheca*. E contra ſi res immobilis tradatur, non obligetur tantum, ex hypotheca *pignus* exiſtet. Nam rem immobilem quæ ſic traditur, *εἰς ἰδικὸν ἐνέχυρον* dari, in pignus proprie ac ſpecialiter ſumptum, aliquot locis Novellarum dicit. Quam differentiam dico abſurdam eſſe, & contra communem Græcorum Latinorumque veterum loquendi uſum, nec poſſe oſtendi, uſitatam ac receptam fuiſſe antiquioribus prudentibus. *Ὑποθήκη* enim eſt quidquid ſupponitur, vel ut puriore ævo loquuti ſunt, opponitur creditori, ſive mobile ſit, ſive immobile, ſive tradatur, ſive non tradatur. Et ſane mirum, in omnibus fragmentis Juriſconſultorum priſcorum quæ ad nos pervenerunt integra à contaminatione Triboniani, nuſpiam inveniri mentionem *hypothecæ* eo ſenſu, quo à Triboniano nobis in juris compilatione

pilatione tradita eſt. Paulus in libris Sententiarum titulum poſuerat, *De pignore fiduciave.* Pro quo ubique mutavit Tribonianus, *De pignore hypothecave.* In titulo de lege commiſſoria apud eumdem cum toties *pignorum* rerum mobilium immobiliumque meminerit, ne ſemel quidem *hypothecam* nominavit, ſed ubique *fiduciam*, & *pignus*. De qua infra pluribus in capite ſequenti. Cum Imperium Romanum cui leges tum condebat novas, vel ex antiquis renovatas, Juſtinianus, majori ex parte Græco uteretur ſermone, hujus linguæ uſui præcipue inſervire voluit, & Latinam quæ jam à priſtina puritate deſciverat ei accommodare. Ἐνέχυρον Græcis id proprie pignoris genus ſignificat, quod traditur, & maxime rei mobilis. Ut pignus Græcæ voci congrueret pro generali notione, quam antea paſſim in ſolo Romano habuerat, ſpecialem ei attribuere voluit, & qualem Græcum ἐνέχυρον habebat. Id ut procederet, alia excogitanda fuit dictio, quæ vim ſpecialem præ ſe ferret, quæque alteri illi ſpeciali eſſet opponenda. *Hypotheca* nomen ad hoc viſum idoneum, quia in uſu Græcis illius temporis pro rei immobilis obligatione magis frequentaretur, cum tamen ejus ſignificatio omnino ſit generalis, & Græcis antiquis ſemper de omni pignore, quod traditur obligaturve, fuerit uſurpata. Sed quia ἐνέχυρον proprie dicebatur de pignore rei mobilis & quæ traderetur, ideo ὑποθήκη, quæ appellatio erat generis, pro ſpeciali rerum immobilium obligatione accepta eſt. Pro hypotheca in hoc ſenſu quo opponitur pignori ſpecialiter ſumpto, *fiduciam* magis dixiſſe veteres Juriſconſultos in ſequenti capite docemus, quæ tamen & ipſa pro quovis pignore, immobilium mobiliumque & ſe moventium rerum, ab ipſis promiſcue poſita eſt. Hæc illis quibus nihil ſapit, niſi quod ipſi coxerunt, mira videbuntur & abſurda: Meliora me doceant, & viri ſunto. Cum omnia fecerit Tribonianus, ut *pignus* ſpeciei nomen eſſet,

eſſet, quod erat generis, hoc non potuit efficere. De *hypotheca*, quæ generis appellationem habent apud Græcos veteres, ut Latinis ſpeciale nomen obtineret de quacunque re pignori data, quæ non traditur, pæne à nobis impetraverat, niſi fragmentum illud Marciani inſeruiſſet, quo edocti ſumus, nihil fuiſſe differentiæ penes antiquos Juriſconſultos inter pignus & hypothecam, præter ſonum, cum alterum Latinum ſit, alterum ex Græco, & æque utrumque generalis ſignificationis. Non igitur reſpondere poteſt vox Latina pignus Græcæ ἐνέχυρον, niſi cum pignus ſpecialiter accipitur, cum Græcorum ἐνέχυρον nunquam ſoleat generaliter accipi. Hinc cum in Digeſtis res aliqua *pignori data* dicitur, quæ immobilis eſt, Græci interpretes non ſolent reddere, εἰς ἐνέχυρον, quia vox ea Græcis non accipitur pro hypotheca immobilium, ſed potius vertunt, εἰς ὑποθήκην. Lex XIX D. de pignoribus, ſic habet: *Qui pignori plures res accepit, non cogitur unam liberare, niſi accepto univerſo quantum debetur.* Ita enim Græci verterunt apud Harmenopulum lib. III, cap. V: Πολλὰ πράγματα λαβὼν εἰς ὑποθήκην, εἰ μὴ πληρωθῇ τὸ χρέος, οὐκ ἀναγκάζεται τὸ ἓν ἐλευθερῶσαι. Cui legi debet præponi titulus apud Harmenopulum, περὶ ὑποθηκαίων πραγμάτων, ex veteribus exemplaribus, cum vulgares eum ad ſequentem paragraphum rejiciant. Sequitur autem definitio ὑποθήκης, quaſi ex Juriſprudentium Romanorum ſententia, ὑποθήκη ἐστὶ τὸ παρῳγμένον τῷ χρεωστῇ, ὑποτιθέμενον δὲ τῷ δανειστῇ. Sed & pignori obligata ſi immobilia ſint, in quibus hypothecæ proprie nomen locum habet, ὑποτιθέναι εἰς ἐνέχυρον ſolent appellare, cum Græci veteres & Attici de ſolis mobilibus & in manum creditori tradendis, ita loquerentur. Secundum Romanam Juriſprudentiam, quod pignori datur, etiam hypothecæ datum intelligitur. Quod vero hypothecæ nomine obligatur, non etiam traditum debet intelligi, cum

cum de his quæ conventione obligantur id nominis duntaxat accipiatur. Juriſconſulti porro hodierni videntur perperam expoſuiſſe leg. xi D. de pignoribus, quæ ſic habet: *Iura prædiorum urbanorum pignori dari non poſſunt, igitur nec convenire poſſunt, ut hypotheca ſint.* Ad quem locum notant, argumentum eſſe à pignore ad hypothecam. *Pignus*, inquiunt, *datur, hypotheca fit conventione, ut hic: pactum tantum conventum de hypotheca intervenit, in pignore poſſeſſio traditur. Ergo quod pignori dari non poteſt, id hypotheca quoque dari non poteſt.* Ita illi argumentantur, ſed falſo. Nec enim verum eſt, quod dari pignori non poteſt, ne quidem hypothecæ poſſe, ſi pignus in propria ſua ſignificatione hic accipiamus. Quippe è contrario certum eſt, quæ tradi non poſſunt more pignoris rerum mobilium, poſſe illa obligari, id eſt, hypothecæ dari. Sed & ſupra docuimus, & quæ tradi poſſunt, poſſe ſine traditione obligari, ut ſunt res mobiles; & quæ ſine traditione obligantur, ut immobiles, etiam tradi poſſe vice pignorum, & poſſidenda creditoribus dari. At *pignori dare* in illa lege in lata illa notione ſumendum eſt, qua pignus etiam ad hypothecæ ſignificationem porrigitur. Et hæc mens eſt Juriſconſulti, quoniam jura prædiorum urbanorum pignori dari non poſſunt, id eſt, hypothecæ titulo obligari, nec conventionem fieri poſſe, ut ſint pignori, vel hypothecæ. Nam in hac lege *pignus* & *hypotheca* idem ſunt. Alias non valet argumentum à pignore ad hypothecam, ſi pignus proprie accipiatur de re mobili, quæ pro debito ita obligatur, ut etiam tradatur. Nam ſi res ejus naturæ non ſit, ut ſic obligari poſſit, id eſt, pignori proprie ſic dicto dari, nempe per traditionem, nihil prohibet quin eſſe hypothecæ queat, ut ſunt omnes res immobiles. Pignus hic pro hypotheca ſumi debere, ſequens lex oſtendit, ubi Paulus quærit, an circa jura prædiorum ruſticorum conventio pignoris

locum habeat, cui locus non eſſet in ruſticis. De legis ipſius ſentẽtia, qua Marcianus pronuntiat, jura prædiorum urbanorũ pignori, ſive hypothecæ dari non poſſe, nec conventionem de his proinde fieri, ut hypothecæ ſint, certatur inter doctores, & quærunt, an aliud ſit in prædiis ruſticis. Maxime vexat eos & torquet, quod Paulus in ſequenti proxime lege videtur aliud ſtatuere in ruſticorum prædiorum ſervitute, quam pignerari poſſe reſpondit. Quæ cauſa autem differentiæ? Varios igitur quæſivere conciliandi modos inter hos veteres Juriconſultos neoterici ac noſtri. Quidam priorem legem ad jam conſtitutam ſervitutem putant referendam, poſteriorem ad conſtituendam. Alii aliter, quæ longum eſſet referre aliud agenti. Mihi nullum inter Marcianum & Paulum videtur fuiſſe diſcidium. Ut enim verba ſunt Pauli ea lege XII, plane apparet, in iis quæ apud ipſum præcedebant libro ſexageſimo octavo ad Edictum, idem omnino ſenſiſſe ac ſcripſiſſe quod Marcianum, nempe ſervitutes prædiorum urbanorum pignerari non poſſe. Cum igitur in antecedentibus ſcripſiſſet, conventionem fieri non poſſe, ut jura prædiorum urbanorum hypothecæ ſint, ſubjecerat ex dubitatione Pomponii, an idem in prædiis ruſticis reſponderi deberet: *Sed an via, itineris, actus, aquæ ductus pignoris conventio locum habeat, videndum eſſe Pomponius ait.* Quid clarius quam in præcedentibus affirmaſſe, eam pignoris, vel hypothecæ conventionem locum in ſervitutibus prædiorum urbanorum non habere? Quam ſententiam maluit Tribonianus verbis Marciani exponere quam Pauli. Et hunc morem eum perpetuò habuiſſe in jure compilando, poſſemus infinitis, quà exemplis quà argumentis probare. Si talis igitur pactio fiat, ut quamdiu pecunia ſoluta non ſit, creditor pignoris vicem utatur via, itinere, actu, aquæ ductu per debitoris fundum, an ea conventio locum habeat, videndum Pomponius ait. Cauſa du-

bitandi

bitandi ex eo, quod in ſervitutibus urbanorum prædiorum ejuſmodi conventio non valeret, ut nempe tigni immittendi jus haberet creditor in parietem debitoris, & alja. Cur ergo valeat in prædiis ruſticis? Fruſtra enim allegant doctores, ideo ſervitutes urbanas oppignerari non poſſe, quia perpetua ſit earum cauſa. Nec enim minus perpetua eſſe debet cauſa ruſticarum. Falluntur etiam doctores noſtri, qui ſimpliciter ponunt urbanas ſervitutes pignerari, ruſticas non pignori dari. Nec id ex verbis Pauli liquidum fit, qui Pomponii hæſitationem commemorat an in ruſticis ſecus ſit quam in urbanis, quoad viæ, itineris, actus, & aquæductus ſervitutem hypothecæ dandam. Quam etiam propoſitionem non ſimpliciter in medium jecit Pomponius, ſed cum caſu, & ea *συγχυρία*, ſi creditor vicinum fundum habeat, ut ſi intra certum diem pecunia ſoluta non ſit, vendere eas vicino liceat. Ut valeat igitur conventio pignoris in ſervitutibus viæ, itineris, actus, aquæductus pignerandis, oportet hæc duo concurrere, ut creditor vicinus ſit debitori, & habeat ipſe vicinum cui vendere poſſit eas ſervitutes, pecunia ſibi ad diem non ſoluta. Hoc enim fini dantur res pignori creditori à debitore, ut ſi hic ad diem non ſolvat, poſſit creditor pignus vendere, & ex venditi pretio debitum recipere. Quo igitur pignus aut hypothecam, ſi neutrum liceat creditori vendere, debitore moras ſolutioni nectente? Non ſatis eſt itaque, me vicinum habere fundum meo debitori, ut ſervitutes in ejus prædio pignoris loco accipere poſſim, ſed etiam neceſſe eſt, ut & vicinum ipſe habeam cui poſſim illas vendere, ſi ad diem præſtitutam mihi pecunia renumerata non ſit. Hæc unica ratio eſt cur in prædiis urbanis jura pignori dari non queant. Fac, me vicinas habere ædes debitori meo, ita ut conventionem hanc poſſim cum illo facere, qua jus mihi concedatur pro pignore, altius tollendi, tigna in parietem ejus immittendi, projiciendi

ciendi protegendique. Nullum certe eſt dubium, quin talia jura æque poſſint pignori dari, & ad tempus utenda concedi creditori, quam viæ, itineris, actus, & aquæductus in prædiis ruſticis. Sed quid fiet ſi debitor intra diem non ſolvat, & velim hypotheca illa vendita meum recuperare? Neminem habebo cui poſſim illa vendere. Nam vicino meo hæc jura neutiquam ſunt profutura, qui non poteſt uti ejuſmodi ſervitutibus, cum ædes ipſe interjectas habeam inter ejus ædes, & debitoris. At in prædiis urbanis poſſum habere vicinum cujus æque interſit ac mea, idem jus habere eundi, agendi, & aquæ ducendæ per fundum debitoris mei, quod mihi hypothecæ poſitum eſt. Hoc jus igitur illi vendere potero, quod mihi à debitore obligatum eſt ſi intra certum diem pecunia reddita non ſit. Non de nihilo itaque hæc conditio à Juriſconſulto adjecta videtur, ut rata ſit hæc pactio de jure prædiorum ruſticorum creditori oppignerando, ſcilicet, ſi vicinum fundum habeat, & ſi intra diem certum pecunia ſoluta non ſit, vendere eas vicino licere. Per eam enim ſolam dirimitur diſſenſio, quæ inter Marcianum & Paulum viſa eſt eſſe doctoribus noſtris, & jus diverſum ſtabilitur circa prædiorum urbanorum & ruſticorum ſervitutes non pignerandas, aut pignerandas. Si hoc ageremus, pluribus hanc ſententiam noſtram confirmaremus. Id autem ex his quæ ad eam legem adnotavimus conſtat, non ad hoc tantum pignora, vel hypothecas dari, ut per eorum retentionem ſecuritas creditori præſtetur, ſed etiam, ut ea vendere illi liceat, & ex pretio debitum recuperare, ſi moram in ſolvendo ad tempus præſcriptum faciat debitor. Quinimmo apud Græcos, ſi de pignoribus dandis ab initio nihil conveniſſet, jus erat creditori, non ſolvente ad diem debitore, pignora ab eo capere, atque illa vendere, ut ex venditis ſumma debiti ſarciretur: ſi non ſufficerent, alia etiam auferre, ex quorum venditione

tione ſummam integram reciperet. Idque ut liceret creditori, in ſyngraphis, tam nauticis, quam communibus, vulgo cavebatur in Græcia. Hoc enim ἐνεχυράζειν dicebatur de creditore, qui pignora capiebat pro debito, ſi ὑπερήμερος eſſet debitor, & ἐνεχυράζεσθαι de debitore unde capiebantur. Res ipſa ἐνεχυρασία & ἐνεχυρασμός. Quas voces multi viri docti, ut & illa verba ἐνεχυράζειν & ἐνεχυράζεσθαι, perperam accipiunt de pignoris datione, aut obligatione. Ariſtophanes in Nebulis, apud quem miſer obæratus ita queritur:

Ὑπὸ γὰρ τόκων, χρηστῶν τε δυσκολωτάτων
Ἄγομαι, φέρομαι, τὰ χρήματ' ἐνεχυράζομαι.

Ubi doctus interpres perperam vertit, *& bona mea miſere oppignero.* Immo, *& bona mea pignoribus captis diripiuntur.* Nam is ἐνεχυράζεσθαι dicitur à quo capiuntur pignora, non vicem hypothecæ ex conventione, quæ in debito contrahendo promiſſa eſt, aut tradita, ſed poſt moram à debitore factam ultra diem præſtitutum ſolvendi. Scholiaſtes vetus exponit, εἰς ἐνέχυρον τὴν οὐσίαν ἀφαιροῦμαι. Quod poſſet videri ambiguum utrum de pignoribus captis an de bonis oppigneratis intelligendum ſit, ſed quod ἀφαιρεῖσθαι dicit, quod direptionem quaſi per vim ſignificat, pignorum captorum ab invitis potius habere notionem videtur. Idque certiſſimum. Nam pignora quæ dantur ex pacto non auferuntur per vim à debitore, ſed ipſe ea ſponte tradit ex conventione. Idem Ariſtophanes in Ἐκκλησιαζούσαις:

Μὴ γυμνὸν εἶναι, μὴ πένητα μηδένα,
Μὴ λοιδορεῖσθαι, μὴ ἐνεχυραζόμενον φέρειν.

Ad quem locum Scholiaſtes: Ἔθος γὰρ ἦν τοῖς δικαζομένοις, ἐνέχυρα φέρειν, καὶ διδόναι τὴν ἑαυτῶν οὐσίαν. Pignora de his capi ſolebant, qui in jus vocabantur ob debita, ſed & qui condemnati judicatum non facerent, ſimiliter pignoribus captis coërcebantur. Interpres Latinus vir Græce alias doctus, male reddidit

& in hoc loco, *pignoratum ferre.* Nec Latine *pignerari* dicitur, qui ἐνεχυράζεται, ſed res quæ capiuntur. Quod & Græci dicunt λαβεῖν ἐνέχυρα. Demoſthenes in ea contra Euergum & Mneſibulum: Ὡς οὖν ἀληθῆ λέγω, καὶ ὅτι τῇ μὲν προθεσμίᾳ εἰλήφεσάν μου τὰ ἐνέχυρα. Græci quoque juris Conſtantinopolitani interpretes, λαμβάνεσθαι ἐνέχυρα dicunt de pignoribus, quæ ſic ab invitis capiuntur, cum tamen λαβεῖν ἐνέχυρον, & λαβεῖν ὑποθήκην etiam dicant de eo qui pignori, vel hypothecæ aliquid obligatum accipit. Latinis tamen aliud eſt *pignori capere*, aliud *pignori accipere.* Illud de pignore *coactivo*, hoc de *conventionali.* Græca autem Demoſthenis, εἰλήφεσαν τὰ ἐνέχυρα de illo genere intelligenda ſunt, ubi quis pignora per vim capit, alienam domum ob id ingreſſus. Hinc ἐνεχυρασίαν ποιεῖσθαι dicebantur, & ἐνεχυράζειν, ii qui id facecerent, & pignora ſic caperent. In eadem oratione: Καὶ τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἀνέμενεν, ὡς διὰ ταχέων με προσοίσοντα αὐτῷ τὸ ἀργύριον βουλόμενος ὑπ' αὐτοὺς τοὺς ἀγῶνας τῶν ψευδομαρτυριῶν τὴν ἐνεχυρασίαν μου ποιήσασθαι. Ubi ἐνεχυρασίαν τινὸς ποιήσασθαι, eſt pignora ab aliquo capere, idemque quod ἐνεχυράζειν, ut paulo poſt ſequitur: Εἰ δέ μοι ὀργισθῆτε, ὅτι ἐνεχυράσων ἦλθον ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὴν τοῦ Θεοφήμου. *Si mihi ſuccenſeatis, quod pignora capturus ædes Theophemi acceſſerim.* Sic ἐνεχυράζειν accipitur apud Harpocrationem in voce ἀνδροληψία, his verbis: Ἀνδροληψία, τὸ ἁρπάζειν ἄνδρας ἔκ τινος πόλεως. Ἐνεχύραζον γὰρ τὴν ἔχουσαν πόλιν τὸν ἀνδροφόνον, καὶ μὴ παρέχουσαν εἰς τιμωρίαν. *Androlepſia, ſive clarigatio, eſt rapere homines ex aliqua urbe. Vrbem enim eam quæ reddere homicidam nolebat ad ſupplicium, pignoribus veluti captis ad reddendum cogebant, homines inde rapientes.* Jus ac mos erat trium pro uno rapiendorum, ut ex Polluce conſtat. Qui igitur hominem aliquem rapit ex aliqua civitate pro eo quem illa non vult reddere, ἐνεχυράζειν eam urbem dicitur. Gloſſæ: *Clarigatio,*

gatio, ἁρπαγὴ, ἐνεχυρασμός. Ita legendum. Ita apud Dionyſium Halicarnaſſeum ἐνεχυράζειν τὴν οἰκίαν eſt ædes alicujus ingredi, pignorum cauſa capiendorum, de obæratis: Τὰς τούτων οἰκίας μηδενὶ ἐξεῖναι, μήτε κατέχειν, μήτε πωλεῖν, μήτε ἐνεχυράζειν, μήτε γένος αὐτῶν ἀπάγειν πρὸς οὐδὲν συμβόλαιον. Quibus in verbis οἰκίας κατέχει, qui eam cauſa pignoris tenet. At ἐνεχυράζει, qui ad capienda rapiendaque inde pignora eas intrat ac pervadit. In veteri inſcriptione Græca ἐνεχυραστὸς vocatur de quo licet pignora capere: Εἰ δέ κα μὴ δέξηται λαβὼν, ἀποτεισάτω δραχμὰς ἑκατὸν πεντήκοντα, καὶ πράξαντα αὐτὸν ὁ ἀρτυτὴρ, καὶ ἐνεχυραστὸς ἔστω αὐτῷ κατὰ τὸς νόμος. Qui hic ἐνεχυραστὸς vocatur, paulo poſt in eadem inſcriptione, πρακτὸς καττ' ἐνεχυρασίαν, aut ἀπὸ ἐνεχυρασίας appellatur, id eſt, *à quo exigi multam licet, pignoribus captis.* Εἰ δέ κα μὴ ποιεῖται τὰ ποτιτεταγμένα, ὀφειλέτω τῷ κοινῷ δραχμὰς τετρακοσίας, καὶ τοῦ κοινοῦ μὴ μετεχέτω ἐστόκα ἐκτείσῃ, καὶ πρακτὸς ἔστω ὑπὸ τῶν αἱρεθέντων ἀνδρῶν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ καττ' ἐνεχυρασίαν κατὰ τὸς νόμος. Et paulo poſt, καὶ πρακτὸς ἔστω ὑπὸ τῶν αἱρεθέντων ἀνδρῶν ἀπὸ ἐνεχυρασίας κατὰ τὸς νόμος. Quod idem eſt ac ſupra, ἐνεχυραστὸς ἔστω αὐτῷ, pignoribus captis cohercendus & cogendus ad ſolutionem. Qui in jure noſtro & apud alios idoneos Latinitatis auctores, *pignoribus captis coërceri* dicuntur, uno verbo Græci eos dicunt ἐνεχυράζεσθαι. Ut apud Suetonium in Julio: *Vectium pignoribus captis & direpta ſupellectile male mulcatum conjecit in carcerem.* Quæ ſi quis Græce velit vertere, ita poſſit: Οὐέκτιον ἐνεχυρασθέντα, καὶ ἐπίπλων διαρπαγέντων κακῶς αἰκισθέντα εἰς φυλακὴν ἐνέβαλεν. Ubi pignora hoc modo capiuntur ad coërcendum aliquem, vis ſemper ac direptio adhibetur, nec volente reo id fit. Unde & ἐνεχυρασμὸς in ἀνδροληψίᾳ. Ideo qui hanc direptionem & captionem pignorum patitur, ἐνεχυράζεσθαι dicitur, & ἐνεχυράζειν, qui facit. Hinc ſæpe jungitur cum his, quæ per vim ab invitis auferuntur & rapiuntur. Apud Ezechielem

chielem cap. xviii, verſ. xvi: Καὶ ἄνθρωπον οὐ κατεδυνάστευσεν, καὶ ἐνεχυρασμὸν οὐκ ἐνεχύρασεν, καὶ ἅρπαγμα οὐχ ἥρπασεν. Quo loco tamen Hieronymus vertit, *& pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit*. Quaſi de pignore dato ob debitum non retinendo ibi agatur. Quod ter eo capite repetitur, & ſimul cum rapina junctim ponitur. Aliis enim locis, ἐνεχυρασμὸν ὀφείλοντος ἀποδώσει legitur. Apud Jobum cap. xxiv, ubi varia violentiæ genera enumerantur, ἀσεβεῖς δὲ ὅριον ὑπερέβησαν, ποίμνιον σὺν ποιμένι ἁρπάσαντες, ὑποζύγιον ὀρφανῶν ἀπήγαγον, καὶ βοῦν χήρας ἐνεχύρασαν. Quibus verbis non eſt dubium, quin de pignore per vim capto à vidua intelligendum ſit, ut & cap. xxii ejuſdem: Ἠνεχύραζες δὲ τοὺς ἀδελφούς σου διακενῆς. Id eſt, pignora cepiſti à tuis fratribus, qui nihil debebant. Quod ſequitur, de pignorum captione hęc capienda eſſe oſtendit, ἀμφίασιν δὲ γυμνῶν ἀφείλου. Sed & pro διακενῆς, Symmachus ἀναιτίους verterat, hoc eſt, ut Olympiodorus explicat, τοὺς μηδὲν ὀφείλοντας. Ergo de pignoribus, quæ capiuntur ex nihil debentibus, non de his quæ ſponte dantur à debitore hæc accipi debent. Cum enim pignora ex conventione dentur à volentibus in debito contrahendo, vix queant διακενῆς dari, & ab ἀναιτίοις, quia nemo niſi pactione pro debito cogitur de pignoribus dandis conſentire. Ubi autem per vim pignora capiuntur, poſſunt etiam qui nihil debent hanc injuriam pati. Quo nomine & βλάβης erat actio adverſus διακενῆς ἐνεχυράζοντας. Non dubium itaque eſt quin locis omnibus ſupraſcriptis apud Jobum & Ezechielem ἐνεχυράζειν interpretes Græci, & ἐνεχυρασμὸν de pignoris capione, quod ab invitis per vim aufertur poſt moram ſolutionis, intellexerint, quandoquidem nihil aliud verbum illud ἐνεχυράζειν Græcis ſignificat, quam pignore capto aliquem ad ſolutionem compellere. Falli enim puto qui de pigneratione, ſive pignoris datione accipiunt, quæ fit ex pacto à volente debitore

tore in inſtanti quo pecuniam mutuam ſumit. Jam videndum quomodo ea vox ἐνεχύρασμα Græca, id eſt, חבל *chabol*, accipi debeat in Exodi XXII, ubi jubet Deus pignus acceptum de proximo ante occaſum ei reddi, ſi pallium aliud non habeat pauper debitor, in quo cubare poſſit. Ibi habent Septuaginta interpretes, ἐὰν δὲ ἐνεχύρασμα ἐνεχυριάσῃ. Ita enim in editione Romana legitur. Quæ ſi vera eſt lectio, non de pignoris capione, quæ per vim fit, ob moram ſolutionis, ſed de ea pignoris acceptione, quod à volente datur in mutuo contrahendo, erit intelligendum. Notandum quippe, quod à nemine obſervatum eſt, aliud videri eſſe ἐνεχυράζειν, aliud ἐνεχυριάζειν. Illud verbi *pignus capere* ſignificat, hoc *pignori dare*. Qui pignori dat rem ſuam ob ſecuritatem creditori, quia id volens facit & ex conventione, ἐνεχυριάζειν eam dicitur, id eſt, *in pignus tradere*. Nam ab ἐνέχυρον, quod eſt *pignus*, ἐνεχυρία *pigneratio*, inde verbum ἐνεχυριάζειν *pignori dare*, vel *oppignerare*. Ita idem ille debitor, qui rem oppignerat eam ὑποτίθησι, creditor vero, qui accipit ὑποτίθεται. Sic qui rem fœnori dat, δανείζει, qui accipit, δανείζεται, & ſimilia. Ergo & ἐνεχυριάζεσθαι dicitur ſecundum hæc creditor, qui pignori aliquid accipit, quandoquidem debitor qui dat, ἐνεχυριάζειν cenſetur. Aliud eſt in verbo ἐνεχυράζειν. Cum enim hoc proprium ſit in agendi ſignificatione creditoris ipſius qui capit pignus ab invito debitore, debitor ipſe, qui non dat volens, ſed à quo aufertur, ἐνεχυράζεσθαι recte dicatur. E contra ἐνεχυριάζει idem debitor, cum pignus ex pactione non coactus tradit creditori. Cujus loquutionis exempla plura occurrunt apud auctores Græcos, præcipue Juriſconſultos. Theophilus in Inſtitutis lib. IV, cap. VI: Εἴτε γὰρ ἐνεχυριάσας μοι, εἴτε ὑποθεὶς τὰ σεαυτοῦ πράγματα, σὺ ὁ δεβίτωρ ὑπὲρ ὧν ἐδανείσω. *Sive pignori dederis, ſive hypotheca.* Harmenopulus lib. III, Tit. V: Ὁ τὸ ἀλλότριον ἐνεχυριάζων ἑαυτῷ ποιεῖ ἔνοχον, τὸ

γὰρ ἐνεχυριασθὲν οὐ ποιεῖ ἔνοχον τὸ κεκληρωμένον δηλονότι. In Baſilicorum Synopſi lib. xxv, Tit. I: Εἰ δὲ τὸν χαλκὸν διαβεβαιωσάμενος εἶναι χρυσὸν, ἐνεχυριάζειν. Ita ſcribendum, non ἐνεχύραζειν. *Si æs quod aurum adfirmavit eſſe, pignori dederit.* Quoniam ergo ἐνεχυριάζει debitor, qui rem pignori obligat ac tradit, certe ἐνεχυριάζεται creditor, qui eam accipit. In Exodo itaque ἐνεχύρασμα ἐνεχυριάζεται creditor, qui rem accipit pignori. Ἐὰν δὲ ἐνεχύρασμα ἐνεχυριάσῃ, *ſi pignus vero acceperis.* Alia vero ſignificatio fuerit, ſi legas, ut & in quibuſdam ſcribitur exemplaribus, ἐὰν δὲ ἐνεχύρασμα ἐνεχυράσῃς. Quod erit vertendum: *ſi pignus ceperis.* Nam aliud, ut diximus, ἐνεχυράζειν, quod dicitur de creditore, qui pignus ob moram ſolutionis, ab invito debitore capit, & aufert, aliud ἐνεχυριάζειν de debitore, qui volens pignus creditori tradit ex convento in debiti ſecuritatem donec ſit diſſolutum. Titulus eſt in Synopſi Baſilicon, lib. xxv: Περὶ ἐνεχυραζόντων. Ubi perperam legunt quidam περὶ ἐνεχυριαζόντων, cum ſit non de debitoribus, qui pignori res ſuas obligant, & oppignerant, ſed de creditoribus, qui alios pro illis, qui ſibi deberent, tenebant, & ad ſolvendum cogebant. Juſtinianus ἐνεχυρασμοὺς ejuſmodi prohibet Novella LII, qui perperam ſi forte ἐνεχυριασμοὶ vocantur in illa Conſtitutione, quos ἐνεχυρασμοὺς rectius Synopſis indigetat. Latine *clarigationes* ſunt. Barbari, qui *pignorationes* verterunt, & *pignoratores* τοὺς ἐνεχυράζοντας, confundunt ἐνεχυρασμὸν & ἐνεχυριασμόν. Nam *pigneratio* eſt ὑποθήκη, vel ἐνεχυριασμὸς, qua debitor rem ſuam ὑποτίθησι, vel ἐνεχυριάζει creditori. At ἐνεχυρασμὸς captio eſt, vel prehenſio pignoris, quam facit creditor. Si homo capitur, ut pro alio ſolvat, *clarigatio* eſt, & Græce ἀνδρολήψιον. Si res capitur, ut pro debito ſatisfaciat, pignoris captio eſt. Utrumque ἐνεχυρασμοῦ nomine, vel ἐνεχυρασίας comprehenditur. Gloſſæ veteres nondum editæ *clarigationem*, ὁμηρείαν, ἀρπα-

ἁρπαγὴν & ἐνεχυρασμὸν exponunt. Certum tamen eſt ἐνεχυριασμὸν & ἐνεχυρασμὸν paſſim Græcos auctores præcipue recentiores confundere. Omnino vis fit ei unde capitur pignus, ſive ut pro ſe ſolvat, ſive ut pro alio ſolutione fungatur. Synopſis Baſilicon tit. quo ſupra: Ἀλλὰ τὸν θαῤῥοῦντα ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου κατὰ τὸ τοῦ ἐνεχυρασμοῦ χρυσίον ἤ τι ἕτερον εἰσπράττειν τοῦτο ἀποδιδόναι τετραπλάσιον τῷ βεβιασμένῳ. Pro quo eſt apud Juſtinianum, τετραπλάσιον ἀναδίδοσθαι τῷ ἐνεχυρασθέντι. Non clarigationes autem tantum, hoc eſt, ἀνδρολήψια, ſed pignorum captiones, hoc eſt, rerum ἐνεχυρασμοὺς haud ſecus ac perſonarum prohibuit ea conſtitutione Juſtinianus, ut ex titulo Novellæ conſtat, qui ſic habet: Περὶ τοῦ μήτε προσώπου, μήτε πράγματος, μήτε χρυσίου γίνεσθαι ἐνεχυρασμόν. Ex quibus verbis clarum eſt, aliquando in Imperio Romano, ſub Imperatoribus, in debitis exigendis receptos fuiſſe hujuſmodi ἐνεχυρασίας, & ἐνεχυρασμοὺς, ſive pignorum captiones, quas in Græcia & oriente plurimum uſitatas fuiſſe olim liquet, priuſquam illæ provinciæ Romanorum leges ac jura accepiſſent. Cum enim eas in poſterum prohibeat, videntur vulgo antea uſurpatæ. De quibus in fine capitis. Et profecto locus ille Exodi de pignoris captione potius videtur intelligendus, quam de pignoris acceptione. Utrumque quidem ferre poteſt Hebraicus textus, אם-חבל תחבל. *Si pignus ceperis*, vel *ſi pignus acceperis*, ἐὰν ἐνεχυράσῃς, vel ἐὰν ἐνεχυριάσῃ. Verum res ipſa clare teſtatur, περὶ ἐνεχυρασμοῦ, ſive de pignoris captione ob moram ſolutioni factam, debere intelligi. Primum in Oriente toto, ut & Græcia, frequens hic mos, qui Romanis etiam veteribus cognitus. Deinde cum in præcedente verſiculo præceptum habeatur, ne, qui pecuniam mutuam pauperi dederit, urgeat eum quaſi exactor, nec uſuris opprimat, ibi locus erat admonendi de pignore non accipiendo ex conventione. De pignore enim ad ſecuritatem dando

ſimul

ſimul cum mutuo dato fieri ſolebat conventio. Immo ſimul utrumque fiebat. Pecuniam accipiebat debitor, pignus creditor. Quorſum attinebat pactionem facere de pignore dando, ſimulque id tradere, quod ante ſolis occaſum reddere deberes? Non putem igitur, de tali ulla conventione, aut traditione pignoris, verba Moſis accipienda, ſed de captione, quæ fiebat in ipſa exactione, niſi ſolutio debiti repræſentaretur. Hinc *pignerarium* veteres Gloſſæ πρακτόριον interpretantur, quod idem atque exactorium pignoribus captis. Ad hoc enim pignus capitur, ut exigatur quod debetur. Inde πράκτωρ ἀπὸ ἐνεχυρασίας, in veteri inſcriptione, à quo debitum exigi debet per pignoris captionem. Prohibet igitur per Moſem Deus, ne exactor acerbus ſit in mutuo exigendo frater erga fratrem, neve uſuris eum opprimat. Mos enim hic fuit in Oriente & Græcia fœneratoribus, ut ſi debitor non ſolveret ad diem, vel gravioribus uſuris ob pœnam moræ premeretur, ut infra dicturi ſumus, vel pignoris captione cogeretur ad ſolvendum. Idcirco in ſequenti verſiculo, de pignore præcipit, ut ſi pallii pignus captum ſit à proximo, qui illud unicum habeat in quo cubet, ante ſolis occaſum ei redderetur. Præterea in Deuteronomio, ubi hæc lex de pignore plenius exponitur, ſeptuaginta interpretes de ἐνεχυρασμοῦ plane docent intelligendum, dum ſic vertunt, ἐνέχυρον ἐνεχυράσαι. Nam creditor qui ἐνεχυράζει, non poteſt aliter accipi, quam de pignoris captionem faciente, cum ipſe debitor, qui rem pignori dat, ἐνεχυριάζειν eam dicatur, vel etiam, ſi velis, ἐνεχυράζειν. Poteſt enim idem verbum pro ratione debitoris, ac creditoris, in eadem agendi notione diverſam tamen habere ſignificationem, ut & patiendi. Ἐνεχυράζειν certe & ἐνεχυριάζειν, apud quoſdam auctores indifferenter uſurpatum reperitur, & pro pignoris captione, & pro datione. Hæc igitur ſola differentia verſatur ex perſona

agen-

agentis. Si debitor ἐνεχυράζει, vel ἐνεχυριάζει, dat utique pignus ex conventione. Si ἐνεχυράζεται, vel ἐνεχυριάζεται, capitur ex eo pignus, ob moram ſolutionis, vel ex cauſa judicati. Contra cum creditor dicitur ἐνεχυράζειν, vel ἐνεχυριάζειν capit pignus, ſi ἐνεχυριάζεται accipit ex pacto convento. Apud Pollucem καὶ ἐνεχυριάζειν ſcribitur de captione. Poſtremo de pignoris captione, quæ fit poſt debitum contractum, ubi moratur in ſolvendo debitor, accipi debere, verba legis aperte oſtendunt: Ἐὰν δὲ ὀφείλημα ᾖ ἐν τῷ πλησίον σου, ὀφείλημα ὁτιοῦν τι, οὐκ εἰσελεύσῃ εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐνεχυράσαι τὸ ἐνέχυρον. *Si debeat aliquis*, inquit, *tibi mutuum, non intrabis ædes ejus, ut capias pignus.* Ergo non de pignoris datione, quæ fit dum mutuum contrahitur, intellexit, ſed de pignoris captione, quæ fit cum eſt exigendum. In Græcia qui debitum ita exigerent captione pignorum, ſæpe per vim intrabant domum debitoris, & quidquid vellent inde egerebant, & capiebant pro pignoribus, ut his diſtractis debitum poſſent recipere ex pretio. Demoſthenes contra Euergum: Καὶ ἄγγελος ἦλθέ μοι τις λιθοκόπος, τὸ πλησίον μνῆμα ἐξεργαζόμενος, ὅτι πάλιν οἴχεται Εὔεργος τὰ ὑπόλοιπα μου σκεύη ἐκφορήσας ἐκ τῆς οἰκίας, πρὸς ὃν οὐδέν μοι πρᾶγμα ἦν. Nempe *pignerarii* nomine, & ἐνεχυρασμοῦ. Hic eſt enim ἐνεχυρασμὸς, qui XXIV capite Jobi fieri dicitur, חנם *chinam*, id eſt, gratis, διακενῆς, adverſus ἀναιτίους, καὶ μηδὲν ὀφείλοντας. Hoc eſt, quod queritur ille apud Demoſthenem, ingreſſum eſſe Euergum ædes ſuas, ut pignora caperet, & quod reliquum habebat ſupellectilis, egereret, cum tamen nihil illi deberet, ſibique cum eo nihil rei eſſet. Sequitur apud eumdem ſtatim: Ὡς οὖν ἀληθῆ λέγω, καὶ ὅτι τῇ προτεραίᾳ εἰλήφεσαν μου τὰ ἐνέχυρα, καὶ πάλιν αὐθημερὸν εἰσεληλύθεισαν εἰς τὴν οἰκίαν, ἔχετε τὴν δίκην. Item infra: Καὶ ἐνεχυράσων ἦλθον ἐπὶ τὴν οἰκίαν Θεοφήμου. Et ſub finem: Καὶ εἰσελθόντες εἰς τὴν οἰκίαν τά τε σκεύη ἐκφορῆσαι, τήν τε

πίτθην συγκόψαι γραῶν γυναῖκα ἕνεκα κυμβίου. Quod enim per vim plerumque pignora capi de invitis ſolerent, reſiſtentes & capere prohibentes male mulcabant, qui ea capturi venerant. Ea ratio non uno loco exempla ſuppeditat hujuſmodi violenti ædium ingreſſus alienarum ad capiunda pignora. Cum ſine vi & injuria dominorum id non fieret; noluit in Iſraëlitarum populo Deus, qui capturi venirent, alienam domum intrare, ſed ſtare pro foribus & expectare ubi petiiſſet, donec ipſe debitor ea foras efferret: *Ἔξω στήσῃ, καὶ ὁ ἄνθρωπος οὗ τὸ δάνειόν σοί ἐστιν ἐν αὐτῷ, ἐξοίσει σοι τὸ ἐνέχυρον ἔξω.* Præterea cum omne genus utenſilia capi liceret pignoris nomine, molam tantum ſuperiorem & inferiorem ne in pignus caperentur, cavit ibidem per Moſem Deus: *Οὐκ ἐνεχυράσεις μύλον, οὐδὲ ἐπιμύλιον, ὅτι ψυχὴν οὗτος ἐνεχυράζει.* In ſumma ubicunque *ἐνεχυράζειν* creditor dicitur, haud aliter explicari poteſt, quam de pignoris captione. Nec Græci unquam veteres, neque Helleniſtæ, ne quis nobis hic obtrudat Helleniſticam imaginariam dialectum, alia notione hoc verbum uſurparunt. Diogenes Laërtius in Menippo: *Φησὶ δ' Ἕρμιππος, ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι, καὶ γὰρ ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν, καὶ ἐξενεχυράζειν, ὥστε πάμπολλα χρήματα ἀθροίζειν. Vſura quippe nautica fœnerari ſolere, & pignora capere, ut pecunias ingentes colligeret.* Ita vertendum fuit, non & *pignori accipere.* Nauticum fœnus, ut turpius communi fuit, ita & hujuſmodi pignorum per vim captio, & *ἐξενεχυρασμὸς*, inhoneſta & dura viſa eſt, & honeſtioribus indigna. Apud Romanos in cauſa judicati auctoritate judicis permiſſa erat magis quam in mutuo. Apud Græcos & Orientales frequētiſſime in mutuo, ſi quis ad diem non ſolveret, atque *ὑπερήμερος* fieret, uſu receptus. Hinc videmus, ſeptuaginta interpretes leges Moſaicas de pignoribus, de hac pignorum captione, hoc eſt, de *ἐνεχυρασμῷ* expoſuiſſe, non de pignorum obligatione & tradi-

traditione ad ſecuritatem crediti. Quibus interpretibus magis credendum aio quam ceteris omnibus, qui vixere poſt Judæam Romanis legibus ſubjectam. Iſti quippe cum rarenter pignora capi ob mutuum tardius ſolutum in Judæa, quæ more Romano tunc agebat quoad civile regimen, viderent, de ἐνεχυριασμῷ, non de ἐνεχυρασμῷ, hoc eſt, de pignoris captione, non de pignoris conventionalis acceptione, eas Moſaicas de pignoribus leges interpretati ſunt. Sed dicet aliquis an non tunc cum Septuaginta ſcripturas in Græcum converterent, mos fuit ſub pignoribus mutuandi, & hypothecarum dandarum? Immo certum fuiſſe. Ceterum cum Deus cauſam ibi pauperum præcipue agat, quos nec uſuris opprimi vult, & quibus etiam reddi pignus præcipit, ſi non aliud habeant pallium in quo dormiant, hæc pignorum captio, ſive ἐνεχυρασμὸς in pauperibus præcipue locum habuit, & qui aliter ad ſolvendum compelli non poterant, niſi captis pignoribus. Ditiores enim quando mutuabantur, pignori obligabant, aut fundos, aut pretioſam ſupellectilem, qua facile carere poterant. At de pauperibus qui non haberent in ſupellectile præter illa, quæ ad vitam ipſis eſſent neceſſaria, quæque & plerumque tanti non forent, ut idonea viderentur, vix pacto accipiebantur talia pignora. Neminem autem licebat mutuum petentem fratrem repellere in Judæa. Qui pignori porro accepiſſet veſtimentum debitori ad cubandum neceſſarium, eo animo ut ſervaret donec ſibi debitum eſſet ſolutum, graviſſime eum afflixiſſet, retinendo eam rem tamdiu qua non poſſet carere. Pignorum vero captio ad hoc inſtituta, præcipue erga pauperes debitores, ut metu hujus incommodi, quod pati poſſent ablata ſibi ſupellectile adeo neceſſaria, de ſolvendo mature cogitarent. Ideo & pauperi reddi captum pignus voluit Deus, ſi is unde captum eſſet, non aliud haberet veſtimentum cui incubaret. Certe neq;

in

in Græcia moris fuit, ut creditores acciperent utenſilia pignori à pauperibus debitoribus. Nam ex oratione contra Timotheum conſtat, qui non haberent pignora idonea, ſine pignoribus mutuum contrahere ſolitos. ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι καὶ ἄνευ ἐνεχύρων ὤφειλέ τισι τῶν πολιτῶν, οὐκ ἔχων ὑποθεῖναι τὰ ἄξια, ἀνάγνωθί μοι τὴν μαρτυρίαν. *Vt autem ſciatis, quod ſine pignoribus debuit quibuſdam civium, quia non haberet idoneas res ad obligandum, recita hoc mihi teſtimonium.* Supellectilem, ut apparet, & quæ in uſu quotidiano quis haberet, ut veſtem, & alia ad uſum neceſſaria non moris erat apud Græcos pignori dari. Quod cum ne apud Latinos quidem, ſed ex generali bonorum obligatione ea exciperentur, ex jure ac moribus Græcorum id videntur hauſiſſe. Ideo excipiebantur ab hypotheca generali omnium bonorum, uti ſupra docuimus. Cum pauperrimis vulgo exercebant toculliones diarium fœnus, & in ſingulos dies ab his uſuram exigebant aliquot obolorum, ne ſi accumularetur ſumma majuſcula, minus idonei tandem exiſterent ad ſolvendum. Cum pauperibus, quibus pluſculum eſſet rei, menſtruum, & ſine pignoribus, ut dixi. Qui ſi ſtatuta die non ſolverent uſuras, aut ſortem, pignoribus captis cogebantur ad ſolutionem. Hinc ille obæratus apud Ariſtophanem ab importunis creditoribus dicit ſe ἄγεσθαι, φέρεσθαι, καὶ ἐνεχυράζεσθαι, *agi ferrique, & pignoribus captis coërceri.* Et ſane non alii fere ſoliti hoc modo per pignorum captionem, id eſt, ἐνεχυρασμῷ cogi ad ſolvendum, quam qui nihil pignori dediſſent aut hypothecæ creditori. Quid enim opus fuiſſet, ei qui ex oppigneratis rebus ἀξιοχρέοις poſſet debitum recuperare, alia iterum pignora capere debitore tardius ſolvente? Æquitas non patitur naturalis, neque leges ſinunt, ut debitor cujus pignora tenentur paria debito, aut etiam cum hyperocha, iterum inquietetur à creditore pignorum captione. Ea ratio fuiſſe videtur, ut Romani

in mutuo non admiſerint pignorum captionem. Debere enim creditorem, qui mutuum dat, aut ſponſoribus, aut pignoribus, vel hypothecis cavere ſibi reddendam pecuniam, & ſecuritatem quibuſcumque aliis modis à debitore extundere, non poſtea ubi credidit, & exigendi tempus venit, per vim pignora ab eo capere. Quæ tamen pignorum captio antiquitus apud eoſdem Romanos in uſu fuit, cum liceret & corpora obæratorum in ſervitutem abducere. Nam Dionyſius lib. VI antiquitatum Romanarum meminit ſenatuſconſulti ad tempus facti in gratiam obæratorum, ne liceret creditoribus eorum *οἰκίας κατέχειν*, pignoris nempe nomine detinere, neque *ἐνεχυράζειν*, id eſt, pignora ex his capere. In rei tamen præcipue judicatæ executione, ſi judicatum quis non faceret, poterat auctoritate judicis pignoribus captis coërceri & cogi. Vide tit. Cod. de rei judicatæ executione. An ergo præterquam in cauſa judicati non licuit pignora ob debitum capi ac diſtrahi, neque aliter quam auctoritate judicis? Immo certum eſt, licuiſſe, ut infra pluribus dicturi ſumus. Sed olim cum & perſonas ipſas abducere liceret, forſitan & ſine auctoritate judicis abduci poterant à debitore non ſolvente. Quod juris & apud Græcos fuiſſe in *ἐνεχυρασμοῖς*, certum eſt. Poſtea non aliter id permiſſum, quam ſi judicis ſententia interveniſſet, qua id concederetur. Si quis autem debitum negaret, & condemnatus eſſet, pignoribus captis ſolvere cogebatur. Nam & heic cauſa judicati militabat. Pignora porro ad hoc capiebantur, ut diſtraherentur, non ut jure dominii poſſiderentur, leg. III Cod. Si in cauſa judicati pignus captum ſit. Si tamen emptor inveniri non poſſet per calliditatem condemnati, dominium pignoris capti ab imperatore impetrabatur, ut ex eadem lege conſtat. Leg. II Cod. eodem, dicitur, ſi emptor capti pignoris non exiſtat, aut non dignum pretium offerant qui reperiuntur emptores,

eum cui judicatus non ſatisfecit poſſe ad licitationem admitti, & emere. Poſſe igitur ei addici pignus, certum eſt. Perperam doctores eam legem de pignore prætorio interpretantur, in cujus poſſeſſionem miſſus eſt à judice creditor. Nam pignus illud in cujus poſſeſſionem mitti ſolebant creditores judicis auctoritate, conventionali ſimile fuit. Ideo Juſtinianus leg. II Cod. de pignore prætorio, pignus illud adæquavit conventionali, ita ut ſi ejus poſſeſſionem amitteret creditor, actione hypothecaria in rem poſſet eam vindicare. Si debitor in ſolutione ceſſaret, & nulla res ex bonis ejus pignoris vel hypothecæ jure foret creditori obligata, tum judex in bonorum poſſeſſionem debitoris creditorem mittebat, eodem prorſus modo, quo prætor aliquem rei ſervandæ cauſa in ejus poſſeſſionem inducere conſueverat, veluti legatarium ſervandi legati gratia. Hæc poſſeſſio quam dabat prætor, veluti pro pignore fuit ei cui dabatur. Vide leg. III Cod. ut in poſſeſſionem. Ergo & ei qui de pignore accipiendo dum contraheret, pactus non fuerat, prætor hoc pignus veluti conſtituebat, ex quo creditum ſuum ſervare poſſet, ſi debitor ſolutionem moraretur, & periculum eſſet ne inter moras facultatibus attritis fieret non ſolvendo. Ex cauſa autem crediti etiam pignora capi ſolita jure Romano, inferius oſtendemus, modo id fieret auctoritate judicis. Hoc etiam porro ſimile fuit in pignore capto ex cauſa judicati, & pignore conventionali, ut ſi emptor in utroque diſtrahendo non inveniretur, & creditor pignus jure dominii poſſidere expeteret, id ab principe impetraret. De dominio pignoris conventionalis impetrando habes in Cod. De jure dominii, per totum. De pignoris poſſeſſione jure item dominii obtinenda, quæ à principe impetrabatur in cauſa judicati, habetur leg. III Cod. Si in cauſa judicati pignus captum ſit. Ubi dicitur auctoritate principis tunc dominium

nium creditori addici ſolere, ſi per calliditatem condemnati emptor inveniri non poſſet. Hoc modo addictum pignus auctoritate principis, juri dominii æquivalet, quod à principe impetrabat creditor in pignore conventionali poſt annuam luitionis moram. Aliter addici pignora capta in cauſa judicati, intelligendum eſt leg. xv D. de re judicata, in his verbis: *Si pignora quæ capta ſunt emptorem non inveniant, reſcriptum eſt ab Imperatore noſtro & Divo patre ejus, ut addicantur ipſi cui quis condemnatus eſt, addicantur autem utique ea quantitate, qua debetur.* Addicuntur hic pignora capta victori tanquam emptori ex licitatione, non eorum poſſeſſionem à principe jure dominii petenti. Nam ut clarum eſt ex leg. II Cod. Si in cauſa judicati, ſi emptore non exiſtente, vel exiſtente quidem, ſed non dignum pretium offerente, *is cui judicatus ſatis non fecit, ad licitationem ſecundum conſtituta fuerit admiſſus cujuſlibet alterius vice, ex officio emere debet.* Hæc conſtituta quorum meminit Alexander, reſcripta ſunt de quibus ait Ulpianus, Marci Antonini & Divi patris ejus, quæ addici jubebant pignora capta condemnati ei cui eſſet condemnatus. Ideo ſubjicit Juriſconſultus: *Addicantur autem utique ea quantitate, quæ debetur.* Cum enim addicebantur tanquam emptori ex licitatione, pro quantitate ſummæ quæ ipſi debebatur, ex pignore empto & addicto ſibi, quod plus erat in pretio quam in debito, refundebat, aut quod minus, petere poterat. Exempli gratia, centum aureis æſtimatum pignus captum in auctione mihi addicitur, cui non plus quam nonaginta debentur: decem quæ ſuperſunt condemnato debeo reddere. Si è contra emptum habui pignus pro centum aureis, cum mihi condemnatus eſſet in centum & viginti, eos viginti aureos, qui excurrunt, quos non ſervare potui æſtimatione pignoris mihi addicti, petam à condemnato. Sequitur apud Juriſconſultum:

Nam ſi creditor maluerit pignora in creditum poſſidere, iiſque eſſe contentus, reſcriptum eſt, non poſſe eum, quod amplius ſibi debetur petere, quia velut pacto tranſegiſſe de credito videtur. Non viderunt interpretes, hæc referenda eſſe ad eam poſſeſſionem pignoris, quam creditor, ut jure dominii tenere ſibi liceret capta pignora, à principe petere ſolebat, & impetrare. *Et notanda eſt*, inquiunt, *horum verborum differentia. Cum addicitur pignus, pro rata debiti addicitur: cum adjudicatur, non ita perpenditur menſura debiti: cum datur in ſolutum, id non fit niſi conſenſu victoris.* Hæc omnia nihil ad rem, & contra mentem faciunt Juriſconſulti. Nec enim agitur de in ſolutum datione, quæ fieri non debeat niſi conſenſu victoris. Ipſe quippe victor ſi poſſidere mallet pignora capta in creditum, id eſt, pro credito, eorum poſſeſſionem petebat à Principe. Hoc ſi in pignore conventionali impetrabatur, quidni & in capto in cauſa judicati? Immo & in hoc genere pignoris id factum teſtatur lex ult. Cod. eod. Ubi dominium pignoris capti addicitur principis auctoritate creditori, qui ejus poſſeſſionem nimirum jure dominii à principe petierat. Quæ addictio alio ſenſu accipienda, quam hic apud Ulpianum, ubi addicuntur pignora ea quantitate, qua debetur. Quia pretio facto pignoribus creditor cui ea addicta ſunt tanquam emptori, ex pretii ſumma, quod debitum ſuperat, condemnato reddit; quod minus eſt, ipſe ab eo petit. At cum idem mavult pignora poſſidere pro credito, & eorum poſſeſſionem à principe obtinet, tum quia contentus fuit pignorum poſſeſſione, non poteſt in certam quantitatem ea tenere & ſuperfluum petere. Nihil planius illius legis ſententia, quam doctores miris modis intricarunt. Nec illud capio ſecundum, quo pignus cum adjudicatur, non ita perpendi menſuram debiti aſſerunt. Cum addicitur creditori id ementi, omnimodo & menſura debiti, & pretii rei ad-

dictæ perpendi debet. Cum poſſeſſione ejus contentus eſt, nullo modo perpenditur. Nihil eſt tertium. Non dari autem in ſolutum poſſunt pignora invito creditori. Nec de illa re ullum in hac lege veſtigium, ut mirer, tam, inſigniter doctos & verſatos in jure viros hic tam fœde labi potuiſſe. Nam ſi poſſeſſionem pignoris capti, ubi eam deſideraret, non potuit ab alio petere creditor, neque ab alio obtinere, quam ab ipſo principe, certum eſt, in ſolutum eam, ut jure dominii haberet, à condemnato accipere non potuiſſe. Nec igitur alii judici dominium ejus licebat addicere, quod à principe debebat impetrari, & ſolius principis auctoritate addicebatur. Quod autem attinet ad addictionem ex emptione, hoc ſpeciale privilegium habuere pignora capta, ut ad ea licitanda admitterentur creditores, ipſiſque addicerentur, ſi non alius extaret emptor. Quod in pignore conventionali non licitum fuit. Nec enim illud emere poterat creditor, nec debitor ei vendere. Ergo ne in ſolutum quidem dare. Hoc quippe modo quaſi vendidiſſet. At illud commune utriuſque fuit, quod, ſi poſſidere jure dominii id vellet creditor, à principe ejus poſſeſſionem impetrare poſſet. A principe autem peti debere, non ab alio Judice, poſſeſſionem pignoris jure dominii tenendam, liquet ex leg. LXIII, tit. IV, de acquirenda, vel amittenda poſſ. & leg. III Cod. de jure dominii. Id etiam manifeſtiſſime patet ex leg. XXIV, D. de pigneraticia actione, ubi dicit Ulpianus, eleganter apud ſe quæſitum eſſe, ſi impetraſſet creditor à Cæſare, ut pignus poſſideret, idque evictum eſſet, an haberet pigneraticiam actionem. De eadem pignoris poſſeſſione intelligit de qua loquutus eſt idem, leg. XV D. de re judicata. Etſi de pignore capto ibi ſermo ſit, hic de pignore conventionali. Sed in utroque, ut diximus, idem obtinuit, quoad poſſeſſionem ejus à Cæſare impetrandam. Ut in ea lege dixit, qui poſſeſſionem pi-

gnoris à principe impetravit, quaſi de credito tranſegiſſe, qui ea in creditum poſſidere maluerit, ita in iſtâ ſcribit, hac poſſeſſione pignoris, quam quis à principe obtinuit jure dominii, finitam eſſe pignoris obligationem, & receſſum à contractu. Ideo ſi evictum ſit ab eo pignus quod ſic poſſideret, utilem ei ex empto eſſe accommodandam quaſi ſi pro ſoluto ei data res fuiſſet. Ita ergo & qui poſſidere maluit pignus captum in cauſa judicati, impetrata ejus poſſeſſione à principe, quaſi in ſolutum id accepiſſe videtur. Ceterum cum ea ſententia, qua diximus non poſſe vendi pignus creditori à debitore, nec in ſolutum dari, pugnare videtur lex XIII Cod. De pignoribus & hypothecis in hæc verba: *Cum dominam non minorem viginti quinque annis ea quæ obligaverat, tibi jure dominii poſſidere permiſiſſe, & in ſolutum dediſſe, precibus ſignifices, dominæ contractus & voluntas ad firmitatem tibi ſufficit.* Docuimus ante, ad ſolum Principem pertinuiſſe, creditori permittere, ut pignora jure dominii poſſideret. Contrarium hæc lex innuit, qua declaratur, vel debitorem ſi non ſit minor viginti quinque annis id poſſe facere. Vendere autem pignus non poſſe debitorem creditori, confeſſi prorſum juris eſt. Paulus lib. II Sent. de lege commiſſoria: *Debitor creditori fiduciam vendere non poteſt.* Nam *fiducia* eſt pignus, ut in ſequenti dicetur. Qui permittit creditori pignus jure dominii poſſidere, & in ſolutum dat, plane illud vendit. Nam tantidem dat quanti eſt debitum. Ut plurimum quippe pignora accipiebantur ejus pretii, quod ſummam crediti æquiperaret. Sed ſi quis penſius attendat mentem legis, inveniet petitam à principe pignoris jure dominii poſſeſſionem. Dederat quidem jam eam ex pacto in ſolutum debitrix, ut ex verbis legis conſtat. Quod pactum ſi jure ipſo valuiſſet, non opus hæc creditrix habuiſſet ad Principem recurrere, & preces ei allegare, ut pignus ſic ſibi traditum à debi-

debitrice jure dominii liceret habere ac poſſidere. Princeps itaque eam poſſeſſionem confirmavit, & voluntatem contractumque dominæ ad firmitatem ſufficere creditrici reſcripſit. Quod tamen mirum eſt. Nam certum eſt ex his quæ ante notavimus, non ſuffeciſſe, voluntatem debitoris ad plenum dominium pignoris creditori acquirendum. Id ſi ipſo jure licitum fuiſſet & vulgo uſitatum, non ad preces hæc decurriſſet, ab imperatore petitura, ut in poſſeſſione maneret dominii quod ſibi voluntate debitricis eſſet permiſſum. Sed quæ illa *domina*, quæ in themate legis debitrix eſſe videtur? Nomen proprium eſſe oportet fœminæ, quæ aut *Domnina*, aut *Domnia*, vel etiam *Domna* vocata eſt. Hæc nomina enim propria fœminarum apud Romanos eo tempore frequentia. Severi uxor *Domna* vocabatur, atque ita Oppianus appellat. *Matrona* etiam creditricis nomen eſt in ſuperſcriptione reſcripti, niſi potius legendum ſit, *Matronia*. Atque hæc obiter. Pignorum porro captiones, ſive *pignorationes*, ut loquuta eſt ſerior Latinitas, Atticis olim in more Romaniſque, ſed & Barbaris pleriſque, ut Longobardis, ut apparet ex leg. 1, tit. xxi, lib. 11: *Si quis debitorem habens appellet eum ſemel & bis, & uſque tertio, ſi debitum non reddiderit, aut non compoſuerit, tunc debeat eum pignorare in his rebus in quibus pignorare licitum eſt.* Græca verſio antiqua habet ἐνεχυράζειν, quod eſt pignus capere, cum *pignorare* ſit proprie pignori dare, quod recentioribus Græcis proprie eſt ἐνεχυριάζειν. Quod ſi *pignorare* Latinis barbaris, idem eſt quod ἐνεχυράζειν, cum vetuſtioribus proprie diceretur, pro pignori, vel hypothecæ dare, poſſet & non immerito argui, ἐνεχυράζειν, & ἐνεχυριάζειν idem eſſe, hoc eſt, *pignorare*. Sed cum pignerare dicitur creditor, hoc eſt, cum ἐνεχυράζειν, vel ἐνεχυριάζειν, tunc pignora capit, cum vero ἐνεχυριάζῃ, vel ἐνεχυράζῃ debitor, tum pignori dat. E contra ἐνεχυριάζεται, & ἐνεχυρά-

ζει) creditor, qui pignori accipit, ac debitor ἐνεχυρά-ζει) quando pignus ex eo capitur. Gloſſarum certe compilatores paſſim hæc duo verba confundunt, ἐνεχυράζειν, & ἐνεχυριάζειν, & promiſcue utrumque uſurpant. Gloſſæ quas pro incomparabilibus habent quidam: ἐνεχυριασμὸς, *clarigatio, ſubdicatio, pignoratio.* Quæ pro prehenſione hominis, vel pignoris captione hic uſurpatur, quem veteres Græci ἐνεχυρασμὸν proprie dixerunt, cum ἐνεχυριασμὸς, ſit pignori datio, vel ὑποθήκη. Sic ibidem, ἐνεχυριαστὴς *pignerator,* pro ἐνεχυραστὴς, qui pignora capit, non qui pignori dat. Sane & *pignorandi* verbum, hoc ſenſu legere eſt apud Caſſiodorum lib. IV, Epiſt. X: *Provincialium itaque Campaniæ atque Samnii ſuggeſtione comperimus, nonnullos neglecta temporum diſciplina ad pignerandi ſe ſtudia tranſtuliſſe.* Quo reſcripto Theodoricus non ſolum pignerationes, hoc eſt, ἐνεχυρασμοὺς prohibet perſonarum ne alius pro alio *pigneratus,* ut loquuntur, id eſt, captis pignoribus adactus ſolvere cogatur, ſed etiam ne quis captione pignorum creditum à debitore exigere conetur: *Proinde edictalis programmatis tenore comperto, ſpectabilitas veſtra ad cunctorum faciat noticiam pervenire, ut quiſquis quod repetere debuiſſet, pignorandi ſtudio fortaſſis invaſerit, voce juris amittat, nec liceat cuiquam ſua ſponte niſi obligatum pignus auferre.* His verbis plane vetatur pignorum captio ob debitum perſequendum & exigendum, quam & *pignorationem* vocat, hoc eſt, ἐνεχυρασίαν, vel ἐνεχυρασμὸν, ut Græci antiqui Atticique eam vocarunt. Hic enim ex ipſo debitore capitur pignus invito, ut ſolvat. Quam ἐνεχυρασίαν priſci Latini unico vocabulo *pignoriſcapionem,* vel *pignoricapionem,* ut *uſucapionem* appellarunt. Cato apud Agellium; *Pignoriſcapio ob æs militare, quod æs à Tribuno ærario miles accipere debebat, vocabulum ſeorſum ſit.* Sequitur apud Caſſiodorum de altera *pigneratione,* vel ἐνεχυρασμῷ, qua perſona in

rebus

rebus ſuis ἐνεχυράζεται, ut pro alio qui debet, ſolvat quod ipſe non debet: *Si vero alterum pro altero, quod nefas dictu eſt, pignerare maluerit, in duplum cui vim fecit, direpta reſtituat.* De hujuſmodi ἐνεχυρασμῷ, ſive pigneratione intelligenda Novella LII. Et conſtitutio XLVI, apud Julianum Anteceſſorem, *ut cives, vel vicani, pro aliis civibus ſuis, vel vicanis non teneantur.* Titulus Novellæ Juſtiniani, habet, Περὶ τοῦ μήτε προσώπου, μήτε πράγματος, μήτε χρυσίου γίνεσθαι ἐνεχυρασμόν. In ipſa tamen conſtitutione non fit mentio ἐνεχυρασμοῦ perſonæ. Cum enim capite ejus primo dicat, nullum omnium ἐνεχυρασμὸν, fieri in Imperio Romano velle, neque in mercatibus, neque in agris, neque in civitatibus, addit, ἀλλὰ τῷ θαῤῥοῦντα ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου κατὰ τὸ τοῦ ἐνεχυριασμοῦ σχῆμα χρυσίον, ἤ τι ἕτερον εἰσπράττειν, τοῦτο τετραπλάσιον διδόναι τῷ βεβιασμένῳ. Non igitur ipſa perſona, ut putant vulgo, pignerabatur, ſed pignora ab eo capiebantur, niſi pro alio ſolvere vellet. *Pignora extorquere* Julianus hoc dixit, Conſt. XLVI: *Si quis in alia civitate, vel vico debitores habuerit, poſteaque alios homines ex eadem civitate, vel vico, in alia civitate, vel in alio vico nundinarum gratia degentes invenerit, non audeat eos, vel res eorum tenere, vel alieni debiti nomine pecuniam ab his exigere, vel pignora ab his extorquere.* Aliud eſt, aliquem tenere, aut res ejus, & pecuniam ab eo alieni debiti nomine exigere, aut pignora ab eo extorquere, quod eſt ἐνεχυράζειν, aliud ipſum hominem, pro alio pignori capere. Hoc nunquam in Imperio Romano uſitatum fuit, illud frequentatum aliquando, ſed amplius licitum eſſe non vult Imperator, ut & Athalaricus in Edicto apud Caſſiodorum. Cujus verba quibus prohibetur fas eſſe alterum pro altero pignorare, id eſt, ἐνεχυράζειν, non de ipſa perſona pignoris vice capiunda intelligi debent, ſed *pignorari* intelligendus ex quo pignora capiuntur, & per vim extorquentur. Sic apud

Comicum ille obæratus, ſe ἐνεχυράζεται dicit, cum pignora ab ipſo extorquerentur. Sic Græcis πόλις ἐνεχυράζεται dicitur, non quæ ipſa capitur in pignus, ſed ex qua homines capiuntur, & ἀνδρολήψια fiunt. Ergo & homo ἐνεχυράζεται intelligendus, non qui ipſe capitur, ſed ex quo res pignori capiuntur. Quod recte lex Longobardica lib. II, tit. I, vocat *pignerare aliquem in his rebus in quibus pignerare licitum eſt*. Et leg. IV, ejuſdem tituli, *pignerari* dicitur *in ſervo & ancilla*, ex quo ſervus, & ancilla in pignus capiuntur. Quod non intellexit, qui titulum Novellæ illi LII fecit: Περὶ τοῦ μήτε προσώπου, μήτε πράγματος γίνεσθαι ἐνεχυρασμόν. Nam προσώπου fit ἐνεχυρασμὸς, cum res ipſius ab ipſo auffertur per pignoriscapionem. Nihil igitur ille ἐνεχυρασμὸς, qui Novella ſupraſcripta prohibetur, ad ἀνδρολήψια pertinet Græcorum veterum, quæ vulgo *Repreſalia* vocamus. De his nihil hic dicturi ſumus, quia ad mutuum & uſurarum modum non faciunt. Duplex igitur lege prohibetur ἐνεχυρασία, ſive pignoriscapio, una ex debitore ipſo, qua compellatur ad ſolvendum, altera, ne alius pro alio, civis pro cive teneatur, & pignus eo nomine ab eo extorqueatur. Ex his & duplex exſurgit pignoris genus, ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον, *voluntarium & involuntarium*. Voluntarium quippe eſt quod in ſecuritatem crediti excipitur à volente ex conventione: *involuntarium*, quod capitur ab invito variis ex cauſis. *Legitimum* hoc vocant doctores, quod ex lege capitur ab eo cui lex ejus rei poteſtatem facit. Sed legitimum etiam vocari æque poſſit, quod ex conventione accipitur. Cum enim pignoris obligatio & de eo accipiendo conventio, ex lege, vel ex conſuetudine, quæ inſtar legis habet, introducta ſit, & inter legitimas recenſeatur conventiones, pignus quod ex ea accipitur, legitimum pariter poteſt nuncupari. Involuntarii autem pignoris, quot ex cauſis capi illud jus moſque eſt, totidem genera conſtitui queunt; & appella-

pellationes. Quod ex cauſa judicati capitur judicis auctoritate, *judiciale* dicitur. Quod ex multæ cauſa, *multaticum*, ut cum Ædiles multæ cauſa pignora capiebant. Fuit & *coërcitorium*, quod coërcendæ contumaciæ cauſa per eum cui jus erat capiendi, capi conſueverat. Capione pignorum coërcebantur ſenatores, qui non in ſenatum veniebant cum adeſſe deberent. Qui in jus vocatus, ire contemnebat. Tutores, qui juſſi cautionem non præſtabant. Magiſtratus municipalis, qui injuncto munere non fungebatur. Qui damni infecti nomine in poſſeſſionem miſſum non admittebat. Apud Græcos etiam ex cauſa crediti, debitore ad diem non reſpondente, pignoriscapio permiſſa, quam leges Romanæ vix admiſerunt. Apud hos jure prætorio introductum & pignoris genus, quod inde appellatum *prætorium*, & *judiciale* non abſurde vocari queat, quia ut olim Romæ, per prætorem, ita per judicem in provinciis decernebatur ac dabatur creditori in bonis creditoris mobilibus, animalibus, hoc eſt, ſe moventibus, immobilibus, & actionibus nominibuſque, haud ſecus ac judiciale, quod ex cauſa judicati capiebatur. Juſtinianus leg. 11 Cod. de prætorio pignore, duplex ſtatuit: unum quod ex conventionibus & pactis hominum naſcitur, aliud quod à judicibus datur, & *prætorium* nuncupatur. Illud igitur conventionale, hoc judiciale. Pignoris prætorii & conventionalis hanc maximam conſtituunt differentiam noſtri doctores, quod in pignore prætorio cum creditor miſſus eſt in poſſeſſionem rei ſervandæ cauſa, poſſeſſio non ipſi ſolum, ſed & omnibus aliis creditoribus proficit, ideoque in portionem duntaxat is venit, & cæteris coæquatur, leg. XII D. de rebus auctoritate jud. poſſid. At creditoris poſſeſſio in pignore conventionali ſoli ipſi, non aliis prodeſt creditoribus. Sed rationem addere debuerunt, hanc eſſe, quod creditor, qui petit poſſeſſionem pignoris conventionalis, quaſi in ſolu-

tum

tum eam accipit, & de credito veluti tranſigit, cum poſſeſſione etiam dominium pleno jure habet. Si quid plus, aut minus eſt in pignore, quam in debito, nec ſuperfluum reddit, nec quod deeſt repetit. Denique à ſolo principe eam poſſeſſionem impetrabat, ut ſupra docuimus. In Baſilicorum Synopſi lib. xxv, cap. viii, legitur, debitoribus petentibus dilationem eſſe dandam, eamque ſi opus eſſet prorogandam. Quod ſi pergerent moras *ἀγνωμόνως* nectere, tum pignorum ex his capiendorum jus eſſe. Quod cum Jure Græco antiquo plane convenit. *Τοῖς χρεώσταις αἰτοῦσι δοκεῖ δίδοσθαι προθεσμίαν, εἰ δὲ δεήσοι καὶ ἐπεκτείνεσθαι, τῶν δὲ ἀγνωμόνως ὑπερτιθεμένων ἐνέχυρα λαμβάνονται.* Quæ de debitoribus ex cauſa crediti, non ex cauſa judicati plane accipi debere, perſpicuum eſt. Nam ſubjicit etiam de condemnato, dilationem ei dari oportere: *Καὶ κατακριθέντι δὲ προθεσμία δίδοται, τῶν δὲ μετὰ τὴν προθεσμίαν μὴ διδόντων ἐνέχυρα λαμβάνονται, καὶ εἰ ἐντὸς δύο μηνῶν μὴ δῶσι, πιπράσκονται.* Sed miror, de pignoris capione in crediti ſumi cauſa ob moram ſolutioni factam, quam more ac jure Romano, ut vix fuiſſe receptam compertum habeo, ita à Juſtiniano conſtat vetitam. Per *προθεσμίαν*, hoc eſt, diei prolationem, quam dicit dari ſolitam debitori, non poteſt intelligi ſpatium luendi pignoris, quod jure antiquo annuum dabatur debitori, ſive rem ejus teneret creditor pignoris titulo ex conventione in contrahendo pignore adhibita, ſive in poſſeſſionem à judice miſſus eſſet, ut eam pignoris loco retineret. An ea pignoris captio, quam hic innuit Baſilicorum Synopſis, in debitoris bonis exercenda ſi in ſolutione ceſſare pergat, de illa miſſione in poſſeſſionem accipienda eſt, quæ per judicem dabatur creditori? Tunc enim bona debitoris pignoris jure tenebat creditor, eodem modo, quo ſi in pignus ab initio contractus ei tradita fuiſſent ex pacto convento. Et hoc erat pignus, quod prætoriũ dicebatur. Lex Baſilicorum

eam

eam poſſeſſionem comparat pignoris captioni, immo *αὐτόχρημα* captionē eſſe ſignificat. Nam & in pignoribus capiendis ex cauſa judicati non ſolum res mobiles, & animales capiebantur, ſed etiam immobiles, quæ *pignora ſoli* vocantur leg. XV, tit. II D. de re judicata. Atque ita etiam videntur intellexiſſe Doctores, qui *pignus prætorium*, & *pignus captum* idem faciunt, ad leg. II Cod. ſi in cauſa judicati. Multum tamen diſtat *pignus prætorium* à pignore capto in cauſa judicati, ut jam paulo ante oſtendimus. Pignus enim prætorium inſtar habet pignoris re contracti inter contrahentes. Quippe ubi de pignore nihil convenit inter debitorem & creditorem, hoc pignus conſtituit prætor, vel judex, mittendo creditorem in poſſeſſionem, quam pignoris loco retinet. Nemo enim unquam *ἐνεχυρασμοῦ*, aut pignoriscapionis nomine indigetavit hoc *pignus prætorium*. Et *pignoriscapio* in cauſa judicati præcipue locum habuit, *pignus prætorium* in cauſa crediti, debitore moram faciente ſolutioni. Immo & in cauſa crediti pignoris capionem locum etiam habuiſſe conſtat, ſed ut plurimum quomodo apud Græcos, in re mobili. Quippe quale pignori dari tradique ex pacto ſolitum fuit pro ſecuritate mutuo datæ pecuniæ, tale & pignori capi ferme conſuevit, ſi ſolutio debiti dilata fuiſſet, nempe res mobilis. Inde eam pignoriscapionem Græci ἐνεχυρασίαν appellant, ἀπὸ τῦ ἐνεχύρυ, quod apud illos, ut jam notavimus, rei tantum mobilis & quæ tradi in manum poteſt, pignus ſignificat. Sciendum eſt autem præter illa quæ notavimus, antiquitus olim pignorum captionem in cauſſa debiti, ceſſante in ſolutione debitore, fuiſſe Romanis ſtante republica receptam, quod etiam lege Diocletiani permiſſa fuerit. Hujus Conſtitutio in Codice Hermogeniano poſita fuerat, ut ex fragmentis quæ hodie extant, clareſcit. Ipſa Conſtitutionis verba deſiderantur, ſed ſumma ab Aniano relicta ſupereſt: *Debitor*

ſolu-

ſolutionem differens poteſt ad ſatisfactionem pignorum uſurpatione compelli, quod tamen ſine ſententia judicis facere non licebit. Eadem habes & apud Papianum in Reſponſis tit. XVI, de ablatis pignoribus & fidejuſſoribus, ubi hæc verba non tanquam Aniani refert, ſed velut ipſam Conſtitutionem Diocletiani Hermogenianam. Hæc *pignorum uſurpatio* non alia poteſt eſſe, quam ἐνεχυρασία, vel *pignorum captio*, quam tamen ille fieri ſine ſententia judicis noluit. Sed & ante Diocletianum, ſub anterioribus principibus uſitatam fuiſſe, liquet ex Paulo lib. II ſententiarum, tit. de Uſuris: *Si quis pignora debitoris citra auctoritatem judicantis abduxerit, violentiæ crimen admittit.* Ergo qui ea abducebat auctoritate judicis, rem licitam faciebat. Idem lib. V. tit. de effectu ſententiarum, & fine litium: *Eorum qui debita confeſſi ſunt, pignora capi & diſtrahi poſſunt,* Poſt ſententiam nimirum judicis, qui id juſſerat. Quocunque modo factam poſtmodum eam prohibuit Juſtinianus Novella LII. Poſt Juſtinianum Leo reſtituiſſe videtur, ideoque repoſuiſſe in corpore Baſilicorum legem illam Diocletiani. Nam de hac pignorum captione, quam Diocletianus admiſerat ex auctoritate judicis faciendam in cauſa crediti, Baſilicorum Synopſis verba illa, quæ ſupra addiximus, accipi oportere, prorſus mihi perſuadeo. Ἐνεχυρασμὸν autem Græcorum in rebus tantum mobilibus, quæ pignori capiebantur, & ἐνεχύρων nomine veniebant, locum habuiſſe, certum eſt. At pignoriscapio Latinorum in cauſa judicati etiam ad res ſoli extendebatur, quam proprie ἐμβατείαν, & ἐμβαδείαν Græci iidem dixerunt. Etymologicum magnum: Ἐμβατεῦσαι καὶ ἐμβατεία, ἐστὶν ἡ νυνὶ λεγομένη διὰ τοῦ δ ἐμβαδία, τὸ τὸν δανειστὴν ἐμβατεῦσαι, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὰ κτήματα τοῦ ὑποχρέου ἐνεχυριασθέντα διὰ τὸ δάνειον. Ita hæc ſcribenda. Ad fundos ædeſque hoc proprie pertinet, non ad mobilia, quamvis & de navi oppignerata id etiam dixerit Demoſthe-

moſthenes, dum pignori capitur ob creditum. Sed navis comparatur τῇ οἰκίᾳ. In Exceptione contra Apaturium: Καὶ οἱ χρῆσαι καλήπεσον αὐτὸν ἀπαιτοῦντες, καὶ ἐνεβάτευον εἰς τὴν ναῦν, εἰληφότες τῇ ὑποθήκῃ μερίδα. Qui igitur ſub fiducia rei immobilis pecuniam acceperat mutuam; ſi ad diem non reſponderet, in poſſeſſionem mittebatur rei oppigneratæ creditor, & eam veluti pignori capiebat. Quod ἐμβατεύειν dicebatur. Eſt enim, ingredi in poſſeſſionem. Heſychius κατέχειν exponit, & καρποῦσθαι χωρίον ἢ οἰκίαν, ἢ ὅλον τὸν κλῆρον, detinere, ac poſſidere rem oppigneratam, ſive domus ſit, ſive fundus, ſive univerſa maſſa. Si quis creditorem poſſeſſionem fundi pignerati capere prohiberet, contra reſiſtentem actio ei dabatur, quæ ἐξούλης δίκη Atticis appellabatur. Grammatici: Οἱ δίκην νικήσαντες ὥστε ἀπολαβεῖν χώραν ἢ οἰκίαν, ἔπειτα ἐμβατεύειν κωλυόμενοι, ἢ ἐμβατεύσαντες ἐξελαυνόμενοι, δίκην εἰσήγουσιν πρὸς τοὺς ἐξελαύνοντας, ἢ οὐκ ἐῶντας ἐμβατεύειν. Si poſtquam in poſſeſſionem inducti eſſent, ejicerentur per vim, aut per vim prohiberentur eam capeſſere, hac actione utebantur apud Atticos. Nec dubium, quin prætorium pignus quo creditores in poſſeſſionem à judice mittebantur rei ſervandæ gratia, ἐμβατεία dici poſſit. Non tamen ἐμβατευτικὸν jus de pignore prætorio accipiendum eſt leg. III, tit. IV D. de rebus eorum qui. Nam *Embateuticon* jus ibi omnino idem eſt quod *Emphyteuticon*. Nam ſynonymos dixit Ulpianus, *Si jus* ἐμφυτευτικὸν, *vel* ἐμβατευτικὸν *habeat pupillus*. Cum prædii jus eſſe hoc dicat, hinc planum eſt, ἐμβατευτικὸν, idem eſſe quod ἐμφυτευτικόν. Nec jus eſt, ut in jure docti putant, quod creditor habet ingrediendi in prædia pignerata. Nam & ἐμβατεῦσαι, etiam κατέχειν χωρίον, & καρποῦσθαι ſignificat, ut éx Heſychio notabamus, non etiam *ingredi*. Qua de re nos alibi. Ἐμβατεύειν proprie Atticis de fundi oppignerati poſſeſſione quem accipiebat creditor, non ſolvente ad diem creditore.

Cum

Cum autem aliquis in cauſa judicati ſolutionem moraretur, pignoriscapio quam in rebus ſoli ad condemnatum pertinentibus licebat victori uſurpare; non ἐμβατεία dicebatur, nec ἐμβατεύειν qui in poſſeſſionem mittebatur, ſed κτημάτων ἅπτεσθαι. Demoſthenes in Midiana: Λαβὼν δ' ὑπερήμερον, καὶ ἔχων, οὐδενὸς ἥψατο πώποτε τῶν τούτου. Ulpianus: Τοῦ νόμου διδόντος, εἴ τις ἐμπροθεσμήσει, καὶ μὴ καταβάλλοι, ἐξεῖναι ἅπτεσθαι αὐτοῦ τῶν κτημάτων. Sic legendum. Sciunt Græce eruditi, κτήματα proprie eſſe res ſoli. Polybius κτήσεις vocat poſſeſſiones, ut ſunt χωρία, καὶ οἰκίαι.

Caput XIV.

Pignora facere ad uſurarum modum minuendum. Græcis Iudæiſque aliiſque Orientalibus in uſu fuiſſe. Vinciendi & nectendi ſignificationem apud omnes fere habere. De Hebraico חבל, *& Arabico* حبل. *Italiotis* ὑποθῆσαι, *idem quod pignoris nexu obligare. Chaldæis* משכונא *de pignore, quod penes creditorem remanet, donec luatur. Arabibus* رهن *&* عوض *dici. Græcis etiam* ὑπάλλαγμα *&* ἀντάλλαγμα, *quod quaſi permutetur cum credita pecunia.* حبس *etiam vocari Arabice, quod detineatur à creditore. Arrabonem Latinis etiam pro pignore poni. Vocem eſſe origine Hebraicam.* Καταχώρισμα. Σύσσημον, Σημάδιον *de pignore. In venditione contrahenda proprie arram locum habere. Pro cujuſlibet ſponſionis pignore ex originis proprietate accipi. Quid ſit* ὑπόβολον. *Vadium pro pignore, & invadiare, pignerare. Vox* ἀντιβαδιάζειν *explicata. Qui ſint* ἀντιβαδιασταί. *Stellionatus crimen incurriſſe. Quale fuerit hoc crimen. Græcorum* εἰσαγγελίαν *huic crimini reſpondere. De hypothecis quomodo à pignoribus diſtinguuntur. Fiducias*

ducias etiam appellatas. Generale hoc nomen Latinis fuiſſe ad pignora & hypothecas. Fiduciare pro obligare jure pignoris. Tertullianus emendatus. Fiduciarius creditor. Actio fiduciæ, & judicium fiduciæ, pro judicio pigneraticio, & actione pigneraticia. Fiduciæ nomen ex antiquorum Iuriſconſultorum ſcriptis expunxiſſe videri Tribonianum, & quare pro fiduciis hypothecas maluerit. Græcam eſſe vocem ὑποθήκη, & ex appellatione generis factam ſpecialem de pignore quod obligatur tantum. Error Iuriſconſultorum neotericorum notatus, qui fiduciam in ſimulata venditione cum pignore confundunt. Iſidorus explicatus & emendatus. Ciceronis loci de fiduciis expoſiti. Fiducias eſſe pignora, ſive hypothecas. De fiduciæ contractu cujus Boëthius meminit. In eo dominium transferri, non in pignoris contractu. Pignoris contractum, non vocari fiduciam, ſed ipſum pignus, quod traditur, aut obligatur, ita vocari. De venditione ſub conditione remancipationis. De lege commiſſoria pignorum. Non eamdem eſſe cum venditionum commiſſoria. Hanc commiſſoriam non fuiſſe dictam fiduciam, ut opinantur doctores. Quæ differentia utriuſque. Cujacius reprehenſus. Quid ſit cedere pignore & hypotheca, vel jus hypothecæ cedere. Lex 1 Cod. de pactis pignorum explicata & correcta. De pacto commiſſorio eſſe intelligendam. Illius pacti hanc fuiſſe vim, ut debitore non ſolvente, hypothecis decederet, eaſque proſcriberet creditor. Lege commiſſoria non pleno jure acquiri dominium creditori, ut falſo putant doctores. Pactio in pignore, ut ſi pecunia non eſſet ſoluta jure emptoris id poſſideret creditor, non eadem cum lege commiſſoria. Venditionem illam fuiſſe ſub conditione, non pignoris obligationem, & ideo permiſſam. Lege commiſſoria dominium non transferebatur ad creditorem quamvis auferretur à debitore. Id impetrare debebat creditor à

tor à Principe ſi nulli emptores pignoris reperirentur. Poſt dominium impetratum adhuc annus datus debitori veteri jure ad luendum pignus, novo biennium. Legem commiſſoriam pignorum non reſcidiſſe Conſtantinum, ſed vēditionem conditionalem, quam retro principes permiſerant. Nec aliam poſt illum aboleviſſe Iuſtinianum, quamvis eam commiſſoriam pignorum nuncupet. Legem pignorum commiſſoriam proprie dicendam in deſuetudinem ſponte abiiſſe, eamque partim penitus amputaſſe, partim correxiſſe Iuſtinianum. Lex commiſſoria in hypothecis tantum locum habuit, non, ut cenſent doctores quidam, in pignoribus. Id multis confirmatum. Quid ſit pignus commiſſum, à quo lex commiſſoria dicta. Committere legem, & committere in legem an differant. Aliam legem committendo, in aliam committi. Commiſſum de mercibus non profeſſis. Gloſſa explicata. Quid ſit στέρησις, & στερήσιμον apud Græcos. Commiſſum in feudo ob homagium non factum. Legem commiſſoriam fœneratoribus hodiernis ſtrenue exerceri, & alio quidem modo, quam quo veteribus recepta fuit. De Antichreſi, quid ſit. Falli doctores qui hactenus hanc vocem pro mutuo uſu acceperunt. Mutuam eſſe vel contrariam mutui dationem. Χρῆσιν non ſolum uſum Græcis notare, ſed etiam commodationem, & mutui dationem. Inde ἀντίχρησις. Χρῆσαι eſt mutuare, ἀντιχρῆσαι eſt remutuare. Aliud eſſe ἀντίχρησιν, aliud ἀντιχρηστικὸν pignus. Ita poſſe ab initio contrahi antichreſin, ut de pignore nihil conveniat. Rurſus & pignus rei immobilis ita dari poſſe ἀντιχρηστικῶς, ut fructus ex eo percepti in vicem uſurarum cedant. Quæ differentia ſit utriuſque generis, ἀντιχρήσεως & ἀντιχρηστικοῦ pignoris. Leges aliquot quæ de his agunt, expoſitæ. In antichreſi & antichreſtico pignore majora emolumenta fructuum quam legitimus ſit uſurarum mo-

dus

dus, non vitiare contractum, nec illicitum facere. Non obſtare leg. VIII D. in quibus cauſis. Ea lex fuſe explicatur & corrigitur. Antichreſis vera & impropria aliquot exempla allata. Ἀντίχρησις ita dicitur, ut ἀντίχαρις, & ἀντιδωρεά. Huic reſpondere vocem Latinam promutuum. Aliam tamen ſignificationem apud auctores habere. Non eſſe ἀντίχρησιν, ſed πρόχρησιν, vel πρόχρειαν. Præmutuum proprie eſſe, ut proludium dicitur pro præludium. Quod in anteceſſum datur ab eo qui ante tempus ſolvit, promutuo id dari. In anteceſſum etiam dari quod non petẽtibus creditur. Locus Senecæ expoſitus. Apud Scævolam promutuum ſumi pro ſimplici mutuo, vel eo quod vice mutui datur. Antichreſin etiam uſurpari improprie de Antichreſtico pignore. Juſtiniano pignora rerum immobilium quæ ἀντιχρηστικῶς dantur, non vocari ſolita ἀντιχρήσεως nomine, ſed ἰδικοῦ ἐνεχύρου.

PIgnora adhuc tenebimus tractabimuſque hoc capite. Quo jure neſcio. Non inani certe titulo ad uſurarum modum, qui nobis hujus ſcriptionis finis eſt. Nam ut reddere ...urum creditorem idonea ſunt, ita & minores uſuras ...ſecuritate crediti facere debent. Et vero fecere ...n. Πότερον, inquit Demoſthenes contra Timo...um, ὡς Φίλιππος οὐκ ἂν ἡδέως τόκον ἐλάμβανεν, ...ρ ἀσφαλῶς αὐτῷ ἦν τὸ ἀργύριον δεδανεισμένον, καὶ ἐπ' ...ύρῳ. Quibus ex verbis perſpicitur eo tempore mul... qui ſcirent pecuniam ſibi in tuto locatam, pigno...s acceptis, de uſuris accipiendis minus fuiſſe ſolli...s. Obligationes autem traditioneſque pignorum ... minus olim Judæis, quam Græcis in uſu ac more ...e, certum eſt, ſed illud item mihi compertum, Se...ginta interpres ἐνεχυρασμοῦ appellatione non has ...olas pignorum captiones, quas vocant barbari *pi...rationes*, intellexiſſe. Pignus in Exodo vocatur

חבל *chabol*, unde verbum חבל, *pignus capere*, à ligando & nectendo. Nam חבל *chabel* eſt funis. Atque idem etiam Arabibus ſignificat, حبل *habl.* & inde verbum حبل *habala*, vincire, nectere. Unde genus hederæ, de qua nos in Botanicis, حبل المساكين *funis pauperum*, quia zonas ex ea pauperes ſibi concinnabant. Sane & Græcis Italiotis, qui incolebant eam partem Italiæ, quæ major Græcia appellata eſt, ὑποδῆσαι pro *obligare rem pignori* dicebatur. Heſychius: Ὑποδῆσαι, ἐνέχυρα θεῖναι. Ἰταλιῶται. Sic enim ſcribendum, pro vulgato, ἐνεχυρασθῆναι. Idem: Ὑπόδισμα, ἐνέχυρα. Et mox: Ὑπόδισμος, ἢ ὑπόδημος, ὁ ὑποτεθείς. *Nexus, obligatus, pignori, vel hypothecæ datus.* Ergo & Latini inde *nectere* acceperunt pro oppignerare, quod eſt Italiotarum ὑποδῆσαι, & *nexum* pro ὑποθήκη. Gloſſæ: *Nexam*, ὑποκειμένην. De qua voce in ſuperiore libro, Chaldæus interpres reddidit משכנא *maſcono*, à verbo שכן, quod eſt *habitare*, quia nimirum pignus penes eum maneat, qui mutuum dedit donec debito ſoluto luatur. Hoc eſt, quod Græci definiunt ἐνέχυρον eſſe τὸ παραδοθὲν τῷ δανειστῇ. Nam ὑποθήκη non eſt משכנא, quia non penes creditorem habitet, ſed ex definitione Græcorum Juriſconſultorum, proprie eſt τὸ παραμένον μετὰ τῷ χρεώστῃ, ὑποκείμενον δὲ τῷ δανειστῇ. Ita tamen Chaldæi paraphraſtæ vertunt, quod Hebræis & Arabibus ſignificationem habet pignoris traditi. Ergo dictum potius videtur, quod penes creditorem manet pignus donec luatur. Quod Græcis proprie ἐνέχυρον, hoc eſt, pignus, quod tradi poteſt, hoc Arabibus رهن & عوض. *Saadias* ita vertit in Deuteronomio, quod Hebraice dicitur עבט. Quæ vox in Arabico ſignificationem habet ſuffectionis & ſubrogationis. Unde & *mutuum* ab eadem radice

dice apud ipſos nomen habet. Pignus autem hoc habet, ut veluti ſubrogetur in locum debiti, & pro ipſo permutetur. Das mihi mutuam pecuniam, do tibi rem meam ἰσοδύναμον, quæ ſit pro pignore, donec debitum exſolvam, aut etiam pro ſolutione ipſa ſi non ſolvam, pretio ex ejus venditione redacto, quod debiti ſummam æquiparet. Hoc eſt, عوض *hivad*, id eſt, permutatio, vel commutatio. Unde Græci in definitione pignoris ἀντάλλαγμα εἰς ἀσφάλειαν interpretantur, quod contra datur, ac permutatur in ſecuritatem debiti. Alii ὑπάλλαγμα vulgo vocabant pro ἐνέχυρα. Gloſſæ veteres *pignus*, ὑπάλλαγμα exponunt. Phrynichus in Ecloga vocum Atticarum vulgari ſermone tritum illud vocabulum fuiſſe indicat, ἀντὶ τοῦ ἐνεχύρου. Quod ille qui meros tantum probat Atticiſmos, omnino improbat, & inſcitos indoctoſque ita loqui dicit: ὑπάλλαγμα, ἀμαθῶς ἀντὶ τοῦ ἐνέχυρον. Quantumvis hanc vocem pro plebeia & ſordida habeat, egregie exprimit naturam ac proprietatem pignoris, & plane reſpondet dictioni Arabicæ عوض. Gloſſæ: *pignus*, ἐνέχυρον, ὑπάλλαγμα. Aliud eſt vocabulum, quo pignus ſignificant, رهن. Lexicon Juridicum Arabicum, quod à præſtantiſſimo Golio habui, id nominis generali ſignificatione apud Arabes notat idem eſſe quod الحبس *elhabs*. Quod detentionem, retentionem, & conſtrictionem denotat. Unde & pro carcere ſumitur. Avicennæ حبس الدم, retentio eſt ſanguinis. In jure autem idem Lexicon definit الرهن *Errhen*, حبس الشي بحق يمكن اخذه منه كالدين ويطلق على المرهون. Hoc eſt, *Detentio rei pro debito, quam capere licitum eſt, tan-*

quam ob debitum, & ſumitur pro re ipſa oppignerata. Ita ſane & pignus & hypotheca Latinis non ſolum pro obligatione, ſed etiam pro re ipſa hypothecæ data ponitur. Forſitan & melius ſit, حبس *obligationem* vertere, & *nexum*, quam detentionem. Nam & حبس ligandi etiam, & conſtringendi notionem gerit. Quia tamen hæc omnia pertinent ad id genus pignoris, quod χρεοδότως traditur, ut ferme mos eſt Orientalibus, qui omnes ſuos contractus traditione de manu in manum in re præſenti celebrant, detentionem retinebimus. Sane & عوض & رهن de hoc pignore χρεοδότῳ accipienda. Hoc pignoris genus etiam *arrabonis* nomine aliquando venit Latinis. Sane apud Terentium in Heautontimorumeno *arrabo* pignus eſt in his verbis:

— Fuit quædam anus Corinthia
Hic, huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.
CH. *Quid tum?* SY. *Ea mortua eſt, reliquit filiam adoleſcentulam.*
Ea relicta huic arraboni eſt pro illo argento.—

Quod recte Eugraphius interpretatur, *pignori*. Nam paulo poſt *oppignerare* dixit de eadem quæ arraboni fuerat relicta, idem Comicus:

Num juſſi? num illa oppignerare filiam
Me invito potuit?—

Apud Apuleium in I. Metamorphoſ. *arrabo* etiam pro pignore poſitum legitur in his verbis: *Fœnus quoque copioſum ſub arrabone auri & argenti crebriter exercens.* Et apud Q. Claudium in Annalibus citante Agellio, *arrabo* pro obſidibus, qui pignorum nomine teneri ſolent, & ſic vocantur: *Cum tantus arrabo penes Samnites populi Romani eſſet.* De ſexcentis obſidibus. *Et id maluit*, inquit Agellius, *quam pignus dicere, quoniam*

am vis hujus vocabuli in ea ſententia gravior acrior-
ue eſt. Certe *arrabo* de eo tantum pignore ſumitur,
uod in manum traditur, ac tenetur re ipſa & σωματι-
ῶς ab eo qui id accepit, cum pignoris vox ſæpius &
re quæ nexu tantum obligatur, dici ſoleat. Ea pi-
nora, quæ ſic manu tenentur, ut eſt proprie arrabo,
ræci καταχώχιμα vocarunt. Nam, ut ſupra notavi-
us, κατέχεσθαι de his pignoribus magis dicebant, quæ
rporaliter detinebantur. Mœris Atticiſta in Lexico:
αταχώχιμα, τὰ κατεχημένα ἐνέχυρα. Et hoc proprie *ar-*
bo. Quæ vox Hebraica eſt, ut jam alii notarunt,
ערבון. Cujus ter occurrit mentio in Gen. cap. XXXVIII,
t in eadem notione ponitur, quam & apud Græcos
bet, pro arra nimirum, quæ in hoc datur in anteceſ-
m, ut ſciat is cui datur, futurum id quod ei promiſ-
m eſt. Inde *arra ſponſalicia.* In illo Geneſeos petit ar-
bonem à Juda Thamar, quo ſecura ſit facturum eum
od pollicitus erat, de hœdo ſibi mittendo. Quo loco
nkelos vertit, pro Hebraico arrabone, משכונא
aſcono, quæ vox generalis eſt pro omni pignore, at-
e ita in ſequentibus reddit Hebraica עבט, & חבל. Sed
Perſa paraphraſtes Tavoſius ſimiliter reddit كرو,
od eſt ἐνέχυρον. Saadias quoque الرهن exponit,
ue pignus eſt. Unde استرهن ἐνεχυράζειν, *pignus*
ere apud eumdem. Certe & ἐνέχυρον Græcis non
tum pro re, quæ ob debitum oppigneratur, ſed
am pro omni re, quæ datur in ſignum & argumen-
n promiſſi effectum habituri, ut & Romanis *pignus.*
moſthenes adverſus Phormionem: Νῦν δ᾽ ὅτι τὴν
ρῃρίαν ταύτην ἔχω, οὐδέ τι οἴεται δεῖν ἀθῷος εἶναι,
ν βέβαιον ἐνέχυρον καταλιπὼν ὧν πείθει ὑμᾶς ψηφίσασθαι.
iſte indeminem ſe eſſe oportere putat, nullo ſatis firmo
gumento relicto pro iis quæ à vobis decerni poſtulat.
nc σύμβολον & σύσσημον ea notione, idem quod ἐνέ-

 χυρον.

χυρον. Pollux lib. III, cap. IX: Ἐνέχυρον, σύσσημον. Ita legendum, non λύσημα. Veteres Gloſſæ: Σημάδιον, *pignus*. Hedylus σύσσημον poſuit pro arra, vel arrabone:

> Θὲς μόνον ἢ ζώνην, ἢ ἐνώτιον, ἤ τι τοιοῦτον
> Σύσσημον. ——

Ita enim recte vir doctiſſimus ad Arnobium emendavit. Idem eſt ἀῤῥαβὼν, quem in Geneſi petit Thamar ſibi à Juda dari: Ὁ δὲ εἶπε, τίνα ἀῤῥαβῶνα σοι δῶ; ἡ δὲ εἶπε, τὸν δακτύλιόν σου, καὶ τὸν ὁρμίσκον, καὶ τὴν ῥάβδον, τὸν ἐν χειρί σου. Helleniſticam eſſe vocem contenderent, qui eam dialectum nobis confinxere, quia mentio ejus fit apud Eſaiam pro Hebraico נס, pro ſigno, vel inſigni, quod in altum tollitur. Pro ſigno, ſymbolo & arrabone Græci etiam Attici, atque in his Menander, uſurparunt. Quam tamen Atticam non eſſe multis pertendit Phrynichus, nec movetur auctoritate Menandri, quam magnopere elevat. Σύσσημον autem nihil aliud quam σημεῖον, ſignum quodcunque. In venditione autem & emptione, cum proprie ἀῤῥαβῶνα eſſe velint Græci, quod pignus ab emente datur vendenti in anteceſſum ſolutionis integri pretii, & ad ſecuritatem venditoris, ut rem eſſe emptam ſciat, omnis quidem arra pignus eſt, ſed non omne pignus arra. Quæ tamen, ut dixi, confunduntur Græcis Latinis, & Orientalibus fere omnibus. Ut enim arrabo pignus eſt, quod in emptionis & venditionis contractu intercedit; ita econtra pignus, quod in mutuatione intervenit ad ſecuritatem creditori præſtandam, etiam *arrabo* vocatur. Sic βεβαιωτὴς, & pro ſecundo auctore in venditionibus, & pro ſponſore in rebus creditis Græcis appellatus eſt. Ἀῤῥαβῶνα Græci definiunt, τὴν ἐπὶ ταῖς ὠναῖς παρὰ τῶν ὠνουμένων προκαταβολὴν ὑπὲρ ἀσφαλείας. *Solutionem in anteceſſum factam in emptionibus ab emptore ad ſecuritatem venditoris*. Hæc pretii partem faciebat, quod erat ſolvendum. Varro: *Arrabo, ſic dicta,*

dicta, ut reliquum reddatur. Immo à Græco ἀῤῥαβών. Menander:

Μικρὸν μὲν ἀῤῥαβῶνα μ' ἔδοξε καταβαλεῖν
Ἔπειτ' ἐν. —

Poteſt & dici ἐνέχυρον τῆς ὠνῆς. Certe illud Hebraicum ערבון *arrabon*, unde Græcum, à verbo venit ערב, quod Hebræis æque & Chaldæis, *fidejubere* ſignificat, & *ſpondere*. Hinc ערוב, *ſponſor* Chaldæis. Accipitur etiam pro *oppignerare*. Quo minus mirum eſt & pro pignore rerum creditarum accipi, cum ab origine notet, quidquid ὑπὲρ ἀσφαλείας contractus ab uno contrahentium alteri traditur. Geneſ. XLIV, verſ. XXXII: כי עבדך ערב את־הנער. *Quoniam ſervus tuus ſpopondit pro puero*. Septuaginta: Ἐκδέδεκται τὸ παιδίον. Nam ἐκδέχεσθαι eſt *fidejubere*, idem quod ἀναδέχεσθαι. In Chaldaica paraphraſi Onkelos, מעבר *fidejuſſor*, ἔκδοχος, ἀνάδοχος. Arabum interpretes ضمن, quod eſt, *ſpopondit*. Primigenia verbi ערב ſignificatio tam Hebræis, quam Chaldæis *miſcere* denotat & *confundere* & *invicem permutare*, quod faciunt mercatores, negotiando, permutandis mercibus, ſpondendo alter pro altero, & oppignerando. Ideo & ad hæc omnia porrigitur hujus verbi notio, unde nomen ערבון ἀῤῥαβὼν deſcendit. Ὑπόβολον etiam Græcis pro pignore ſumitur, vel re pignerata, quæ creditori ſubjicitur, καὶ ὑποβάλλεται. Pollux lib. III, cap. IX: Τὸ δὲ ὑποχρεὼν χωρίον, καὶ ὑπόβολον. Euſtathius ad A. Odyſſ. Ἐκεῖθεν καὶ τὸ ὑπόβολον, οὐ μόνον τὸ παρὰ τοῖς νομικοῖς, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑποβεβλημένον, ἤγουν ὑποκείμενον πρὸς δάνειον καὶ τόκον, εἴτε ἀγρὸς, εἴτε οἶκος, εἴτε ἄλλό τι. Citat deinde verſus hos Pherecratis:

— Οὐχ ὁρᾷς τὴν οἰκίαν,
Τὴν Πολυκλέους κειμένην ὑπόβολον.

Ita enim legendum eſſe, verſus ratio oſtendit, non ὑπόβολον. Niſi quis malit legere, κειμένην, καὶ ὑπόβολον. Nam κεῖσθαι ſimpliciter dicebant de his, quæ erant op-

pignerata, pro ὑποκεῖσθαι. Certe ὑπώβολον ineptum videtur. Euſtathius tamen ita legit, ut ex verbis, quæ ſubjicit, apparet. Δηλονότι καὶ ἕτερον ἦν ὑπώβολον, ἐκεῖνον τὴν παραλήγουσαν, καὶ δηλοῖ τὸ ὑποκείμενον ἐπὶ ὀβολαίῳ τόκῳ. Quæ interpretatio eſt ridicula. Nam ὀβολιαῖος τόκος eſſet *ſextantarium fœnus* Romanorum, quale nuſquam Græcis eo tempore uſitatum fuiſſe liquet, cum minima uſura earum quæ tunc in uſu, fuerit centeſima, quæ ſex ſextantes habuit. Omnino igitur, aut ὑπώβολον dixit licentioſe Pherecrates pro ὑπόβολον, ut ἱππωμέδοντος σῆμα Æſchylo, pro ἱππομέδοντος, aut certe legendum in verſu Comici, qui hujuſmodi licentiam vix admittit, κειμένην συνυπόβολον. Quæ pignerata eſt, συνυπόβολος recte dicitur, quia ὑπόβολον pignus ipſum appellatur. Hinc Suidas ὑπόβολον, τὸ δακτυλίδιον interpretatur. Annulus pronubus, qui pro arrabone in ſponſalibus dabatur, ita vocatus eſt. *Pignus* appellat Satyricus, ut in ſuperiore libro notavimus: *Et digito pignus fortaſſe dediſti.* Τὸ ὑπόβολον. Hinc & *arra ſponſalicia* Græcis eo nomine poſtea nuncupatæ ſunt, & deinde ipſa etiam donatio ante nuptias, poſtremo & id genus donationis propter nuptias, quod *dotarium* vulgo appellamus. De quo in ſuperioribus ſatis ſuperque dictum eſt. Quod *vades* olim dicebantur ſponſores qui pro altero vadimonium promittebant, nomen inde factum eſt à barbaris *vadium*, pro pignore, quod *guadium* & *guagium* ex eo vocamus, ut *pregium*, & inde *plegium*, pro prædio, vel præde. Et inde verbum *invadiare* pro ἐνεχυράζειν, & *oppignerare*. Sępe legi in variis inſtrumentis donationum & teſtamentorum, ante annos ſexcentos ſcriptis, fundum ea conditione donari, vel legari, *ne vendi, invadiari, aut quocunque alio modo alienari poſſet.* Græci quoque recentiores βάδιον pro pignore, & verbum βαδιάζειν pro invadiare. Unde ἀντιβαδιασταὶ in Baſilicis, qui rem jam alteri oppigneratam, iterum alii pignori dant.

Hi

Hi olim ſtellionatus tenebantur. Synopſis lib. LX, it. XXX: Περὶ κακοτρόπων ἤτοι περιέργων, καὶ δολίων, τῶν τὸ τέρῳ ὑποκείμενον ἢ πραθὲν ὡς ἴδιον, καὶ ἀνδύθεωνον πρὸς ἕτερον μεταφερόντων, οἵτινες καὶ τῷ στελλιονάτους ὑπόκειται γκλήματι, ὡς ἀντιβαδιασταί. Sic enim ibi ſcribendum, on ἀντιβιδιασταί. Stellionatus crimen, ut ait Juriſconltus leg. III, tit. ubicunque, D. de ſtellionatu, *maxie in his locum habet, ſi quis forte rem alii obligatam iſſimulata obligatione per calliditatem alii diſtraxet, vel permutaverit, vel in ſolutum dederit.* Verius men videtur, eos ἀντιβαδιαστὰς dici ceu *contravadiares*, non qui rem jam mihi obligatam alii obligavent, vel diſtraxerint, ſed qui non ſua, quaſi ſua in inrumento alicui dederint. De quibus habetur in leg. t. D. eod. Par enim ratio eſt ejus, quoad ſtellionatus imen, qui rem alteri jam obligatam mihi obligat, & qui alienam ſciens prudenſque, nec me de eo cit certionem. Leg. XXXVI D. de pigneraticia. Sed c qui rem alienam obligat alteri ſciens non poteſt ci ἀντιβαδιαστής. Nam ἀντιβαδιαστὴς eſt qui rem ſibi gnori datam, alii dat pignori, qui & μετενεχυριαστὴς citur, vel etiam ἀντενεχυριαστὴς, melioribus Græcis. interpretor legem ſupraſcriptam de eo qui pignonon ſua, juravit in inſtrumento eſſe ſua, ac dedit. Pinora quippe non ſua ſunt, quæ habet ab alio debitoſibi oppoſita. Atqui hoc non cadit in crimen ſtelnatus ſi quis rem ſibi pigneratam alii pigneraverit. mo vel pignoris utilitas in eo verſatur, ut non ſon vendi poſſit, ſed etiam pignerari alii invito doino. Vide leg. I Cod. ſi pignus pignori datum ſit. d hic duo concurrunt ad ſtellionatum, quæ ſingula viſa non facerent, perjurium, & alieni pignoris oblitio. Si quis igitur juraverit in inſtrumento ſuum e pignus, quod ab alio pignori acceperit, crimen llionatus fit. Perjurium per ſe non plectitur, nec a ejus pœna legibus prodita eſt. Pignoratio autem

alieni

alieni pignoris etiam permiſſa eſt legibus, ſed in eo demum, qui fatetur alienum eſſe, atque ita dat. Stellionatus porro judicium famoſum eſſe etiam adverſus hujuſmodi ἀντιβαδιαστὰς, ut adverſus omnes quibus competit hoc crimen, conſtat ex leg. XIII D. de his qui notantur infamia. Ubi diſerte Ulpianus ſcribit, *crimen ſtellionatus infamiam inrogare damnato, quamvis non ſit publicum judicium.* Nec obſtat lex II ejuſdem Ulpiani D. Stellionatus, quæ contrarium plane dicit, ſtellionatus nempe judicium *famoſum quidem non eſſe, ſed coërcitionem extraordinariam habere.* Quis credat Ulpianum adeo manifeſte ſecum pugnantia ſcripſiſſe? Nec enim mihi probatur conciliatio magni Juriſconſulti, qui ita ſolvit, ſi cum crimine concurrat actio civilis famoſa, famoſum eſſe ſtellionatus judicium: ſin minus, non eſſe. Nam abſolute dixit Ulpianus in ſupradicta leg. XIII, Stellionatus crimen infamiam irrogare damnato. Præterea cum in criminibus hoc ſtellionatus ſit perſequutio, quod in privatis judiciis eſt de dolo actio, tanto magis infamat ſtellionatus judicium per ſe, etiamſi non conjunctam habeat actionem civilē famoſam. Depoſiti damnatus infamis eſt, quia propter dolum condemnatur. Qui ſtellionatus judicio fuerit condemnatus, quod crimen in criminalibus reſpondet actioni de dolo famoſæ, cur non habebitur infamis? Hæc differētia eſt quod actio de dolo ordinaria eſt, ſtellionatus crimen eſt extraordinarium. Scripſerat itaque Ulpianus: *Stellionatus judicium famoſum quidem eſt; ſed coërcitionem extraordinariam habet,* ſublata negatione. A Triboniano adjectam liquet, parum memore eorum, quæ ſcripta reliquiſſet in titulo de his quæ notantur infamia, quod ſententiæ Ulpiani eam convenire hoc loco judicaret. Famoſa multa judicia ordinariam habuere perſequutionem, ut illud depoſiti de dolo. Ideo ait Juriſconſultus, famoſum quidem eſſe ſtellionatus judicium, ſed tamen

non

on ordinariam habere perſequutionem, ut cetera
æ in privatis judiciis famoſa ſunt, verum extraordi-
riam. Hoc ea de cauſa Ulpianus dixit, quia ſtellio-
tus non inter publica judicia, quorum quæ capitalia
on ſunt, famoſa ſunt. At ſtellionatus cum non ſit de
blicis judiciis quæ extra ordinem exercentur, &
moſa quædam ſint ex privatis quæ ordinariam ha-
ent executionem, non tamen eſſe privatum, quia
xtra ordinem coërcetur, neque etiam publicum, quia
lege publici judicii non veniat, cum nihilominus
famoſum. Idcirco leg. 1 D. eodem, dicitur, *ſtellio-
atum, neque privatis actionibus, neque publicis judi-
iis contineri*. Stellionatus crimini reſpondet Attico-
um εἰσαγγελία. Cum enim tradat Juriſconſultus, ubi-
unque titulus criminis deficit, illic ſtellionatum obji-
i, ſimiliter & Græci docent, εἰσαγγελίαν τετάχθαι ἐπὶ
ἀγράφων δημοσίων ἀδικημάτων. Rhetores vocant *in-
criptum maleficium*, cujus nomine alicui εἰσαγγελία
ntentatur. Ita enim νόμος εἰσαγγελτικὸς ferebat, ἐάν τις
ἃ ἂν οὐκ εἰσὶ νόμοι, ἀδικῶν ἁλίσκηται, ἢ ἄρχων, ἢ ῥήτωρ εἰς
ὴν βουλὴν εἰσαγγελίας δίδοται κατ' αὐτοῦ, κἂν μὲν μέτρια
δικεῖν δοκῇ, ἡ βουλὴ ποιεῖται ζημίας ἐπιβολὴν, ἐὰν δὲ μείζω,
αραδίδωσι τῷ δικαστηρίῳ, τὸ δὲ τίμημα ὅτι χρὴ παθεῖν ἢ
ποτίσαι. Ita legenda apud Pollucem. Contraria tamen
uic ſententia apud Harpocrationem extat, de duobus
is generibus εἰσαγγελίας. Nam in quibus criminibus
ublicis major pœna competit, & in quibus mora
omnis publico damnoſa, eorum perſecutionem dari,
εἰσαγγελίαν fieri in ſenatu, vel apud populum, εἰς τὴν
βουλὴν, ἢ τὸν δῆμον, quo judicio condemnatis maximæ
pœnæ multæve ſolerent irrogari. Alterum genus εἰσαγ-
γελίας facit ἐπὶ ταῖς κακώσεσι, de omnibus maleficiis
ſcilicet, in quibus deficit titulus criminis. Hæc εἰσαγγε-
λίας δίκη ante Ἄρχοντα, ſive Magiſtratum agitabatur.
Hujus δικαστήριον videtur proprium facere Pollux. Cum
enim varia eſſent Athenis δικαστήρια, κατ' ἐξοχὴν, τὸ ἀρ-
χεῖον,

χοῖτος, ita vocabatur. Prior igitur εἰσαγγελία de maximis & publicis criminibus, quæ tamen titulum non haberent, neque legem ſcriptam, dabatur. Ut contra illos qui populi imperium concuterent, aut majeſtatem ejus imminuerent, κατὰ τῶν καταλυόντων τὸν δῆμον, vel ut in aliis legitur, τὴν δημοκρατίαν. Secunda de variis fuit maleficiis innominatis, quibus proprie ſtellionatus nomen convenit. *Si quis imposturam*, inquit Juriſconſultus, *fecerit, vel colluſionem in necem alterius, ſtellionatus poterat poſtulari.* Attici εἰσαγγελίας poſtulari dixiſſent. Additque Ulpianus, *generaliter deficiente titulo criminis hoc crimen locum habere, nec opus eſſe ſpecies enumerare.* Ergo utramque εἰσαγγελίαν comprehendit, majorum minorumq; criminum, quibus titulus deeſt, ἐφ' οἷς ἀρχὴ καθέστηκεν, μήτε νόμοι κεῖνται τοῖς ἄρχουσι καθ' οὓς εἰσάξουσιν. Hinc idem Ulpianus, pœnam ſtellionatus nullam eſſe legitimam, dicit, cum nec crimen legitimum ſit. Tertiam addit εἰσαγγελίας ſpeciem Harpocration, κατὰ τῶν διαιτητῶν, quæ & ipſa ad ſtellionatum pertinet, contra judices pedaneos danda, qui alteram ex partibus injuſte condemnaſſent. In judicium vocati hi infames fiebant. Quæ pœna propria eſt ſtellionatus. Atque hæc obiter. Ad pignora redeamus. Immo ea relinquamus, ut ad *hypothecas* Juſtiniano ſic proprie dictas, & à pignoribus diſtinctas, veniamus. *Fiducia* de his magis proprie dicebatur, quamvis & de pignoribus etiam uſurpata ſit. Cum enim *fiduciam* utroq; genere capiat creditor debiti recuperandi, merito utrumq; tam pignus, quam hypotheca hoc nomine appellatur. Gloſſæ veteres: *Fiducia*, ὑποθήκη, ἐνέχυρον. Paulus tamen in ſententiis titulum habet, *de pignore fiduciave.* Pro quo alii Juriſconſulti à Triboniano interpolati ſolent dicere, *de pignore hypothecave.* Sidonius Apollinaris lib. IV, Epiſt. XXIV: *Pecuniam pater tuus Turpio, vir Tribunicius, mutuam pridem, ſi recordaris, à Maximo Palatino poſtulavit, impetravitq;*

nil

nil quidem fiducia pignoriſque, vel argenti ſequeſtrans, vel obligans prædiorum. Quibus verbis *fiduciam* plane pro hypotheca Juſtinianea poſuit. Nam *obligatio prædiorum,* ad eam referri debet: *argenti ſequeſtratio*, ad pignus. Per argentum vero intelligit factum, quod vice pignoris dari ſolet. Gloſſæ Græco-Latinæ: Ὑποθήκη, *hypotheca, obligatio, fiducia.* Res immobiles, & quæ ſolo continentur, fiduciari perſpicuum eſt ex veteri inſcriptione monumenti ætate Trajani poſita à quodam M. Ulpio ejus liberto, qui ſibi ſuiſque id ſe teſtatur feciſſe *ea conditione, ne fiducient, ne vendant, neve alio quo genere id ſepulcrum, ſive monumentum ſit, alienare ulli poteſtas ſit.* In alia inſcriptione in ſimili conditione monumenti non alienandi, *pignori obligare* ponitur pro fiduciare. *Hoc monumentum cum ædificio, neque mutabitur, neque vaniet, neque donabitur, neque pignori obligabitur. Sed nec ullo modo alienabitur, ne de familia exeat.* Paulus lib. III Sent. cap. de legatis: *Rem legatam teſtator ſi poſtea pignori, vel fiduciæ dederit, ex eo voluntatem mutaſſe non videtur.* Satin liquet ex his omnibus, non aliud eſſe diſcrimen inter *hypothecam*, & *fiduciam*, quam quod alterum Græcum eſt, alterum Latinum? Hinc *fiduciatum*, τὸ ὑποτεθὲν, idē quod *oppigneratum*, & *hypotheca datum.* Tertullianus, qui & ipſe Juriſconſultus fuit, de Idololatria: *Pecuniam de Ethnicis mutuantes ſub pignoribus fiduciatis jurati cavent & ſic negant.* Ita enim legendum, non ut vulgo eſt, *ſub pignoribus fiduciati.* Non enim ipſi qui dant pignori, *fiduciati* dicuntur, ſed res ipſæ quæ dantur. *Pignora* autem *fiduciata* Tertulliano, τὰ ὑποτεθέντα ἐνέχυρα, vel τὰ ὑποτεθέντα εἰς ἐνέχυρον. Nam Græci ὑποθεῖναι ἐνέχυρον dicunt, ut ſupra oſtendimus, quod eſt *fiduciare pignus*, id eſt, ad fiduciam creditoris pro debito obligare. Gloſſæ optimæ: *Fiduciat*, ὑποτίθεται. Et *fiduciatus*, ὑποτιθέμενος. Ita *fiduciatus ſervus* Paulus lib. Sent. II, cap. de lege com-

commiſſoria: *Quidquid creditor per fiduciatum ſervum quaſivit, ſortem debiti minuit.* Et recte *oppigneratum ſervum* Anianus exponit. Male enim *fiduciarius* editur. Nam *fiduciarius*, ὁ ὑποθηκιμαῖος in veteribus Gloſſis, de creditore exponendus, ut *pigneraticius*, ὁ ἐνεχυριμαῖος. *Hypothecarius* quoque creditor dicitur. In aliis *fiduciarius* etiam aliud ſignificat, ut notavimus in priore volumine. Toto illo capite de lege commiſſoria Paulus *fiducias* pro pignoribus, vel hypothecis uſurpat. *Debitor*, inquit, *diſtractis fiduciis à creditore de ſuperfluo adverſus eum habeat actionem.* Id eſt, diſtractis pignoribus, ſive hypothecis. Et *rem fiducia dare*, idem eſt quod hypothecæ dare. Idem lib. II de modo, id eſt, ſpatio: *Hæredibus debitoris adverſus creditorem, qui pignora, vel fiducias diſtraxit, nulla actio datur, niſi à teſtatore inchoata ad eos tranſmiſſa ſit.* Dederis hunc locum Triboniano in Digeſta Juſtiniani ſui referendum, non ſic ibi hærere pateretur, ſed ſtatim mutaret, *qui pignora, vel hypothecas.* Idem facturum fuiſſe præſto & in his ejuſdem Pauli verbis ex lib. I, tit. cap. de minoribus XXV annorum: *Minor adverſus diſtractiones eorum pignorum, vel fiduciarum quas pater obligaverat, ſi non ut oportuit à creditore diſtracta ſunt, reſtitui in integrum poteſt.* Et lib. V, tit. XXVI: *Fiduciam vero & pignora apud ſe depoſita perſequi, & ſine auctoritate judicis vindicare non prohibetur. Iudicium fiducia*, apud eumdem idem eſt quod judicium hypothecæ: *Si creditor rem fiduciatam fecerit meliorem, ob ea recuperanda, qua impendit judicio fiducia debitorem habebit obnoxium.* Dicitur & *pigneraticium judicium* leg. XXIV D. de pigneraticia actione. In pigneraticio autem judicio, ſive fiduciæ, veniebat, & ſi res fiduciatas, vel pignori datas meliores feciſſet creditor, contraria actione ei danda ad recuperanda quæ impendiſſet, leg. VIII D. eod. Sic accipiendum & *judicium fiducia*, pro pigneraticio, apud

pud Modeſtinum in collationibus legum Moſaica-
um cap. de depoſito: *Sic enim & in fiducia judicio,
& in actione rei uxoria, & dolus, & culpa, deducitur,
uia utriuſque contrahentis utilitas intervenit.* Nul-
um enim eſt dubium, quin in pignore dando utriuſ-
ue contrahentis utilitas interveniat. Datur quippe pi-
nus, ut ait Gajus lib. III, Inſt. cap. XV, *utriuſque gra-
a, & debitoris, quo magis ei pecunia credatur, & cre-
itoris, quo magis ei in tuto ſit creditum.* Apud eum-
em Paulum *actio fiducia* vocatur pigneraticia actio,
uæ datur debitori adverſus creditorem recuperandæ
ducia gratia, hoc eſt, pignoris, vel hypothecæ: *Si
reditor rem fiducia datam uni ex haredibus, vel ex-
raneo legaverit, adverſus omnes haredes actio fiducia
ompetit.* Id eſt, actio pigneraticia. Item: *Si inter cre-
itorem & debitorem convenerit, ut fiduciam ſibi ven-
ere non liceat, non ſolvente debitore creditor denun-
are ei ſollemniter poteſt, & diſtrahere. Nec enim ex
li conventione fiducia actio naſci poteſt.* Id eſt, ubi
oſt ſollemnem denuntiationem debitori non ſol-
enti factam, *fiduciam,* id eſt, pignus diſtraxerit cre-
tor, fiduciæ actio ſive pigneraticia nulla competit
ebitori ad repetendum pignus. *Judicium* quoque *fi-
ucia* Papinianus dixerat, pro pigneraticio, libro de-
itionum ſecundo, ſub titulo de judicatis, cujus ver-
 retulit auctor collationis legum Moſaicarum & Ro-
anarum ad tit. II hoc modo: *Per hominem liberum
xia deditum ſi tantum acquiſitum ſit, quantum
amnum dedit, manumittere cogendus eſt à pratore
ui noxa deditum accepit, ſed fiducia judicio non tene-
r.* Quod ſi hæc verba regeſſiſſet Tribonianus in Di-
eſtorum libros, ſine dubio iſtud *fiducia judicum* ibi
cum habere non paſſus eſſet, ſed pro eo ſuppoſuiſ-
 pigneraticium. De pigneraticio autem judicio acci-
endum in ea Papiniani lege, nos infra pluribus oſten-
mus, capite hujus voluminis ultimo. Non poſſum

Pp porro

porro ſatis mirari, ex omnibus Juriſconſultorum ſcriptis, quæ compilavit Tribonianus, ita *fiduciæ* vocem exturbatam cum puliuſculo fuiſſe, ut nullum hodie ejus veſtigium compareat, neque in Digeſtis, neque in Codice. Atqui in paucis fragmentis, quæ alia via ex antiquitate nobis ſervata ſunt quam per manum Triboniani, ubicunque materia pignorum incidit, ibi & *fiduciæ actio*, & *fiduciæ judicium*, & *fiduciata res* pro oppigneratis tot locis occurrunt, ut non magis id nos debeat advertere, quam *hypothecæ* mentionem nullibi apud eos extare. Apud Papinianum, Paulum Modeſtinum, *judicia fiduciæ* cur legimus, & *fiduciæ actiones*, quibus nihil loci relictum eſt in jure Juſtiniani per Tribonianum collecto ex illis ipſis antiquis Juriſconſultis? Cur denique antiquæ VViſigothorum leges, & Longobardorum, qui multa ex Romanis hauſerunt imitatique ſunt, nullam habent *hypothecæ* mentionem, ſed *pignorum* tantum, & *fiduciæ*? Gloſſæ Philoxeni quarum collectionem vetuſtiorem eſſe liquet Juſtinianea juris collectione, quæque plurima habent ex priſcorum Juriſconſultorum commentariis petita vocabula, *hypothecam* nuſquam recenſent, ſed *pignus* tantum & *fiduciam*, & verbum ex eo factum *fiduciare*, pro obligare jure hypothecæ. Auctores quoque Latini, qui ante Juſtinianum ſcripſere, nunquam utuntur nomine *hypothecæ*, ſed *fiduciæ*. Antiquæ etiam inſcriptiones *non fiducianda monumenta*, id eſt, oppigneranda, nobis ſuggerunt. Anianus etſi valde recens, ut Gothorum principum conſiliarius, ſæpe hanc vocem in ſuis expoſitis, ut eas vocant libri veteres, ſic uſurpat. Ut ad V Pauli ſententiarum: *Precario, qui per preces poſtulat, ut ei in poſſeſſionem permiſſu domini, vel creditoris in fiduciam commorari liceat.* Id eſt, in re hypothecæ titulo obligata, domo utputa, aut villa, vel agro. Idem ad I cap. de minoribus: *Minor annis, ea quæ pater ejus oppigneraverat, vel fiduciæ cauſa poſuerat,*

rat. Fiduciæ cauſa ponere, eſt quod Græci dicunt, θεῖναι εἰς ὑποθήκην. Quibus omnibus locis *fiduciam* videre eſt poſitam pro hypotheca rerum immobilium. Nec eſt quod quis Ciceronem alleget, qui in Epiſtolis familiaribus eam vocem *hypotheca* uſurpaverit lib. XIII, Epiſtol. LVI. Non ille Latine dixit *hypothecas*, ſed Græce ſcripſit ὑποθήκας: *Philetes Alabadenſis* ὑποθήκας *Clunio dedit*. Debitor ille Græcus, & debitum in Aſia contractum. Ideo ὑποθήκας nominavit. Græcis, ut jam docui, ὑποθήκη nomen generis eſt, tam de mobilibus, quam immobilibus, tradendis obligandiſve. Quia autem ἐνέχυρον iiſdem nunquam niſi pro rei mobilis pignore ſumitur, idcirco & ὑποθήκην, quæ generalis erat appellatio, ſpecialem fecerunt de obligatione immobilium. Quod & in aliis multis factum, ut alterum ex duobus generibus in nomine generis ſpecialiter conſtiterit. Ita Chryſoſtomus ἐνέχυρον, & ὑποθήκην diſtinxit, de Eleemoſyna, ἀντὶ ἀσφαλείας, ἢ ὑποθήκης, ἢ ἐνεχύρων, ἢ ἐγγύης. Juſtinianus homo Græcus, & jura condens imperio maximam partem Græco, eamdem inducere voluit inter *pignora* & *hypothecas* differentiam, quæ Græce eſſet inter ἐνέχυρον & ὑποθήκην. Præterea ut Græcis ejus conſtitutionibus & dictis Romano ſermone ſcriptæ leges concordarent, in his *hypothecarum* Græcam appellationem pro Latina *fiduciarum*, qua antiqui uſi fuerant Juriſconſulti, ubicunq; ſubſtituit, ut notiorem Græcis, nec Romanis tum forcaſſe incognitam. Nec enim dubito quin multi eo tempore *hypotheca* nomen frequentarent. ...ed de veteribus juriſconſultis ex quorum excerptis corpus juris contexuit, id maximis adductus rationibus plane negare poſſum. Non ambiguum profecto ...t quin pro *fiducia judicio, pigneratitium* ſuppoſuerit. ...uod vix eſt Latinum. Nam *pignerarium* potius eſ... dicendum, ut & *pigneraria actio*, non *pigneraticia*. ...ur enim *hypothecaria* dicitur, & non *pigneraria* eo-

dem modo? Sed ea forma paragogica eo tempore uſitata fuit. Sic *fœneraticiam pecuniam* malebant, quam *fœnebrem.* Ita & *fœneraticiæ cautiones* eidem Juſtiniano ſyngraphæ pecuniæ fœnebris. Ad *hypothecariam actionem* quod attinet, puto & hoc commentum fuiſſe Juſtiniani vel Triboniani, pro *quaſi Serviana* actione, ut eam veteres Juriſconſulti nuncuparunt. Cur enim *hypothecaria* ea dicta potius, quam *pigneraticia* fuiſſet, cum & pignorum & hypothecarum perſequutionem contineret? Nam & ipſe Juſtinianus fatetur in Inſtitutis, quoad actionem *quaſi Servianam* nullum eſſe diſcrimen inter *pignus*, & *hypothecam.* Priſci Juriſconſulti *fiduciæ actionem* hanc vocaſſent, ſed quia hoc nomine appellarunt actionem, quæ debitori datur ad repetendum à creditore pignus, pecunia ſoluta, ea gratia *quaſi Servianã* nuncuparunt eam, qua creditor pignora perſequendi & vindicandi ſi quo caſu eorum poſſeſſionem amiſiſſet, aut ſi in bonis fuiſſet, debitoris, quo tempore pignus contractum eſt, facultatem habuit. Quæ *quaſi Serviana* dicta eſt, quod ad inſtar *Servianæ* eſſet inſtituta. Nec vana etiam conjectura fuerit, eumdem Tribonianum immutaſſe titulos librorum Gaii, Pauli, & Marciani, & pro *fiduciaria formula*, repoſuiſſe *hypothecariam.* Non enim ſolum de formula *hypothecariæ actionis* in his libris tractarunt, ſed etiam de pigneraticia. At *fiducia* nomen generale ad pignora & hypothecas, ut jam diximus. Quinimmo poteſt etiam dici in verbis Marciani leg. v D. de pignoribus, olim ita fuiſſe ab ipſo auctore ſcriptum, *inter pignus & fiduciam tantum nominis ſonus differt*, & pro *fiducia* mutaſſe *hypothecam* Tribonianum. Quod falſum eſt ex ipſius uſu perpetuo, quo *hypothecam* rerum immobilium, quæ tantum obligarentur, dici voluit, *pignus* mobilium, quæve traderentur. De *fiducia* hoc verum eſt, tam pignus, hoc eſt, ἐνέχυρον, quam ὑποθήκην eo nomine ſignificari.

Nec

Nec id prætermiſſim Philoxeno in Gloſſis, *Fiducia, ἐνέχυρον, ὑποθήκη.* Quod de *hypotheca* Iuſtiniani prorſus falſum. Cum in priore libro obiter de *fiducia* obſervaſſem, eam pignus, vel hypothecam ſignificare, & magis quidẽ *hypothecam*, quia Paulus à pignore proprie ſumpto id nominis diſtingueret, doctoribus noſtris inde occaſio nata eſt, ut ex aliis nonnullis quæ primus notaſſe videor, ea ipſa ſuggillandi carpendique, quaſi ſolum ſcire me illa putarem, cum ipſi neſcirent. Hoc eis inter alia *fiducia* interpretamentum viſum eſt novum, & quia novum, ut ſunt ejuſmodi ingenia, etiam falſum. Nihil enim niſi quod ipſi norunt rectum putant. Nunc illis oſtendendum eſt quam turpiter ſe dederint doctiſſimi Juriſconſulti, quorum dictata tanquam oracula ſequuntur, in hac *fiducia* exponenda, quam nos docemus nihil aliud eſſe quam pignus, vel hypothecam, immo potius hypothecam. Hotomannus in Epitome Juris ad lib. xx, inter varias pignoris ſpecies ac differentias, & hanc propoſuit, ut aliud ſit verum ac proprium pignus, quod naturam proprietatemque pignoris retinet, aliud quaſi pignus, quod aliqua ex parte ad illud accedit. *Quo in numero*, inquit, *fuit olim fiducia.* Ergo *fiducia* nomen omnibus locis, quæ ante retulimus, non erit ſumendum pro vero pignore, vel hypotheca, ſed pro certo genere pignoris, quod quaſi pignus eſt dicendum, quia non habet proprietatem naturamque pignoris, ſed ex aliqua parte accedit. Atqui illi omnes loci quos citavimus, clare evincunt, fiduciam ibi eſſe vel pro pignore generaliter ſumpto, vel pro hypotheca ſpecialiter appellata. Quale igitur pignus eſt fiducia Hotomanno? Ex Iſidoro vult fiduciam dici, *cum res aliqua mutua pecunia ſumenda gratia vel mancipabatur, vel in jure cedebatur.* Sed ſubjungit, addendum eſſe, ea lege, ut ſi intra certum tempus pecunia redderetur, res venditori remanciparetur, quemadmodum & Boëthius in Topica Ciceronis te-

ſtatur. Mira hæc ſunt in tanto Juriſconſulto, quem ſi novitii doctores vellent in his graviſſimis erroribus defendere, ſatis profecto ſudarent. Nec vereor ad hoc eos ultro invitare, ut nobis probent ſuam in Jure peritiam. Confundit vir magnus res plures toto genere diverſas, *fiduciam* Pauli, quæ merum pignus eſt, vel hypotheca, cum fiducia Iſidori, & Boethii, quæ & ipſæ inter ſe ita differunt, ut à fiducia Pauli in totum aliæ ſint. Primum fiducia illa Boethii ad Topica Ciceronis nihil ad pignora, vel hypothecas pertinet. Nam cuicunque res aliqua mancipatur, ea lege ut eam poſtea remancipet, fiduciam recepiſſe dicitur. Exempli gratia, ſi quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipio tradat, ut ei cum tempus ſuſpectum præterierit reddat, eo pacto *fiduciam contrahi* Boethius ait. Qui rem ab aliquo ſic accepit, *fiduciarius* vocatur, fitque ejus dominus. Sed quid hoc ad fiduciam, quæ hypotheca eſt pro debito? Qui fidem alicujus ſequutus rem ei vendit ſimulato contractu, ut eam poſtea recipiat, pretio reddito, fiduciam quidem in illo habet, quem ad hoc eligit, quemque adeo confidit rem ſibi ex pacto reſtituturum eſſe. Ideo *fiducia* vocatur hic contractus, & *fiduciarius* non venditor, ſed emptor in quo fiduciam habuit, cujuſque fidem ſequutus eſt venditor. Ipſa etiam res quæ ſic ejus fidei committitur, *fiduciaria* appellatur. Ita & *fiduciarius* hæres cujus fidei teſtator hæreditatem ſuam commiſit ad tempus, poſt alii reddendam. Sed & ipſa hæreditas, quæ ſic relicta eſt, *fiduciaria* appellatur, ut jam diximus in ſuperiore volumine. Pergit Hotomannus in illa diſtinctione imaginaria *pignoris*, & *quaſi pignoris*, quod ipſi *fiduciæ* nomine proprie venit. *Ea*, inquit, *à pignore hoc differt, quod in pignore dominium non transfertur, in fiducia transfertur.* Atqui hæc fiducia cujus dominium transfertur nihil ad pignus, quæ nec quaſi pignus dici poteſt. Mancipatio eſt fundi ea lege

facta,

facta, ut poſtea ab emente venditori remancipetur, ex conventione. Venditio eſt ſimulata, quæ tamen dominium transfert ad ementem, & mox ex pacto vendenti reſtituit. At in ea fiducia, quæ eadem eſt cum pignore, vel hypotheca, æque certum eſt ejus dominium non transferri ac pignoris, vel hypothecæ. Fiducia de qua Iſidorus, propius accedit ad fiduciam pigneraticiam, quam illa Boëthiana, quæ prorſus ab ea diverſa eſt, nihilominus tamen non eſt eadem cum pignore. *Fiducia*, inquit, *eſt, cum res aliqua ſumendæ pecuniæ mutuæ gratia, vel mancipatur, vel in jure creditur.* Quod ad priorem partem attinet, fiducia hæc qua pecuniæ ſumendæ gratia aliquid vendimus, ut poſt certum tempus reddito pretio recipiamus, contractus eſt medius inter pignus & venditionem. Vulgo venditionem vocamus, ſub conditione remancipationis factam. Opus habeo pecunia, nec invenio mutuam, fundum vendo creditori ea lege, ut ſi poſt biennium, aut triennium à die venditionis pecuniam ei non reddam, emptus ei ſit in perpetuum: ſi reddam pretium intra præſtitutum tempus, ad me redeat res mea. Gallice dicitur, *vendre à condition de reachapt.* Hujus mentio fit in leg. 11 Cod. de pactis inter emptorem ac venditorem. Emptor quodammodo fiduciarius eſt in ejuſmodi venditione quæ ſub conditione reſolvitur, quodammodo etiam pigneraticius creditor. Nam quaſi pignoris nomine rem venditam poſſidet donec ſibi redditum ſit pretium, ſi pretium illud vice pecuniæ mutuæ datum fuit emptori. Fidem etiam ejus quadamtenus ſequutus eſt emptor, qui fiduciam habuit rem ſibi ab eo redditum iri, nec quaſi emptam ſervaturum. Sed hæc *fiducia* πεποίθησις eſt, non ὑποθήκη, ut & in illa ſiducia Boëthiana. Nihil itaque, ſi vere æſtimemus, hæc fiducia Iſodori commune habet cum fiducia, quæ pignus eſt, vel hypotheca. Quod ſequitur apud eumdem, *vel in jure ceditur,* ſciunt Juriſconſulti, nec ego

ignoro qui non ſum Juriſconſultus, quid ſit *in jure ceſſio.* Sed de ea hic vix puto intelligendum, niſi quis dicat, rem in jure cedi ita ad tempus poſſe, ut & mancipari creditori mutuæ pecuniæ gratia. Vulgares libri Iſidori, ut & ſcripti, habent, *in jure creditur.* Quod & ipſum quid ſit exponant mihi, qui magnum ſpirant in Juris ſcientia. Nam id me fateor ignorare, qui non ſum tam bonus Juriſconſultus, ut ipſi. Interim videndum an poſſit emendari, in illis Iſidori verbis: *Fiducia eſt cum res aliqua mutuæ pecuniæ ſumendæ gratia, vel mancipatur, vel pignore ceditur.* Quicunque auctor ille fuit, quem Iſidorus exſcripſit, antiquus, ut apparet, grammaticus, non enim Juriſconſultus, confudit *fiduciam*, qua res ad tempus mancipatur fiduciario emptori ſimulata emptione, vel vera quidem, ſed ſub conditione reſolvenda, & *fiduciam*, qua res pignoris loco fiduciatur creditori. Legerat ille apud Juriſconſultos, quorum tunc integra volumina extabant, in titulo de lege commiſſoria pignorum, *fiduciam* ſæpe nominari. Et ſane hodieque in fragmentis Pauli, ſive collectaneis Sententiarum ſub hoc titulo, *fiduciæ* nomen pluries poſitum occurrit. Putavit ergo ille, *fiduciam* in pignoribus proprie dici, cum debitor ex lege commiſſoria cedit pignore. Fateor tamen, vel eodem ſenſu retineri poſſe, *in jure ceditur.* Nam debitores qui non erant ſolvendo ſolebant etiam in jure bonis cedere ſuis creditoribus. Quidni ergo & pignoribus ubi ea commiſſa eſſent, ſi ea luere non potuiſſent, & lege quidem commiſſoria? Dicta eſt lex *commiſſoria pignorum*, vel etiam quod idem eſt, *fiduciarum*, vel *fiduciariæ,* ad diſtinctionem alterius commiſſoriæ, quæ in venditionum & emptionum pactis olim fuit uſitatiſſima. Quam nollem confudiſſent viri Juris peritiſſimi cum lege commiſſoria pignorum. Ad eum titulum Digeſtorum, qui de lege commiſſoria eſt, obſervant interpretes, pactionem hanc, quæ fiebat in contrahenda

henda emptione, dictam fuiſſe veteribus *fiduciam*. Quod abeſt à vero quam longiſſime. Nam neque lex commiſſoria pignorum, neque lex commiſſoria emptionum unquam fuit appellata ab antiquis *fiducia*, nihilque omnino habuit utraque pactio cur *fiducia* nomine fuerit merito nuncupanda. Inter contractus bonæ fideí, quique ex jure gentium deſcendunt, *fiducias* etiam recenſuit Cicero lib. III Officiorum, de Scævola loquens. *Fideique bona*, inquit, *nomen exiſtimabat manare latiſſime, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vita ſocietas continetur.* Ex fiduciæ ſi ita accipiantur, ut eruditi vulgo eas intelligunt, nihil habent affinitatis, neque cum rebus pigneratis, neque cum rebus emptis ac venditis, multo minus cum lege commiſſoria pignorum emptionumve. Sed longe illas fiducias aliter cenſeo interpretandas apud Ciceronem illo de Officiis loco, quam vulgus interpretum putat. Nam fiduciæ ibi ſunt pignora & hypothecæ, eo plane ſenſu, quo & *fiducias diſtrahi* aliquot locis dixit Paulus. Enumerat ibidem Cicero omnes bonæ fidei contractus, in quibus contraria ſolita reddi judicia. Inter eos & pignorum hypothecarumve obligatio, quas *fiducias* appellat Cicero. At *fiducia* in eo ſignificatu, quo volunt & accipiunt vulgo, ita inter duos contrahitur, ut in unius tantum gratiam fiat, ejus nempe ad quem redire debet hæreditas fiduciaria, aut res vendita per remancipationem. At in fiduciis ſive pignoribus hypotheciſve contrahendis utriuſque res agitur, ut ex Gajo ſupra notabamus, tam creditoris, quam debitoris, & in his contrario judicio locus, ut in aliis bonæ fidei contractibus. Inter quos & fiduciarum contractus proinde numerabatur. Apud eumdem Ciceronem de Top. IV, nullum eſt mihi dubium quin *fiducia* ſimiliter ſit exponenda de pignore, non ut Boëthius accepit de re quæ alicui man-

cipata eſt, ut mancipanti remancipetur. Verba Ciceronis: *Si tutor fidem praſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator.* Fiduciaria hæreditas, aut fideicommiſſum, vel res quæ mancipatur ut remancipetur, non dicitur *fiducia*, ſed *fiduciaria*. At pignus, ut ſuperius docuimus, *fiducia* nomine veteribus proprie appellatum eſt. Et *fiduciam* accipit ille tantum, qui pignus, aut hypothecam accipit. In eo fidem etiam ſervare debet, qui illud accepit. Quod ſi non faciat, pigneraticiæ actioni locum eſſe jura volunt, ut etiam contrariæ, quæ datur creditori ad recuperandos ſumptus neceſſarios, quos in fiduciam impenderit, hoc eſt, rem fiduciatam. Si hoc vocabulum in ea notione adeo frequens fuit Juriſconſultis, qui ſub Imperatoribus vixere, quis non credat æque uſitatum Trebatii ævo, ad quem Ciceronis Topica ſcripta ſunt? Quod autem attinet genus illud venditionis fiduciarium, de quo paulo ante egimus, nihil illa ad communes venditiones, nec ad eas fiducias Ciceronis quarum in libris de Officiis mentio. Sunt præterea alii contractus quibus nomen *fiducia* convenit, quibuſque *fiducia contrahi* dicitur. Nam quacunque in re alterius fidem ſequimur, ut aliquid ei committamus, quod alteri facere debeat aut dare, in eo contrahitur fiducia, quia fiduciam habemus facturum illum quod ejus fidei commiſerimus, ut in hæreditatibus hac conditione relictis, quæ & *fiduciaria* ex eo appellatæ, & in iis, quæ inde nomen nacta ſunt, fideicommiſſis. Similiter qui metu periculi potentiori rem ſuam vendit, ut periculo elapſo eam ab illo recipiat ex pacto, fiduciam cum illo contrahit, & hæc venditio fiduciaria eſt. Non de illa tamen fiducia intellexit in Topicis Cicero, ſed de pignore, vel hypotheca. In lege porro commiſſoria contrahendæ emptionis nulla talis fiducia requiritur, aut invenitur, ut in illis quas diximus mancipationibus fiduciariis. Pa-

ctio

ctio eſt, ut non ſoluto pretio intra certum tempus, res quæ vendita erat, inempta ſit. Quæ hic fiducia agitur, aut ubi ullius fiduciæ contractus? In pignore vero contrahendo, do pignus ad ſecuritatem pecuniæ, quæ mihi data eſt, ut ille fiduciam habeat ex eo debiti ſui recipiendi. Ergo alio ſi forte ſenſu hic fiducia ſumitur. Nec eam tantum habet de creditore debitor, aut ejus fidem ſequitur, ſed potius contra datur à debitore creditori. Ideo & pignus ipſum quod datur, appellatur *fiducia*, quia in tuto creditorem ponit, qui inde fiduciam capit recuperandæ ſuæ pecuniæ. At lex pignorum commiſſoria fiduciæ nomine nunquam vocitata eſt, licet *fiduciaria* poſſit appellari, id eſt, pigneraria, vel hypothecaria, quatenus pactum eſt, vel cautio de pignoribus, vel hypothecis creditori cedendis ſi intra certum tempus pecunia non ſit ſoluta. Nam ut dixi, pignus vel hypotheca *fiducia* eſt, & ſic vocatur. Ceterum auctor ille vetus, quem compilavit Iſidorus, videtur exiſtimaſſe, *fiducia* nomen locum tantum habere, cum fiducia, id eſt, pignus committebatur ex pactione, & creditori cedebatur. Nec meliora Cujacius affert ex corruptis Iſidori verbis, & male ſana veteris auctoris ſententia. Fiduciam ſcribit eſſe pignus, *quod creditori mancipatur, aut in jure ceditur, ea lege, ut ſoluta ad diem pecunia, remancipetur; non ſoluta, creditori pleno jure acquiratur.* Quæcunque pactio de pignore fiat, *fiducia* pignus eſt, etiam ſi nuda tantum conventione obligetur, non etiam tradatur. Immo vel potius, ut uſus loquendi obtinuit, etſi non tradatur, ſed obligetur tantum, *fiducia* proprie nomen habet, ut ex iis clarum eſt, quæ ſuperius attulimus. Præterea mancipationis & remancipationis nomen in pignoribus nunquam uſurpatum, ſed in venditionibus, & in illis quidem quibus contrahebatur fiducia, cum ſcilicet res mancipаretur emptori ea conditione, ut intra certum tempus eam remanciparet venditori. Poſtremo nunquam

quam ejuſmodi pactio fuit recepta jure Romano, ut non ſoluta pecunia pignus acquireretur pleno jure creditori. Quæ ſic fiebat, non obligatio pignoris habebatur, ſed ſub conditione venditio. De qua infra. Alius Juris interpres doctiſſimus, & doctor quondam meus, in eodem quoque errore eſt quo cæteri, dum notat ad Codicem de pactis pignorum & lege commiſſoria, fiduciæ dominium in creditorem transferri, non pignoris. Quod profecto mire abſurdum. Nam fiducia in lege commiſſoria, cum ſit idem cum pignore, non magis ejus dominium transfertur, quam pignoris. Et mirum eſt, in hoc errare potuiſſe, cum ibi teſtimonia citet auctorum, quæ prorſus evincant, *fiduciam* eſſe pignus, vel hypothecam, ut illud Sidonii Apollinaris, quod ſupra attulimus. Sed & in legibus Longobardorum lib. II, tit. XV, leg. III: *Quod in nexu fiduciæ poſitum eſt*. Id eſt, oppigneratum, vel hypothecæ datum. Nam & *hypothecæ nexum*, pro obligato, vel dato hypothecæ, legere eſt apud Juriſconſultos. Ambroſius cap XII de Tobia, *fiducias* cum pignore & hypothecis nominat, non fiducias diſtinguat ab hypothecis & pignoribus, ſed diſerti more, ſtudio amplificandi ea omnia συνωνύμως recenſet: *Syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus uſurpat, fiducias vocat, obligationem aſſerit, uſuras prædicat, centeſimas laudat.* Nam pignora & hypothecæ, *fiduciæ* ſunt, quatenus pro fiducia & ſecuritate dantur creditori, ut debiti habeat fiduciam, quaſi tuti ſibi futuri. Obligatio quoq; eadem eſt cum hypotheca. Sic *ſyngrapham* & *chirographum*, non ut diverſa recenſet. Erant enim tunc hęc duo ſynonyma ejuſdem rei, ut ex eodem Ambroſio planum fit lib. I de Officiis cap. XXXII: *Eſt etiam illa benevolentiæ liberalitas, ut ſi quod habes debitoris chirographum, ſcindens reſtituas, nihil à debitore conſequutus debiti.* Paulo poſt *ſyngrapham* appellat: *Quod exemplo ſui facere non debere,*

ob ſanctus admonet. Nam qui habet, non mutua-
ui non habet, non liberat ſyngrapham. Lex au-
ommiſſoria pignorum, cautio fuit, vel pactio,
ebitor creditori cavebat, ut ſi pecuniam die di-
n ſolviſſet, pignus committeretur, id eſt, poſ-
ie, & dominio hypothecæ cederet. Id diceba-
pignore cedere, vel *hypotheca cedere*, vel etiam
re, ut apud Ciceronem *hypothecis decedere.* Si
e ea ceſſio fieret, ut Iſidorus videtur velle, nihil
a dico. Anianus *cautionem commiſſoriam* vocat.
eſt, quod Iſidorus ſcribit, *in jure cedere* in fidu-
n commiſſoria. Nam revera pignore ſe ceſſu-
promittebat debitor, niſi ad diem, qua convene-
olviſſet. *Cedere hypotheca*, hoc idem appellat
Cod. de pactis pignorum. Quam legem non
r à noſtris Juriſconſultis intellectam non eſſe,
nec ejus mentem ſatis videatur percepiſſe Tri-
anus. Non enim retuliſſet ſub illum titulum in
n & conjecit legem Conſtantini, quæ reſcindebat
miſſoriam, quamvis certum ſit, commiſſoriam il-
quam reſcidit Conſtantinus & poſt eum Juſtinia-
diverſam eſſe ab iſta, ut infra doceo. *Qui pactus*
iſi intra certum tempus pecuniam, quam mutuam
pit, ſolveret, ceſſurum ſe creditoribus, hypotheca
litionem non contraxit: ſed id comprehendit, quod
itor in adipiſcendo pignore habiturus erat. Com-
i itaque jure creditor hypothecam vendere debet.
ardus in ſua Editione aliter diſtinxit, nempe hoc
lo: *Ceſſurum ſe creditoribus hypotheca venditio-*
: non contraxit, ſed id comprehendit. Neutra vera
iſtinctio. Et locum non ſolum interpunctione, ſed
m vitio lectionis laborare, certa fides eſt. Lege ita-
meo periculo, quamvis certum id debeam ſubire
ctoribus Juris contra me ſcripturis: *Qui pactus eſt,*
intra certum tempus pecuniam quam mutuam
pit ſolveret, ceſſurum ſe creditoribus hypotheca,
vendi-

venditionem non contraxit, ſed id comprehendit, quod jure ſuo creditor in adipiſcendo pignore habiturus erat. In quod vis cedo pignus, ſi hanc legem ullus aſſequutus eſt eorum doctorum, qui ſe coryphæos putant Juriſconſultorum. Quod me pro Juriſconſulto non habent, facile patior, nec ſane ſum. Tanto magis pudendum eſt hæc eos me poſſe docere. Quod tamen ſtrenue diſſimulabunt. Interpretes hic quærunt, quid illis verbis intelligatur, ut hodie excuſa ſunt. Hoc ſcilicet, inquiunt, non ut creditor pignus emptionis jure, ſed id ut creditor ſuo jure diſtrahat. Inde colligunt, pactum potius cenſeri ſuperfluum eſſe quam legi contrarium. Sed plane hallucinantur, nec attenderunt, hoc pactum omnino fuiſſe commiſſorium, & legi Conſtantinianæ prorſus eſſe contrarium, quæ ibidem ſequitur, qua ille Imperator commiſſoriam pignorum reſcidit. Pactus eſt debitor, niſi intra certum tempus pecuniam ſolveret, ſe ceſſurum creditoribus hypotheca. Non aliter concipiebantur pactiones, ſive cautiones commiſſoriæ. Dicit igitur Alexander, cujus illa lex eſt, hoc pacto venditionem pignoris non eſſe contractam, ſed id comprehendiſſe, quod jure ſuo creditor in adipiſcendo pignore habiturus erat, ex lege nempe commiſſoria. Quæ fortaſſe verba detraxit Tribonianus, ut lex ea Alexandri ſimplici de pignore pactioni conveniret. Sed tametſi abſint, poteſt facile tamen intelligi, eſſe referenda ad legem, ſive pactionem commiſſoriam. Atqui valde abſurdum eſt, ut eo pacto, quo promiſit debitor ſe ceſſurum hypotheca niſi pecuniam ſolviſſet, nihil plus contineri, quam ut liceret creditori pignus diſtrahere. Ceſſurum ſe promiſit hypotheca debitor illius pacti verbis, hoc eſt, paſſurum ſe poſſeſſionem ejus transferri ad creditorem, dum dominio ejus cederet. Cur enim reſcripſiſſet Imperator, non videri contractam venditionem eo pacto, ſi nihil plus quam licere creditori communi jure

pignus

gnus vendere, ſuprascripti pacti verbis cautum eſſet? perfluum plane hoc pactum ſecundum ſententiam riſconſultorum eſſet pronuntiandum, ſi ita accipi beret. Commune illud jus, de jure legis commiſſo- æ accipiendum. Quinimmo melior adhuc ſcriptura niorque foret ſi legatur, *ceſſurum ſe creditori jus hypotheca, venditionem non contraxit.* Ubi *jus hypothecæ* vocat ipſam poſſeſſionem hypothecæ, qua ſe ceſſurum creditori pacto promiſit debitor, niſi ſolviſſet pecuniam, quam acceperat mutuam intra certum tempus. Non pluribus enim creditoribus, ſed uni obſtrictum fuiſſe debitorem, legis ipſius ultima verba oſtendunt. *Creditori jus* facile mutatum eſt, in *creditoribus.* Nihil omnino verius. Jus dominii proprie dicebatur, quod impetrabant à principe creditores, ut pignora quorum emptor nullus reperiretur ſibi addici juberent. Vide leg. 1 Cod. de jure dominii impetrando. Creditores pignora debitorum, etiam poſt legitimam ac ſollemnem denuntiationem iis non ſolventibus, non poterant ſua facere ac dominio ſuo adquirere, ſed cogebantur ea diſtrahere, eo fini ut ſi plus ex eorum venditione redegiſſent, quam quod ſibi eſſet debitum, ſuperfluum redderent debitori. Si autem nullus inventus eſt pignorum emptor, tum à principe impetrabant, ut ea dominio ſuo addicerentur. In lege commiſſoria pignorum ſi quando talis pactio fieret, ut debitore intra certum tempus non ſolvente, pignus cederet creditori, ne id quidem licuit, ut pleno jure ei acquireretur, & jus dominii in eo haberet. Quod perperam cum aliis doctoribus ſibi perſuaſit Hotomannus in Epitome ad lib. xx, tit. 1. Idque dilucet clariſſime ex hac Alexandri lege, quam in manibus habemus. Pactus erat debitor, ut ſi non ſolviſſet intra certum diem, jus hypothecæ ſe ceſſurum, vel hypotheca ceſſurum eſſe creditori. Dubitabatur an his verbis venditio contracta eſſet, & jus dominii hypothecæ credi-

creditori adquiſitum. Nam venditio plane fuiſſet, ſi eo modo pignoris dominus lege commiſſoria impleta creditor evaſiſſet. Mutua quippe pecunia, quam acceperat debitor, vicem pretii obtinuiſſet, pignus quod retineret jure dominii creditor, locum mercis. Propter illa igitur pacti verba, quibus ſe jure hypothecæ ceſſurum creditori pepigerat debitor, cum quæreretur, an venditio eſſet contracta jure dominii hypothecæ in creditorem tranſlato, Alexander reſcripſit, non contraxiſſe venditionem debitorem, nec in animo id habuiſſe, ut jus dominii plenum tranſcriberet creditori, ſed id tantum comprehendiſſe, quod jure ſuo habiturus erat creditor in pignore adipiſcendo. Jure quippe ſuo ex commiſſorii pacti lege, cum pignus adeptus erat creditor, ſine ulla denuntiatione illius proſcribendi & diſtrahendi licentiam habebat. Falſiſſimum eſt etiam, quod docti Juriſconſulti ſcribunt ad illam legem Codicis, commiſſoriam captioſam ideo fuiſſe, quia talis erat, ut ſi ad diem pecunia ſoluta non eſſet, pignus creditor ſibi haberet, id eſt, perpetuo jure apud creditorem remaneret, ideoque à Conſtantino ſublatam. Nunquam enim hoc factum. Et de alia commiſſoria, ut paulo poſt dicam, accipiendum. Nec ad rem attinet, quod jure Romano ex principum reſcriptis hæc pactio in pignoribus erat licita, *ut ſi intra certum tempus non eſſet ſoluta pecunia jure emptoris, creditor rem poſſideret juſto pretio tunc æſtimandam*, ut habetur leg. xvi, tit. ult. D de pignoribus. Nihil enim hæc pactio commune habuit cum lege commiſſoria pignorum. Lex quippe commiſſoria auferebat potius poſſeſſionem & dominium à debitore, quam ad creditorem transferebat. Ad hoc certe ex illius legis pacto cedebat hypotheca, id eſt, fundo, quem obligaverat, debitor, ut poſſet creditor illum diſtrahendum curare, non ut jure emptoris reapſe acquiſitum haberet. Et recte quidem Anianus ad conſti-

ionem Conſtantini de commiſſoria reſcindenda, ationem commiſſoriam interpretatur, *in qua debi- creditori ſuo rem ipſi oppigneratam per neceſſitatem aſcriptæ cautionis promittit.* Nam hæc quidem fuit nditio legis illius commiſſoriæ Conſtantini, ſed in gnorum obligatione cautio commiſſoria interpo- a, ad id tantum valuit, ut rei obligatæ nec traditæ ſſeſſione ac dominio cederet debitor, non ſtatim re emptoris acquirendæ creditori, ſed ut in ejus po- ſtate eſſet protinus eam proſcribere ac vendere. Pa- tio autem illa, quam in pignoribus permiſere Impe- atores, ut jure emptoris rem obligatam poſſideret reditor non ſoluta ad diem pecunia, pro venditione onditionali potius habita eſt, quam pro obligatione pignoris, & ea ratione licitam eſſe reſcripſerunt, ut expreſſe dicitur lege qua ſupra D. eodem. Quod & confirmat lex ult. D. de contrahenda emptione, qua ſub ſimili conditione contractam obligationem Scæ- vola dicit conditionalem eſſe emptionem, non pigno- ris obligationem. Quo caſu eam valere reſpondet, *ſi non ut in cauſam obligationis, ſed ut emptam habeat, ſub conditione emptio facta ſit.* At lex commiſſoria non ad ullam emptionem ſub conditione faciendam, ſed ad obligationem pignorum contrahendam ſub tali conditione pertinuit, ut fundi obligati poſſeſſio- ne ac dominio decederet debitor, eamque traderet creditori ex pacto, proſcribendam ac diſtrahendam, non ut ipſe eam pleno jure quaſi emptam haberet. Hinc & Paulus in libro ſententiarum ſecundo, ſub titu- lo de lege commiſſoria, *debitorem creditori fiduciam vendere non poſſe*, diſertis verbis tradit. Atqui ſi ea vis fuiſſet legis commiſſoriæ, quam putant, creditor qui ex tali pactione fiduciam emptam haberet, & pleno jure emptoris acquiſitam, emiſſe à debitore fiduciam prorſus videretur. Tantum autem abeſt, ut dominium rei obligatæ, per legem commiſſoriam commiſſo pi-

gnore, pleno jure ad creditorem fas eſſet transferri, ut ne quidem impetratum à principe jus dominii, nullo emptore pignoris exiſtente, plene creditori tranſcriberetur, niſi poſt annum à die impetrationis, ut perſpicuum eſt ex leg. LXIII, tit. ult. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. *Cum ex principis auctoritate creditor, ut proprium agrum tenere cœpit, jure dominii intra conſtitutum luendi tempus pignoris cauſa vertitur.* Conſtitutum illud tempus, anni fuit, quod ad biennium extendit Juſtinianus leg. ult. Cod. de jure dominii. Nulla igitur pactione dominium, plenumque jus rei oppigneratæ ad creditorem transferri licuit, ſed ſolus princeps id dabat, nec ulla alia poteſtas poterat adjudicare, vel addicere petenti, ut in ſuperiori capite demonſtravimus. Enimvero quod in conſtitutione Conſtantini, qua legem commiſſoriam pignorum reſcidit, jubentur creditores, *re amiſſa recipere pretium, quod dederunt*, ex his verbis, vel cæco liquido poteſt apparere, non de commiſſoria pignorum, ſed de commiſſoria venditionum legem illam eſſe capiendam. Subjunctus ille eſt titulus titulo *De contrahenda emptione.* Sequitur proxime titulus, *De patribus qui filios diſtraxerunt.* Atque hi tituli in librum tertium illius Codicis relati ſunt. Titulus autem de pignoribus extat relatus in librum ſecundum. Cui ſtatim ſubnecti debuerat, De commiſſoria reſcindenda, ſi ad pignorum commiſſoriam ea conſtitutio quidquam attineret. Sic in Digeſtis poſt titulum de contrahenda emptione, & in diem addictione, ſubjicitur titulus de lege commiſſoria. Quæ commiſſoria venditionum non eſt affinis commiſſoriæ pignorum. Duplex autem, ne quis erret, fuit commiſſoria venditionum, una qua ſub conditione reſolvitur emptio, altera qua contrahitur. Unius tantum titulum poſuit in Digeſtis Juſtinianus, quia alteram cum pignorum commiſſoria reſcidit, unica conſtitutione Conſtan-

tini

tini in Codicem ſuum relata, cum Conſtantinus alteram tantum commiſſoriam ea lege reſcidiſſet, qua venditio ſub conditione contrahitur. Nihil autem ſtatuiſſe Conſtantinum de commiſſoria pignorum abolenda, nec ejus ſanctionis hunc eſſe ſenſum, verba hæc ex ea manifeſto aperiunt, *creditores re amiſſa jubemus recipere pretium, quod dederunt.* Nam cōmiſſo pignore lege commiſſoria nullum pretium dabat creditor, ſed pro pecunia credita pignus retinebat jure dominii, etiamſi eam interpretemur, ut vulgo ſolent doctores. At juxta noſtram ſententiam ad hoc committebatur, ut re pignori obligata cederet debitor, & ejus proſcribendæ poteſtatem haberet creditor. Utroque caſu nullum dare pretium cogebatur, quod reſciſſa lege commiſſoria recipere jubetur à Conſtantino. Commiſſo quippé pignore, ejus poſſeſſione cedebat debitor. Tum creditor id proſcribebat. Si emptor non exiſteret, ejus dominium pleno jure ab principe petebat. Qui hoc modo pignus poſſidebat, nihil reddebat debitori, ſed nec ipſe aliquid amplius à debitore poterat petere, ut habetur leg. xv D. de re judicata. Quæ quamvis de pignoribus captis loquatur, idem tamen obſervatum fuit & in pignoribus conventis. Ergo ea verba de pretio recipiendo conſtat referenda ad id genus conditionalis emptionis, quam reſcriptis Divi Severi & Antonini permiſſam fuiſſe ſcribit Martianus leg. xvi D. de pignoribus, *Si intra certum tempus ſoluta non eſſet pecunia, jure emptoris rem pignori datam poſſideret creditor, juſto pretio tunc æſtimandam.* Hunc contractum non tanquam obligationem pignoris, ſed tanquam venditionem ſub conditione, valere voluerunt ſupraſcripti Imperatores. In hac autem pactione etiam legi commiſſoriæ fuiſſe locum, nullum eſt dubium. Cuicunque contractui lex dicitur, ut ſi lex committatur, ratus ſit aut irritus, ea lex *commiſſoria* nomen habet. In venditione præcipue contrahenda, &

pignoribus contrahendis lex illa locum habuit. Lex commiſſoria in contrahenda emptione eſt, ſi ad diem pecunia ſoluta non ſit, ut fundus inemptus ſit. Lex etiam eſt commiſſoria ad emptiones pertinens, cum quis credidit pecuniam ea lege, ut prædium aliquod, ſi intra certum tempus ſoluta non ſit, emptum habeat. Hanc legem ſuſtulit & abolevit Conſtantinus propter captiones varias quibus debitores à creditoribus circumveniri ſolebant. Permiſerat hanc Severus ea conditione adpoſita, ut juſto pretio, boni nempe viri arbitratu, tunc æſtimaretur, cum committeretur pignus. Nec pignoris obligationem hanc videri volebant, ſed venditionem ſub conditione. Alias pretio conſtituto, quod convenit inter contrahentes, res ipſa non tanquam pignus traditur creditori, ſed quaſi ad tempus empta, ea lege ut ſi intra diem præſtitutam non referat pecuniam debitor, perpetuo emptam habeat creditor. Quamdiu fundũ hac lege traditum quis poſſidet, quaſi pignoris loco eum retinet, redditque commiſſa lege, hoc eſt, pecunia, quæ pro pretio convenerat, reſtituta. Fraus in his emptionibus multa conſuevit eſſe & captio ex parte creditorum, & utroque quidem caſu. Nam ſive in diem differatur pretium conſtituendum, ſive definiatur ſtatim in contrahenda emptione, debitores qui pecunia opus habent, ad arbitrium creditoris rem ſuam diſtrahunt: & cum ſolvendum eſt, ut res ſua ſibi remancipetur, parvo plerumque tempore præſtituto, ubi extricare pecuniam non poſſunt, bonis evolvuntur. Merito itaque hanc legem commiſſoriam ſuſtulit Conſtantinus. Commiſſoria vero pignorum alia fuit. Quod enim docti Juriſconſulti cenſent, legem commiſſoriam locum habere niſi in pignoribus proprie ſumptis non poſſe, nempe cum res traditur, quia dominium rei nuda conventione committi non poteſt, toto ſolo errant. Bene quidem iſtud, quod ajũnt, dominium rei nuda conventione committi non

poſſe. Nam certe jam ante probavimus, lege commiſſoria pignorum, dominium plenumq; jus ejus creditori non acquiri. Sed illud falſum, non dari locum commiſſoriæ, niſi in pignoribus quæ tradantur, ac teneantur à creditore. Contrarium quippe veriſſimum. Nec aliter potuit eſſe. Siquidem ad hoc interponebatur lex commiſſoria in contrahendo pignore, ut eo commiſſo, hypotheca cederet debitor, hoc eſt, decederet poſſeſſione rei obligatæ. Verba hæc Ciceronis ex lib. Epiſt. XIII apertiſſime id declarant: *Præterea Philetes Alabandenſis ὑποθήκας Cluvio dedit. Hæ commiſſæ ſunt. Velim, ut aut hypothecis decedat, eaſque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam ſolvat.* Quid manifeſtius, quam hanc vim fuiſſe commiſſoriæ legis in hypothecis, vel hypothecæ titulo obligatis poſſeſſionibus, ut iis decederet debitor, ubi eſſent commiſſæ? Quod & lex illa Alexandri, quam ante explicavimus, clare oſtendit. Quid juris in pignoribus, quæ traderentur? An etiam lex commiſſoria in his interponi ſolita? Vix videtur. Si enim hujus rei gratia in hypothecis, hoc eſt, obligatis pignoribus interponebatur, ut ea commiſſa decederet eorum poſſeſſione debitor, nihil opus tali pactione in eo pignore quod in poteſtate jam haberet creditor. Quid igitur? Plerumque conveniebatur, ut ceſſante in ſolutione debitore, pignus diſtraheretur à creditore. Quod ſi pacto comprehenſum eſſet, id ſtatim proſcribebat. Si nulla pactio de pignore vendendo interceſſiſſet, non poterat illud diſtrahere antequam ter denuntiaret debitori, ut pignus lueret. Paulus lib. II Sent. cap. V: *Creditor ſi ſimpliciter ſibi pignus depoſitum diſtrahere velit, ter ante denuntiare debitori ſuo debet, ut pignus abſolvatur, ne à ſe diſtrahatur.* Ubi illud *ſimpliciter depoſitum pignus* recte interpretatus eſt Anianus, *ſine conditione*. Quæ conditio nihil ad legem commiſſoriam cui locus tantum in hypothecis, hoc eſt, obliga-

tionibus rerum immobilium, quæ non tradebantur creditori. Commiſſum itaque pignus non de eo, quod in poteſtate ſua & manu ex pacto habuit creditor, ſed de illo, quod obligatum fuit, cujus poſſeſſione ex pacto commiſſorio creditori debuit cedere debitor. Sed quo ſenſu *commiſſum pignus* dicebatur, unde lex commiſſoria? Nam certe commiſſoria lex inde nomē invenit, quod pignus ex ea lege in commiſſum incideret, & commiſſum fieret. Ex quo manifeſtum eſt, commiſſoriam in pignoribus non aliam eſſe, quam quæ à nobis explicata eſt, cujus ea vis fuit, ut commiſſo pignore cederet creditori, non tamen ut ejus plenum nanciſceretur dominium jure emptoris. Ex Ciceronis quippe loco conſtat, commiſſo pignore, deceſſiſſe tantum hypothecis debitorem, hoc eſt, earum poſſeſſionem tradidiſſe creditori, vel ea illi ceſſiſſe. Ad ſignificationem hujus vocis quod attinet, an ut lex commiſſa, vel conditio dicitur, quæ impleta eſt, ita & *commiſſum pignus* cujus lex commiſſa eſt? Nam lex contrahendo pignori dicta ubi committitur, ipſum etiam committi, & commiſſum dicendum. At doctiſſimi Juriſconſulti legem & ſtipulationem committi volunt, cum adverſus legem & ſtipulationem aliquid factum eſt. Ego vero aliud puto eſſe in legem committere, aliud legem. Si *committere legem* ac *ſtipulationem* idem eſſet, quod contra legem ac ſtipulationem, ſic *committere peccatum* & *errorem* eamdem haberet ſignificationem, quod *committere contra peccatum*. Lex dicta eſt pignori, ut ſi pecunia non eſſet ſoluta intra certum tempus, pignoris poſſeſſione cederet debitor. Non ſolvit debitor, nihil contra legem fecit, aut commiſit, ſed ex pacto ac lege contractus, non ſoluta pecunia cedit pignore. Tum & *lex commiſſa*, & *pignus commiſſum* intelligitur. Cum aliquis id committit, vel faciendo, vel non faciendo, propter quod legi, quam pactus eſt, locus eſſe incipit, tam lex

commiſſa dici poteſt, quam ipſa res cui ſe obſtrinxit pacto. Ita lex pignoris, æque *commiſſa* dicitur, ut *commiſſum pignus*. *Commiſſa* ergo, & ſtipulatio, quæ impleta eſt facto, & commiſſo promiſſoris. Qui tale quid commiſit, nón adverſus quidem legem, quam ipſe dixit, aut ſibi dici paſſus eſt, fecit, ſed legis illius pœnæ obnoxius fit ex conventione, ubi id commiſit quo pœnæ conditio ex pacto impleta eſt. Hinc optimæ gloſſæ, *commiſit*, ὑπέπεσεν τῷ νόμῳ interpretantur. *Commiſit*. ὑπέπεσεν τῷ νόμῳ, ἠναυλώθη. Qui in legem, vel contra legem commiſit, ἠναυλώθη, ſed qui incidit in pœnam legis, quam ſibi ipſe dixit, legem quodammodo commiſit, non contra legem. Unde & *commiſſa pœna*, & *commiſſa lex*, & *commiſſa res*, quam præſtare ex ea lege debet. Hinc in Gloſſis Nomicis, κομμιτεύεται, βεβαιοῦται. *Committitur, firmatur*. Alias *commiſſum* abſolute, idem quod delictum, vel peccatum. Vigilius: *haud ſimili pœna commiſſa luetis*. Curtius lib. III: *Si quid commiſſum eſſet*. Id eſt, erratum, titubatum in prælio: ſi quid male ſucceſſiſſet. Eædem optimæ Gloſſæ: *commiſſum*, στερήσιμον. Et, *commiſſis*, στερησίμοις. Ad titulum hoc ultimum pertinet, *de vectigalibus*, & *commiſſis*. Rem potius ſpectavit, quam proprietatem vocis. Lex erat, ut qui merces apud publicanum profeſſus non eſſet, eas amitteret. Qui fecit & commiſit, quamobrem merces amitteret, commiſit quidem contra legem, quæ jubet mercium fieri profeſſionem, ſed eam implevit & commiſit, quæ merces improfeſſas fiſco vendicat. Ita & in aliis etiam civilibus pactis, alteram quis legem committendo, in alteram committit. Ut in pignore, lex eſt quæ vult pignus lui pecunia ſoluta. Lex alia dicta eſt niſi luatur, pignus amitti. Commiſit hanc legem, qui non ſolvit: ſed in aliam, quæ pecuniam ſolvi præcipit, & pignus recipi, commiſit. Ita ergo merces ipſæ *commiſſæ* dicuntur, quas στερησίμους interpretatur auctor Gloſſarum,

rum, quia his privatur mercator. Et *commiſſum*, *στερήσιμον*, quia in cauſam incidit, qua mercibus privandus ſit. Quod & *commiſſum* appellatur, & ſubaudiendum *mercimonium*. Niſi rectius ſit, *commiſſum* ipſum eſſe factum, quo quis meruit legis reus fieri, & in pœnam ejus conditionemve incidere. Ergo & *commiſſa*, *τὰ στερήσιμα*, quæ στέρησιν mercium meruerunt. Atque hoc veriſſimum. Ita Græci στέρησιν uſurpant. Si quis contra faxit, στέρησις ἔστω. Ariſtoteles in ſecundo Oeconomico: Τῶν τε νομισμάτων τὴν καταλλαγὴν ἀπέδοτο μιᾷ τραπέζῃ. ἑτέρῳ δὲ οὐκ ἦν οὐδενὶ οὔτε ἀποδόσθαι ἑτέρῳ, οὔτε πρίασθαι παρ' ἑτέρου. εἰ δὲ μή, στέρησις ἦν. Sic jure feudali in *commiſſam cadere* dicuntur dominia, pro quibus homagium non fecit vaſallus domino feudi. Nam multa dominia hac lege conceſſa fuere, ut homagio non facto committerentur, vel in commiſſum caderent. Et *commiſſum* tale dominium poteſt dici, quod in eam cauſam devenit. Atque hæc obiter. Mirum vero, Juſtinianum, quæ de lege commiſſoria venditionum conditionalium tollenda ſanxerat Conſtantinus, ad legem commiſſoriam pignorum reſcindendam tranſtuliſſe. Idcirco & in titulo addidit, *De lege commiſſoria in pignoribus reſcindenda*. Et in ipſa lege vocem *pignorum* inſeruit, qua caret Conſtantiniana conſtitutio: *inter alias captiones præcipue commiſſoriæ pignorum creſcit aſperitas*. Non dubium tamen eſt, quin & pignorum poſſit commiſſoria ea dici, quatenus pignorum datio ea conditione fiebat, ut intra certum tempus non ſoluta pecunia jure emptoris poſſideret creditor juſto pretio tunc æſtimandam. Quam venditionem eſſe ſub conditione, ut eam permitterent, voluerunt Imperatores. Ideo & Conſtantini legi, qua eam reſcidit, locum aſſignavit Theodoſii Codicis compilator, poſt titulum de contrahenda emptione, non poſt titulum de pignoribus. Eam igitur legem ſuſtulit etiam Juſtinianus, & cum titulo conjunxit de pactis

pigno-

pignorum, quia & inter pacta pignorum ea venditio quodammodo locum habere poteſt. Veram autem pignorum commiſſoriam, qua cavebatur, ut obligatis rebus cederet debitor niſi intra tempus certum ſoluta eſſet pecunia, deſuetudine pæne tum abolitam, Juſtinianus penitus amputandam, vel potius corrigendam clarioribus remediis duxiſſe ſe dicit leg. III Cod. de jure dominii. Nam proſcriptionem illam publicam & annum luitionis, quæ antiquitus introducta fuiſſe ibidem tradit in pignoribus, quæ jure dominii aliquis poſſidere cupiebat, ad eam commiſſoriam antiquam pertinent. Commiſſo enim pignore, cum ejus poſſeſſione ex lege ceſſiſſet debitor, proſcribebat id publice creditor, & ſi venditor non extaret, dominium ejus à principe impetrabat. *Pignus*, inquit, *publice proſcriptum, neque vidimus, neque niſi tantummodo ex librorum recitatione audivimus.* Etenim qui pignus poſſidere cupiebant, cujus poſſeſſionem ex lege commiſſoria ademerant debitori, inſuper habebant id proſcribere, immo nolebant, & ſic tandem illud ſibi pleno jure acquirebant, principi exponentes emptores non inveniri, aut ſi qui eſſent juſtum eos pretium non offerre. De ea veterum commiſſoria in pignoribus contrahendis ſollemni, quæ jam pæne exoleverat, intellexiſſe Juſtinianum, ſequens paragraphus oſtendit, ubi ceteras pactiones fieri ſolitas de pignoribus quocunque modo diſtrahendis, jubet valere ex pacto convento, ſive in tempore, ſive in aliis conventionibus. Fœneratores hodie noſtri, qui vix ullas leges tenent, nec ullis tenentur, hanc ſolam commiſſoriam pignorum optime norunt, & diligenter ſervant, non eo tamen modo, quo veteribus fuit recepta. Nam lege impoſita pignori & tẽpore præſcripto, intra quod ſi non luatur, pereat debitori, ſibi acquiſitum, non illud vendere tenentur, ſed retinent, altero tanto ſæpe æſtimandũ, quam quanta eſt pecuniæ ſumma mutuo datæ.

Ita certum eſt, ubi fœnus non eſt vulgo lege permiſſum, & plures eſſe & pernicioſiores fœneratores, quam cum ſit licitum. Lex enim quæ permittit, ſimul etiam conditiones ei imponit limiteſque circumdat, quibus refrænatum in exitialem pauperibus licentiam exire non queat. Sed pergamus de pignoribus abſolvere, quæ ſola conventione obligantur, & *hypothecarum* proprie nomen habent in libris Juris Juſtinianei. Genus ex his unum eſt, quod vocatur *antichreſis*. Veniam mihi dent, qui ſe magnos profitentur Juriſconſultos, ſi dicam eos ignorare, quid ſit proprie ἀντίχρησις, ac patiantur ſe doceri, doctores aliorum, ab eo qui non eſt Juriſconſultus. Quod enim hactenus creditum ab illis fuit, antichreſin nihil aliud eſſe quam mutuum uſum, nunc id dediſcant, ſciantque *contrarium mutuum* ea voce ſignificari. Nam in libro de uſuris docuimus, χρῆσιν Græcis non ſolum eſſe uſum, ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι, ſed etiam mutuum, ἀπὸ τοῦ χρῆσαι. Inde χρήστης creditor. Hinc ergo & ἀντίχρησις, contrarium mutuum. Nec miror Græcos Juriſconſultos recentiores, qui in eodem verſantur errore, dum ἀντίχρησιν exponunt, τὴν ἀπὸ τοῦ ἐνεχυριασθέντος ἀγροῦ καρπῶν ὑπὲρ τόκων ἀνάληψιν. Ita enim emendandæ Gloſſæ nomicæ. Si mihi non credunt novicii doctores qui tantos in juris doctrina ſpiritus gerunt, ut omnes præ ſe ſpernant, ſaltem fidem habeant Romanis Juriſconſultis, quorum mentem aliter vix capere poſſis, niſi ἀντίχρησις ſit contrarium mutuum. Marcianus leg. XXXIII D. de pigneraticia actione, pignus ita proprie appellat: *Si pecuniam debitor ſolverit, poteſt pigneraticia actione uti ad recuperandam ἀντίχρησιν. Nam cum pignus ſit, hoc verbo poterit uti.* Poſtrema hæc verba puto eſſe addita à Triboniano, cui mirum videbatur, Modeſtinum antichreſin vocare rem ipſam pignori traditam, non ſolum uſum. Nam Marciano quid neceſſe hanc gloſſam ſubjungere, cum nemo tunc neſciret ἀντίχρη-

σιν

σιν pignus eſſe, & contrarium mutuum? Dat mu-
tuam pecuniam creditor ſub uſuris. Hæc χρῆσις eſt,
ſive mutui datio. Contrarii mutui vicem, hoc eſt, ἀντι-
χρήσεως, debitor fundum tradit creditori, ut pro uſuris
pecuniæ ſuæ percipiat fructus ex fundo ἀντιχρηθέντι.
Antichreſis igitur non ſolum mutuum eſt, quod ex
parte debitoris fit contrarium, ſed etiam ipſe fundus,
qui ſic utendus fruendus datur creditori vice contrarii
mutui, ſic appellatur. Ita hypotheca non ſolum obli-
gatio eſt, & nexus fundi oppignerati, ſed etiam ipſe
fundus oppoſitus. Inde ergo ἀντίχρησιν repetere ac re-
cuperare dicitur debitor à creditore, cum debito ſo-
luto fundum ἀντιχρηθέντα recipit. Videant an hic ἀν-
τίχρησις de mutuo uſu poſſit intelligi. Idem Marcianus
in eodem libro ad formulam hypothecariam, leg. 1 D.
de pignoribus & hypothecis, ita loquutus eſt: *Si anti-
chreſis facta ſit, & in fundum, aut in ædes aliquis in-
ducatur, eo uſque retinet poſſeſſionem pignoris loco donec
illi pecunia ſolvatur.* Hic quæro an antichreſis, quæ
facta eſſe dicitur, accipi poſſit pro mutuo uſu, ut vul-
go in ipſa lege interpretationis vice inſerunt. Non
ego putem ſi ſanus ſim. Quid enim eſſet, mutuum
uſum facere? At mutuum facit, qui mutuum dat; at-
que ut mediæ latinitatis auctores loquuti ſunt, qui mu-
tuat. Ergo antichreſin facit, qui dat è contrario mu-
tuum debitor, tradendo fundum, aut ædes, ut ex fru-
ctu & penſionibus creditor compenſationem uſura-
rum percipiat. Alter *mutuare*, hoc eſt, χρῆσαι: alter
remutuare, vel ἀντιχρῆσαι dici poteſt. Hic itaque Mar-
cianus ἀντίχρησιν, non pro ipſo fundo ἀντιχρηθέντι, ut
ſupra, poſuit, ſed pro contrario mutuo. Quid ſi tamen
& ibi ἀντίχρησις pro mutuo contrario intelligenda?
Quod enim ad antichreſin recuperandam debitor uti-
tur pigneraticia actione, ſic recuperari antichreſis po-
teſt dici, ut mutuum recuperari. Qui dat mutuum, hoc
etiam recuperare dicitur. Idem de antichreſi. Nam,
ut

ut χρῆσις ipſum mutuum eſt, & res quæ mutuo datur, ita & ἀντίχρησις. Hoc contrarium igitur mutuum potius, quam pignus. Pignoris tamen loco retinetur eo uſque poſſeſſio creditori, ut ait Marcianus, donec illi pecunia ſolvatur, cum in uſuras fructus percipiat, aut locando, aut ipſe percipiendo habitandoque. Pignoris loco poſſeſſionem antichreſis retineri dixit, quia non verum erat pignus. Et merito ſuſpicati ſumus, verba illa leg. XXXII D. de actione hypothecaria, *nam cum pignus ſit, hoc verbo poterit uti*, non eſſe Marciani, ſed Triboniani. Ideo creditor, qui poſſeſſionem antichreſis amiſerat, non ſolebat hypothecaria agere, ſed in factum actione uti, ut habetur leg. qua ſupra XI D. de pignoribus & hypothecis. Non enim proprie hypotheca antichreſis, ſed nec proprie pignus, quamvis pignoris loco poſſeſſio ejus retineatur à creditore. Ideo pigneraticia utebatur debitor, ad eam recuperandam, ubi pecuniam mutuam ſolviſſet. Nec obſtat lex XXXIX D. eodem, *qua Gajus Seius ob pecuniam mutuam fundum ſuum dediſſe pignori Lucio Titio dicitur, & poſtea pactum inter eos factum eſſe, ut creditor pignus ſuum in compenſationem pecuniæ ſuæ certo tempore poſſideret.* Nã hic vere pignus intervenit, nec ab initio antichreſis vera fuit, ſed poſtea pactum interceſſit, ut creditor pignus ſuum, hoc eſt, fundum debitoris in compenſationem pecuniæ ad certum tempus poſſideret, vice ἀντιχρήσεως. Pactum hoc revera in pignore expreſſum dici poteſt, ut creditor tamdiu fructus rei traditæ perciperet, dum ei ſors oblata ſolutave foret. Sed quod Antichreſin vulgo doctores ita definiunt, non poſſum eorum ſententiæ accedere. Nam pura antichreſis non eſt pactum in pignore, cum nec ipſa proprie pignus ſit, ſed contrarium mutuum. Nam ſimul cum mutuo fit illud contramutuum, hoc ex parte debitoris, illud ex parte creditoris, ita quidem, ut iſtud contramutuum poſſit dari ſine ulla pignoris mentione & pactione. Das mihi

mihi pecuniam mutuam ſub conditione, ut accipias fundum in antichreſin, cujus fructus percipias pro præſtatione uſurarum, quas à me legitimas poſſes paciſci. In hac χρήσεως & ἀντιχρήσεως, nulla pignoris mentio. Utor tua pecunia, quam dediſti mutuam, uteris fructibus mei fundi, quem contramutuum dedi. Hi tibi pro legitimis uſuris erunt; quas à me pactus fores, niſi hoc contramutuum à me accepiſſes. Inde & illa quæſtio nata eſt, motaque inter juriſperitos olim, an, ſi fructus ex ἀντιχρήσεως percepti ſuperarent modum legitimarum uſurarum ex χρήσεως, hoc eſt, mutuo præſtandarum, legibus contractus hic eſſet licitus. Sed hanc quæſtionem diremit Philippus leg. XVII Cod. de uſuris, qua vetat contractum hujuſmodi reſcindi ratione majoris emolumenti percepti ex fundo obligato, *propter incertum fructuum euentum*. Quod in vera antichreſi perpetuum ac ſollemne eſt. Das mihi mutuam pecuniam, do tibi fundum quaſi alterius & contrarii mutui titulo, ut fructus ejus percipias, pro uſuris pecuniæ, quas tibi præſtandas haberem. Etiamſi emolumenta fructuum majora ſint, quam uſuræ mutuaticæ pecuniæ, quia tamen incerta ſunt, & fieri poteſt ex eventu, ut pretium eorum minus ſit per aliquot annos, quam uſurarum, quas exigerem, modus legitimus, ideo permiſſa talis antichreſis. Fructus enim ex incerto & proventu, & pretii eventu, alternis annis, interdum quidem excedunt legitimū uſurarum modum, interdum vero ſubſidunt. Nec obſtat lex VIII D. in quibus cauſis pignus, quam maxime obſtare multi doctores putant. Θεματισμὸς illius legis hic eſt ponendus. Gratuitam pecuniam quidam crediderat, & ab eo acceperat corporaliter pignori fundum, aut ædes. Etſi de uſuris nihil pactus ſit, poteſt tamen, ſi nolit eſſe amplius gratuitam, de fructibus rei oppigneratæ uſuras retinere, dum ad legitimum modum id faciat. Non poteſt ampliores, quam legitimæ ſunt uſuræ, fructus percipere,

cipere, ut in antichreſi, quia nihil tale convenit. Debet tantum id ſervare, quod intereſt ipſius pecunia ſua non uti. Deinde in antichreſi non poteſt mutuum repetere creditor, quamdiu poſſeſſionem ἀντιχρήσεως retinebit. Et poteſt in multis annis, etiamſi vulgo majores ſint fructus uſuris, ex certitudine uſurarum cum incerto fructuum comparata, indemnis fieri debitor. In gratuita pecunia, quæ ut plurimum ad arbitrium creditoris repeti ſolebat, poſt eum annum, quo maxima compendia ex fructibus rei oppigneratæ percepiſſet creditor, ſi pecuniam repeteret, damno non levi afficeret debitorem. Poſtremo etiam in pactis expreſſis pignorum, quæ dabantur, ut eorum fructibus compenſarentur uſuræ, niſi de majoribus quam legitimæ ſunt conveniſſet, ea compenſatio non poterat omnino legitimas uſuras excedere, argumento leg. I D. de pignoribus. Hic autem qui gratuitam pecuniam dedit, & nihil de uſuris pactus eſt, ſi velit eas ex fructibus rei oppigneratæ retinere, in compenſationem uſurarum, & ejus, quod intereſt, eas retinebit, idque fini legitimarum, non ulterius. Quod autem doctores eam antichreſim tacitam eſſe volunt, longiter à veri regione errant. Nulla poteſt eſſe tacita antichreſis, quæ quidem ſit vera. Ut enim vera antichreſis videatur, oportet conventione id actum fuiſſe. Quemadmodum nulla χρῆσις eſt tacita, ita nulla vera ἀντίχρησις. Ne pignus quidem tacitum, aut tacita hypotheca, hæc, qua de agitur, dici poteſt. Nam de eo conventio expreſſe facta videtur, ut pignus illud traderetur creditori pro pecunia mutua. Quippe niſi ex pignore tradito non potuiſſet creditor retinere fructus uſurarum nomine. Sed cum fructus prædiorum oppigneratorum nominatim pignori dari poſſint; leg. I, tit. II D. eodem, & cum pro uſuris pignora utique accipi jus eſſet, leg. XIII D. de pignoribus, tacito veluti pignore fructus rei pigneratæ poterat creditor in compenſationem uſura-

rum

rum retinere etiamſi pacto non deberentur. Nec poterat ultra legitimas, quia vel hoc, uſque ad legitimas, in uſuris quæ pactæ non eſſent, ſi æquum viſum eſt, ulterius iniquum foret. Ut in bonæ fidei judiciis uſuræ ex mora debentur, ita & in gratuitæ pecuniæ mutuo, ſi moram fecerit debitor, uſuras, de quibus non convenit, poteſt ſervare ex fructibus rei oppigneratæ. Cum uſuræ exigi non poſſent niſi in ſtipulatum deductæ, poterant tamen per retentionem pignoris ſervari, leg. IV Cod. de uſuris. Non diſſimili ratione per retentionem fructuum rei pignori datæ poſſe uſuras ſervari de quibus præſtandis nihil convenit, atque ad modum legitimum compenſari, velle Paulus videtur ſupradicta lege VIII D. in quibus cauſis. De qua & in ſuperiore libro aliqua diximus. Quæ veriſſima quidem erunt, ſi vulgatam lectionem in verbis Pauli tueamur. Quam quantum fieri poteſt, in omnibus ſoleo propugnare. Fatendum tamen eſt, longe veriorem fore ſcripturam ſi legatur addita negatione, *cum debitor gratuita pecunia non utatur*. Quæ enim ratio, ut debitoris gratuita pecunia utentis fundum habens oppigneratum creditor, fructus ejus percipiat in compenſationem uſurarum, de quibus, ut eas præſtaret, nihil convenit? Aliud eſt in uſuris, quæ in ſtipulationem non ſunt deductæ, quas per retentionem pignoris ſervare poteſt creditor. Nam ſaltem pacto de his præſtandis conveniſſe, dicit lex IV Cod. de uſuris, ſed ſtipulationem tantum non eſſe interpoſitam. Præterea cum ſic loquitur Paulus, *cum debitor gratuita pecunia non utatur*, quaſi rationem adfert, cur de fructibus rei pigneratæ uſuras retinere poſſit creditor, quia nimirum non uteretur pecunia gratuita debitor. Pone uſuras non eſſe pactas, aut pactas à debitore ſolvi, nullum eſt dubium utroque caſu, quin fructus in ſortem debiti relevandam imputari debeant, ex legibus, I, II, III Cod. de pigneraticia actione. De eo igitur intelligit

Pau-

Paulus, qui cum gratuita pecunia non uteretur, uſuras tamen non ſolvebat, poſſe eas creditorem de fructibus rei oppigneratæ retinere. Etiam ſi cum negatione ſcribamus, ut omnino oportet, non tamen Hotomanno aſſentior, neque aliis, qui putant hanc legem pugnare cum opinione recepta, quæ probat antichreſin liberam eſſe legibus, quæ certum modum uſuris impoſuerunt. Illud enim de pura putaque antichreſi verum eſt, in qua hoc ab initio actum fuit, ut pro uſuris pecuniæ creditæ fructus fundi contra mutuo dati & in antichreſin præſtiti cederent. Nam qui ſic contrahunt, cavent ne fundum dent, ex quo longe uberiores capi fructus poſſint, quam legitimus eſt modus uſurarum. Hic vero quæſtio eſt de uſuris, quibus ſolvendis moram debitor facit. Nihil dictum eſt de fructibus in compenſationem uſurarum percipiendis. Cum igitur de fructibus fundi oppignerati eas retinere poſſit creditor, non poteſt id facere ultra modum legitimum. Cum ad ſolutionem uſurarum eos fructus retinere poſſe dicatur, non poteſt excedere legitimas uſuras quæ ipſi debentur. Quod ſuperfuerit ex fructibus, ſorti imputabuntur. Non proprie hæc antichreſis eſt, ſi tacita eſt. Nulla enim vera antichreſis poteſt eſſe tacita. Cum poſſit autem pactum in pignore ita interponi, ut fructus fini legitimarum uſurarum ex re pignerata percipiantur, ſi tale pactum non interceſſerit, ſed uſuras non ſolutas de fructibus rei pigneratæ retinere coactus fuerit creditor, ultra modum legitimum non id faciet. Non ſolum porro in vera antichreſi, ſed etiam in antichreſtico pignore id obtinere, ut fructus in vicem uſurarum percipiendi, etiam ſi uſuras legitimas excederent, licite conſtitui poſſint, patet ex leg. XVII Cod. de uſuris. Non enim ἀντίχρησιν proprie eſſe, ſed pignus ἀντιχρηστικὸν, verba ipſa legis teſtantur, *Si ea lege fundum mater tua apud creditorē obligavit, ut fructus invicem uſurarum conſequeretur.* Hoc quidem licitum

tum in fructuum majoribus quam uſuræ ſunt legitimæ emolumentis, propter incertum earum pretium. Sed in penſionibus ædium, quæ certæ ſunt, aliud eſſe deberet. Lex tamen XIV Cod. eodem, hujuſmodi ἀντίχρησιν admittit, ut etiam ſi domus plus redigat, quàm legitimus ſit uſurarum modus, penſio poſſit pactione ἀντιχρηστικῶς habitanda commodari uſurarum vice. Ut hoc permittatur, nec videatur fœnus illicitum contractum, allegat Antoninus hanc rationem, quod vilius videatur conducta habitatio. Nam ſi is qui habitandam domum contrario mutuo in vicem uſurarum pecuniæ creditæ accepit, locaret eam aliis, & plus ex penſione colligeret, quam legitimarum uſurarum ratio ferret, tum in ſortem eſſet imputandum, quod ſupra legitimas uſuras excurreret, ut eſt apud Harmenopulum lib. III, tit. V. Puram putamque ἀντίχρησιν legis illius θεματισμὸς nobis exhibet. Ideo & Harmenopulus loco citato ei legi in Græcum converſæ, & ex Baſilicorum corpore ſumptæ, titulũ fecit, Περὶ ἀντιχρήσεως. Domum tamen illam, quæ data eſt habitanda vice uſurarum, pignori datam fuiſſe, iidem Græci interpretati ſunt, qui ita verterunt: Ὁ δανείσας καὶ λαβὼν εἰς ἐνέχυρον οἶκον ἐφ' ᾧ καταμένειν ἐν αὐτῷ, εἰ καὶ πλεῖόν ἐστι τὸ ἐνοίκιον τοῦ νομίμου τόκου, ὅμως οὐ δοκεῖ πλείονα τόκον ἀπαιτεῖν. Verum in verbis legis Latinæ nihil de pignore nominatim dicitur, aut obligatione pignoris, ut in XVII Cod. eodem: *Si ea pactione*, inquit, *uxor tua mutuam pecuniam dedit, ut vice uſurarum domum inhabitaret, pactoque, ita ut convenit, uſa eſt.* Quod in lege non exprimitur, ſubintelligere non poſſumus, ut pignoris eam fuiſſe pactionem accipiamus, præcipue cum certum ſit, poſſe ἀντίχρησιν conſtitui ſine ulla pignoris conventione, quemadmodum & θέμα hujus legis evidenter ſuggerit. Sed in vera antichreſi, ubi de pignore, vel hypotheca fundi in antichreſin traditi nullum pactum interceſſit, nihilominus poſſeſſionem pignoris loco à

creditore retineri ſcripſit Marcianus donec ei pecunia ſoluta ſit. Qui ibi addit, ſi poſſeſſionem amiſerit antichreſeos creditor, ſolere in factum actione uti. At ſi, ut hypothecæ eſſet ille fundus, in contrahendo pactus foret creditor, hypothecaria agere poterat. Falſum itaque, quod Hotomannus de antichreſi tradit, ideo pactum eſſe in pignore, quoniam antichreſis per ſe non conſtat, ſed in contrahendo tradendoque pignore interponitur. Nam æque per ſe conſtat ἀντίχρησις, atque ipſa χρῆσις: contramutuum, ut mutuum. Quinetiam ita fieri poſſe ἀντίχρησιν docuimus, ut nullum pactum interponatur de obligando fundo, qui traditur in antichreſin. Immo vera tunc procedit antichreſis, cum nullum tale pactum interponitur. Si intercedit, tum fundus, qui ſic obligatur, licet ea conditio appoſita ſit ex pacto, ut fructus ejus in vicem uſurarum cedant creditori, revera pignori datus intelligitur, & pignus appellari poteſt, hac lege datum, ut fructus ejus perciperet pro uſuris pecuniæ, quam dedit mutuam. Si poſſeſſionem amittat fundi ita obligati idem creditor, hypothecaria actione utitur. Pignus itaque contrahi poteſt hac conditione, ut pignerati fundi fructus creditori percipiendi concedantur, vice uſurarum. Quæ non eſt proprie antichreſis, ſed verius pignus, cum conditione antichreſeos. Rurſus antichreſis contrahitur, abſque ulla pignoris expreſſa pactione ad hoc tantum in antichreſin & contrarium mutuum tradito fundo, ut fructus ad creditorem pertineant uſurarum vice. Etſi pignus non ſit fundus ita traditus, quia nec pignori datus ab initio fuit, quoniam tamen ea lege ἀντιχρησθεὶς eſt, id eſt, contrario mutuo datus, ut tamdiu eum poſſideat creditor, fructuſque ejus in uſuras percipiat, donec pecunia ſoluta ſit, poſſeſſionem ejus retinebit, non ut vere oppignerati, ſed quaſi ſi pignus eſſet, hoc eſt, ut ait Marcianus, *pignoris loco*. Nam & qui in poſſeſſionem miſſus eſt,

rei

rei ſervandæ gratia, ut legati, vel fideicommiſſi, etſi nullum de pignore pactum intervenerit, pignoris tamen loco eam retinere, & quidem prætorii, dicitur in leg. III Cod. Ut in poſſeſſionem, *præcedere cauſam tuam, qui eam jure prætorio veluti pignus habuiſti, manifeſtum eſt.* Neque igitur in hypotheca locum habet antichreſis vera, neque in pignore. Neutrum enim dici poteſt. Sed nec locum in ea habet hypotheca, ſive expreſſa, ſive tacita. Quod ſi haberet, creditor poſt appellatum debitorem de ſolvendo, & trinam ei renuntiationem factam de luendo pignore, poſſet fundum diſtrahere. Nunc non poteſt, ſed tamdiu ex pacto poſſeſſionem ejus retinebit, fructuſque ejus percipiet donec ipſi ſatisfactum ſit. Hæc natura eſt ac proprietas veræ antichreſeos, in qua uterque mutuatarius eſt, & uterque mutuator. Accedit tamen ad pignus, quia & in pignore contrahendo tale poteſt interponi pactum quale eſt antichreſeos. Idcirco & Marcianus in ſingulari libro ad formulam hypothecariam, de antichreſi tractaverat, cujus etiam ſpecies illud pactum, quo fundus obligatur creditori ea conditione, ut fructus ex eo colligat in compenſationem uſurarum pecuniæ creditæ. Hotomannus, qui hujuſmodi pignoris pactum pro vera antichreſi habet, & tamen in hypotheca locum habere negat, revincitur leg. I D. de pignoribus & hypothecis. Ibi enim Papinianus ita ſcribit: *Pacto placuit, ut ad diem uſuris non ſolutis fructus hypothecarum uſuris compenſarentur fini legitimæ uſuræ.* Si hæc ἀντίχρησις eſt, ut Hotomannus aliique opinantur, certe in hypotheca locum habebit, cum ex ipſa hypotheca percipiatur ille mutuus uſus, hoc eſt, ex fundo hypothecæ dato. Nam ἀντίχρησιν habent illi pro mutuo uſu. Ex qua falſa interpretatione omnes errores doctorum circa antichreſin hactenus profluxerunt. Vera antichreſis ſine ulla pignoris, vel hypothecæ pactione extat leg. XIV Cod. de uſuris, qua qui mu-

tuam pecuniam dedit pactus eſt, ut vice uſurarum, domum debitoris inhabitaret, & pacto, ut convenit, uſus eſt, non locando & penſiones redigendo, ſed habitando. Quærebatur, an, ſi plus redigeret domus locata, quam uſurarum legitimarum modus colligeret, ejus rei haberi rationem oporteret. Reſcripſit Imperator Alexander, *licet uberiore ſorte potuerit contrahi locatio, non ideo tamen illicitum fœnus eſſe contractum, ſed vilius conductam habitationem videri.* Verum in his antichreſibus, quibus contra mutuam pecuniam datur mutua res aliqua immobilis, recedit ἀντίχρησις à natura & proprietate germani ac veri mutui, quatenus mutuum conſiſtit in rebus his proprie, quæ pondere, numero ac menſura continentur. At quod contra mutuum datur in antichreſi, non ex earum rerum genere eſt, in quibus conſtat mutuum, nec ut in mutuo ſolet, dominium rei mutuo datæ ad accipientem tranſit. Quod quidem ideo fit in rebus ponderis, numeri & menſuræ, quia aliter uſus earum concedi non poteſt, utpote qui in abuſu conſiſtat. At in antichreſi ſi quid datur, quod conſumi non poteſt utendo fruendo, ut ædes, vel fundus, poſſeſſio tantum ad creditorem tranſit, non etiam dominium, quia uti poteſt re tradita, ſolam ejus poſſeſſionem ſi habuerit. Improprie ergo ἀντίχρησις dicitur, id eſt, contrarium mutuum, quia mutuum tantum in rebus quarum uſus in abuſu conſiſtit, locum habet. Latini tamen etiam verbo *mutuari* utuntur, in his quæ ſolo continentur, cum ad uſum commodantur, ut in libro de uſuris obſervavimus. Non mirum ergo, ſi ἀντίχρησις de illa mutui datione uſurpatur, quæ fit contra mutuam pecuniam, licet in fundis ac rebus ſoli conſtet. Nam & hic amplius eſt. Mutuum pecuniæ fœnebro eſt quaſi locatio pecuniæ, ut uſuram vice mercedis referat. Locatio quoque fundi vel ædium, fructus vel mercedem ex penſionibus domino reddit. Qui igitur alicui pecuniam

cuniam locavit fœnebrem, quam ej dat mutuam, & pro hoc mutuo ab illo accipit vel fundum, vel ædes, ut vice uſurarum fructus recipiat, aut locando, aut ipſe percipiendo habitandove, hic contractus vere ἀντίχρησις nominatur, quia quod contra datur mutuum danti, ἀντὶ χρήσεως datur, id eſt, pro mutuo. Sic autem ἀντίχρησις opponitur τῇ χρήσει, id quod datur contra mutuum, ut ἀντίχαρις, quod pro gratia & beneficio rependitur, & ἀντιδωρεὰ, pro dono, vel munere, ut & ἀντίδωρον. Sic ἀντέρως amor eſt qua amantem redamamus, ut ἀντίχρησις, qua χρῆσιν alterius, hoc eſt, mutuum nobis præſtitum, altero mutuo redhoſtimus. Vox Latina *promutuum* huic videtur Græcæ reſpondere, ut ſit quod datur pro mutuo, ut Græce eſt ἀντίχρησις, quod datur ἀντὶ χρήσεως. Aliud tamen ea vox Romanis ſcriptoribus & Juriſconſultis ſignificat, quam ἀντίχρησιν. Eſt enim πρόχρησις potius, quam ἀντίχρησις. Et *promutuum* videtur dici ἀντὶ τοῦ *præmutuum*, quod datur nimirum in anteceſſum. Id Græcis εἰς πρόχρησιν, & εἰς πρόχρειαν. Pro quo male apud Harmenopulum legitur εἰς προχρείαν, lib. II, cap. XI: Τοῦ πλοίου ναυαγήσαντος ὁ ναύκληρος ἀποδίδωσι τὰ ναῦλα ἅπερ ἔλαβεν ἐν προχρείᾳ. Hoc in leg. XV D. Locati, *promutuum accipere* dicitur: *Cum quidam nave amiſſa pecuniam, quam promutuam acceperat, repoſceretur.* Ἅπερ ἔλαβεν εἰς πρόχρησιν, vel πρόχρειαν. Legi etiam poteſt, *quam promutuo acceperat.* Nam ita apud Scævolam leg. XXXIV D. de legatis III: *Si quod in tempus promutuo acceperam.* Qui ſolvit aliquid, quod quidem debet, ſed nondum tempus ſolvendi venit, id *promutuo dare,* vel *promutuum* dicitur. Cæſar lib. III de bello civili: *Publicanis, uti in Suria fecerant, inſequentis anni vectigal promutuum imperatum.* Publicanis, ut anni inſequentis vectigal quod nondum debebant, in anteceſſum penderent, imperatum dicit. Gloſſæ: *Anteceſſus,* πρόχρεια. Eædem: *in anteceſſum,* εἰς πρόχρειαν. Inde & pro-

promutuum dare, προχρῆσαι. Quod & *procommodare* in aliis Gloſſis: Προχρῆσαι, *procommodare*. Et hoc poſitum pro *præcommodare*, ut *promutuum* eſt, *præmutuum*. Sic *proludium*, pro *præludium*. In Gloſſis, *proſaltor*, pro *præſultor*. Et ſimilia ſexcenta. Alio tamen ſenſu *promutuum* accipitur apud Scævolam leg. XL, tit. V D. de ſtatu liberis, in his verbis: *Item quæro an eorum quoque nomine ratio haberi debeat, quod neq; à conductoribus prædiorum, neque à villicis penſiones exegerit, & inſuper promutuum eis dederit.* Hic *promutuum* non videtur eſſe *præmutuum*, & quod in anteceſſum ſolvitur. Si conductores prædiorum & villici penſiones ſolviſſent anni inſequentis nondum debitas, promutuo eas dediſſent. Sed contra cum jam eas deberent & dies ſolvendi adveniſſet, non exegit ab iis ſervus actor. Immo & *promutuum* eis dedit. Sic tamen accipitur & *anteceſſus* apud Senecam Epiſtol. CXVIII: *Sed non ero difficilis. Bene credi tibi ſcio: Itaque in anteceſſum dabo.* Id eſt, priuſquam petas. Non ſolum tibi poſcenti dabo mutuum, ſed etiam non petenti. Nec enim ibi valet, quod vult Lipſius, ſolvere priuſquam dies ceſſerit. De ſolutione quippe non eſt ſermo, ſed de mutui, ſive promutui datione ultro in eum conferenda, qui non petat. Ita igitur & promutuum poſuit Scævola de eo, qui non ſolum penſiones debitas non exigeret à conductoribus prædiorum, ſed etiam ultro eis pecuniam in anteceſſum & promutuo daret. Ergo, & hic præmutuum eſt. An & pro ſimplici mutuo accipiendum, vel eo quod vice mutui datur, hoc eſt, pro mutuo? Idem Scævola, leg. XXXIV D. de legatis III, *promutuum* ſic etiam poſuiſſe videtur pro ſimplici mutuo, & eo quod datur pro mutuo, non præmutuo in anteceſſum: *Et ſi quid evenerit æris alieni, ſi quod in tempus promutuo acceperam, & debuero, à te ſolvi volo.* At apud Ulpianum & Cæſarem *promutuum* eſt idem quod præmutuum, πρόχρησις, quod præ-

præcommodatur, & in anteceſſum ſolvitur. Scævolæ promutuum eſt, quod accipitur ἀντὶ χρήσεως. Id tamen in alia etiam ſignificatione ſumendum, quam ἀντίχρησις, quæ in compenſationem alterius χρήσεως, ſive mutui datur, quaſi contrarium mutuum. Veram porro ac germanam ἀντίχρησιν, quæ ex omni parte reſpondet & congruit utrimque naturæ mutui, habemus apud Papinianum leg. IX D. de ſuppellectili legata, in his verbis: *Suppellectili ſua omni legata, acceptum argentum pignori non continebitur, quia ſuppellectilem ſuam legavit, utique ſi non in uſu creditoris id argentum voluntate debitoris fuit, ſed oppoſitum propter contractus fidem, & reſtituendæ rei vinculum.* Non dubium eſt quin argentum factum mutuo dari poſſit æque ac numeratum. Nam ut hoc in numero, ita illud in pondere conſiſtit. Præterea argentum factum etiam uſu conſumitur. Nec enim deteritur tantum, & minus pondere fit utendo, ſed etiam factura ejus, ac forma ſic deperit, atque immutatur, ut multum de pretio amittat, ac decoquat. Ergo & ita dari poteſt, ut non eadem ſpecie, ſed genere reddatur, ejuſdem nimirum qualitatis, ponderis & formæ. Ut cochlearia argentea aliquis alii mutuo dedit. Hæc ſi rupta ſint, aut fiſſa, aut alio modo deteriora facta, vel ſi forte etiam deperdita, non eadem nec debebit, nec poterit reddere debitor, qui mutua accepit, ſed alia ejuſdem formæ, bonitatis, ac ponderis. Ergo, ut in mutuo ſolet, dominium earum ad mutuatrium tranſibit, ut reſtituat, non eadem cochlearia ſpecie, ſed genere. In themate legis ſupraſcriptæ quidam legaverat omnem ſuam ſupellectilem. Acceptum argentum pignori non contineri reſpondet Papinianus. Quare? Quia ſuam legavit tantum. Ergo non alienam. At argentum pignori acceptum, non ſuum creditori, ſed alienum. De facto argento intelligendum. Addit Papinianus: *Utique ſi non in uſu creditoris id argentum voluntate debitoris*

fuit, ſed poſitum propter contractus fidem, ac reſtituendæ rei vinculum. Si itaque illud argentum debitor creditori mutuum per ἀντίχρησιν utendum dediſſet, tum lege contineretur, quia ſuum factum eſſet creditori. Ecce enim creditor pecuniam numeratam mutuam alicui dedit, ille contra huic argentum ſignatum. Reciproci eſt χρῆσις, ſive mutuatio, argenti numerati ab una parte, ab altera facti. Pro uſu pecuniæ numeratæ, vel argenti ſignati, uſum argenti facti debitor creditori conceſſit, & in utraque χρήσει, ſive mutuo, ut argentum ſignatum factum eſt debitoris, ita factum tranſiit in dominium creditoris. Hæc vera antichreſis, & ab utraque parte, & abſoluta. Semper itaque reſpiciendum, quid ab initio actum ſit, utrum vera antichreſis contracta, an pignus datum vice antichreſis, quod ἀντιχρητικὸν ἐνέχυρον dici jure poteſt. Cui tamen ἀντιχρήσεως nomen, per κατάχρησιν, & convenire, & vero etiam datum eſſe non dubito, eoque magis, quod in vera antichreſi quæ dantur pignoris loco, retineri poſſunt à creditore, donec ipſi ſolutio facta ſit pecuniæ. Ἀκινήτου ἀντίχρησιν vocat Michaël, rei immobilis pignus ἀντιχρητικὸν, ubi ſtatuit præferri propinquum extraneo, εἰς τὴν τοῦ ἀκινήτου ἀντίχρησιν. Juſtinianus in Novellis pignora rerum immobilium, quæ corporaliter traduntur, ut in vicem uſurarum fructus ex his percepti cedant, nunquam ἀντιχρήσεως nomine appellat, ſed ἰδικὰ ἐνέχυρα, & εἰς ἰδικὸν ἐνέχυρον data. Scio quantum hæc à communi ſententia diſſideant, ſed ſi qui noſtram non probabunt, afferant meliora, & contra ſcribant. Ita melius veritas eluceſcet. Nec dubito eos ad hoc provocare. Quid enim optatius, aut gratius poſſit eſſe, quam verum de quo inveniendo fruſtra laboraverim, alterius opera ſine meo labore repertum, hoc præ omnibus unum petenti mihi cedere in lucrum?

CA-

CAPUT XV.

Mos Atticorum prædiis oppigneratis titulos, ſive columellas imponendi. Ὅρους ab his vocari, & lapides, ſive lapideos cippos fuiſſe, non tabellas, ut quidam opinati. Tam prædiis urbanis, quam ruſticis imponi ſolitos. Male etymologici auctor, σανίδας interpretatur, hoc eſt, tabellas, dum ad morem ſui temporis tabularum affigendarum reſpicit. Locus ab his titulis liber, ut puta nemini oppigneratus, ἄστικτος, pignori poſitus ἐστιγμένος dictus. Theophraſtus de his ὅροις explicatus, & doctus ejus interpres notatus. Quinam Græcis dicti παρορεσταί. Tituli quorum in Codice mentio, alii ab ὅροις Atticorum. Adfigebantur bonis fiſco adplicandis, immo jam adplicatis. Lex IV *Cod. de bonis vacantibus emendata.* Obſignatio *bonorum diverſa à titulorum adfixione. Vela etiam ſuſpendebantur bonis damnatorum, quæ fiſco vindicata. Vela illa fuiſſe purpurea, & nomine principis inſcripta. Bona ab inteſtato morientium, ſi nullus eſſet legitimus iis hæres, ad fiſcum pertinebant. Ius non fuiſſe privatis, titulis adpoſitis ſe dominum rei ſuæ teſtari ac profiteri. Potentiores id aliquando uſurpaſſe. Lege Honorii & Arcadii hoc prohibitum etiam potentioribus. Id quoque vetare Iuſtinianum Novella* XXX. *Iulianum tamen anteceſſorem melius verba ejus Novellæ de titulis privatorum, qui alienis rebus imponebantur, accepiſſe. Ignobiles & ignoti in urbibus ſolent ædes ſuas inſigni aliquo ſuſpenſo notiores facere, potentes vero & magnates, nomine ſuo eas inſcribunt. Olim id quoque uſitatum in fundis & ædibus potentiorum. Ab eo more introductum, ut ad fiſcum principis quacunque ex cauſa devolutis rebus tituli nomen principale præferentes imponerentur. Ideo & ne aliis idem licitum foret, conſtitutione Honorii ſancitum. Hos titulos ſolis jam*

con-

confiſcatis bonis fuiſſe impoſitos. Error eorum notatus, qui aliter ſentiunt. Perperam confundi titulorum affixionem, cum domorum obſignatione. Diſtinctos de utraque re titulos in Codice extare. Aliud eſt ſigna imprimere rebus, aliud titulos imponere: Tituli à ſignis diverſi, materia, forma, & fine. Pœna etiam diverſa impoſita ſigna contra vetitum imprimentibus rei alienæ, & titulos imponentibus. Signa impreſſa rebus mobilibus intelligi debere in leg. I *Cod. ut nemini liceat. Signa de velis, aut vexillis abſurde exponi in ea lege. Hanc differentiam, aliquot locis in Novellis à Iuſtiniano inter ſigna & titulos ſtatui, quod ſigna rerum mobilium ſint, tituli immobilium. Quomodo ſignatæ domus apud Marcellinum accipiendæ ſint. Obſignatæ ædes intelliguntur, non quorum primores fores ſigillo clauſæ eſſent, ſed quarum cellæ & conclavia aliquid incluſum, & repoſitum continentia, ſignis impreſſis obſeratæ eſſent. Hoc* παρασφραγίζεσθαι τὰ ὑπάρχοντα *Græcis dici, &* παρασημαίνεσθαι τὰ οἰκήματα, *&* ἀποσημαίνεσθαι τὰ χρήματα. *Xenophontis locus emendatus. Quod ſint* οἰκήματα *Atticis. Hodieque omnia in domibus defunctorum obſignari ſolere, obſervatione juris Romani. Ædes obſignatas, vel ſignatas dici, in quibus omnia ſic ſint ſignis vel ſigillis clauſa. Lex Codicis, quæ vetat ſigna imprimi rebus alienis ante ſententiam judicis, quomodo exponenda. Multum diſtare, rebus, quas alius detinet, ſigna imprimere, eo animo, ut ſibi ſerventur intactæ, & rebus alienis titulos ſuo nomine inſcriptos imponere, ad eas vindicandas. Alienos rebus titulos imponenti pœnam capitis non fuiſſe irrogatam. Non id elici ex Novella* CLXIV. *Ea Novella explicata. Aliquot leges ad eam rem pertinentes illuſtratæ, tam in Codice quam in Digeſtis. De tabulis ad januam fixis in leg.* XXII *D. Quod vi, aut clam. Non moris fuiſſe apud Romanos, titulis*

aut

aut tabulis fundos hypotheca obligatos teſtari. Lex illa Digeſtorum multis explicata. Quæ ſint tabulæ januæ alterius adfigendæ, aut quem ad uſum. De veſtibulis ædium apud veteres. Tabulas quibus ædes venales inſcribi, vel proſcribi ſolitæ, alterius quoque generis fuiſſe, nec quidquam commune habuiſſe cum ſupraſcriptis. Tabula qua ædes venales proſcriptæ, vel inſcriptæ, etiam tituli nomine vocata. De titulis ſervorum. De Ædilicio edicto à Triboniano interpolato. De titulis gladiatorum palmaribus & cauſalibus. De tituli, vel tabulæ proſcriptione perperam accipi leg. XIII *D. de actionibus empti & venditi. Tabulam contractus venditionis intelligi debere. Tabula pro tabulis. Vt littera pro litteris. De inſignibus, quæ ſuſpenduntur apud nos bonis obæratorum proſcribendis. Tituli oppigneratis prædiis impoſiti multum his diſſimiles. Similes eos fuiſſe titulis ſepulcralibus. Vtroſque* στήλας *appellari Græcis. De titulis terminalibus, qui &* ὅροι, *&* ὁριαῖοι λίθοι. *Titulus à columna diverſus apud Paulum. Hæc vox pro* ἐπιγραφῇ *quacunque poſterioribus uſurpata. Tutulum olim, poſtea titulum, Latinis ſignificaſſe metæ figuram. Titulum ſepulcralem etiam periculum appellatum. Quid ea voce proprie ſignificetur. De periculo judicum. Non eſſe pariculum. Quid ſit pariculum. Idem quod* ἴσον, *vel* ἰσότυπον, *& exemplum.* Ἔλεγχος *&* ἔλεγχον ποιεῖσθαι. *Elenchus etiam pro titulo. Hinc nomen inaurium, à forma ſimili. Periculum quod eſt* κίνδυνος, *ab alia origine.* Ὅροι *Atticorum prædiis oppigneratis impoſiti, recte titulos appellari poſſe.* Γράμματα *vocari illos* ὅρους *ab Harpocratione. Sic* γράμμα *Nonno recte vocari titulum cruci Chriſti impoſitum. Non* γραφὴν *eum intellexiſſe, ut voluit Ariſtarchus, ſed ipſam tabellam.* Γράμμα *pro libro, & inſtrumento contractus. Quo genere ſcriptus ille Domini titulus fuerit. Vtrum cælatus eminen-*

tibus

tibus figuris, ut viſum Ariſtarcho ſacro, an depreſſis? Neutro modo fuiſſe. Nonnus ab ejus cenſura vindicatus. De cælatura veterum, & ſculptura, quæ cavatura dicta. Scribendi mos Romanorum in tabulis dealbatis. Ita ſcriptos fuiſſe titulos, de quibus ſupra. Album prætoris inde dictum, τὸ λεύκωμα. Alia quædam eodem pertinentia. Tabulæ auctionariæ etiam λευκώματα. Immo & aliarum proſcriptionum.

PRiuſquam pignora liberemus, aut his potius liberemur, non omittendus eſt mos Atticorum, quo creditores prædiis ſibi oppigneratis conſueverant titulos imponere, ſive columellas, cum inſcriptione, quæ illud ipſum indicaret. Ὅρους Attici vocabant, & ὅρους ἐφεστάναι χωρίων, de cippis hujuſmodi lapideis, vel titulis, qui prædiis oppoſitis erant impoſiti. Pollux lib. III, cap. IX, de trapezitis & fœneratoribus: Ὅρους ἐφεστάναι χωρίων. λίθος δὲ ἦν, ἢ στήλη τις δηλοῦσα ὡς ἔστιν ὑπόχρεων τὸ χωρίον. Etymologici auctor etiam στήλας fuiſſe dicit, quæ Atticis ὅροι dicerentur, quibus in prædio fixis ſignificaretur illud eſſe oppoſitum creditori. Ἄστικτον, inquit. οὕτως οἱ Ἀττικοὶ ἐκάλουν τὸ ἐλεύθερον χωρίον, καὶ μὴ ὑποκείμενον χρήστῃ. εἴρηται δὲ ὅτι τοῖς ὑποκειμένοις χρέει χωρίοις εἰώθασιν ἐγκαταπηγνύειν στήλην, ἣν ἐκάλουν ὅρον, ἐν ᾗ ἐπεχάραττον τὸ χρέος, καὶ ὁ χρήστης, ἵνα μὴ πλανηθεὶς ἕτερος ὡς ἐπὶ καθαρῷ αὐτῷ δανείσῃ. Τὸ δὲ ἐλεύθερον ἄστικτον ἐκάλουν. Vocabant ὅρους hujuſmodi columellas, quia ſimiles cippis, vel lapidibus terminalibus, quibus fines poſſeſſionum ſolebant ſignari, & inter vicinos diſtingui, quos & ὁριαίους λίθους Græci appellabant. Prædium ita inſignitum litteris, quæ oppigneratum creditori declararent, ἐστιγμένον vocabatur, quaſi ſtigmalibus inuſtum, more ſervorum, qui vultus inſcriptos gerebant. Quæ libera erant ab hujuſmodi ſignis & ſtigmatibus, quaſi ingenuorum corpora, ἄστικτα vocabantur. Pollux: Ἐπὶ δὲ

ετυ ἔλεγον καὶ τὸ ἐπίχθαι τὸ χωρίον, ὡς τὸ ἐναντίον ἄστικτον. Iam ὅροι illi, ut dixi, litterati erant, & veluti clamabant, eſſe pignori res quibus incumbebant. Unde γράμματα appellat Harpocration: Ὅρος. οὕτως ἐκάλουν Ἀττικοὶ τὰ ἐπόντα ταῖς ὑποκειμέναις οἰκίαις καὶ χωρίοις γράμματα, δηλοῦντα ὅτι ὑπόκειται δανειστῇ. Litteræ illæ ſcriptæ erant in columellis, vel cippis. Numquid & in tabellis? Cippi quidem, ut apparet, vel columellæ inſigebantur agris, & fundis oppoſitis. An tabellæ affigebantur ædibus hypothecæ obligatis? Σανίδας certe vocat Etymologi auctor, in voce ὅρος, his verbis: Ὅρος σημαίνει δύο, τὰ ὅρια κατὰ τὰς χώρας, τὰ πέλη, καὶ σανίδιον ἐπιτιθέμενον ταῖς οἰκίαις, καὶ τοῖς χωρίοις ἐγκαταπηγνύμενον τοῖς ἐνεχυραζομένοις, πρὸς ἃ ὀφείλουσιν οἱ δεσπόται. Ubi σανίδια ædibus agriſque communia facit, & utrumque ὅρου nomine comprehendit. Veriſimilius foret, ὅρους, id eſt, cippos, proprios fuiſſe prædiorum ruſticorum, quaſi cippos & columellas litteratas, quæ in his defigerentur: σανίδια vero tabellas, quæ domibus oppigneratis affigebantur. Certum eſt, γράμματα in utriſque fuiſſe. Harpocration: Ἄστικτον χωρίον, τὸ μὴ ὑποκείμενον δανειστῇ. Ὅταν γὰρ ὑποκέηται, εἰώθει ὁ δανείσας αὐτὸ τοῦτο δηλοῦν διὰ γραμμάτων ἐπόντων τῷ χωρίῳ. Τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἐπ' οἰκίας γίνεται). Poſſet etiam fieri, ut σανίδια, hoc eſt, tabellæ, promiſcue, tam prædiis, quam ædibus affixæ fuerint, ſed ſi forte, apud recentiores. Nihil enim prohibet, agri oppignerati lapidibus, aut cippis terminalibus affigi potuiſſe tabellas inſcriptas, quæ declararent, eſſe illa ſub creditoris poteſtate. Sed ubi apud recentiores iſte mos, cujus nullum apud ſcriptores, qui ſub Romano imperio vixere, veſtigium extat? Veteres autem omnes Grammatici ὅρους de lapidibus, aut lapideis cippis interpretantur, quibus Attici ſolebant agros oppigneratos ædeſque notare, & quaſi compungere. Heſychius: Ὅρος, στήλη ἡ καταπηγνῦσα ἐπὶ χωρίῳ, ἢ οἰκίᾳ. *Columella defixa in agro,*

aut

aut domo. An ergo defigebatur in tecto domus, aut in aliqua ejus parte conſpicua? Immo ante januam ipſam in via. Quod autem Etymologici auctor σανίδας exponit, ubi illos Atticos ὅρους explicat, reſpexiſſe omnino videtur ad ſuorum temporum morem tabellarum affigendarum. Agathias χαρτὰς σανίδας appellat. Juſtinianus etiam σανίδας, Latini *titulos.* Sed mos ille titulorum ejuſmodi affigendorum longe alius ab illis ὅροις Atticis, materia, forma & fine. Et eruditiſſimi viri, qui ὅρους illos Atticorum comparant cum titulis de quibus in Codice & alibi fit mentio, magnopere errant. Apud Atticos ſtatim atque creditori fundus erat hypothecæ datus, aut domus, columellis inſcriptis, quæ nomen ipſius præferrent, ſummamque debiti & cauſam, teſtabatur omnibus, hoc prædium ſibi eſſe obligatum. Hinc apud Theophraſtum in characteriſmo ſordidi ac nimis parci, ille præ tenacitate ſemper diffidens quotidie inſpectat ὅρους prædiorum titulo hypothecæ ſibi obſtrictorum, numquis eos refixerit, atque evellerit. Καὶ τοὺς ὅρους δὲ ἐπισκοπεῖσθαι εἰ διαμένουσιν οἱ αὐτοί, δεινὸς δὲ καὶ ὑπερημερίαν πρᾶξαι, καὶ τόκον τόκου. Ubi vir ſummus non amplius meminerat, quid eſſent ὅροι apud Atticos, cum reddidit Latine: *Quoties terminos inſpectat ſuos, ecquid immoti eodem loco maneant.* Nam ὅροι ibi non ſunt termini, ſed lapides, qui deſignabant fundum eſſe hypothecæ creditori nexum. Scio & fuiſſe Græcis dictos παροελστὰς, qui terminos vicinorum per vim dejicerent & amoverent, occupandorum finium cauſa. Hi παρορίζειν in veteri Epigrammate dicuntur. De illis tamen in hoc Theophraſti loco non eſt intelligendum. Quia autem evellebantur ſæpe ὅροι hypothecarii ab iis ipſis qui eos imponi ex pacto paſſi fuerant, cum fraudare vellent, ideo ille ad rem attentus ſuam, & ſibi conſulens, quotidie pergebat ad fundos oppoſitos, ut videret an ſalvi & immoti ὅροι manerent. Demoſthenes

nes contra Timotheum: *Δάνεισμα ποιεῖται ἰδίᾳ παρ' ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἑπτὰ μνᾶς, καὶ ὑποτίθησιν αὐτοῖς τὴν οὐσίαν, ἧς νῦν αὐτοὺς ἀποστερεῖ, καὶ τοὺς ὅρους ἀνέσπακε.* Doctiſſimus interpres, qui vertit, *libellis revulſis*, neſcivit, quid eſſent *ὅροι*. Lapides enim erant pigneraticii, vel hypothecarii, qui in modum terminalium lapidum, in obligatis prædiis defigi conſtituique ſolebant. Unde *ἐφεστάναι χωρίοις* eos dicit Pollux, & Demoſthenes in eadem Oratione, *ἑστάναι*, ſtare, vel ſtatutos eſſe: *Ἡ μὲν γὰρ οὐσία ὑπόχρεως ἦν ἅπασα, καὶ ὅροι αὐτῆς ἕστησαν, καὶ ἄλλοι ἐκράτουν.* Nec libelli, nec tabellæ fuere iſti *ὅροι*, ſed lapidei cippi inſcripti, quibus fundum illum cui impoſiti erant, à ſe teneri fiduciæ titulo creditores teſtatum faciebant. Inde *οὐσία ἐφωρισμένη* eidem Demoſtheni, quæ hujuſmodi pigneraticios lapides acceperat, & *χωρίον ὡρισμένον* Polluci, *ager columellis notatus*. Tituli vero illi prædiis affigi ſoliti quorum in jure mentio, & apud alios auctores, quid habent cum his *ὅροις* ſimile? Aut quis unquam legit, apud Romanos hunc viguiſſe morem, ut in oppigneratis ſibi prædiis non dicam *ὅρους* defigerent, ut Attici, ſed vel titulos etiam iis affigerent? At tituli illi quorum in Codice mentio occurrit, qui ædibus, aut prædiis imponi ſolebant, non ad hoc imponebantur, ut oſtenderent, locum eſſe oppigneratum creditoribus. Sed nec iidem erant cum *ὅροις*, niſi tabellas ſcriptas aliquis eaſdem eſſe putet cum cippis lapideis inſcriptis. Cum alicujus bona publicarentur & fiſco vindicarentur, mos erat, titulos eis adfigi, hoc eſt, tabellas nomine Cæſaris inſcriptas, quæ non aliter tamen adponebantur, niſi publica teſtificatione. ut liquet ex leg. III Cod. de bonis vacantibus. in qua ſic legendum: *Tituli vero quorum adfixione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantiis, nonniſi publica teſtatione proponantur.* Nam male eſt vulgo, *quorum adjectione*. Proprium enim hac in re verbum perpetuumque *adfigi*. Inde titulorum *adfictio*, vel *adfixio*.

Eadem

Eadem menda in Cod. Theodoſ. de incorporatione: Ubi pro *ſubſtantiis* etiam legitur, *nominibus*. Scribendum: *noſtris ſunt conſecranda numinibus*. Doctiſſimus Juriſconſultus interpres ad eam legem Codicis, quæ docet prædiis in fiſcum redigendis adfigi ſolitos titulos, citat leg. ult. D. de requirendis reis. In qua nihil de his titulis, ſed de obſignatione bonorum, quæ diverſa fuit à titulorum adfixione, ut paulo pòſt dicam. Proſcriptorum bonis, hoc eſt, jam damnatorum, quæ vindicando fiſco erant, hujuſmodi tituli adfigebantur, aut etiam vela ſuſpendebantur. Lex x Cod. Theod. de proſcriptorum bonis, vetat ipſorum Auguſtorum fieri commemorationem in his titulis, vel velis, quæ adjudicatarum fiſco ædium poſtibus adfigentur. Sed locus vulgo corruptiſſimus circumfertur, ſic emendandus: *Si qui pro atrocitate commiſſi formam ejuſmodi ſuſtinebunt, ut bona earum proſcriptionis nomine vindicata fiſcalibus ſint ſocianda corporibus, commemorationem noſtrorum numinum in his titulis nolumus fieri, qui eorum poſtibus adfigentur, vel velis, quorum jus ac proprietas auferetur.* Hoc eſt, nolumus commemorationem noſtrorum numinum fieri in his titulis, qui eorum poſtibus adfigentur, quorum jus ac proprietas auferetur, nec in velis. *Numinum* etiam correximus pro *nominum*, ut & ſupra, *noſtris conſecranda numinibus*. Præ modeſtia noluerunt ſe commemorari Auguſti illi quorum ea lex eſt, in titulis veliſque, quæ imponebantur ædibus proſcriptorum, ſeu damnatorum. Aut tituli igitur in his adfigebantur, id eſt, tabellæ inſcriptæ, aut vela ſuſpendebantur itidem inſcripta. De velis habes leg. II Cod. Ut nemo privatus titulos. *Ne quis regia vela ſuſpendere, vel titulum audeat ſine præſcriptione judicis competentis alienis rebus imponere, quas quocunquè modo qualiſcunque perſona poſſideat.* Agathiæ ῥάκη ὑποπόρφυρα vocantur, quæ ſunt *purpurea vela*, & jungit ea cum titulis,

titulis, quos *γραπτὰς σανίδας* vocat lib. v, *ὅτι τε αἱ γραπταὶ σανίδες ἐκεῖναι, καὶ τὰ ῥάκη, τὰ ὑποπόρφυρα εἰς τόδε αὐτῷ ἐπιτελοῦντο, ἃ δὴ πολλὰ τοῖς εὐδαιμόνων οἴκοις θαμὰ ἐπέβαλλε τὴν ἐς βασιλέα ἔννοιαν περιεχόμενα, καὶ ταύτῃ ἅπαντα ἐσφετερίζετο.* De Anatolio loquitur, qui curator domuum & patrimoniorum principis erat. Hic quaſi principis ſui agens, cujus patrimonium omni modo augere ſtudebat, multorum bonis quacunque ratione, per vim & injuriam, quaſi caducis, aut vacantibus, & ad fiſcum pertinentibus, titulos regios adfigebat, & vela ſuſpendebat: *Βιαζόμενος μὲν ἀνέδην, καὶ ἀναῤῥηγνὺς τὰ βουλεύματα τῶν ἀποιχομένων, χαίρειν δὲ πολλὰ λέγων τοῖς νόμοις, οἳ δὴ τοὺς παῖδας κληρονομεῖν ἐθέλουσι τῆς τῶν φυσάντων περιουσίας.* Quia enim inteſtatorum res, qui ſine legitimo hærede decedebant, ad fiſcum pertinerent, irrita pronuntiabat multorum teſtamenta, ut quaſi inteſtatorum hæreditatem fiſco vindicaret, titulis fixis, vel velis impoſitis. Qui etiam dicit eo uſque iniquitatis, ac violentiæ proceſſiſſe Anatolium, ut teſtamenta rumperet, quibus liberi inſtituti hæredes erant, quos jura volunt ab inteſtato ſuccedere parentibus. Nec tamen fiſcus in eorum bonis, qui ſic inteſtati deceſſerant, relictis legitimis hæredibus quidquã ſibi juris arrogabat, niſi aliæ cauſæ bona inteſtati, quamvis legitimos ſucceſſores haberet, fiſco attribuerent & vindicarent. Vide Novellam Juſtin. CLXIV. Quæ plane illuſtrat illum Agathiæ locum de Anatolio domuum principis curatore, & de titulis, quos affigebat Cæſaris nomine bonis inteſtatorum. Velorum color, quem *ὑποπόρφυρον* Agathias vocat, ſatis indicat, ea regia fuiſſe. Ambroſius, ut jam notarunt docti, appellat *regias cortinas*. Sed & tituli ipſi non minus regii, & *βασιλικαὶ* etiam *σανίδες* vocantur. Ideo & *regii* hi tituli vocati, quia nemini licebat privato, hujuſmodi titulos, neque alienis, neque ſuis adfigere prædiis, ut apparet ex leg. 1 Cod. Ut nemo privatus titulos præ-

Sſ diis

diis ſuis, vel alienis imponat, vel vela regia ſuſpendat. In ipſa lege dicitur, regiæ tantum majeſtatis eſſe, ut Auguſti domus & patrimonia titulorum inſcriptione legantur. Ergo jus non erat privato, titulum ſuo fundo, aut domui imponere, quo teſtaretur ſe dominum ejus prædii, aut earum ædium eſſe. Quid igitur ſibi volunt hæc verba Petri Chryſologi ſermone CLIV? *Dominum prædiorum limitibus adfixi tituli proloquuntur.* Sed & Auguſtinus Pſal. XXI: *Ubi potens invenerit titulos ſuos, nonne jure rem ſibi vindicat, & dicit, non poneret titulos meos niſi res mea eſſet?* Seneca Epiſtol. XCVIII, ex inſcriptione dominum indicari his verbis ſignificat: *Quidquid eſt cui dominus inſcriberis, apud te eſt, tuum eſt.* Potentiores ſolitos fuiſſe prædiis ſuis ac poſſeſſionibus titulos, cum nomine ſuo adponere, qui ſignificarent hæc illius eſſe cujus nomen in titulo legeretur, argumento eſt lex Theodoſii Cod. unica ſub tit. *De his qui potentiorum nomina in lite prætendunt, aut titulos prædiis affigunt.* Id eſt, aut eorumdem potentiorum titulos prædiis ſuis adfigunt. Multi enim, cum deſperatam in judicio cauſam haberent, potentioris nomen in lite prætendebant, ac ſi ab his aliquod prædium, vel domus in jure aliqua actione repeteretur, ſuum non eſſe illud prædium, vel illam domum, affixis potentioris titulis, cui ejus poſſeſſionem ac dominium ea affixione adſcriptum ibant, teſtabantur. Quidam etiam tenuiores ne à potentioribus vicinis ſuæ poſſeſſiones invaderentur, qui his imminebant, alterius æque aut magis potentis titulos eis adplicabant, ut ille potens, qui inhiabat earum invaſioni, conterritus abſtineret, ut Auguſtinus ait Pſal. XXI. Non hoc certe fieret, niſi tum potentioribus licitum fuiſſet domibus propriis, aut prædiis nominis ſui titulum præponere, qui dominum teſtaretur. At lex illa Honorii & Theodoſii diſerte dicit, *Regiæ majeſtatis eſt, ut noſtra tantum domus, & patrimonia titulorum inſcri-*

ptione

ptione legantur. Omnes igitur intelligant publico juri eſſe deputandum, id cui nomen dominicum præſcribitur. Clare lex iſta vult, cuicunque domui, aut fundo nomen domini per adfixum titulum præponetur, id publico juri & fiſco eſſe vindicandum. Vel hac conſtitutione evincitur, id antea in more poſitum fuiſſe, quod hic nunc prohibetur. Et hæc ſanctio poſterior aliquot annis ea, quæ præceſſit de potentiorum titulis, ab Arcadio & Honorio lata. In Novella quoque Theodoſii & Valentiniani, de tributis fiſcalibus, prohibentur privati tam ſuis, quam alienis poſſeſſionibus titulos adponere: *Ne cuiquam paſſim titulos, prædiis propriis, vel alienis, vel pietatis noſtræ nomine vel ſacrarum neceſſitudinum noſtrarum, vel cujuſlibet alterius fas ſit adfigere.* In edicto quoque Theodorici regis leg. XLV cavetur, *Ut nullus alienæ rei, vel ſuæ titulos prorſus adfigat, cum ſoli fiſco hoc privilegium his quæ poſſidet jure vel corpore, videatur eſſe conceſſum.* Illa igitur Honorii & Theodoſii lex, quam ſupra retulimus, prorſus vetat titulos quemquam privatorũ etiam rebus ſuis imponere. At quæ ſequitur in eodem Codice Theodoſii & Valentiniani, interdicit, *ne quis vela regia ſuſpendere, vel titulum audeat ſine præſcriptione judicis competentis alienis rebus imponere.* Quod non de privatis titulis accipiendum eſt, ſed de publicis, per privatum adfixis & impoſitis. Quod fieri lex à quoquam vetat ſine præſcripto judicis competentis. Atque ita legem illam Valentiniani explicat Athalaricus rex in edicto apud Caſſiodorum lib. IX, Epiſt. XVIII: *Et quia ſummis principibus juris communione vivendum eſt, ſi quis legum ordine prætermiſſo, nomine publico titulos præſumpſerit affigere, in tantum poſſidenti fiat obnoxius, quantum ſanctio ſuperius memorata teſtatur.* Id eſt, ea lex Theodoſii & Valentiniani II Cod. Ut nemo privatus. Juſtinianus Novella XXX cum multi tunc eſſent forſitan potentes, qui titulos ſuos

prædiis imponerent, & parum obſervaretur lex Honorii, quæ id vetuit, Proconſuli Cappadociæ præcipit ne à quoquam id fieri in ſua provincia permittat, cap. VIII: *Σανίδας δὲ ἀνατίθεσθαι κατὰ τὴν ἐπαρχίαν ἧς ἄρχει προσηγορίαν τινῶν ἐχούσας, ἐξῃρημένης τῆς βασιλείας, καὶ τοῦ ταμείου, κωλύῃ τοσοῦτον, ὥστε καὶ δημοσίαν ποιεῖν τὴν οὐσίαν τοῦ τοιοῦτό τι πράττειν ἐπιχειροῦντος, καὶ χρεῶν ἀφαιρεῖσθαι τοὺς ταύτας ἐπιτιθέντας.* Prohibet ne quis privatus titulos nomine ſuo inſcriptos prædiis ſuis imponat, & præcipit proconſuli Cappadociæ, ne quas permittat tabellas imponi prædiis, privati alicujus nomen præferentes, quæ teſtarentur, illius privati cujus nomen inſcriptum haberent, illum eſſe fundum. Sic enim fortaſſe interpretanda ſunt, *σανίδας ἀνατίθεσθαι προσηγορίαν τινῶν ἐχούσας.* Id eſt, illius nomen præferentes, qui eas impoſuerit. Julianus tamen Anteceſſor, & melius, de titulis privatis hæc accepit, qui rebus alienis imponebantur, Conſt. XXII: *Titulos privatos alienis rebus prohibeat imponi Cappadociæ proconſul.* Excepto enim Imperatore & fiſco neminem alium vult titulos alienis poſſeſſionibus, quibus eas ſibi vindicet, adfigere. Certe vel inde conſtat, ſolis patrimonialibus principis fundis & domibus titulos adfigi ſolitos, ipſorum nomen præferentes. Quod & Auguſtæ fuiſſe licitum, ex alia Novella manifeſtum eſt. Prædiis quoque, tam urbanis, quam ruſticis, quæ fiſco vindicabantur, publicus titulus, id eſt, fiſcalis, ſolebat adfigi. Quæ quidem bona ſi ex proſcriptione ac damnatione cujuſquam ad fiſcum eſſent devoluta, commemorationem nominis ſui in his fieri quidam modeſtiores principes noluerunt, ut Theodoſius & Arcadius, cum Honorio leg. XI Cod. Theod. de bonis proſcriptorum. Alias, ut videtur, nomen ipſius principis in fiſcalibus titulis, qui rebus ad fiſcum Cæſaris devolutis adfigebantur, conſueverat inſcribi. Juſtinianus autem Novella XVII de titulis privatis alienis prædiis, aut tabernis non imponendis

ponendis ſanxit, cap. xv: Σανίδας δὲ ἐπιθεῖναι χωρίοις ἀλλοτρίοις ἢ ἐργαστηρίοις ἐν πόλεσι διακειμένοις, καὶ ἐπιγράφειν τὰς ἑαυτῶν προσηγορίας. Quæ ſic vertit Julianus Conſt. xxi: *Si quis alienis agris, vel ergaſteriis titulos impoſuerit, & nomen ſuum inſcripſerit, bonorum publicatione punietur.* Enimvero ſi is, qui rebus ſuis titulos adpoſuiſſet privatus, multabatur bonorum amiſſione, quanto magis, qui alienis? Mitior pœna irrogata eſt Novella Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani, tit. de tributis fiſcalibus. Nam quinque tantum auri libris multat, qui titulos ſuis prædiis adpoſuerint, decem librarum multa, qui alienis. At Theodoricus, cum idem vetaret, capite puniri ſanxit, qui titulis adfixis aliena prædia occupaſſet, in Edicto leg. xlvii: *Ille vero, qui poſſeſſa ab aliis prædia titulis occupaverit, capite puniatur.* Quam recte hos titulos componant doctiſſimi doctores juris cum ὅροις Atticorum, qui imponebantur prædiis obæratis ad teſtificandum eorum nexum & hypothecam, ipſi ſane viderint. Ego nihil amplius ex horum titulorum adfixione colligo, quam moris priſci uſum in fundis ac prædiis nomine eorum prænotandis & inſcribendis, ad quos ea pertinerent, quorumque propria eſſent. Quod penes magnates ac potentiores præcipue obtinuit, & nunc viget. Nam in principum, & aliorum potentium ædibus nomina eorum in fronte leguntur inſcripta. Si quis eas alius potens emat, ſolet prioris nomine poſſeſſoris deleto, ſuum curare inſcribendum. Nec id abs re & nunc fit, & olim factum eſt ab iis perſonis, quorum nomina nota ac celebria. Tenuioris fortunæ homines, & ignobiliores id in more habuiſſe vix opiner. Hodieque non inſcriptione nominis ſui, quod obſcurum eſt, ſed ſuſpenſione inſignis alicujus ſolent ædes ſuas, qui tales ſunt ut vix in urbe quam incolunt cognoſcantur, notiores reddere. Quæ igitur leguntur de affixis titulis, ad potentiores pertinent, ſive

ſuis prædiis eos affigendos curarent, ſive alienis. Nam qui ex magnatibus, ob potentiam qua neminem timent, invadere conaretur tenuioris & inopis vicini prædium, vel ædes, nomen ſuum eis jubebat adſcribi, vel inſcribi affixis titulis. Contra ſi inops ille ſe aliter tueri non poſſet ab invaſione præpotentis, ad hoc decurrebat, ut alterius æque potentia ſubnixi nomen prædio ſuo inſcriberet, quo ab incepto abſterreretur invaſor, metu offenſionis cum eo potente contrahendæ cujus nomen affixi tituli præferrent. Lex itaque illa, quæ prohibet ne privati prædiis alienos titulos imponant, præcipue potentes reſpicit, & eos arcet ab invaſione alieni, qui poſſunt facere, & quibus impune ex potentia, qua ſuffulti ſunt, hoc magis procedit. Poſtea, ut ne quidē propriis domibus, aut fundis inſcriberet quiſquam nomen ſuum, quo ſe dominum ejus profiteretur, lege Honorii cautum eſt, quæ ſolius Auguſtæ domus hoc privilegium eſſe voluit, ut principis ædes, & fundi patrimoniales titulorum inſcriptione legerentur. Ab eo igitur more, quo principes & potentes conſueverant poſſeſſionibus ſuis propria nomina ſub titulis inſcribenda jubere, manavit & illa conſuetudo, qua quidquid fiſco applicaretur, vel patrimonio principis ex damnatorum bonis, vel quacunque alia ex cauſa, ac jure, ejus rei dominum jam factum eſſe principem, titulis nominis ejus adfixis, vel velis ſuſpenſis ſignificaretur. Quod etiam Eccleſiaſticos aliquando uſurpare voluiſſe, teſtis eſt Gregorius Magnus Pontifex, qui conſuetudinem hanc novam ſcribit, & valde quidem reprehenſibilem erupiſſe, *ut cum rectores ejus patrimonii urbana, vel ruſtica prædia juri illius competere poſſe ſuſpicantur, fiſcali more titulos imponant.* Quod ille in poſterum vetat fieri, ſub pœna anathematis. Non ſolebat autem fiſcus rebus alienis titulos nomenque Auguſti apponere, niſi jam vindicatis & adplicitis patrimonio, ac dominio principali.

Nam

am quod notat vir doctiſſimus ad Ammianum Mar-
llinum lib. xxix, hos titulos principales, vel fiſcales
libus reorum adpoſitos non ſtatim eas fiſco vindica-
s eſſe ſignificaſſe, in eo non parum mihi fallus vi-
tur. Rationem addit, quia plerumque ante ſenten-
am latam, ſtatim ac comprehenſus fuerat reus, ædes
us obſignabantur, quo chartæ omnes in judicio pro-
rri poſſent, ex quibus documentum judici ſuppete-
t. Quod ſi reus, inquit, ſententia judicis eſſet ablo-
tus, refixis titulis rem ſuam recuperabat: ſin erat con-
mnatus, ædes fiſco adplicabantur. Sed communis
c illi error, cum doctoribus noſtris, qui omnes *affi-
onem titulorum* confuderunt cum *obſignatione*.
uod miror illis in mentem potuiſſe incidere, cum
eo manifeſte, etiam titulis diſtinctis, hæc duo diſcer-
antur in Codice. Et priore quidem ſancitur, *ut ne-
o privatus titulos prædiis ſuis, vel alienis imponat.*
quens titulus cavet, *ut nemini liceat ſine judicis au-
oritate ſigna rebus imponere alienis.* Quo loco omnes
ipti codices recte legunt, *ſigna imprimere rebus,
uas alius detinet.* Atqui impreſſio proprie ad ſigna,
e σφραγῖδας pertinet, non ad titulos, ſive σανίδας,
i adfigebantur. Nec eſt quod quiſquam inferat, hoc
ulo prohiberi, ne quis ſigna imponat rebus alienis,
ne auctoritate judicis, ſuperiore autem titulo vetari
ntum ne quis privatus hoc audeat facere. Nam &
g. II, tituli prioris, cavetur, *ne quis vela regia ſuſpen-
re, vel titulum audeat ſine præſcriptione judicis com-
tentis alienis rebus imponere.* Si *titulos imponere*, &
gna imponere rebus alienis idem eſt, idque prohibe-
r fieri ſine judicis auctoritate, cur diviſis ac diverſis
ulis utrumque diſtinxit Juſtinianus? Doctiſſimus
ris Gloſſator, ad legem, De his qui potentiorum
omine titulos prædiis affigunt, notat, *titulos*, ſive *ſi-
na*, Græcis σήμαντρα dici, & in Baſilicis appellari τίτλους
σφραγῖδας. Quæ certe non levis eſt hallucinatio,

 ne

ne graviſſimam dicam. Alius etiam vir longe eruditiſſimus ad Harpocrationem in voce ἄστικτον, ſigna cum ὅροις videtur confundere, & *ſignata loca* interpretari, quæ tabulas, vel titulos haberent impoſitos. Quod mihi prorſus in viro tam docto mirum viſum eſt. Nam & ὅροι non ſunt tabellæ, vel tituli, quales affigebantur rebus fiſco vindicatis. Nec tituli illi iidem cum ſignis, vel ſigillis, quibus res obſignabantur. Diverſus mos, diverſæ res, etiam finis diverſus in imponendis ὅροις, adfigendis titulis, & ſignis imprimendis, illiſque etiam *Panoncellis*, vel *Brandonibus*, ut vocant, ſuſpendendis, quorum hodie uſus eſt. Nunc de titulorum & ſignorum differentia dicamus, mox & alia adſtruemus. In Synopſi Baſilicorum lib. VII, tit. X: Ἀνάγνωθι καὶ τίτλον ια, ἐν ᾧ φησι περὶ τοῦ τίτλους ἐπιτιθέναι καταλαμβάνοντα, ἢ σφραγῖδας. Ubi aperte τίτλοι diſtinguuntur ἀπὸ τῶν σφραγίδων, tituli à ſignis, vel ſigillis. Perperam itaque doctus commentator ad leg. II Cod. ut nemini liceat, qua ſtatuitur, *rebus quas alius detinet, imprimi ſigna nemini licere, etiam ſi ſuas, vel obligatas ſibi eas aliquis aſſirmet*, notat, pœnam ejus rei eſſe publicationem bonorum, titulis fiſcalibus appoſitis, ex Novella XVII, cap. XV. Atqui ea Novella non iis pœnam imponit, qui ſigna rebus alienis impreſſerint, ſed qui titulos affixerint, quod ſoli fiſco & principi licitum eſſe vult, περὶ τῶν σανίδων τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπιτιθεμένων χωρίοις. Qui igitur hoc attentarint, quod ſolius eſt fiſci & principis, facere, hi titulos fiſcales ſuis ipſimet prædiis impoſitos ſentient, bonis publicatis: Εἰ γὰρ πρᾶγμα μόνῃ τῇ βασιλείᾳ, καὶ τῷ δημοσίῳ δεδομένον πρᾶττειν τις ὑφαρπάζειν, ἐν τοῖς ἑαυτοῦ μανθανέτω τὴν πεῖραν, καὶ τοῖς αὐτοῦ πράγμασι τίτλων ἐπιτιθεμένων δημοσίων γινέσθω τοῖς ἄλλοις παράδειγμα σωφροσύνης. οἵπερ εἰς τὸ αὐτῶν ἅψαιντο κακῶν, ταῖς ὁμοίαις ποιναῖς ὑποκείσθων). At pœna publicationis bonorum nulla imminet his, qui ſigna propria rebus alienis impreſſerint. Quin & diſerte lex I Cod. eodem,

em, non aliam multam inrogat his qui hoc fecerint, nam ut illi in quos id illicite factum fuerit, poſſint ipſi licite detrahere : *Sæpe reſcriptum eſt, ante ſententiam ſigna rebus, quas aliquis tenebat, imprimi non oportere. Et ideo ea rebus, aut fructibus apud te conſtitutis, poteris ipſe licite detrahere, ut amotis his cauſa ua ex officio tibi infertur, terminetur.* Ex quibus colgas, contrarium id eſſe obſervationi, quæ ad Ammiaum fixa eſt, qua notatum eſt, res obſignari ſolere, quæ d reum pertinent, etiam ante ſententiam latam, cum æc lex ſtatuat, ante ſententiam latam, rebus quas aliuis tenebat, ſigna imprimi non oportere. Non igitur e eodem genere obſignationis capienda eſt, nec ibi gitur de titulorum affixione, nec de prædiis, aut aliis ebus immobilibus, quibus in fiſcum redigendis, vel edactis tituli adfigebantur. Mirorque impenſiſſime, um de fructibus in ea lege fiat diſertim mentio quious ſigna illicite impreſſa dicuntur, hoc ad titulos adigendos potuiſſe referre viros doctiſſimos: *Et ideo ea ebus, aut fructibus apud te conſtitutis illicite impoſita oteris ipſe detrahere.* Ergo de rebus mobilibus acciiendæ hæ res, quæ apud Octavium conſtitutæ dicunur. Quis enim fundos, aut ædes *apud aliquem conſtiutas* dixerit? Quis etiam titulos adfixos ejuſmodi reous unquam legit? Prædiis aut domibus aliiſque rebus oli, ſolitos adfigi, titulus qui præcedit, aperte demontrat. Fateantur hic prudentiſſimi Juriſconſulti, parum aviſſe ne in errorem graviſſimum inciderent. Quem i quis paratus ſit defendere, ac tueri, libere iterum dio, palā ad hoc eum provoco. Ad legis ipſius titulum, quæ ſigna vetat alienis rebus imprimi, adnotavit periiſſimus juris doctor, propria ſcilicet accipienda, nam le regiis dictum eſſe titulo, qui præcedit, XVI. Ergo *igna* in hoc titulo videtur accepiſſe pro velis de quious in ſuperiore mentio eſt, *quo vela regia ſuſpendere, aut titulum rebus alienis ſine auctoritate judicis non*

 licere

licere ſancitum eſt. Certe ſigna in bello vexilla ſunt, & vexilla parva vela, ſed in his titulis tantopere diſtant vela à ſignis, quantum vexilla à ſigillis. Hæc *ſigna* in hoc titulo XVII Codicis, σήμαντρα ſunt privatorum, quæ fructibus, aut rebus aliis mobilibus imprimuntur, de quibus ſignis, & obſignandorum utenſilium, & aliorum mobilium more in ſuperioribus ſatis dictum eſt. Vela in ſuperiore titulo ſuſpenduntur in prædiis, aut domibus alienis nomine regio, unde & *Regia*, vel *Regalia* appellata. Quin hanc differentiam plane conſtituit inter *ſigna* & *titulos* Novella Juſtiniani CLX, quod mobilibus ſigna imprimantur, immobilibus tituli imponantur. Quod verbi etiam ſignis convenit, ut imponi dicantur. Ideo ἐπιτίθεσθαι de utriſque Græci uſurpant. Sane qui imponunt ſigna alicui rei, quæ ſigillanda eſt, ea imprimunt, non item tituli imprimuntur, quæ tabellæ, hoc eſt, σανίδες ſunt inſcriptæ, quæ dominium ejus prædii, vel domus cui imponuntur, ad eum pertinere oſtendunt debere, cujus nomen præferunt. Supraſcripta Novella περὶ κληρονόμων in præfatione: Τοῖς μὲν κινητοῖς πράγμασι σφραγῖδας ἐπιβάλλοντες, τοῖς δὲ ἀκινήτοις σανίδας ἐπιτιθέντες. *Et mobilibus quidem rebus ſigna imprimentes, immobilibus vero titulos imponentes.* Si quis rebus alienis mobilibus apud aliquem conſtitutis ſigna imprimeret, ſua eſſe hoc facto contendebat, & quaſi ea vindicabat. Rebus autem immobilibus titulos imponendi eadem ratio fuit. Cum quis eas vindicaret, ante omnia ſolebat quaſi ſuis titulos imponere. Quod ſemper vetuere principes. Novella Theodoſii De titulis fiſcalibus, decem auri librarum pœna multat, qui hoc auſus fuerit, & præterea, ut petitione excideret, quæcunque ei competebat: *Si alieno, amiſſa petitione quæcunque ei competit, decem libras auri, qui fuerit titulos adpoſuiſſe convictus, exſolvat.* Numquid ſatis hinc conſtat, quod diſtent ſigna titulis? Id confirmatur & Edicto Tiberii De divinis

domi-

omibus, quo interdixit, curatores divinarum do-
uum, aut conductores, *σανίδας τὴν ἑαυτῶ προσηγορίαν*
ϱέσας ἀλλοτρίοις οἴκοις ἢ χωρίοις ἐπιτιθέναι, ἢ σημαντῆρ
ντοῖς πράγμασι πλουτούντων, ἢ περιόντων. Tabellas,
l titulos nomine regio inſcriptos alienis prædiis, vel
omibus imponere, aut ſigilla, vel ſigna rebus alienis
obilibus. *Signatas* tamen *domos* legere eſt apud
arcellium lib. XXIX: *Et ne vel conjugibus meritorum*
acaret miſerius flere, immittebantur confeſtim; qui
natis domibus inter ſcrutinia ſupellectilis pœnis ad-
cti. incantamenta quædam anilia vel ludibrioſa ſub-
rent amatoria ad inſontium perniciem concinnata,
ibus in judicio recitatis. ubi non lex, non religio, non
uitas veritatem à mendaciis dirimebat, indefenſi bo-
s ablatis nullo contacti delicto, promiſcue juvenes alii-
ue, membris omnibus capti ad ſupplicia ſellis geſtato-
s ducebantur. Ad quem locum *ſignatas domos* vir
uditus, *obſignatas* interpretatur, & obſervat, obſigna-
ædes appoſitis fiſcalibus titulis. At ego nego fiſcales
ulos unquam appoſitos prædiis, aut domibus da-
natorum, niſi poſt ſententiam latam, cum jam fiſco
ndicata & adplicata erant bona damnati. Ita enim in
ſſeſſionem bonorum condemnati quaſi mitteba-
r fiſcus adpoſitis titulis, qui ſignificarent, jam in bo-
s principis eſſe ea numeranda, quibus nomen ejus
is titulis inſcriberetur. Idque luce clarius apparet ex
ulo Codicis Theodoſiani De bonis proſcriptorum,
u damnatorum, leg. XI, & leg XX, quæ fidem faciunt,
n alias niſi jam damnatorum proſcriptorumque fa-
ltates fiſco adplicari, & adfixis titulis id declarari.
uid enim apertius his verbis? *Proſcriptorum ſatelli-*
mque fortunas ærario noſtro jubemus accedere. Ideo-
e per agros, per cuncta domicilia titulos noſtræ ſere-
atis adfigi præcipimus. At ſignatæ illæ domus reo-
m apud Marcellinum ante latam ſententiam, & con-
mnationem factam intelligendæ plane ſunt, ut ex

ipſis

ipſis verbis Ammiani liquidum fit. Rurſus lex 1 Cod. ut nemini liceat ſine judicis auctoritate ſigna rebus imponere alienis, teſtatur, *ſæpe reſcriptum eſſe ante ſententiam ſigna rebus quas aliquis tenebat, imprimi non oportere.* Quomodo hæc invicem conciliabimus? Facillime, ſi teneamus non de iiſdem rebus, nec de iiſdem reis locum Ammiani, & illam legem eſſe interpretanda. Simul atque aliquis inter reos erat receptus, domus ejus ſignabatur, non adpoſitis, vel adfixis titulis, ſed ſignaculis impreſſis. Nec tota domus, hoc eſt, ipſæ ædes ita obſignari ſolebant, ſed quæcunque in ea erant ſignis impoſitis occludenda, capſæ, armaria, arcæ, membra ipſa domus in quibus pretioſa ſupellex & alia mobilia continebantur, cellæ, apothecæ, zothecæ, horrea. Si totæ ædes occluſæ & obſignatæ fuiſſent, ita ut ingreſſus ad eas non eſſet datus, quomodo illa incantamenta, & anilia ludibria inter ſcrutinia ſupellectilis ſubjici ſubdique potuiſſent, de quibus ſcribit Ammianus? *Immittebantur.* inquit, *confeſtim, qui ſignatis domibus inter ſcrutinia ſupellectilis pœnis addicti, incantamenta quædam anilia, vel ludibrioſa ſubderent amatoria.* Non ipſas igitur fores domus, quæ ingreſſum dant eam intrantibus, occluſas fuiſſe liquet, ſed omnia quibus ſupellex continebatur, & veſtis, ſed & chartarum, & libellorum armaria, capſaſque. Item vinarias apothecas, granaria, penuarias cellas, & alia ejuſmodi conclavia, in quibus aliquid concluſum ac repoſitum contineretur. Fores etiam ita obſignari ſolitas, & ſignis impoſitis occludi, abunde ſupra probavimus, ubi de obſignatione tractamus. His in domo obſignatis domus plane obſignata intelligitur. Hodieque moris eſt, ubi aliquis in carcerem conjicitur ob crimen læſæ majeſtatis, omnia quæ in domo ſunt ejus, obſignari, & ſigillis impoſitis claudi. Sic intelligenda Teletis verba apud Stobæum, καὶ ὃν τρόπον ὅταν ὁ δυνάστης τὰ ὑπάρχοντα παρασφραγίσηται, οὐκ ἔστιν ἅψασθαι.
Ubi

οι τὰ ὑπάρχοντα omnia bona ſunt mobilia, quæ in
mo alicujus rei reperiuntur. Domus in qua omnia
obſignata forent, ipſa recte diceretur ſignata. Sic
im apud Demoſthenem in ea adverſus Phænippum,
οἰκήματα, in permutatione ſive ἀντιδόσει univerſo-
m bonorum, qualis lege apud Athenienſes olim fuit
rmiſſa, παρασημανθῆναι dicuntur, id eſt, obſigna-
fuiſſe, cum ea tantum, quæ intus eſſent mobilia,
ſignata forent, aut cellæ in quibus mobilia, ut ſupel-
x, & penus, frugeſque liquidæ & aridæ, contineban-
r, quæ vocat οἰκήματα. Nam οἰκήματα, ſunt mem-
a domus, ut cellæ; zothecæ, apothecæ, granaria, &
milia. Gloſſæ veteres: οἴκημα, cella. οἰκημάτιον, cel-
la. Ἔπειτα παρεσημηνάμην τὰ οἰκήματα, καὶ τοῦτον ἐκέ-
ευον εἰς τὰμὰ βαδίζειν. Quid per οἰκήματα intellexerit,
em paulo ante explicavit, his verbis: Ἀντὶ δὲ τοῦ τὰ
μεῖα ἐᾶν τῶν οἰκημάτων ἃ παρεσημηνάμην, ἐλθὼν εἰς ἀγρὸν
έῳξε, καὶ τὰς κριθὰς ἐξεφόρησε, καὶ τὰ ἄλλα, ὥσπερ ἐξουσίαν
ὑτῷ τοῦ νόμου ποιεῖν ὅτι ἂν βούληται. Ubi οἰκήματα etiam
ranaria ſunt in quibus hordeum repoſitum, & aliæ
militer cellæ quibus ſigna impoſuerat, ut occluſa eſ-
nt illi pro quo dixit Demoſthenes. Hinc ὑπερῷα οἰ-
ήματα, ſuperiores domus partes, & κατάγεια οἰκήματα
bterraneæ cellæ, quas vulgo *cavas* vocamus in idio-
ſmo noſtro, quæ apothecæ veterum fuerunt, vel
ellæ vinariæ. At Xenophon, quem citat doctus Am-
iani caſtigator, ἀποσημαίνεσθαι quidem dixit, id eſt, ob-
gnare, ſed de argento, vel pecunia, aliiſque bonis quæ
ræci χρημάτων nomine appellant, lib. II Ἑλληνικῶν:
δοξεν δ' αὐτοῖς ὅπως ἔχοιεν καὶ τοῖς φρουροῖς τὰ χρήματα δι-
όναι, καὶ τῶν μετοίκων ἕνα ἕκαστον λαβεῖν, καὶ αὐτοὺς μὲν ἀπο-
ῖναι, τὰ δὲ χρήματα αὐτῶν ἀποσημήνασθαι. *Et bona ipſo-
um obſignare.* In eodem libro paulo poſt locus vulgo
orruptiſſimus legitur, interpretibus non intellectus:
Οἱ ἡμᾶς καὶ τῆς πόλεως ἀπεστέρουν οὐδὲν ἀδικοῦντας, καὶ οἰκιῶν
ξήλαυνον, καὶ τὰ φίλτατα τῶν ἡμετέρων ἀπεσημαίνοντο. Pro

quo

quo in editis legitur, καὶ τοὺς φιλτάτους, & vertunt, *amiciſſimos noſtros ultimo affecerunt ſupplicio.* Nemini unquam puto lectum verbum ἀποσημήναντες, in ea ſignificatione. Sed omnino corrigendum, ut emendavimus, *qui nos immeritos urbe privarunt, domibus expulerunt, ac quæ cariſſima habemus, obſignarunt.* Id eſt, τὰ χρήματα, τὰ ὑπάρχοντα, & τῶν ὑπαρχόντων τὰ τιμιώτατα καὶ φίλτατα. Hodieque apud nos moris, ubi aliquis paterfamilias deceſſit, omnia in ejus domo auctoritate judicis obſignari. Quod à nobis fieri certum eſt obſervatione juris Romani, ut ex Novellis Juſtiniani conſtat. De hujuſmodi obſignatione, quæ fit impreſſis ſigillis, non eſt accipienda lex III Codic. Theod. De aquæductu, in his verbis, *ſciat eumdem fundum fiſcalis tituli proſcriptione ſignatum privatis noſtris rebus adgregandum.* Hoc enim de titulo fiſcali, ſive tabella rei fiſco adplicandæ adfixa intelligi debet. Et *ſignatus* in ea lege non eſt σφραγισθεὶς, vel ἀποσημανθεὶς, ſed *notatus, & inſignitus affixis titulis.* Hæc igitur obſignatio bonorum hominis accuſati & in reos relati ante latam ſententiam fiebat, qui ſi abſolutus foret, bona ipſi ſua reddebantur, ſigillis ablatis & domibus reſignatis. Si vero condemnatus foret, bona ejus omnia, ſi publicatio eorum damnatum ſequeretur, fiſco accedebant. Tum immobilibus, ut domibus ac prædiis, tituli principales adfigebantur. Nunc videndum de lege ea Codicis, quæ affirmat ſæpius reſcriptum eſſe, ante ſententiam ſigna rebus, quas aliquis tenet, imprimi non oportere, quomodo exponenda ſit. Illud primum indubitatum eſſe debet non de ullius publico judicio accuſandi, aut rei facti bonis eſſe capiendam, cui publicationis bonorum metus ex condemnatione impendeat. Præterea ſigna illa non eſſe inſignia aliqua imponenda bonis alienis, ſed ſignacula, vel ſigilla. Poſtremo non de aliis bonis intelligi eas res oportere quibus ſigna nemo debet imprimere

nere ſine judicis auctoritate, quam de mobilibus, qua-
um propriam eſſe diximus obſignationem. Non ad
lium attinet, quam ad eum qui alicujus rei dominus
ſt, aut qui ſe pro domino gerit, eam obſignare. Cum
liquis in judicio rem petit ac vindicat, quam ſuam eſſe
ebere contendit, aut ſibi obligatam, quæ ab alio de-
ineatur, non poteſt eam rem apud illum conſtitu-
am, qui detentor ejus intenditur, ſignis impreſſis ob-
ignare abſque auctoritate judicis, ante quam de eo ju-
ex pronuntiaverit, nempe obſignandam videri. Non
nim de ſententia qua judex rem petitori adjudicat,
ccipiendum. Quid enim opus tunc obſignatione,
um quis id quod vindicabat, receperit, & poſſidere
œperit? Ergo quod in lege eſt *ante ſententiam*, id
n titulo dicitur, *abſque auctoritate judicis*. Si res enim
uæ petitur, in aliquo ſit periculo apud eum, qui illam
etineat, ne deterior fiat, aut imminuatur, vel in to-
um amittatur, tum judex obſignandam præcipit.
Quod ille qui actionem intendit privata auctoritate
acere non poteſt. Aut ſi faciat, lex illa prima jubet, ſi-
na illicite impoſita à detentore ipſo licite poſſe de-
rahi. Idque etiam lex ſequens egregie explicat, quæ
etat, *rebus quas alius detinet, imprimere ſigna ne-
mini licere, etiamſi ſuas vel ſibi obligatas aliquis af-
rmet*. Nec dubium quin in ipſo titulo reponi debeat,
uomodo habent omnia ſcripta exemplaria, *ut ne-
mini liceat, ſine judicis auctoritate ſigna rebus, quas
lius detinet, imprimere*. Nam falſum eſt, ut vulgo le-
itur, *rebus alienis*. Plurimum quippe refert utrum
uis in alienis rebus hoc audeat, an in his quas alius de-
net, quaſque ſuas eſſe contendit, aut ſibi obligatas,
ui eas in judicio petit. Præterea qui imprimit ſigna
ebus ab alio detentis, non eo animo id facit, ut eas
vadat ac rapiat, ſed ut ſibi ſartas tectaſque conſervet,
e depereant inter manus detentoris, donec eas judi-
o recuperarit. Hoc ſolum mali facit, quod non ex-
pectata

pectata judicis ſententia, qui eas obſignandas ſtatuat, ipſe propria auctoritate ſigna iis imprimat. At ille qui titulos nomine ſuo inſcriptos rebus alienis imponit, invadendi animo, & ſibi adſcribendi, quod alienum eſt, ſemet ipſum in poſſeſſionem mittit ejus fundi, vel domus cui nomen ſuum imponit. Ideo pœna huic imponitur publicationis bonorum à Juſtiniano, ut qui auſus ſit alienis rebus titulos imponere, ſuis ipſe fiſcales accipiat. Si quis autem rei immobili, quam ad ſe pertinere diceret, quamque in judicio peteret, titulos impoſuiſſet, eum Theodoſius Novella XXII. De titulis fiſcalibus decem auri libris multat, & actionis, quæ ei competebat, amiſſione. Hi vero qui ſine judicis auctoritate ſigna rebus apud alium conſtitutis, quas in judicio ſuas eſſe affirmant, aut ſibi obligatas, nulla tali pœna digni, nec lex quidquam tale in eos ſtatuit exemplum. Et valde miror, doctiſſimos Juriſconſultos neſciviſſe diſtinguere inter hoc & illud factum, qui utriq; eamdem pœnam cõtra legum mentem inflixerunt. Quod etiam addunt in iiſdem notis, non tantum bonorum proſcriptionem, ſed etiam extremum ſupplicium pati, qui utrumvis attentare aggreſſi fuerint, hoc eſt, qui vel ſigna rebus ab alio detentis impreſſerint, vel titulos rebus alienis impoſuerint, ad ὑπερβολὴν admirationis id me rapere fateor. Probant hoc ex Novella CLXIV, quæ non ſimpliciter hoc ſupplicium capitale decernit in ſigna imprimentes rebus alienis mobilibus & titulos imponentes immobilibus, ſed eos puniendos hoc modo ſanxit, qui defunctorum facultates & patrimonia vexare, ac turbare ſatagerent, neque teſtamenta eorum valere, neque ab inteſtato ſucceſſiones locum habere ſinerent, ut ſic ipſi in vacuum venirent, & accreſcente ſibi ſucceſſione ab inteſtato decedentium, alienas hæreditates occuparent. Hæc ubi nefarie moliti fuerant, tum rebus hæreditatis, mobilibus quidem ſigna imprimebant, immobilibus

autem

tem titulos adfigebant. Non igitur propter adfixio-
m titulorum tantummodo, aut impreſſionem ſi-
orum in rebus alienis factam, eos pœna capitis mul-
idos conſtituit Juſtinianus, ſed quod ultimas defun-
rum voluntates ſollicitarent, & infringerent, & ſce-
e irreperent alienis ſucceſſionibus, non ſolum per
es nefarias, ſed etiam vi facta eas invaderent. Titu-
autem fiſcales, vel vela regia, quæ aliquis fiſci no-
ne ſine judicis competentis præſcriptione impoſue-
alienis rebus, vel ſuſpenderit, deponendi ac con-
ndendi licentiam dat illis in quorum præjudicium
e quid commiſſum fuerit, lex 11 Cod. ut nemo pri-
us. De his enim exponenda ea lex eſt, non de his
vatis, qui ſuo nomine id fecerint. Proinde nihil ad
n legem facit lex Digeſtorum, quod vi aut clam,
1 quæ ſic habet, *ſi ad januam meam tabulas fixe-
& ego eas priuſquam denuntiarem refixero.* Hanc
nen legem vulgo citari à doctoribus video, ut illam
dicis illuſtrent & explicent. Quinimmo ad eam
em Digeſtorum notant *tabulas* ibi vocari, quas
vella XVII, cap. XV, *σανίδας* appellat. Qui tituli ſunt
nini nomen præferentes propriis ædibus impo-
di, aut ejus qui ſe pro domino gerit, alienis. Statim
netiam ſubjungunt, *tabula adfixa* ſolitos veteres
um hypothecam indicare, eamque *tabulam* ὅρον
emoſthene & Menandro appellari. Cæterum ne-
ὅρος, qui monſtrabat apud Atticos locum hypo-
cæ eſſe obligatum, tabula fuit, ſed columella la-
ea: neque eæ *tabulæ*, quas alterius januæ fixas me-
rat Venuleius lege qua ſupra, Quod vi, aut clam,
lem ſunt cum *titulis* Novellæ XVII. Poſtremo al-
us etiam generis tabulæ illæ, quibus adfixis, vel ap-
ſis proſcribebantur ædes vænales. Quæ tamen
nia mirifice conturbant, & confundunt acutiſſimi
iſconſulti, & mera ſic faciunt mapalia. Tabulis ad-
fundos aut ædes hypothecæ obligatas ſignificari

ſolere apud Romanos, nemo poteſt me docere, quia nunquam id in more poſitum fuit. De illis igitur tabulis lex Venuleii non poteſt accipi. Ne quidem de his titulis exponi debeant, quos quis alienis ædibus adfigebat, animo eas occupandi, & ſuas teſtificandi. Idque ex ipſis verbis legis clare evincitur. *Si ad januam*, inquit, *meam tabulas fixeris, & ego eas priuſquam tibi denuntiarem refixero, deinde invicem interdicto quod vi aut clam, egerimus.* Qui titulos adfixerat rebus alienis invadendi eas propoſito ac ſe dominum earum declarandi, puniebatur legibus, & quidem bonorum publicatione, ut planum fit ex Novella xvii. Titulos illos rei ſuæ adfixos poterat dominus in cujus præjudicium adfixi fuerant, deponere ac frangere citra denuntiationem ei faciendam qui illos adfixiſſet. Hic qui tabulas januæ ſuæ ab alio fixas prius refixit quam ei denuntiaret ſe hoc facturum, interdicto quod vi aut clam, æque ſe obnoxium reddit, atque ille qui fixit. Ideo dicit Juriſconſultus invicem eos interdicto, quod vi aut clam, agere. Tabulas aliquis fixit ad alienam januam. Dominus ædium eas refigit priuſquam denuntiet ei qui fixerat. Ille agit contra refigentem interdicto quod vi aut clam. Adverſus illum ei qui refixit datur exceptio, *ſi non vi, nec clam, nec precario feceris.* Hanc illi exceptionem dandam lex ait, aut etiam condemnandum eum qui tabulas fixit, quaſi rem non reſtituat quanti ejus interſit ad cujus januam tabulas fixit, niſi ei permittat & concedat, ut abſolvatur, qui tabulas refixit, quod eas refixerit. Tabulas vi aut clam ad meam januam fixiſti, ego eas vi aut clam refixi, priuſquam denuntiarem tibi me eas refixurum. Invicem experimur interdicto, quod vi aut clam. Verba legis: *Niſi remittas mihi, ut abſolvar, condemnandum te, quaſi rem non reſtituas quanti mea interſit, aut exceptionem mihi profuturam, ſi non vi, nec clam, nec precario feceris.* Quæ verba exceptionis videndum

quo-

quomodo intelligenda ſint. An legendum? *Si non vi nec clam, ſed precario feceris.* Interdicto utente, quod vi aut clam, eo qui tabulas fixit adverſus eum qui refixerat, exceptione hic contra utetur, *ſi non vi nec clam, ſed precario feceris.* Ex quo luce manifeſtius fit, eum qui tabulas fixit ad januam alterius, uſus ſui & commodi gratia eas fixiſſe, non ut alienam domum invaderet, ut illi ſolent qui titulos adfigunt, non injuriæ cauſa, ut illi qui tabulis appenſis proſcribunt veluti venalem rem alterius, quaſi ex debito ſibi obligatam. Quod enim dicit Juriſconſultus, eum, cujus tabulæ, quas fixerat, refixæ ſunt à domino ædium, interdicto quod vi aut clam experientem repelli poſſe hac exceptione, *ſi non vi aut clam, ſed precario feceris,* liquido ex eo colligitur, rem fuiſſe quæ precario poterat à domino ædium impetrari, ut nempe fixas tabulas ad januam ejus habere liceret, ei qui maluit vi aut clam eas figere. Si precario impetraſſet, ut ſibi eas figere liceret, tum non daretur ea exceptio refigenti, *ſi non vi aut clam.* Cum enim nec vi, nec clam eas fixerit, non poteſt repelli ea exceptione, *ſi non vi aut clam.* Quid ſi precario fixas habuit, non vi aut clam? An is qui refixit, jus habuit earum refigendarum, ſine denuntiatione, & adverſus agentem interdicto, quod vi aut clam potuit hac exceptione uti, *ſi non vi aut clam?* Certum eſt, ſi precario conceſſit figendas, non poſſe uti exceptione, *ſi non vi aut clam.* Ergo videatur ſcribendum in illa lege: *Si non vi aut clam, ſed precario feceris.* Si non verum ſit te eas vi aut clam, ſed precario fixiſſe. Atqui idem juris erat in his, qui precario quid obtinebant, atque in his qui vi aut clam poſſidebant, ut impune dejici ab adverſario poſſent. Paulus in ſententiis: *Qui vi aut clam, aut precario poſſidet, ab adverſario impune dejicitur.* Nam qui precario aliquid conceſſit, poteſt quotieſcunque voluerit id revocare, & irritum facere. Ita igitur concipienda illius

fuit exceptionis formula, qua qui tabulas refixit, eum qui fixerat repellit: *Si non vi, aut clam, aut precario fixeris.* Nam qui non alio jure fixas tabulas habuit, quam vi aut clam, aut precario, niſi patiatur abſolvi eum, qui refixit abſque denuntiatione, poterit hac exceptione rejici, *ſi non vi, aut clam, aut precario.* Quodcunque enim fuerit ex tribus, impune refigi poteſt quod fixit. Cui uſui porro fuerint illæ tabulæ ad januam alterius fixæ, multa poſſunt excogitari. *Ad januam* autem interpretor prope januam domus exteriorem, non ut foribus ipſis adfixas intelligamus illas fuiſſe tabulas, ſed in ipſo veſtibulo domus poſitas, vel certe poſtibus januæ adfixas. Cæcilius Gallus apud Agellium, in libro de ſignificatione verborum, quæ ad jus civile pertinent, *Veſtibulum* interpretabatur *eſſe, non in ipſis ædibus, neque partem ædium, ſed locum ante januam domus vacuum, per quem à via aditus acceſſuſque ad ædes eſt, cum dextra ſiniſtraque januarum tecta ſunt viæ juncta, atque ipſa janua procul via eſt, area vacanti interſita.* Ita enim hæc verba legenda. In illo igitur ſpatio, quod ante ædes vacuum relinquebatur, quodque inter januam domus, & viam medium erat, qui tabulas uſus ſui gratia fixerat, in caſum legis hujus, quam explicamus, incidit. Tabulæ ſunt pergulæ, vel tabulata ad hoc fixa, ut vænalia quædam in iis proponantur, quæ etiam *tabula* in neutro genere. Græce, τὰ ἴκρια. Gloſſæ: ἴκριον *tabulum.* In eo loco fixæ, qui neque in via eſt, neque intra ædes, ſed ante januam, & in ipſo veſtibulo, ad januam fixæ recte poſſunt dici. Poſſunt accipi & poſtibus adfixæ. Idem autem ferme reſponderi poteſt de iſto, qui tabulas ad januam alterius in ejus veſtibulo fixiſſe vi aut clam dicitur, quod de eo qui ædificavit vi aut clam in alieno. Ulpianus leg. VII, tit. Belliſſime, D. eodem: Et ait Julianus æquiſſimum eſſe hanc exceptionem dari. Nam ſi tu, inquit, ædificaveris vi aut clam, ego idem demolitus

litus fuero vi aut clam, & utaris adverſus me interdicto, hanc exceptionem profuturam. Exceptio autem eſt, *Quod non tu vi, aut clam feciſti.* Ita hic in themate legis noſtræ, utenti interdicto quod vi aut clam, cujus tabulæ, quas fixerat in alieno veſtibulo, refixæ fuere, objici poſſe hanc exceptionem Venuleius ait, *ſi non vi, aut clam, aut precario feceris.* Æque enim potuit impune refigi à domino, quod precario figendum permiſiſſet, quam ſi vi aut clam ille alter id fixiſſet. Non debent profecto ſibi ignoſcere coryphæi Juriſconſultorum, qui in hac lege interpretanda, nec cælum, nec ſolum attigerunt, ita abſurda & aliena pronuntiarunt. Quod ſi eos defendere parati erunt doctores noſtri, & me meam tueri ſententiam paratũ promptumq; ſciant. Non magis autem ad hujus legis ſenſum eruendum pertinent tabulæ proſcriptionum, quam titulorum affixiones, aut tabellæ, quas comminiſcuntur in uſu ac more fuiſſe deſignandis locis ob creditum fiduciatis. Cum pignus aliquis ſibi datum poſt legitimam impletam denuntiationem debitore non ſolvente vænale proſcriberet, vel inſcriberet creditor, titulum ſive tabellam rei ipſi, quæ vendunda erat, imponebat, qua declarabatur, eam rem vendi ob eam cauſam. Tibullus:

Quin etiam ſedes jubeat ſi vendere avitas,
Ite ſub imperium, ſub titulumque lares.

Ovidius:

Sub titulum noſtros miſit avara lares.

Præter illum titulum, ſive tabellam, quæ affixa ædibus judicabat eſſe vænales, etiam proponebatur in publico programma, quo ſignificabatur, qua ex cauſa vænales eſſent, quam ad diem vendundæ forent, & ſub qua conditione. Hoc *proſcribi* dicebantur, illo *inſcribi.* Nam *proſcriptum*, quod in publico propoſitum eſt ſcripto, ut ab omnibus legi poſſit. Hinc *proſcriptio* pro ipſa publicatione bonorum, quæ ſunt proſcripta.

 Quid-

Quidquid in foro, vel in loco alio publico legendum omnibus proponitur, id *proſcribi* dicitur. Hinc leg. x D. de Inſtitoria: *De quo palam proſcriptum fuerit, ne cum eo contrahatur.* Ergo qui rem vænalem aliquam in publico, affixo ad pilam aut columnam libello vel tabella, proponebat, eam proſcribebat, ſive id faceret auctoritate magiſtratus, ſive ſua. Pignus proſcribere, ſine auctoritate judicis, non ſolvēte poſt trinam denuntiationem debitore, poterat creditor. At bona debitoris, qui iis ceſſerat, vel qui deceſſerat, cum ſolvendo non eſſet, auctoritate judicis venum ibant, & prius proſcribi edicto ſolebant. De qua proſcriptione nos infra. Sub edicto pependiſſe vænalem Claudium, in ejus vita Suetonius narrat, cum publico ærario obſtrictus ex ingenti pecuniæ ſumma eam diſſolvere non poſſet, antequam Cæſar eſſet. Vult nimirum, nomen ejus in libello proſcriptum pependiſſe in foro ſub edicto prætoris, quo bona ejus haſtæ ſubjicienda edixerat. Ulpianus leg. LXXVII, tit. XXXII D. de injuriis. *Item ſi quis pignus proſcripſerit, venditurus, tanquam à me acceperit, infamandi mei cauſa.* Pignus rei mobilis non aliter proponi vænale poteſt, quam libello in publico expoſito, proſcripta & edicta die, qua vendi debet. Præter hanc proſcriptionem, quæ etiam in rebus immobilibus locum habuit, ipſæ res immobiles etiam inſcribi titulo impoſito ſolebant, qui declarabat eſſe vænales, vel etiam locandas. Plautus in Trinummo:

Ædes vænales haſce inſcribit litteris.

Similiter & in locandis hoc fiebat. Terentius in Heautontimorumeno:

—— Inſcripſi illico
Ædes mercede. ——

Quod hodieque moris. Nam qui ædes ſuas vendere vult, aut locare, id ipſum locandas, aut vendundas eſſe in foribus inſcribit. At proſcribit eas qui in publico loco curat proponendum libello, locabiles, aut vænales

les eaſdem eſſe. Cicero lib. III Officiorum: *Si tu m ædes proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas, mum propter vitia vendas, in eam aliquis incurrat prudens.* Tabula illa de qua Cicero, qua proſcribunr ædes, in publico proponitur, non in ipſis foribus lium vænalium imponitur. Quod *inſcribi* proprie cebatur, & *titulus* vocabatur, qui adfigi ædibus proer debitum à creditore vendendis ſolebat. Unde *b titulum ire* dicebantur, quæ ſic inſcripta ad venndum. Utraque ſane tabula, & qua ædes vænales in blico proſcribebantur, & qua in fronte ipſæ inſcribantur, etiam *tituli* nomine vocabatur. Plinius in iſtola omnibus nota: *Deſerta inde & damnata ſoudine domus, totaque illi monſtro relicta, proſcribetur tamen, ſeu quis emere, ſeu quis conducere ignas tanti mali vellet. Venit Athenas philoſophus Athedorus, legit titulum.* Plura non addam, ne aliorum inia videar compilaſſe. Illud ſciendum, quæ ipſa dous in fronte titulo hoc vel tabula inſcripta eſt, poteſt ci & *proſcripta*, etiamſi nihil aliud in publico ſuper proſcriptum ſit, quo vænalis prædicetur. Sed *inipta* quæ dicitur, non aliter quam de ipſa in fronticio titulum habente poteſt accipi. Ita & tituli è colvænalium pendebant, quibus eorũ ætas, patria, prem indicabatur, ſed & vitium morbuſq;. Propertius:

Et quorum titulus per barbara colla pependit.

ui mancipia vendebant, tenebantur ex edicto Æitio in titulo eorum ſcribere, quid morbi in eo iique eſſet. Verba edicti apud Agellium ſic refentur: *Titulus ſervorum ſingulorum uti ſcriptus ſit, rato, ita uti intelligi recte poſſit, quid morbi vitiive oique ſit: quis fugitivus errove ſit, noxave ſolutus n ſit.* Tribonianus hæc verba edicti miſerandum in odum interpolavit, ut in Digeſtum Juſtiniani transret. Quia enim illo in tempore, mos titulorum vis inſcribendorum exoleverat, vitium morbumve

ſervi vendundi non à domino per titulum ſcriptum ſignificari voluit, ut olim mos erat, ſed à venditore pronuntiari. Non queror, morem eſſe immutatum, ſed quero cur edictum Ædilium ſic fraude non ferenda interpolaverit. Ad hanc enim faciem illud legi voluit, ſub titulo de Ædilicio edicto, quod tamen Ædiles nunquam ita conceperunt. *Ajunt*, inquit, *Ædiles, Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitiive cuique ſit, quis fugitivus errove ſit, noxave ſolutus non ſit, eademque omnia cum ea mancipia venibunt, palam recte pronuntianto.* De illa pronuntiatione nullum verbum Ædiles in ſuo edicto, qui titulum tantum in ſingulis ſervis, uti recte ſcriberetur, curandū edixerunt, quo ex titulo intelligi poſſet, quid morbi ſingulis vitiive cuique eſſet, & cetera quæ apud Juſtinianum habentur. Hinc collige, quanta in ceteris Juriſconſultorum ſcriptis ex quibus Digeſta compilavit, Triboniano habenda fides. De his titulis morbum vitiumque indicantibus, cum quibus ſervi producebantur venales, Seneca in Epiſt. XLVIII: *Stare ante limen Galliſti dominum ſuum vidi, & illum qui ei impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Gladiatores quoque producebantur ſub titulo qui cauſam indicaret. Quintilianus in Declamationibus: *Quidam, ut patrem ſepeliret, auctoravit ſe. Die muneris productus ſub titulo cauſæ, rudem poſtulante populo accepit.* Alii tituli erant gladiatorum quibus eorum victoriæ & palmæ notabantur, quos & de collo ſuſpenſos geſtabant. De his accipiendus hic Martialis verſus:

Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

Extant hodieque inter cimelia antiquariorum hujuſmodi palmares tituli, lignei, quadrati & oblongi; ut teſſeræ, cum inſcriptione nominis gladiatoris, & diei quo ſpectatus fuit. In uno latere & palma picta viſitur. Pro teſſeris eas accipiunt frumentariis quidam anti-

ntiquarii, ſed errant. Verum de his alibi. Non enim oc agimus. Sub titulo igitur non tantum ſervi venebantur, ſed etiam ædes, quæ & inſcribi inde vænas dicebantur, ut & ipſi ſervi. Aliter *inſcripti ſervi* ocabantur, qui notis erant compuncti. In ipſa enim nte ſtigmata illa inuri ſolebant. Sed tituli illi quos in ngulis ſcribi volunt edicto ſuo Ædiles, tabellæ fuere riptæ, quæ de eorum collo pendebant. Græci πιτάκια vocant. Tituli quoque quibus ædes vænales vulo inſcriptæ, nihil aliud quam *tabula* in fronte domus ſpenſæ. *Tabulam* autem *vænalium ædium* de proriptione, vel inſcriptione perperam accipiunt doiſſimi Juriſconſulti leg. XIII D. de actionibus empti vendidi, *ſi, cum debitor ſciret fundum pluribus muicipiis legata debere, in tabula quidem conſcripſerit ni municipio deberi.* Ad quæ verba notant, tabulam ſpendi in auctionibus ædium faciendis morem fuiſ. At nihil minus quam de tali tabula hic cogitanım, cum certum ſit de tabulis venditionis accipienam eſſe, quod & ſequentia ſtatim oſtendunt, *in taula quidem conſcripſerit uni muncipio deberi, verum ſtea legem conſignaverit, ſi qua tributorum, aut veigalis indictioniſve quid nomine, aut ad via collatioem præſtare oportet, id emptorem dare facere præſtare ortere.* Lex hæc emptori dicta eſt à venditore, & taulis conſignata. *Tabulam* dixit pro *tabulis* Ulpianus, *littera* apud Ovidium, pro *litteris*, vel epiſtola:

Quod tibi ſi non eſſe domi cauſabere nummos,
Littera mittetur, nec didiciſſe juvat.

Quod & alibi apud eum reperies. Tituli iſti porro reus venum inſcribendis, vel proſcribendis impoſiti, dierſi à titulis qui jam damnatorum rebus fiſco addiis imponebantur. De quibus ſupra. Tituli quorum entio in Codice, rebus jam confiſcatis adfigebantur, indicabant, dominio fiſci jam eſſe adplicata. At tuli rerum vænalium & haſtæ ſubjiciendarum, hoc

ipſum docebant, venum publice eas dandas, & haſtæ ſubjiciendas. *Affigias* vocamus vulgo, qui bonis debitorum ex decreto vendundis libelli hic ipſum declarantes adponuntur. *Panoncellos* & *Brandones* etiam mos eſt rebus ipſis immobilibus imponi, quæ ſic propter debita judicis auctoritate venduntur. Manipulus culmi triticei plerumque iis ſolet ſuſpendi. Sed nihil ea inſignia cum velis regiis habent commune aut ſimile, quæ ſuſpendebantur bonis damnatorum, aut vacantibus fiſco adjudicatis: nec cum ὅροις Græcorum, qui cippi erant litterati fundis hypothecæ obligatis impoſiti & infixi, ad hujus rei fidem faciendam. Ὅροι quidem illi etiam *tituli* poſſunt recte dici, quatenus *titulus* omnis, eſt inſcriptio, quæ cauſam alicujus rei indicat, ſive in tabella ſit ſcriptus è ligno, ſive in pila lapidea, cippo, aut columna. Si in columna, vel cippo lapideo ſcriptus ſit, Græci ϛήλην vocant. Tales erant columellæ lapideæ ſepulcris impoſitæ, quæ elogium mortui continebant, & Græcis ϛῆλαι dicebantur. Nec his abſimiles columellæ hypothecariæ, vel pignerariæ. Gloſſæ veteres: Στήλη, *cippus, titulus*. Juvenalis: *titulo res digna ſepulcri*. Τῇ ϛήλῃ. Pro columella enim accipitur, cum ipſa ſit ἐπιγραφή. Immo nec ἐπιγραφὴ eſt, ſed ipſa columna pyramidis forma, vel metæ. Hoc enim proprie Latinis *titulus* ſignificavit, quem veteres dixere *tutulum*. Unde *tutulati*, ait Varro, *in ſacris qui in capitibus habere ſolent ut metam*. Inde & ſuggeſtus crinium in capite muliebri convolutorus in metæ ſpeciem, *tutulus*, vel *titulus*. Ex eo & columellæ inſcriptæ hac eadem figura, *tituli*. Poſtea quælibet etiam tabella aliquid inſcriptione indicans hoc nomine appellata, ſive omnis inſcriptio. Ideo Paulus *titulos* ſepulcrorum à columnis ſeparat in collectaneis ſententiarum lib. I, tit. XXII de ſepulcris: *Qui monumento inſcriptos titulos eraſerit, vel ſtatuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnamve*

mve ſuſtulerit. Omnem monumenti inſcriptio-m quocunque modo factam *titulum vocavit.* uod nomen factum generale eſt ad omnem ἐπιγρα-ν̄, quamvis ab initio certam inſcriptionis formam ignaverit, ut in lapidibus metæ figura erectis. Sic umella etiam titulus eſt, ſed non omnis titulus co-nella. Auctores tamen idonei paſſim, quæ ςήλη eſt ulcralis apud Græcos, *titulum* Latine reddunt. Ci-ó II de legibus *columnam* vocat, & *columellam: taque eſt ſi quis buſtum, nam id puto appellari τύμ-, aut monumentum,* inquit, *aut columnam viola-dejecerit, fregerit.* De Solone loquitur, qui ςήλην arat. Et paulo poſt de Demetrio Phalereo loquens: *ulcris autem novis finivit modum. Nam ſuper ter-umulum noluit quid ſtatui niſi columellam tribus itis non altiorem, aut menſam, aut tabellam.* Ea co-nella ςήλη eſt. Nihil frequentius occurrit in Græcis grammatis, & ἐπιγραφαῖς ἐπιτυμβίοις, quam harum ῶν mentio. Clemens in Stromateo v: Φασὶ γοῦν ταρχον τὸ Πυθαγόρειον αἰτίαν ἔχοντα γράψασθαι τὰ τοῦ Πυ-ίρου σαφῶς, ἐξελαθῆναι τοῦ διδασκαλείου, καὶ ςήλην ἐπ' αὐτῷ ασθαι οἷα νεκρῷ. Plura non addam, cum omnia plena exemplorum. *Periculum* vocatur apud Æmilium bum in vita Epaminondæ: *Neque recuſavit quo-ius legis pœnam ſubiret, ſed unum ab iis petivit, ut ericulo ſuo conſcriberent. Epaminondas à Thebanis rte multatus eſt, quod eos coëgit apud Leuctra ſu-are Lacedæmonios.* In Græco ſcriptore fuerat, ἐν τῇ η αὐτοῦ, *in titulo ſuo.* Hinc *titulus memoriæ* in ve-bus inſcriptionibus, pro titulo monumenti, id eſt, η. Item alia inſcriptio veteris monumenti: *Nec de ilia exeat, nec hæredem ſequatur præter eos, qui in lo inſcripti ſunt.* Et in alio ſaxo ſepulcrali: *Si quis lum meum violaverit, inferat ærario ſeſtertium em millia nummum.* Τὴν ἐμὴν ςήλην. Honoratio-s hi tituli, ſive ςῆλαι, tantum dari ſolebant. Unde

pro

pro magno id ipſum in monumento adſcribebatur, *titulo uſum*, aut *uſam eſſe*, qui quæve ibi eſſet conditus, condita. Servius ad Æneid. VIII: *Columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur ad oſtendendum eorum columen.* Eæ ſunt ϛῆλαι. Aggenus *titulum* interpretatur *inſcriptum lapidem*, commentario in Frontinum de Limitibus agrorum: *Videmus igitur modo, per terminos territoriales & limitum curſus, titulis, id eſt, inſcriptis lapidibus, plerumque fluminibus, nec non aris lapideis, claudi territorium, atque dividi ab alterius territorio civitatis.* Tituli quorum hic meminit non ſunt ſepulcrales, ſed terminales, qui ut plurimum nomen, vel civitatis cujus territorium ab alterius civitatis territorio dividebatur, vel privati, cujus poſſeſſio ab alterius privati finibus deſcernebatur, inſcriptum habebant. Ὅροι Græcis dicti haud ſecus, atque illi ὅροι Atticorum in oppigneratis prædiis defixi. Ac de his titulis accipienda verba Petri Chryſologi, quæ ſupra retulimus, plane patet: *Dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur.* Sæculus Flaccus de Conditionibus agrorum: *Etiam titulos finitis ſpatiis poſitos habent, qui indicent, cujus agri quis dominus, quod ſpatium tueatur.* De viis publicis regalibus loquitur, quarum certa ſpatia per ſingulos agros unicuiq; poſſeſſori aſſignabantur, quæ ſuis impenſis tueretur. Præterea certum eſt, villarum vocabula, utplurimum ab his nomen accepiſſe, qui eas exædificaſſent, ut *Pompeianum, Lucullanum.* Sic urbes vocabantur ab his, qui eas condiderant, *Pompeiopolis, Trajanopolis, Tigranocerta.* De villis hoc etiam ad nos uſque ex infima Romanitate manſit, ut nomina ſervaverint poſſeſſorum ſuorum, qui paulo nobiliores extitiſſent, aut qui primitus eas poſuiſſent. Inde tot villæ hodieque in Gallia nomine antiqui poſſeſſoris appellantur, *Lupivilla, Marcivilla,* & infinita ad hoc exemplum. Item à *curte* innumerabiles ſunt quæ nuncupantur cum

priſci

ſci domini nomine. Inde & *tituli* pro parœciis, vel cceſibus. Cum enim Eccleſiæ in alicujus prædio idatæ eſſent, retinuere ut plurimum nomen ejus i dominus prædii fuiſſet, aut ejus qui primus preſter in ea ordinatus foret. In Equitii prædio Eccleſia ificata titulo Equitii cognominata eſt. Atque ita de teris. Inde illi ſunt tituli quos primum Euariſtum urbe diviſiſſe presbyteris ſcribit Damaſus. Hinc *titlus* paſſim, pro parœcia, vel diœceſi, & Eccleſia diœſali apud Lupum Abbatem in Epiſt. LXXIII: *Peto ut ſupplicationem Gerobaldi presbyteri Laudiaconum us propinquum in ipſius titulo dignemini ordinare.* em Epiſt. XXIX: *Veſtra vero prudentia relinquendi ſuos titulos copiam negavit facturam.* Hoc igitur antiitus obtinuit. Ne privato liceret titulos in prædiis is tam urbanis, quam ruſticis habere infixos, vel adfis, qui ipſum dominum prædii proloquerentur, lege onorii cautúm eſt, qui privilegium domus Auguе, & fiſci hoc tantum eſſe voluit. Certe omnes fere ſcripti lapides pro terminis, olim domini villæ vel gri nomen præferebant, haud ſecus ac ſepulcrales. nde & ſæpe error incuti ſolitus de finibus cognoſcen- Sæculus Flaccus: *Inſpiciendum erit & illud, ne quoam ſepulcra in extremis finibus facere ſoliti ſunt, & ppos ponere, aliquando cippus pro termino errorem faat.* Sepulcrales autem titulos ſimiliter inſcriptos fuiſ- lapides, ſive columellas, notum & illis, qui nondum re lavantur. Tibullus:

Et lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.

olumella, στήλη, *titulus*, *periculum*, ut apud Æmium probum loco ſuperius citato. Sed quare *periculm*, aut quid ea vox ſignificat? Quidam nuper vir elebris nominis *pariculum*, pro *periculo* reponenum ſibi videri docuit. Cui non aſſentior. *Pariculum* ſt quod Græce ἴσον, exemplum quod ex authentio exemplari deſcriptum eſt, ita ut par ſit τῷ πρωτοτύπῳ,

τύπῳ, unde traductum eſt. Sed heic ea notio in titulo vel inſcriptione ſepulcri non habet rationem. Si quis inſcriptionem monumenti in libellum tranſcripſiſſet, libellus ille *pariculi* nomine notari poſſet. Ipſa vero inſcriptio authentica & principalis id nomen non poteſt habere. *Periculum* idem plane, quod index, vel titulus quo aliquid demonſtratur ac ſignificatur, ab antiquo verbo *perior*, cujus compoſita in uſu manſere *experior* & *comperior*. Inde & *periculum facere*, pro experiri. Ergo periculum eſt quaſi experimentum, argumentum, probatio, idemque quod Græcorum ἔλεγχος. Hinc ἔλεγχον ποιεῖσθαι, arguere aliquod factum, argumento probare. Demoſthenes contra Ariſtocratem: Μέσον γὰρ ἐστιν αἰτίας, καὶ ἐλέγχου κρίσις. Gloſſæ: *probatio*, ἔλεγχος. Apud Harmenopulum: ἔλεγχος καὶ ἀπόδειξις. Inde & ἔλεγχος pro titulo, quo quis convictus veluti probabatur. Quia autem idem eſſet cum titulo, vel elogio, quo fama alicujus, ſive bona, ſive mala traduceretur, ſed præcipue mala, quod στηλογραφίαν Græci vocant, ex eo & pro genere inaurium apud mulieres tranſiit oblongo & rotundo, ut ſunt tituli, ſive columellæ, quas Græci στήλας appellant. Satyricus:

Auribus extentis virides commiſit elenchos.

Ubi vetus interpres *titulos* & *titulatos* etiam notat vocatos hujuſmodi inaures titulis forma ſimiles. Eorum mentio & in jure. Margaritæ erant, *longitudine faſtigiata alabaſtrorum figura, in pleniorem orbem deſinentes*, ut ait Plinius. Sane & tituli, ſive columellæ in ſepulcris, longitudine fuere plerumque faſtigiata in modum pyramidum. Quin & pyramides dictæ hujuſmodi ſepulcrorum στῆλαι. *Elenchi* etiam librorum indices & tituli. Gloſſarum liber antiquiſſimus, cujus mihi copiam fecit celeberrimus Medicinæ doctor Chriſtianus Rumpfius, capite περὶ φιλοπόνων, de ſtudiis: Ἔλεγχος, *titulus*. Cæterum *tituli*, vel *tutuli* hanc propriam ac primitivam fuiſſe ſignificationem,

ante

nte docuimus, ita nimirum veteribus dici id quod
netæ formam haberet. Nec igitur alia quærenda ra-
o cur *periculum* vocetur tabella judicum ex quo
ententiam recitare jubentur Cod. *De ſententiis ex
ericulo recitandis.* Non enim & hic locum habet vox
ariculum, quæ exemplum, vel apographum ex au-
hentico deſcriptum deſignat. Sed *periculum* eſt li-
ellus ipſe, vel tabella cui conſignavit ſententiam ju-
ex, quam recitare & pronuntiare inde debet. Ne-
no quippe mihi perſuaſerit, quod ipſum eſt originale
: authenticum ſcriptum, poſſe *pariculum* appellari,
uæ appellatio convenit ſcriptioni ab exemplari ex-
reſſæ eique adſimilatæ. Hinc *paricula charta*, diverſæ
b authenticis & originalibus, ut Græcis τὸ ἴσον & τὸ
ἀντίτυπον, diverſum ab ἀρχετύπῳ & πρωτοτύπῳ. Ridicule
orro Cujacius rationem hanc nominis adfert cur ſen-
entia ſcripta, ſive libellus, dicatur *periculum*, quod ex
ententia periclitetur judex ne litem ſuam faciat, &
e teneatur edicto quod quiſque juris. In Æmilii Pro-
i loco, *periculum Epaminondæ*, quod eſt elogium,
el titulus ſepulcri ipſius, nulli hujuſmodi periculo ob-
oxium eſt. Deinde *periculum*, quod eſt κίνδυνος,
t aliam habet ſignificationem ab hoc *periculo* judi-
um, ita etiam aliam originem nominis & cauſam.
Græcum eſt περίβολον, quod Æolibus περίγολον.
Nam τὸ β in γ mutare ſolebant, ut γλέφαρον pro βλέ-
φαρον, & ſimilia. Inde *periculum*, ὁ κίνδυνος. At *pe-
riculum* Judicum ex quo recitare ſententiam juben-
ur, à verbo antiquo *perior*, pro documento, argumen-
o, experimento, & inde pro libello, vel titulo tabel-
ave, qua aliquid indicatur, docetur, edicitur, ac pro-
nuntiatur. Inde compoſita *comperior* & *experior*. Anti-
quum illud ſimplex *perio* ab Æolico πέῤῥω, quod Græ-
is aliis πείρω. Sic ἅλλω, *ſalio*. At πειρᾶν eſt probare,
entare, experiri. Unde πολύπειρος ἔλεγχος in Par-
nenidis de Natura verſibus:

—— κεῖνον

— χεῖνον δὲ λόγῳ πολύπειρον ἔλεγχον.

Atque inde etiam ἔλεγχος pro titulo, indice & periculo. Ut *periculum facere* eſt experimentum facere, ita *periculum dare*, documentum alicujus rei dare, & probationem edere. Quemadmodum autem titulus ſcriptio eſt, vel inſcriptio, quo aliquid declaratur, ſive in lapide, ſive in tabella, ſed & pro ipſo lapide & tabella accipitur, ita & *periculum*, cum ſit documentum, argumentum, probatio, & ἔλεγχος rei cujuſcunque vel cauſæ, ſimiliter & pro ipſa tabella, vel columella, cui tale documentum, vel elogium inſcribitur, poſitum eſt. *Pericula magiſtratuum* apud Ciceronem in frumentaria Verrinarum non aliter poſſunt exponi, quam de libellis, vel tabellis, ac γραμματειδίοις magiſtratuum: *Ordo eſt honeſtus ſcribarum, quis negat? Aut quid ea res ad hanc rem pertinet? Eſt vero honeſtus quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committuntur.* Nec eſt quod quiſquam hic mihi ſua *paricula* obtrudere poſtulet, ut nec in altero ejuſdem Ciceronis loco, 1 de legibus, quo veteres libri *periculum* habent pro opuſculo, ac de libello prorſus accipiendum. *Iudices ſui periculi*, inde dixiſſe Ammianum Marcellinum olim notavimus de his judicibus, quibus liberum eſt, quam vellent ferre ſententiam: Quos Græci ἰδιογνώμονας, & αὐτογνώμονας δικαστὰς appellant. Idem enim eſt *ſui periculi judicem* dicere, & *ſuæ ſententiæ*. Sic *ſuæ tutelæ* dicuntur, & *ſui juris*, & *ſui moris*, & alia ad hunc modum. Sic *ſui coloris* res, τὸ ἰδιόχρωμον, naturæ ſuæ vi colorata. Pedanei autem judices ideo ſui periculi non ſunt, quia coguntur legem ſequi, nec quidquam audent pronuntiare præter ejus præſcriptum. At majores poteſtates, quarum cognitio eſt ac tribunal, & à quibus provocatio non datur, quique ex æquo & bono poſſunt, ut viſum eſt, judicare, nec legibus aut juri ſententias tenentur conſentaneas dare, hi ſuæ plane ſunt ſententiæ, id eſt, ſui peri-

ericuli. De his auctor de cauſis corruptæ eloquentiæ:
*tique apud eos judices qui vi, aut poteſtate, non jure,
it legibus cognoſcunt.* Talis eſt princeps, ſenatus, &
ii vice ſacra judicant. Hi ſunt quos αὐτογνώμονας κρί-
, dicit Ariſtoteles in Politicis lib. II, cap. VII: Ἔτι δὲ
ὴ κρίσεων εἰσὶ μεγάλων κύριοι, ὄντες οἱ τυχόντες, διόπερ οὐκ
ὐτογνώμονας βέλτιον κρίνειν, ἀλλὰ κατὰ τὰ γράμματα, καὶ
ς νόμους. *Quapropter melius eſt eos non judicare vi
ſententia propria, ſed ſecundum jura ac leges.* Αὐτο-
ώμονες ad verbum ſunt *ſua ſententia* judices, quos
nmianus lib. XXXI, *ſui periculi* vocat, quia ex peri-
lo ſententiæ recitabantur. Hæc interpretatio non
acuit nupero Ammiani correctori, eamque nec ver-
, nec ſententiæ auctoris reſpondere aſſerit. Facile
c paterer ſi meliorem vir eruditiſſimus afferret. Ver-
Ammiani hæc ſunt: *Nam, ut alia omittamus, quæ
morati, vel certe ſinentibus iiſdem alii, perditis ra-
nibus in commeantes peregrinos adhuc innoxios de-
uerunt, illud dicetur, quod nec apud periculi ſui ju-
es abſolvere ulla poterat venia, triſte & inauditum.*
i non ex legibus judicant, ſed ex arbitrio ſuo, poſ-
t criminibus illis veniam dare, quæ punire ille
gitur qui præſcripta legum in cognoſcendo ſequi
bet. At hic dicit talia iſtos deliquiſſe, quæ nec ve-
m impetrare poſſent apud ſui periculi judices, id
αὐτογνώμονας δικαστὰς, nedum apud eos, qui pœ-
-ſententia ſua commiſſis irrogare coguntur quas
lex præcipit. An hæc interpretatio non reſpon-
t auctoris menti, judicem facio, æquum & erudi-
lectorem. Sed ille vir doctus quomodo explicat?
periculi, inquit, judices ſunt ipſi, qui facinus admi-
nt. At quis, quæſo, in cauſa ſua judex conſtituitur?
quod tantum crimen fingi poteſt cujus à ſe ve-
n non impetraret, qui ſuæ cauſæ judex eſſet? Plura
pa non perdam huic expoſitioni deſtruendæ, &
e adſtruendæ. In loco Ciceronis *judex ſui periculi*

aliud eſt, & de eo dicitur, qui ſuum periculum ita æſtimat, ut ſe ſibi æquiorem, quam reo præbeat. Nihil etiam facit verſus Naſonis. Adulàtur principi à quo fuerat condemnatus, juſticiamque ejus condemnationis ita commendat, ut ne à ſe quidem ſibi ipſi leviorem pœnam irrogari dicat potuiſſe ſi judex in ſe, ac de ſe ſediſſet. Hoc poëticum eſt, & quis credat? Nec hilum facit ad ſenſum Ammiani loci. *Periculum* igitur hic pro tabella. Apud Æmilium Probum, *periculum* eſt στήλη & *titulus* monumenti de quo hic tractamus. Atque hæc de titulis, quæ fortaſſe nondum fuere animadverſa iſtis doctoribus, qui neminem præ ſe putant dignum, qui juris aliquam habeat prudentiam. Si negant hæc ad juris civilis cognitionem pertinere, negabo eos ſapere. Quis noſtrum verius ſentiet? Ὅρους Atticos quorum gratia hæc omnia à nobis diſceptata, ſi quis quærat quomodo Latine verti poſſint ac debeant, non *libellos*, non *tabellas* reddi recte ſciat, ſed *titulos*. Quod generale nomen eſt ad omnia, quæ brevi inſcriptione rem aliquam, aut cauſam rei declarant ac demonſtrant, τὸ ὅτι καὶ τὸ διότι, ſive in ligno, ſive in lapide, & quacunque alia materia inſcribantur. Harpocration ὅρους illos fundorum pignori poſitorum γράμματα vocat, τὰ ἐπόντα ταῖς ὑποκειμέναις οἰκίαις, καὶ χωρίοις γράμματα. Item, ὅταν γὰρ ὑποκέηται χωρίον, εἰώθεν ὁ δανειστὴς αὐτὸ τοῦτο δηλοῦν διὰ γραμμάτων ἐπόντων τῷ χωρίῳ. Ubi γράμματα non ſunt tantum litteræ ſolæ, vel γραφὴ, quæ fundum pigneratum declarat, ſed ipſæ columellæ, vel tituli in quibus ſcriptæ litteræ hoc indicantes. Sic γράμμα accepit pro titulo ipſo Nonnus ad caput Johannis XIX:

Γράμμα τόπερ καλέουσι Λατίνιοι τίτλον ἰωῆ.

Ubi vir eruditus, qui omnia conquirit, etiam quæ non ſunt, ut probet nobis, miſerum illum Græculum linguæ ſuæ imperitum fuiſſe, his verbis patere vult, exiſtimaſſe eum, ipſam γραφὴν eſſe titulum, cum titulus

ſit

ſit ἐν ᾧ ἡ γραφὴ, *tabella in qua ſcriptura.* Hoc adeo mihi non patet, qui non tam acute video, ut contrarium plane habeam pro manifeſto. Si poëtam hoc nomine incuſat, quid faceret grammatico & rhetori, qui γράμμα eo ſenſu, quo Nonnus, poſuit, nempe pro titulo ipſo & quidem lapideo, in quo ἐπιγραφή? Errat enim & vir doctiſſimus amicus noſter, qui ad leges Atticas, ex eo quod γράμματα vocavit Harpocration hos Daniſtarum ὅρους, tabellas eſſe ſibi perſuaſit. Quaſi columna inſcripta non æque γράμμα vocari queat, ac tabella. Aliis quoque Græcis γράμμα de libro ipſo accipitur, non de litteris, quæ in eo ſcriptæ. An non idoneus auctor Callimachus? Grammatici ex eo citant:

Γράμματα δ' οὐκ εἵλισσεν ἀπόκρυφα.

Libros non evolvebat reconditos. Quid poëtis negotium faceſſimus? Ipſe uſus loquendi apud omnes ita obtinuit vulgo. Γράμμα pro ipſo inſtrumento, & tabulis contractus. Unde γράμμα δήμιον Heſychio, ἡ διαθήκη. Sed & γραμματογράφοι in Gloſſis ſunt tabularii publici, qui δημόσια γράμματα conſcribunt. Nec Latini aliter loquuti, dum *litteras* pro ipſis libellis & inſtrumentis poſuerunt. Sed & Ovidio *littera* pro epiſtola in ſingulari numero, τὸ γράμμα. Non ipſa γραφὴ, ſed tabulæ in quibus ἡ γραφή. Ex his conſtet an male Nonnus γράμμα pro titulo ſcripſerit. Johannes τίτλον dixit, ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλᾶτος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. Alii αἰτίαν dixerunt, quæ eadem eſt cum elencho, periculo & elogio. Notat idem vir doctus, ita uſum eſſe voce γράφειν Euangeliſtam, ut Hebræi ejus vocis *piel*, cum pro *hiphil* ponitur. Quid ad Hæbræos nos relegat in loquutione Græcis Latiniſque tritiſſima? An non & ἔθηκε ſimiliter uſurpavit? καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. Non ipſe certe Pilatus poſuit, ſed ponendum curavit. In ædium proſcriptione, quam ſupra notabamus: *Inſcripſit ædes illico, vendidit.* Nimirum curavit, vel juſſit inſcribi. Tædet plura congerere.

In Hiſtoria Auguſta ſimile eſt, quod pluries occurrit, *fecit ſibi lanceas, fecit ſibi thoracas*, cum illi ipſi non fecerint, ſed facienda procuraverint. Ægyptiacus autem interpres etiam πίτλος retinuit. Nec abs re eſt monere quomodo hi tituli ſcripti fuerint, hoc eſt, tabellæ iſtæ, quæ elogia damnatorum continebant, & quæ etiam bonis proſcriptorum affigebantur, quas χαρτίνας σανίδας Agathias vocat. Nonnus eo nomine vapulat doctiſſimo ſuo Ariſtarcho, & ineptus vocatur, quod calamo inſcriptum Chriſti titulum velit. Quid ergo ipſe vult aliorum cenſor? Fuiſſe cælaturam, quam ἐκτετυπωμένον χαραφίδος Helleniſtæ dicunt. Ab Hebræis ad Helleniſtas hic nos revocat. Quaſi meri Ἕλληνες ignoraverint illud ἐκτετυπωμένον cælaturæ genus. Audiamus quomodo id explicet. Cælatum, vel ἐκτετυπωμένον id dici, *quod è plana ſuperficie ductus eminerent, non refugerent, quæ Græcorum* γλυφὴ, *proprie ſculptura dicitur Latinis.* Invitus à viris doctis diſſentio. Ignoſcat igitur mihi ſi dixero contrarium eſſe veriſſimum. Quod Helleniſtæ illi ſui vocant ἐκτύπωμα, non eſt id opus in quo è plana ſuperficie ductus extant, ſed contra ubi ductus inciſi refugiunt, & foſſis, vel cavernis ſimiles ſunt. Melius tamen fortaſſe ἐντύπωμα hoc ſenſu dicerent. Ut enim εἰσοχὴ & ἐξοχὴ differunt, & hæc eminentem figuram σφραγῖδος deſignat, illa depreſſam, ſic ἐντύπωμα & ἐκτύπωμα videntur differre. Ita ἐγκόλαμμα, quod depreſſione inciſum eſt. Sed ἐκτυπώματα & ἐκτυπῶσαι in ea notione apud Septuaginta paſſim uſurpata reperiuntur, niſi in verbo ſit mendum omnibus locis. *Cavaturam* Latini appellant, & *cavatores*, qui ea opera facerent. Ut qui ſtilo exarant litteras in tabulis ceratis, non ductus extantes & eminentes exprimunt, ſed ſulcos excavant: ita qui ſculpunt gemmas, vel ſcalpunt, quæ Græcorum eſt γλυφὴ, cavitant in iis figuras, non extra planiciem ut emineant curant. Et hæc proprietas eſt verborum

γλύψαι-

γλύψαι & γλάψαι, quæ Grammatici κοιλᾶναι & βαθῦναι exponunt. Sed & verbum γράφειν,ut ab eadem origine,ita & nominis ejuſdem. Sive enim prima ſcripturæ rudimenta in cortice fuerint,acuto aliquo ferro,ſive in ceris,utroque genere ductus in materia acumine ferri cavabantur. Mirum vero cum hæc ſculptura, ſive γλυφὴ fuerit cavatura, virum doctum eam tamen interpretari ἐκτετυπωμένον γραφῖδος ex ſuis Helleniſtis', quod è plana ſuperficie ductus eminerent, non refugerent. Quid ſi Helleniſtas illos non aliter τὸ ἐκτύπωμα accepiſſe oſtendimus, quam pro cavata ſcalptura, quam vulgo *gravaturam* vocamus? Profecto Hebræa vox, quam verterunt in Græcum ἐκτύπωμα,non aliam habet ſignificationem, quam aperiendi, fodiendi, & cavandi. פתוח eſt ἄνοιγμα, βόθρος, γλυφὴ, ἐκτύπωμα. Qua de re nos alibi plura. Vult igitur Nonni cenſor, titulum illum,ſive tabellam,quæ dominicæ cruci juſſu Pilati impoſita eſt, eo opere cælatam fuiſſe,ut ductus in ea litterarum eminerent è plana ſuperficie, non introrſum cederent. Ergo & eodem modo ſcriptos fuiſſe liquet omnes libellos,tabellas,titulos,qui publice Romæ proponebantur, ſive à privatis affigerentur, ſive à magiſtratu. Nam more Romano ſcriptum illum titulum oportet, quandoquidem à Pilato ſcriptus dicitur, & impoſitus. At nemo tantæ ſit auctoritatis, qui mihi id perſuaſerit. Et nimis ſane operoſa hæc ratio ſcribendi, nec unquam in talibus uſurpata. Proclivius fuiſſet cavare litteras in ligno. Sic enim in ære leges incidebantur, & edicta, & ſenatuſconſulta, non eminentibus & expreſſis ductuum figuris, ſed depreſſis,ac veluti infoſſis. Sane modus cælandi,quem nobis Nonnomaſtix præſcribit, & quo titulum crucis Chriſti ſculptum fuiſſe tradit, non aliam ſculpturam innuit: Καὶ ἔγραψαν ἐπ' αὐτοῦ γράμματα ἐκτετυπωμένα σφραγῖδος. Nam σφραγῖδες, hoc eſt, *ſigilla annulorum* non alio genere ſcalpi, moris erat, quam cavatura, ut cum

ceris imprimerentur, extantem in ea imaginem exprimerent. Ita quidem illas litteras in lamina frontali ſummi Pontificis inſculptas fuiſſe certum eſt, ut traditur in Exodo cap. xxxix. Sed an neceſſe eſt eodem modo ſcriptum, vel ſculptum potius fuiſſe adfixum cruci Chriſti titulum? Scriptum Titulum ab ipſo Pilato, ait Johannes, & cum ita ἐπιγραφὴν concepiſſet, qua Chriſtus nuncupabatur *Rex Iudæorum*, Pontifices Judæorum, ubi legerunt, ad Pilatum dixere, μὴ γράφε ὅτι βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, ἀλλ' ὅτι ἐκεῖνος εἶπε, βασιλεύς εἰμι τῶν Ἰουδαίων. An cum mutari vellent ab eo hanc ſcripturam, expectandum fuit, dum alia tabella ſculperetur? Dies profecto aliquot tranſiſſent, & ipſe Chriſtus reſurrexiſſet prius è mortuis, quam tabella, cum inſcriptione illa trilingui eo modo quo eam ſacer Ariſtarchus cælatam exhibet, fuiſſet adornata. His adde quod & tollendus eo ipſo die de cruce fuerat, quia erat dies paraſceves, ne in ligno corpus ejus maneret per ſabbatum. Non tam cito itaque potuit alius titulus parari, ſi eo modo fuit cælandus, ut acutiſſimo placet critico. Quid reſpondet igitur illis Pilatus, petentibus, ut titulus mutaretur? ὃ γέγραφα, γέγραφα. Vel quod ſcripſi, vel quod à ſcriba ſcribi juſſi. Utrum voluerit, eligat Ariſtarchus, & ſciat, elogia iſta condemnatorum, aut ab ipſis judicibus ut plurimum fuiſſe ſcripta, aut adfuiſſe cum ſcriberentur. Qua de re alibi. Stultum autem eſt, imaginari tabellas illas, quæ elogia damnatorum habebant ſculpi ſolitas, & longe magis imaginoſum, putare, eo genere cælaturæ, quæ *anaglypha* dicebatur, cælatas fuiſſe, qua extantes litteræ oſtenderentur. Tabellæ erant ligneæ dealbatæ gypſo, vel ceruſſa, in quibus litteræ ex encauſto, vel atramento ſcribebantur. Græci λευκώματα appellant, quas alii σανίδας γύψῳ διηλειμμένας interpretantur, alii σανίδας ſimpliciter λελευκωμένας. *Album* hujuſmodi tabula Latinis dicitur. Unde *album prætoris*. Omnes tabellæ, libelli, tituli

in pu-

in publico proponendi, aut affigendi, ita erant dealbati & ſcripti. Unde *album citharœdorum*, id eſt, laterculum in quo nomina eorum ſcripta habebantur. *Album judicum* ſimiliter nomina judicum continebat. Inde *adſcribi albo judicum*, & *eradi albo judicum*, apud Suetonium. Antiquis ſane Græcis λεύκωμα nihil aliud eſt, quam tabella dealbata, & ſcripta encauſto. Diogenes Laërtius in vita Canis cognominis: Πληγὰς ἔλαβε, καὶ ἐγγράψας τὰ ὀνόματα τῶν πληξάντων εἰς λεύκωμα, περιῄει ἐξημμένος. *Appenſa collo tabella cui nomina eorum à quibus pulſatus fuerat, inſcripta inerant, ſic incedebat*. Tituli è ſervorum vænalium collo ſuſpenſi, quibus quid in ſingulis vitii morbive eſſet, ſignificabatur, tabellæ fuere albæ nigris notatæ litteris. Demoſthenes contra Timocratem meminit legis Solonis εἰς λεύκωμα, hoc eſt, in album, ſive tabulam albatam relatæ, & publice propoſitæ. Tabulæ auctionariæ apud Romanos, quibus bona proſcribebantur vænalia, λευκώματα fuiſſe nobis compertum eſt. Quin & illæ proſcriptionum tabulæ, quæ ut ait Tertullianus non ſolum ſanguinem ſuffundebant, ſed & effundebant, ut Syllana, ac Triumvirales Octavii, Antonii, & Lepidi, etiam λευκώματα. Ita eas vocant auctores Græci, qui res Romanas ſcripſere. Dio de Syllana: εἴτε γὰρ προσιοί τις λευκώμασιν, αἰτίαν ὡς πολυπραγμονῶν τι εἶχεν. Paulo ante πινάκια vocavit, & λελευκωμένους πίνακας. Johannes Antiochenſis, de Triumvirali proſcriptione: Καὶ ἵνα μὴ κεναὶ ἐν τοῖς λευκώμασιν τῶν ἀνδρῶν αἱ χῶραι ὦσιν, ἑτέρους ἀντέγραψαν ὅ τε Καῖσαρ, καὶ Λέπιδος, καὶ Ἀντώνιος. Si ὅροι fiduciarii Atticorum, prædiis urbanis oppigneratis imponi ſoliti, tabellæ fuiſſent, ut fuiſſe vult Etymologici auctor, non aliter facti ſcriptive viderentur, quam in λευκώμασιν. Columellas lapideas fuiſſe, ſatis probatum eſt. In prædiis ruſticis eodem modo defigebantur, ut termini, quia & his ſimiles erant. Sed quomodo, aut ubi, in ædibus pignori oppoſitis inſigebantur?

bantur? In ipſa via ante januam, in loco quo apud Atticos ac cæteros Græcos aræ pro foribus poſitæ fuere, Apolloni θυραίῳ dedicatæ, & aliis diis, quos ἀντηλίους vocarunt. Hæc ara etiam ἀντήλιος βωμὸς dictus, & ἀγυιεὺς, quia ἐν ἀγυιᾷ locatus, & ἀντήλιος, vel ἀνθήλιος, quia contra ſolem ſub divo expoſitus. Heſychius: Ἀγυιεὺς βωμὸς, ὁ πρὸ τῶν θυρῶν ἱδρυμένος ἐστὼς, βωμὸς ἐν σχήματι κίονος. Ibidem videtur locata columella, ſive στήλη, quæ domum oppigneratam monſtrabat, ut in publico videretur ab omnibus, & ſciretur eas ædes non eſſe liberas, ſed ſubjectas creditoribus. Non igitur adfixi domibus hi tituli, ut illi de quibus ſupra diximus, ſed ante domos infixi. Hi lapidei & inſcripti; illi lignei albo inducti, & atramento ſcripti. Hi denique meræ ſunt tabellæ; illi columnæ. Utrique tamen *titulorum* nomine Latinis appellati. Longe autem melius è plano legebantur iſtiuſmodi tabellæ dealbatæ nigro ſcriptæ, quam ſi inciſi in ligno fuiſſent characteres. Ita ergo & titulus dominicæ crucis à Pilato ſcriptus fuit, quem & *tripictum* ideo appellat Prudentius, quia ter pictus, ſive ſcriptus, littera Hebraica, Græca, & Latina:

Pilatus jubet ignorans, i ſcriba, tripictis
Digere verſiculis. —

Sic legendum ex vetuſtiſſimis libris. Mittit ſcribam ſuum, qui titulum ſcriberet. Scriptus ergo, non cælatus. Recte itaque & σοφῶς Nonnus, σοφῷ καλάμῳ τετυπωμένον illum titulum dicit, & ἀσόφως eo nomine ab Ariſtarcho reprehenditur. Quam multa ſunt in illis Exercitationibus de quibus idem dici debet! Pæne infinita ſunt.

Caput XVI.

De ſponſoribus & fidejuſſoribus. Etiam cum pignoribus, vel hypothecis dari eos olim ſolitos. An potiores

ſint

ſint ad ſecuritatem pignoribus & hypothecis. Fidejuſſio inter contractus voluntarios & bonæ fidei. An & pignoris contractus à jure gentium deſcendat. Et fidei bonæ eſſe videri, & à jure gentium introductum. Affinitas ſponſionis & pignorum obligationis. Græcis ἐγγυηταὶ dicti fidejuſſores. Quid ἐγγύη proprie ſignificet. Vnde dicta ſit. Ἔγγυος etiam pro ſponſore. Varia genera & nomina ſponſorum. Annales erant ſponſiones, hoc eſt, ἐγγύαι, Athenis. De quibus ἐγγύαις id ſit intelligendum. De ſatiſdatione judicatum ſolvi illa ἐγγύη accipienda. Fortaſſe tamen & legem eſſe interpretandam de omnis rei ſatiſdatione. De vadibus, quæ hujus verbi origo ſit & ſignificatio. Vas is proprie dictus, qui in jus vocatus, ire eo & vadere deberet. Sponſorem etiam ſiſtendi ſic poſtea vocatum fuiſſe. Sic præs appellatus tam ipſe manceps, quam mancupis ſponſor. Ita & ſponſorem propria ac prima ſignificatione eum intelligi, qui aliquid pro ſe ſpondeat. Quid ſit vadimonium. Quid εἰς τὸ ἐμφανὲς κατάστασις, & ἐμφανείας ἐγγύη. Eadem & παραστάσεως ἐγγύη. De actione παρασταλικῇ. Verbum vadari duo ſignificare, in jus vocare, & pro alio fidejubere. Quid ſit vadimonium facere, obire, deſerere, ad vadimonium occurrere. In his omnibus loquutionibus vadimonium non eſſe ἐγγύην, ſed ipſam ἐμφάνειαν. At in ea qua quis dicitur vadimonium præſtare, eſſe ἐγγύην. Vadimonium promittere, qui reum ſiſti promittit. Ἐγγύην ὁμολογεῖν apud Dionyſium Halicarnaſſeum Græce verti, vadimonium promittere. Non tamen vadimonium in his verbis eſſe ἐγγύην. Aliud eſſe apud Demoſthenem ὁμολογεῖν ἐγγύην, de eo qui fatetur ſe ſpopondiſſe pro alio, nec abjurat ſponſionem. Vas idem quod ἐγγυητὴς θανάτου. in re capitali. Poſtea pro quolibet ſponſore dictus venditionis, in mancipiis & prædiis, qui βεβαιωτὴς Græcis, & ſecundus auctor Latinis. Varro correctus.

Hinc vadari pro vadio obligare, & vadium pro pignore. De ſubvadibus & ſubpradibus an ſint ἀλληλέγγυοι, & contraplegii. Duplici modo vox ἀλληλέγγυος accepta. Conſponſi qui veteribus. Cur in jure Iuſtinianeo nulla fiat vadum & vadimonii mentio. Veterum Iuriſconſultos, quos compilavit, vadimonii meminiſſe. Sponſores apud veteres Latinitatis auctores frequentius nominati, quam fidejuſſores. An ſponſores à fidejuſſoribus diverſi. Phædrus correctus. Quid ſit male credere. Quomodo differant fidejubere & ſpondere, eo nempe modo, quo Græcis ἐπαγγέλλεσθαι, & ὑπισχνεῖσθαι. Sponſorum, ut & vadum cur in Digeſtis nulla mentio. Cur Theophilus verbum ſpondere Græce exprimi non poſſe putaverit. Qui ſint adpromiſſores & fidepromiſſores. Adpromiſſores in ſcriptis Iuriſconſultorum reliquiſſe Tribonianum, cum ſponſores inde ſuſtuliſſet. Idem adpromiſſor, cum fidejuſſore. Adſtipulator ſic dicitur, ut adpromiſſor. Spondendi verbum generale eſſe de omnibus, qui pro alio intercedunt. Auſonius explicatus, & reprehenſus. Ἐγγύα non eſt ſponde, ſed ſponſio, in Chilonis præcepto. Quid differant ἐγγυᾶν & ἐγγυᾶσθαι, ſpondere & deſpondere in nuptiis. Quid ſit κατεγγυᾶν. Demoſthenes in ea voce expoſitus. Quid ſit apud eumdem ἔνδεια. Græcos auctores ἐγγυᾶσθαι proprie uſurpaſſe, cum pro alio ſpondetur, non ἐγγυᾶν. Chilonis præceptum explicatum, ἐγγύα παρὰ δ' ἄτα. Reſpondere pro ſpondere uſurpatum. Hoc idem Græcis ἀντιφωνεῖν dictum. Spondere idem olim quod dicere. Quid ſit dotem dicere. De dotis dictione & promiſſione, quomodo differant. Dicere dotem, ut dicere legem, multam, provinciam, pro conſtituere. De pecunia conſtituta ἀντιφωνεῖν uſurpaſſe Græcos Iuriſconſultos, qui jus Romanum verterunt. Quid ſit conſtitutum. Quot modis pecunia conſtituebatur. Lex III D. de pecunia conſtituta, explicata. An is qui pro alio conſtitueret

tueret

tueret in duriorem cauſam poſſet obligari, quam reus principalis. An conſtitutum ſine die non valuerit, quia in diem tantum fieri debuerit. Quæ differentia receptæ & conſtitutæ pecuniæ. Quid ſit recipere, & ἀναδέχεσθαι. Recipere proprie dictum de argentariis, qui pro aliis ſponderent, vel conſtituerent. Quibus modis differat ἀντιφώνησις, id eſt, pecunia conſtituta, à vulgari ſponſione. Iuſtinianum confudiſſe actionem conſtitutæ pecuniæ & recepticiæ, & ex duabus unam feciſſe. Hinc nuſquam in Digeſtis argentarii recipere dicuntur, ſed conſtituere. Ἀντιφωνεῖν Græcis Iuriſconſultis de qualibet interceſſione. Quid ſit intercedere & interceſſor. Error magni Iuriſconſulti notatus. SC Velleiani verba explicata & correcta. Quæ ſint mutui dationes in eo SC. Quis proprie diceretur interceſſor. Diverſus à proxeneta. Βεβαιωτὴς etiam pro ſponſore. Venditionis fidejuſſorem ita proprie olim vocatum. Βεβαιώσεως δίκη, quæ apud Atticos. Quid ſit ἀνάγειν ἐπὶ τὸν πρατῆρα, & ἀνάγειν τὸ πραθέν. Harpocration multis locis correctus. Quid ſit αὐτομαχεῖν. In omnibus fere contractibus & obligationibus fidejuſſores accipi ſoliti apud Græcos. De ſecundo auctore, qui venditionis fidejuſſor. Cujacius reprehenſus. Secundum mancipium non id eſſe quod voluit. Cicero emendatus. Mancipia olim frequentiſſime pignori dari ſolita. Numquam veteres mancipia poſuiſſe pro mobilibus. Errare Iuriſconſultum, qui id notavit. Platonem velle in ſua Republica etiam proxenetam venditionis teneri tanquam fidejuſſorem. Dubitaſſe & quoſdam veterum an proxeneta faciendi nominis teneretur. De vadis & prædis differentia. Quid ſit præs, & unde dictus. Varro emendatus. Præs idem quod ἀξιόχρεως, & idoneus. Vnde præditus pro divite, & qui aliqua re abundat. Quis vocetur prædiatus, & prædiator. De lege prædiatoria. Suetonius in Claudio explicatus. Cicero correctus.

rectus. Cur poſſeſſiones ſoli prædiorum nomine appellatæ. Omnia bona prædum, mobilia & immobilia, bonaprædia dicta, prædia vero fundos qui pignori dabantur, quia & pro prædibus forent. Quid ſit prædia ſubſignare. Eadem ratione prædum in jure Digeſtorum non reperiri mentionem, quæ nec vadum, nec ſponſorum. Pro quolibet fidejuſſore eam vocem uſurpatam. De veteri jure, quo liberum erat creditori fidejuſſorem, vel reum principalem convenire. Id mutatum atque emendatum à Iuſtiniano. Iure Talmudico non licuiſſe à ſponſore prius exigere niſi debitor non eſſet ſolvendo, aut niſi hoc cautum fuiſſet, ut creditor, quem tenere vellet, poſſet. Quoſdam tamen doctores Miſnicos, ne ſic quidem à ſponſore incipiendum probaſſe.

IMitati bona nomina, quæ creditores ſuos omnimodis ſecuros conantur reddere, non contenti pignora & hypothecas dediſſe, dabimus etiam fidejuſſores. Poſt pignora inquies, quid opus fidejuſſoribus? Aut ſi iſtis opus, cur non prius dati? Si priores hi dati fuiſſent, dici æque potuiſſet, poſt fidejuſſores quid neceſſe habere pignora? Utcunque hoc, vel illud præcedere debeat, utrumque certe ad majorem crediti ſecuritatem facit, ut duæ melius anchoræ retinent navigium, quam una. Et pignora & fidejuſſores olim plerumque ſimul dari ſolita, teſtis eſt lex ultima D. de contrahenda emptione. *Titius*, inquit, *cum mutuos acciperet tot aureos ſub uſuris, dedit pignori, ſive hypothecæ prædia, & fidejuſſorem Lucium, cui promiſit, intra triennium proximum ſe eum liberaturum.* Item lex 11 Cod. de fidejuſſoribus id clariſſime oſtendit: *Creditori, qui pro eodem debito, & pignora, & fidejuſſorem accepit, licet, ſi malit, fidejuſſorem convenire in eam pecuniam, in quam ſe obligaverit: quod cum facit, debes jus pignorum*

rum in eum transferre. Patet id & ex Inſtitutis Theophili lib. III, tit. XXVI: Ὑπόθου γὰρ ὅτι ἡ ἐγγύη γέγονε δίχα ὑποθήκης, τὸ δὲ μανδάτον μετὰ ὑποθήκης. Ex quibus licet colligas, fidejuſſores cum hypothecis, ſive pignoribus ſolitos accipi. Mancupes & publicani, qui aliquid è publico conducebant, ac redimebant, non ſolum *prades*, id eſt, fidejuſſores, ſed etiam *prædia*, hoc eſt, hypothecas, ſive pignora ſoli dabant. Apud Græcos idem etiam pro more obtinuit, ut ἐγγυητὴς & ὑποθήκη pro eodem debito daretur, ut perſpicue conſtat ex oratione Demoſthenis contra Lacritum, ubi in trajecticiæ pecuniæ credito præter Lacritum ἀνάδοχον & fidejuſſorem, qui pro debitoribus fidem præſtiterat, in ſyngrapha ejuſdem crediti cavetur, ut τρισχίλια κεράμια οἴνου hypothecæ titulo creditori ſint obligata. De utroque habes apud Paulum leg. LIX, tit. ult. D. mandati, idoneam videri cautionem. *Paulus reſpondit, non videri mandati conditioni paritum, cum in mandato adjectum ſit, ut idonea cautio à debitore exigeretur, ſi neque fidejuſſor, neque pignora accepta ſint.* Quibus verbis *pignorum* nomine, tam pignora, quam hypothecas eſſe intelligenda, ſupra docuimus, contra doctorum ſententiam, qui ex ea lege argutantur, magis idoneam videri cautionem pignorum, quam hypothecarum. Contrariam nos, & merito, tuemur opinionem. Nunc ſi tutiores hypothecæ pignoribus, an & fidejuſſoribus prævalere cenſendæ? Alterutrum quidem ſufficit: ſed ſi optio detur creditori, aut hypothecæ habendæ, aut fidejuſſoris tenendi, utrum accipere debebit, quo magis in tuto ſolidoque creditum locet? Non expectabo, quid alii ſentiant, hypothecam ego mallem, modo ſit ἀξιόχρεως. Quæ talis ab initio fuerit, ſemper talis manebit. At fidejuſſor, qui à primo idoneus videbatur, cum acciperetur, poteſt tempore fœneus evadere, ac nihili. Ideo & plures olim in unam crediti ſummam accipi ſoliti, & fidejuſſores etiam fidejuſſorum. Unde

pro-

proverbium apud Orientales, cujus meminit Moſes in More Neuochim, *fidejuſſor tuus fidejuſſore eget.* Quod argumento eſt, hypothecas, ſive fiducias fundorum habitas meliores. Sed ab utro prius incipiendum fuit? Pignora & fiducias præmiſimus, cum multi rectius & magis ex ordine futurum fuiſſe cenſeant, priorem relinquere fidejuſſoribus locum. Nam qui non poſſunt, inquient, fidejuſſores dare, pignora dant & hypothecas. Sit quidem iſtud ut volunt, nos tamen, ut ab illis inciperemus, ea ratione ſumus inducti, quod ordine prius credidimus de ſuo, quam de alieno ſatiſdare. Nec curæ mihi fuit conſiderare, qui de ſuo nequeant, vix poſſe de alieno tutum pręſtare creditorem ſuum. Quis enim pro eo ſponſurus eſt, qui nihil habebit ſui? Æque difficulter hic nanciſcetur fidejuſſorem, quam creditorem. Ergo præire debuit fidejuſſor. Vix quippe hic alii inveniundus eſt, quam qui habeat unde fidejuſſori de ſecuritate cavere poſſit. Præterea ἐγγύη inter contractus voluntarios, quique ex jure gentium deſcendunt, Græcis recenſetur philoſophis, & Romanis pariter Juriſconſultis. At pignoris obligatio non habet locum inter illa συναλλάγματα, utpote quæ quibuſdam jure civili potius introducta videatur. Cicero lib. III Officiorum: *Fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſime, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vitæ ſocietas continetur.* Pignoris contractum ab his voluit abeſſe, niſi quis *fiduciarum* nomine intelligendum exiſtimet, ut ſupra docuimus accipi debere, quatenus *fiduciæ* appellatio etiam de pignore & hypotheca ab antiquis Juriſconſultis uſurpata eſt, ut ſupra oſtendimus. Certum præterea eſt etiam inter bonæ fidei contractus pignoris obligationem reponi, ut ea fere omnia συναλλάγματα, in quibus judicia contraria locum haberent. De fidejuſſione autem non eſt dubium quin &

in

in contractibus ſit, quibus nomen bonæ fidei compe-tit. Nam cum *mandata* in eo numero poſuit Cicero, palam eſt, & fidejuſſionem ſponſioneſve eo nomine quoque contineri. Quippe ſi quid fidejuſſor pro reo ſolveret, ejus recuperandi cauſa habebat cum eo mandati judicium, ut habetur Inſt. lib. III, cap. XXI. Inde in jure Digeſtorum & Codicis, & Novellarum Theodoſii Juſtinianique, uno eodemque titulo de *fidejuſſoribus & mandatoribus agitur*. Ariſtoteles quoque in Ethicis utriſque ἐγγύην inter *ἑκούσια συναλλάγματα* enumerat, cum mutuo, commodato, emptione & venditione, depoſito, locato & conducto. Quæ cõtractuum ſunt nomina & bonæ fidei, & à jure gentium introducta. Hæc eadem ferme titulis conjunctis in corpore Digeſtorum relata ſunt, hoc modo. Depoſiti, vel contra, mandati, vel contra, pro ſocio, de contrahenda emptione, locati conducti. Non igitur eo nomine ἐγγύη ordine prior eſſe debuit, quod ex jure gentium deſcendat, & contractus ſit bonæ fidei, cum pignora eadem prærogativa cenſeantur. Parum refert, utrum hoc vel illud in ordine præcedat. Si hypotheca, vel pignus rei immobilis fidejuſſore antiſtat ad ſecuritatem, cur non præire dignior? Tanta porro inter utrumque genus affinitas & cognatio, ut mirer ſi ἐγγύη ſit juris gentium, cur non etiam ab eodem jure venire videatur ὑποθήκη. Cum uterque contractus ad ſocietatem vitæ humanæ continendam ſpectet, uterque ſit bonæ fidei, ab jure gentium non minus hic quam ille ortum habere debet videri. Si amicum dare, qui pro ſe fidem præſtet, jure naturali gentium introductum eſt, qui rem ſuam dat in eumdem finem, qui minus ab eadem juris origine id facere ſit credendus? Ut ἐγγύη pro pignore eſt, ita *pignus* pro ἐγγύῃ. Ager pignori datus ſpondere pro domino cenſetur. Martialis acute, & cum naſo ſibi ſolito:

Cum

Cum rogo te nummos ſine pignore, non habeo, inquis,
Idem ſi pro me ſpondet agellus, habes.

E contra ſponſor eſt veluti vivum pignus. Solebant & ſervos, & liberos pignori dare, immo & ſe ipſos, ut in ſequenti capite docebimus. Obſides erant veluti pignora populorum regumve, cum regibus aut populis contrahentium, quæ & ἐνεχύρων, & ἐγγύης nomine auctoribus veniunt. Ὅμηρα ἔγγυα vocat Dionyſius Halicarnaſſeus. Q. Claudius in Annalibus apud Agellium *arrabonem* dixit de ſexcentis obſidibus à populo Romano Samnitibus datis: *Cum tantus arrabo penes Samnites populi Romani eſſet.* Potuit & *pignus* dicere. Nam *pignus*, & *arrabo* idem. *Pignus* & *ſponſio* idem quoque dicitur de ea pecunia, quæ ex pacto duorum litigantium apud ſequeſtrem deponitur. Grammatici τὴν ἐγγύην dictam ajunt ἀπὸ τοῦ ἐν γύοις ὅ ἐστι χερσί τινος κεῖσθαι τὸ κατεγγυηθὲν, καὶ οἷον ἔχεσθαι ὑπ᾽ ἐκείνου ἐχυρῶς ἤγουν ἰσχυρῷ λόγῳ, ἐξ οὗ καὶ ἐνέχυρον. Utrumque certe ἀσφαλείας nomine accipitur. Hebræis idem verbum ערב produxit, id eſt, *ſponſorem*, & ערבון, id eſt, *pignus*. In jure titulus *de pigneraticia actione*, qui Juriſconſultis erat *de fiducia actione*, ſequitur titulum *commodati*, ut vel inde ſit manifeſtum, & inter bonæ fidei actiones hanc olim numeratam, & *fiduciarum* nomine à Cicerone comprehenſam, & à jure naturali deſcendere. Sive igitur præponantur, ſive poſtponantur, utrovis ordine recte cum pignoribus fidejuſſores juncti, & paribus quidem, ut re ipſa ſæpe, paſſibus ambulabunt. Hi Græcis ἐγγυηταὶ ἀπὸ τῆς ἐγγύης, quæ ſecuritatem denotat, & ἀσφάλειαν. Grammatici ἐγγύην exponunt τὴν ἐπὶ ἀσφαλείᾳ πίστιν. Qui fidem ſuam dat, ut alter pro ſuo, quod credidit, ſecurus ſit, is ἐγγύην præſtat. Dictam eſſe volunt ἀπὸ τῆς γύης, quæ terra eſt, unde ἐγγύη, ἡ ἀσφαλὴς καὶ ἐστηριγμένη δόσις. δοκεῖ γὰρ, inquiunt, ἡ γῆ τῶν ἄλλων στοιχείων στερεωτέρα εἶναι. Utcunque verum ſit iſtud etymon, quod non præſto, certe γύη Græcis terra eſt, vel

modus

modus agri. Heſychius: Γύας, γῆς. Unde γυαῖα funes, quibus ad terram navis religatur, quæ & ἀπόγυα, & πείγυα χοινία, ſed & πρυμνήσια dicebantur. Item, γύη πλέθρυ. Hinc τετράγυον, & πεντηκοντάγυον, tot jugerum terra. Sæpe apud Tragicos hæc vox γύαι, vel γύη occurrit, fere ſemper corrupta. Nam γύας cum diphthongo ſcribunt editiones. Illud ſane certum eſt, ἔγγυον ex eo non tantum ſignificare, quod ſecuritatem præſtat, ſed etiam quod ſecurum ipſum eſt. Hinc ἔγγυος pro ſponſore ponitur, qui tutum reddit creditorem, ſed & quodcunque & ipſum in tuto poſitum. Inde ἔγγυοι τόκοι, de quibus ſupra fuſiſſime. Heſychius: Ἔγγυον, ἐγγυητὴν, ἢ ἀσφαλές. Ea voce *ſponſorem* etiam ſignificari, poſſem multis probare. In Sirachide & Maccabæis eo ſenſu ἔγγυος legitur. Qui Helleniſticæ linguæ idioma nobis commenti ſunt, vocem eſſe Helleniſticam, quovis pignore inde contenderent. Scio imaginoſum eſſe quod de illa dialecto confictum eſt, & ἔγγυον ſponſorem dici etiam puris Hellenibus. In veteri marmore Cretenſi, cujus inſcriptionem doctus Anglus in notis ad apologiam Apuleii deſcripſit: Καὶ ἔγγυος καταστάντων, & *ſponſores conſtituant.* Item: Καὶ τὸς ἔγγυος καταστάντων ὑπὲρ τούτων. Id eſt, τοὺς ἐγγύους. Gloſſæ optimæ: *Pras*, ἔγγυος, ἀνάδοχος. Eædem: *Vades*, ἔγγυοι, ἀνάδοχοι. Multa nomina ſunt Latinis ejuſdem rei pæne ſynonyma, quorum alia ſtrictioris, alia latioris ſignificationis. De quibus erit ſingillatim dicendum, *Prædes, vades, ſponſores, fidejuſſores, fideipromiſſores, expromiſſores, conſtitutores, mandatores, interceſſores, proxenetæ, cognitores.* Hi omnes fidem ſuam pro aliis interponendo in contractu mutui aliiſque, non uno modo obligabantur. Ἐγγυητὴς Græcis, vel ἔγγυος generale vocabulum eſt, de omnibus, qui vel in judicio, vel in rebus creditis pro alio interveniebant. Sed de ſponſione in re credita pro debitore nos hic præcipue agimus. Lex erat Athenis, ἐπ'

ἐγγύας ἐπετείους εἶναι, ut *ſponſores ultra annum non obligarentur.* Vir eruditiſſimus, qui ad leges Atticas commentarium ſcripſit, ſub titulo de uſuris hanc legem retulit, & accepit de ſponſionibus, quæ in credito intercedebant, pro ſecuritate creditoris. Notat enim, Atticos daniſtas non tantum bona ſibi oppignerari voluiſſe debitoris, ſed etiam ſponſores poſtulaſſe. Deinde eam legem ex Demoſthenis oratione contra Apaturium citat, qua id probet. Verba Demoſthenis hæc ſunt: Λάβε δή μοι καὶ τὸν νόμον, ὃς κελεύει τὰς ἐγγύας ἐπετείους εἶναι, καὶ οὐ διισχυρίζομαι τῷ νόμῳ ὡς οὐ δεῖ με δίκην δοῦναι εἰ ἐνεγγυησάμην, ἀλλὰ μάρτυρά μοί φημι τὸν νόμον εἶναι, τοῦ μὴ ἐγγυήσασθαι καὶ αὐτὸν τοῦτον. ἐδεδίκαστο γὰρ ἄν μοι τῆς ἐγγύης ἐν τῷ χρόνῳ, τῷ ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένῳ. *Accipe mihi legem, quæ jubet ſponſiones anno finiri. Nec lege contendo quaſi me non oporteat judicatum ſolvere, ſi fidejuſſi, ſed teſtem advoco legem ipſam, me nõ fidejuſſiſſe. Nam ex ſponſo mecum egiſſet, tempore à lege præfinito.* Teſtem etiam hanc legem cito, ut liqueat, non de ſponſione pro credito eam agere, ſed de ſatiſdatione judicatum ſolvi. Tota oratio ſi legatur, id evincit. Ex ea oratione, vel paucula iſta, ſatis hoc probant: Ἐπειδὴ δὲ εἰς τοῦτο ἐλήλυθεν Ἀπατούριος ἀναιδείας, ὥστε καὶ ἐμοὶ δικάζεσθαι, ἐπιφέρων αἰτίαν ὡς ἀνεδεξάμην ἐκτίσειν εἴ τι καταγνωσθείη τοῦ Παρμένοντος, καί φησιν ἐγγεγράφθαι εἰς τὰς συνθήκας ἐμὲ ἐγγυητήν. *Quoniam eo provectus eſt impudentiæ Apaturius, ut me in jus vocet, eo nomine quaſi ſoluturum me promiſerim quanti eſſet condemnatus Parmenon, & dicit me fidejuſſorem in pacto convento eſſe perſcriptum.* Quid planius quam de ſatiſdatione judicatum ſolvi has ſponſiones accipi oportere? Ἐπετείους eas eſſe lex juſſit, nec ultra annum teneri fidejuſſorem, qui eo nomine ſpopondiſſet, voluit. Ideo & ſtatim poſt judicium exigebantur hujuſmodi ſponſiones, & niſi ſolveret, qui ſpoponderat, ex ſponſo cum eo agebatur. Demoſthenes in eadem: Εἰ δὲ τῇ ἀλη-

θείᾳ

θέα ἐγγυητὴς ὢν τοῦ Παρμένοντος διὰ τί παραχρῆμα μὲν οὐκ εὐθὺς τῆς γνώσεως γενομένης εἰσεπράττετό με τὴν ἐγγύην; *Si revera fidejuſſor eram Parmenonis, cur non primo ſtatim ac cognitio peracta eſt, exegit ſponſionem?* Ratio magna id ſuadebat. Judicia primum inter mercatores erant menſtrua. Ἐμπορικαὶ δίκαι ἔμμηνοι. *Actiones mercatoriæ menſtruæ.* Intra menſem, ſi quis quid à mercatore peteret, debebat agere. Demoſthenes ibidem: Αἱ δὲ λήξεις τῶν δικῶν τοῖς ἐμπόροις ἔμμηνοί εἰσιν ἀπὸ τοῦ Βοηδρομιῶνος μέχρι τοῦ Μουνιχιῶνος. Quæ perperam doctus interpres ita accepit, ut ſemeſtres fuerint judiciorum ſortitiones mercatoribus, quæ fuerunt menſtruæ. Fefellit eum quod à menſe Boedromione uſque ad Munichionem lege agendi tempus cum mercatoribus fuiſſe dicat Demoſthenes. Intra quos duos menſes ſemeſtre ſpatium incluſum eſt, ipſis excluſis. Atqui ἔμμηνον eſt *menſtruum*, non *ſemeſtre*. Totum illud tempus à Boedromione ad Munichionem, ut lege invicem agerent, dabatur mercatoribus, quia per illud ſpatium domi manebant ut plurimum, nec navigabant. Nam navigandi tempeſtas idonea incipiebat à menſe Munichione verno, deſinebat in Boedromione. Qui menſis Septembri noſtro, & Octobri ex parte reſpondebat, certe poſt arcturum erat, quo tempore navigatio periculoſior habebatur. Ideo jus erat in nautico fœnore majores paciſci uſuras, ſi quis poſt arcturum enavigaret è Ponto ad locum dictum ἐφ' ἱερόν, ut ſupra oſtendimus. Merito itaque cum actiones & judicia inter mercatores eſſent menſtrua, certumque tempus anni iis diſceptandis daretur, poſt annum is qui judicatum ſolvi pro mercatore promiſerat, nihil præſtabat. In fidejuſſionibus pro pecunia credita, ut idem obtineret nihil cauſæ fuit. Nam tametſi uſuræ etiam magnam partem menſtruæ fuerint apud Athenienſes, fuiſſe tamen & multas annuas conſtat. Quinimmo, & pecuniam ita credi ſolitam certum eſt, ut

quamdiu ſolverentur uſuræ, non redderetur; uſque quo ſors uſuris adæquata fuiſſet. Quod non ſolum apud Romanos, ſed etiam apud Ægyptios & Græcos in more fuit. Quæ ratio igitur, ut citius fidejuſſor pro pecunia credita datus liberaretur, quam principalis creditor? Poteſt quidem fieri, ut ita fuerit, & lege cautum ſit apud Athenienſes, annales eſſe omnes ſponſiones. Nec ſane abnuo ad omnes ἐγγύας eam pertinuiſſe, quia ſimpliciter lex dicat, τὰς ἐγγύας ἐπετείους εἶναι. Ἐγγύαι autem apud Atticos non ſolum de pecunia credita, ſed & de ſatiſdationibus judicatum ſolvi, accipiebantur. Etymologici magni auctor: Ἐγγυητὴς, ὁ ἀναδεχόμενος δίκην. Sponſor eſt in lite, vel ſponſor actionis, qui judicatum ſolvi promittit. Is δίκην ἀναδέχεσθαι dicebatur, hoc eſt, litis eventum in ſe recipere, ita ut quanti condemnatus eſſet reus, ipſo non ſolvente, is hic qui fidem ſuam pro reo interpoſuerat, ſolveret. Et reus quidem καταστῆσαι ἐγγυητὴν, vel ἔγγυον dicebatur, qui ſponſorem dabat: Latinis *ſatiſdare*. Qui autem ſpondebat judicatum ſolvi, ἐγγυητὴς, & *fidejuſſor* generali vocabulo, *ſponſorque*. Vocabatur & ἐγγυητὴς, qui reum judicio ſiſti promittebat, quem Latini *vadem* dixerunt. Quæ vox & Græcæ eſt originis. Ὁ βὰς βάντος, qui incedit, & ambulat. Hinc *vas, vadis*. Ut βατὸν *vadum*, locus in flumine, qui pedibus tranſiri poteſt. Sed & βάτης ambulator, qui & βὰς βαδὸς. Ut ἐμβάτης, & ἐμβὰς idem. Inde & βαδὸν, & βάδην, & τὸ βάδος itio, & βαδίζειν. Sed & τὸ ἐμβαδὸν locus planus, & ſuperficies ſolida, quam quis poteſt inſiſtere. Sic etiam ἐμβαδία pro ἐμβατεία, ingreſſio in poſſeſſionem, ac detentio rei. Hæc omnia oſtendunt vocis *vadis* pro ſponſore originem. Nec male à *vadendo* Acro & Porphyrius *vades* dictos volunt. Nam quamvis in verbo *vado* prima producta ſit, quæ in nomine *vadis* corripitur, ita etiam *dux ducis* primam habet brevem, quæ in verbo *duco* producitur. Falſum tamen

quod

quod ait Acro, *vades ideo appellatos, quod qui eos dederit, vadendi habet poteſtatem.* Nec aliter Porphyrius: *Vades autem ſponſores dici notum eſt, quod ei qui eos dederit, vadere, id eſt, diſcedere interim liceat.* Quæ abſurda ſunt. Hoc nimirum volunt, qui vades dederit, libertatem habere vadendi, quo libeat, atque inde *vadibus* nomen. Sed contra eſt. *Vas* is eſt proprie, qui citatus, in judicium ire debet, ὁ βάς. Eſt enim principalis reus, qui ſeſe ad diem dictam ſiſtere judicio tenetur, & ire, vel vadere, quo eſt vocatus. Quem vero ſponſorem pro ſe dat, ut niſi eat ipſe, pœnam qui pro eo fidejuſſit vicem ejus ſubeat, is etiam *vas* appellatus, quaſi qui pro vade promiſerit, eum iturum in judicium. Sic omnino *pras*, dictus eſt ille manceps, vel redemptor, qui aliquid publice faciendum præbendumve conduxerat, cum tamen & ſponſor, quem pro ſe populo dediſſet, eodem quoque nomine appellaretur. Feſtus: *Manceps dicitur, qui quid à populo emit, conducitve, quia manu ſublata ſignificat ſe auctorem emptionis eſſe, qui idem pras dicitur, quia tam debet praſtare populo quod promiſit, quam is qui pro eo pras factus eſt.* Quæ ſunt egregia. Ita plane fidepromiſſor is eſſe proprie debet, qui aliquid ſe facturum, aut ſoluturum fide promittit ſua. Inde apud Plautum:

Sanum futurum mea ego id promitto fide.

Cum hoc ita ſit, *fidepromiſſor* tamen, ut deo eo qui pro alio promitteret, acciperetur, obtinuit. Idem eſt & de *ſponſoris* appellatione. Nam *ſponſor* eſt *promiſſor*, qui interrogatus à ſtipulante an ſpondeat, dicit, *ſpondeo.* Hinc illa in cautionibus pecuniæ creditæ, *Titius ſtipulatus eſt, Mævius ſpopondi.* Ergo *ſponſor* eſt propria ſignificatione, qui ſuo nomine aliquid promittit. Qui alieno tamen id faceret, dictus eſt *ſponſor*. Quis auctor venditionis niſi ille, qui vendit? unde & *auctio* pro venditione. Eodem pariter nomine vocatus eſt & ille qui ſe pro fidejuſſore ejus conſtituit. Sed ad diſtinctio-

nem *ſecundus auctor* nuncupatus eſt, quia venditor, erat *primus auctor.* Uterque tamen auctor, ut ſponſores ambo, tam qui ſua, quam qui aliena fide ſpopondit. *Pras* uterque, tam manceps, quam mancipis fidejuſſor. Sic ergo cum *vas*, ὁ βὰς, vere ille eſſet, qui vocatus in jus vadere deberet, qui exhibiturum ſe eum judicio cavebat, quaſi vadendi, & in jus eundi pro alio ſponſor, *vadis* quoque nomen nactus eſt, quia pro vade caveret. Hinc *vadimonium promittere* hic ſponſor dicebatur, hoc eſt, *itionem in jus pro alio.* Fallitur enim ſi quis putat, in ea loquutione *vadimonium* eſſe ſponſionem. Quid enim eſſet, *ſponſionem promittere?* Idem nempe, quod *promittere promiſſionem. Vadimonium* eſt τὸ βάδος, ἡ βάδισις. Attici hoc vocabant, εἰς τοὐμφανὲς κατάστασιν. Quod Heſychius interpretatur, ἐμφανείας ἐγγύην. Sic enim ejus verba corrigenda, ſunt in vulgatis corruptiſſima: Εἰς τοὐμφανὲς κατάστασις, ἣν ἡμεῖς καλοῦμεν ἐμφανείας ἐγγύην, id eſt, *exhibitionis ſponſionem.* Nam qui promittit aliquem judicio ſiſti, ἐγγύην ἐμφανείας dat. Alii vocant παραστάσεως ἐγγύην. Sic enim παράστασις in Baſilicis vertitur, unde actio παραστατική. Hæc actio in eum dabatur apud Atticos, non ſolum qui aliquem ſe exhibiturum ſpoponderat, ſed qui rem etiam repræſentaturum ſe promiſerat, ut pignus, quod obligaverat, vel pecuniam apud ſe depoſitam, vel rem furtivam. Pollux: ἣν δὲ δίκη καὶ εἰς ἐμφανὲς κατάστασις καλουμένη, ὁπότε τις ἐγγυήσαιτο, ἢ αὐτόν τινα, ἢ τὰ χρήματα, οἷον τὰ κλοπαῖα. *Vadem* autem id ſignificare, quod diximus, nempe ipſum qui vadere in jus die dicta debet, verbum *vadari* oſtendit, quod non ſolum ſpondere eſt, & vadem ſe pro alio conſtituere, ſed in jus vocare, & denuntiare alicui, ut in jus eat, diemque illi dicere, ut ſit *vas*, hoc eſt, in jus ambulet. Optimæ gloſſæ: *Vadatur*, καὶ ἐγγυᾶται, μετὰ παραγγελίας συντίθεται. Utramque ſignificationem attigit. Nam μετὰ παραγγελίας συντίθεσθαι eſt, conſtituere

ſtituere alicui diem, cum denuntiatione, qua in jus ire debeat. Apud Plautum in Aulularia:

Vt ſibi liceret milvum vadarier.

Id eſt, in jus vocare, diem milvo dicere. Horatius ſic accepit in illo γραφικωτάτῳ importuni characteriſmo:

— *Caſu tunc reſpondere vadato*
Debebat. —

Quod eſt, citatus debebat reſpondere ei à quo in jus vocababatur. *Vadato*, id eſt, vadanti & denuncianti, ut in jus vaderet. Acro: *Vadato in judicium, quia vadatus eum fuerat, vel quia vadio obligaverat.* Utramque notionem verbi *vadari* notavit, ſed prima Horatiano loco congruit, non ſecunda. Inde & *vadimonium* duas quoque res ſignificat, ipſam ἐμφάνειαν, & ἐμφανείας ἐγγύην, quia, ut dixi, *vadis* nomen duo etiam denotat, eum cui dies dicta eſt, & in jus ire debet, & illum qui pro eo fidejuſſit. Ergo & *vadimonium facere* dicitur, qui ſeſe ſiſtit judicio, & exhibet, non qui ſponſionem facit. Plautus in Epidico:

Ep. *Quid me quæris? quid laboras? quid hunc ſollicitas? Ecce me.*

Pe. *Ilicet. Vadimonium ultro heic mihi facis.*

Id eſt, ultro te exhibes, ultro te εἰς τὸ ἐμφανὲς καθιστᾷς, ultro te ἐμφανίζεις. Nec alio ſenſu *vadimonium facere* dixit Valerius lib. III de Scipione: *Cum oppidum Badiam circumſederet, tribunal ſuum adeuntes in ædem, quæ intra mœnia hoſtium erat, vadimonium in poſterum diem facere juſſit.* Id eſt, ἐμφάνειαν παρέχειν, ſiſti, adeſſe. Nam *vadimonium* in hac loquutione, non eſt ἐγγύη ἐμφανείας, ut docti viri hactenus crediderunt, ſed ipſa ἐμφάνεια, haud minus, quam in iſtis, *ad vadimonium venire, occurrere, vadimonium obire, deſerere, differre*, & ſimilibus. Prætor qui *differt vadimonium*, non differt ſponſionem, ſed ipſam ἐμφάνειαν rei, qua ſe debet ſiſtere coram ipſo. *Vadimonium obit* reus, non

ſponſionem, ſed ἐμφάνειαν, qua ſe ſiſtit. Atque ita de cæteris. Differentia ſignificationis maxime dilucet in iſtis duabus loquutionibus, *vadimonium facere*, & *vadimonium præſtare*. Nam in priore *vadimonium* eſt ipſa ἐμφάνεια, in poſteriore eſt ἐγγύη. Vadimonium quippe præſtare eſt, quod Græci dicunt ἐγγύην δοῦναι ἱκανοδοσίαν δοῦναι, & παρέχειν. Gloſſæ: *Vadimonium*, ἱκανοδοσία. Cornelius Nepos in vita Attici de Fulvia Antonii: *nunquam illa vadimonium præſtitit*. At in loquutione illa *vadimonium facere*, nemo poteſt *vadimonium* pro ſponſione & ἐγγύη interpretari. Sed egregie hoc diſcrimen oſtendit Seneca in libro de brevitate vitæ his verbis: *Quantum vadimonia ſua atque aliena occupent*. Ubi ſua vadimonia ſunt ἡ ἰδία ἐμφάνεια, quibus ſuo nomine in jus quis ire citatus debet. At aliena, quibus alium promittit aliquis ſe exhibiturum. Non bene etiam obſervant Juriſconſulti quidam, ſi citatus promittere vadimonium nollet, jus fuiſſe vadato, ubi præſentes teſtatus eſſet de contumacia, citatum trahere in jus. Non enim *vadimonium* ipſe promittebat reus, ſed qui pro eo vas erat factus, ut ex Varrone liquido conſtat lib. v de L. L. Vadimonium autem promittit, qui ſiſti reum promittit. Quod eſt, ἐμφάνειαν ejus, ſive vadimonium promittere. *Præſentiam* vocat Anianus: *Cautio ſolvitur, ſi pro cujus præſentia cautum fuerat, moriatur*. Pro cujus ἐμφανείᾳ, vel *vadimonio*. Certe & *vadimonium* etiam ἐγγύη eſt, quia *vas* ἔγγυος. Inde Dionyſius homo Græcus, *vadimonium* in Romanis auctoribus, qui de Virginia ſcripſerant, Græce vertit ἐγγύην, cum potius eſſet ἐμφάνεια, quam ἐμφανείας ἐγγύη. Lib. xi de antiquitatibus Romanis: Ἀπάγεσθε οὖν ὦ Νεμέτωρ τὴν κόρην, καὶ τὴν ἐγγύην ὁμολογεῖτε περὶ αὐτῆς εἰς τὴν αὔριον ἡμέραν. *Abducite, ô Numitori, puellam, & vadimonium pro ea promittite in poſterum diem*. Id eſt, promittite ſiſtendam in poſterum diem. Ad verbum eſſet,

ſpondete ſponſionem in craſtinum diem. Vindicaverant puellam propinqui ejus pro ea ſpondentes, quod διεγ-γύησιν δοῦναι vocat idem Halicarnaſſeus. Vindicantibus & ſpondentibus ceſſerant qui in gratiam Appii in ſervitutem eam aſſerebant, dum vadimonium pro ea promitterent in poſterum diem, id eſt, ſiſtendam pollicerentur. Ubi *vadimonium* non eſt ἐγγύη, ſed ἐμφάνεια. Nam & *facit vadimonium* ſervus domino apud Plautum, qui nullis datis vadibus, præſentiam ſuam domino exhibet. Apud eumdem Dionyſium ἐπὶ ἐγγύην παραγίνεσθαι eſt, *ad vadimonium occurrere*, & *venire*, de patre Virginiæ, qui accitus è caſtris fuerat, & qui ſiſti debebat coram Appio. Vades ille non dederat, nec ad ullam ſponſionem occurrendum ipſi erat, ſed præſentiam ſuam tantum exhibere vocatus debebat. De ipſa Virginia ibidem dicitur ab eodem auctore: Ἔγνω μηκέτι μεθεῖναι τὴν παρθένον τοῖς συγγενέσιν, ἀλλ' ὅταν ἐπὶ τὴν ἐγγύην παραχθῇ μετὰ βίας αὐτὴν ἀπάγειν. *Statuit non amplius eam ſuis propinquis dimittere, ſed ubi vadimonio eam ſtiterint, vi abducere.* Eam ſiſtendam promiſerant propinqui, qui pro ea facti vades fuerant. Ubi eam ſtitiſſent, id eſt, vadimonium ejus feciſſent, in vadimonium adduxiſſent, hoc eſt, præſentiam ejus exhibuiſſent, decrevit eam Appius per vim abducere. Hoc non eſt ἐπὶ τὴν ἐγγύην παραχθῆναι, ſed potius εἰς τὴν ἐμφάνειαν, vel ut loquebantur Attici, εἰς τοὐμφανὲς καταστῆναι. Male igitur homo Græcus, & parum attente, cum *vadimonium* Romanis etiam ſignificaret ἐγγύην, ita reddidit illas loquendi formulas, in quibus aliud plane ſignificat. Apparet autem de verbo ad verbum loquutiones fori Romani in Græcum cōvertiſſe, ut *vadimonium promittere* ὁμολογεῖν ἐγγύην. Nam ὁμολογεῖν eſt promittere, ἐγγύη ſponſio, etiam *vadimonium*. Cæterum non eodem loquendi genere Atticis dicitur ὁμολογεῖν ἐγγύην, ut apud Demoſthenem in παραγραφῇ cōtra Apaturium. Ibi enim qui non inficia-

tur ſe ſpopondiſſe pro alio, ſed ultro id fatetur, ὁμολογεῖν ἐγγύην dicitur: Οὐκ ἄν ποτε ἔξαρνος ἐγινόμην εἰς ἐνεγγεγυήμην, πολὺ γὰρ ὁ λόγος ἦν μοι ἰσχυρότερος ὁμολογοῦντι τὴν ἐγγύην ἐπὶ ταῖς συνθήκαις εἶναι. *Confitenti me ſpopondiſſe.* Ἐγγύη etiam traditionẽ & exhibitionem ſignificat. Nam & ἐγγυᾷν eſt in manus tradere, & ἐγγύη, ut Grammatici interpretantur, ἔκδοσις. Qua notione non male ἐγγύην ὁμολογεῖν diceretur ὁ τὴν ἐμφάνειαν vel καθίστασιν εἰς τὸ ἐμφανὲς ὁμολογῶν. Nam & ἐγγὺς inde factum eſt, quod *prope* ſignificat, & Græci critici φερέγγυον interpretantur τὸν φέροντα πολλὴν ἐγγύτητα, quaſi & ἐγγύη idem ſit quod ἐγγύτης. Rectius tamen judico falſum eſſe Dionyſium, ut hominem Græcum, & Romanarum vocum proprietatis imperitum. Gloſſæ: *Vadimonium*, ἐγγύη. Non ſolum in re capitali, ſed in judiciis privatis hi vades dari ſoliti, qui ſponſores erant, vel fidejuſſores ſiſtendi aliquem judicio. In capitali judicio quaſi ſponſores mortis habiti. Nam quæ pœna manebat reum, ſi non ſiſteretur, ſponſor ſiſtendi eodem ſupplicio ſe obnoxium faciebat. Notiſſima eſt hiſtoria Damonis & Phintiæ Pythagoreorum. Qui *vas ſiſtendi* Ciceroni dicitur, & alio loco *vas mortis*, Diodoro & reliquis Græcis in eadem re narranda ἐγγυητὴς θανάτου appellatur, & ἔγγυος in Excerptis: δώσειν δ' ἔφησεν ἐγγυητὴν τοῦ θανάτου τῶν φίλων ἕνα. *Vadem ſe daturum ex amicis unum, ut ſi ipſe non revertiſſet, moriendum eſſet illi.* Si non revertiſſet, ſi vadimonium deſeruiſſet. Hoc eſt, τὴν ἐμφάνειαν. Non enim ille vas erat factus, ſed vadem dederat, qui pœnam pro ipſo ſubiret niſi reverteretur, hoc eſt, niſi vadimonium faceret, vel quod idem eſt, ſui præſentiam, & ἐμφάνειαν. Auſonius:

— Non cuſtodiſſet vadimonia Damon.

Non ſe ſtitiſſet, vadimonium non feciſſet, ſed deſeruiſſet. Ἔγγυον eadem paulo poſt Diodorus vocat, ὃς οὐδὲ διστάσας, ἔγγυος αὐτῷ ἐγγυήθη τοῦ θανάτου. *Vas factus eſt ſiſtendi, ut ſi ille non ad diem rediiſſet, ipſi mortis*

pœna

pœna eſſet ſubeunda. Hoc eſt, *vas mortis,* qui ἔγγυος, vel ἐγγυητὴς θανάτου eidem mox dicitur. Unde hic vas ſubire in pœnam Auſonio dicitur. *Quis ſubit in pœnam capitali judicio? Vas.* Hoc quidem apud Tyrannum. Alias in jure vades in re capitali accepti non morte vicaria, ſed pœna quanti æſtimatum erat vadimonium, ſi non ſiſteretur reus, multabantur. Vide Livium lib. III de Q. Cæpione. Ergo *vas* proprie in certa re ſponſor, ad ſiſtendum nempe judicio. Varro lib. V de L. L. *Sponſor & præs & vas, neque idem, neque res à quibus ii, ſed diſſimiles.* Ita diſtinguendum. Nam vulgo male eſt, *Sponſor, & vas, & præs.* De ſponſore pecuniæ creditæ apud eum præceſſit. Nunc ſequitur de vade & præde, quos etiam ſponſores eſſe dicit, non tamen eoſdem, neque ejuſdem rei. Ergo *ſponſor* nomen generale ad omnes, qui pro altero quacunque in re fidem ſuam interponunt: *vas,* & *præs* in certis rebus. Ita enim mox apud eum emendari debet: *Vas appellatus qui pro altero vadimonium promittebat. Conſuetudo erat, cum reus parum eſſet idoneus in certis rebus, ut pro ſe alterum daret.* Manifeſto mendo in vulgatis legitur, *inceptis rebus.* Immo, *in certis.* P & R in charactere, quem vulgo vocant Longobardicum, quo plerique libri veterum ſcripti reperiuntur, ſcriptura plane affines. *A quo,* inquit Varro, *caveri poſtea lege cœptum eſt, ab his qui prædia venderent, vades ne darent.* Cum *vas* prius eſſet ille, qui vadimonium promitteret, poſtea etiam uſurpari cœptus eſt de eo ſponſore, qui dabatur à prædia vendentibus. Hic *vas* idem cum eo qui appellatus eſt à recentioribus *ſecundus auctor,* ut Græcis βεβαιωτής. De quo paulo poſt. Nam ut ſponſor eſt credendi auctor, in pecunia, quæ datur mutua, ita in venditionibus qui emendi alicui auctor eſt, is eſt *ſecundus auctor,* cum ſit prior ille qui vendit, & ſecundus pro ſponſore habetur, quem & *vadem* dixere. Sequitur apud Varronem, *Ab eo ſcribi cœptum in lege*

in lege mancipiorum, vadem ne poſceret, nec dabitur; Hoc eſt, βεβαιωτήν. Et dicendum de eo erit paulo poſt. Ab eo nomine defluxit ſignificatio & ad pignora notanda apud ſæculum inferius Latinitatis, inque ea notione etiam ad barbaros tranſiit, ut Longobardos, VViſigothos, Angloſaxones, alioſque, qui *vadium* dixere pro pignore in ſuis legibus, & in dialecto ipſa retinuere, *VVede*. Quod habent hodieque eæ linguæ, quæ à Latino fonte derivatæ, in uſu ſunt. *Vadio obligare* apud Acronem pro ſponſione obligare, quod & *vadari* illa ætas dixit, hoc eſt, vadem ſe pro alio facere & conſtituere. Ἐγγυᾶσθαί τινα, ſic Græcis dicitur, ut apud Demoſthenem. Sic Latinis *fidejubere aliquem, & fidedicere aliquem,* id eſt, pro aliquo. In ea contra Apaturium, ὑμῖν μάρτυρας παρέχομαι ὡς οὐκ ἠγγυησάμην ἐγὼ τὸν Παρμένοντα. *Quod non vadatus ſim Parmenonem.* Hinc optimæ Gloſſæ, *vadatur,* κατεγγυᾶται, id eſt, alium fidedicit, & pro alio fit vas. Sic accipiendum apud Symmachum in Epiſtola ad Auſonium: *Nemo eſt mortalium, quem præ te diligam, ſic vadatum me honorabili amore tenuiſti.* Quod idem eſt atque obligatum, devinctum. Fulgentius in verbis, Feneſtella quæ citat, *vadatum* exponit obſtrictum, & ſub fidejuſſione ambulantem: *Apud quem vadatus amicitiæ nodulo tenebatur.* Hinc ergo *vadium* pro qualibet obligatione, & inde ab ea affinitate, quam eſſe inter pignus & ſponſionem ſupra docuimus, & *vadium* pro pignore. Non ſolum autem vades fuere, ſed & *ſubvades.* Qui non ſunt vades ab altera parte dati, ut vulgo doctoribus quibuſdam video placere, quos *contraplegios* vocamus. Græci ἀλληλεγγύους. Sic apud Demoſthenem ἀλλήλους ἐγγυᾶσθαι dicuntur duo litigantes quorum alter alteri vadimonium ſive ſatiſdationem præſtat judicatum ſolvi. Aliter etiam in jure Græco Conſtantinopolitano ſumitur hæc vox ἀλληλέγγυον. Nam qui ſimul ab aliquo accipiunt pecuniam, ἀλληλεγγύους

ὀνομά-

ἀλληλέγγυοι dicuntur, ſi alter pro altero ſpondet creditori adeo, ut non pro parte ſua, ſed in ſolidum uterque ſit obligatus, ut qui in rem communem mutuantur. Quo caſu & mulierem juvari, hoc eſt, pro parte ſua tantum conveniri, licet ἀλληλεγγύως δανειζομένη μετά τινος, dicit lex XVIII D. ad SC. Velleianum. Sic ἀλληλέγγυον Baſilii imperatoris appellatum, in quo ſtatuit, ut ditiores poſſeſſores tributum ſolverent pro his qui facultatibus erant defecti. Antiqui Latini *conſponſos* eos appellabant, qui Græce ἀλληλέγγυοι. Feſti abbreviator: *Conſponſos, antiqui dicebant, fide mutua obligatos.* At *ſubvades* ſunt vadum vades, hoc eſt, qui ſpondent pro ipſis vadibus. Ut *ſubprædes* erant, qui pro ipſis prædibus fidejubebant. Hi *ſequentes*, vel *ſecundi fidejuſſores*, ut hi pro quibus intercedebant, *primi, & principales.* Leg. XXVII, tit. II D. de fidejuſſoribus, *præterea ſi quæratur an ſolvendo ſit principalis fidejuſſor, etiam vires ſequentis fidejuſſoris ei adrogandæ ſunt.* Ille vas, vel præs: hic ſequens, vel ſecundus fidejuſſor, antiquo ſermone *ſubvas* & *ſubpræs.* Pro fidejuſſore autem fidejuſſorem accipi, nequaquam dubium eſſe dicit lex VIII, tit. ult. D. eodem. Si vadimonium promitteret fidejuſſor, qui fidejuſſor exiſteret, *ſubvadis* nomine appellabatur olim. Υ῾πέγγυον Græci dicerent, ut ὑποκάπηλον vocarunt *ſubcocionem*, vel *arillatorem*, qui emebat à cocionibus ipſis, quod aliis venderet. Horum *ſubvadum*, & *ſubprædum* mentio apud Agellium lib. XVI, cap. X. Inter juris antiqui & antiquati obſoleta jam illo tempore vocabula. Ubi ineptus & inſcitus Juriſconſultus negat ſe ſcire, aut à ſe peti debere interpretationem juris Aboriginum & Faunorum, dicitque evanuiſſe omnem illam antiquitatem duodecim tabularum, in quibus memorabantur *proletarii*, & *aſſidui*, & *ſanates*, & *vades*, & *ſubvades.* De ſubvadibus neſcio an tam antiqua res tum fuerit, ut ille nebulo perſuadere volebat, *vadum* certe

appel-

appellatio ab optimis quibuſque auctoribus uſurpata legitur, qui ætatem illam non multum anteceſſere. Auguſti ævo & adhuc inferiore *vades* noti erant pro ſponſoribus in judicio ſiſtendi. Loca piget proferre, quæ obvia ſunt eruditis. Si vades ulli tunc dicti cognitique fuere, viderint etiam doctiores, an non *ſubvades* nominari tum potuerint, qui vadibus exiſtebant vades. Sic *Subnero* Tertulliano, quaſi ſecundus Nero, de crudelitate, ut *Submarius* Ciceroni, ſecundus Marius, præ ſimilitudine morum. Ergo & *ſubvades*, ſecundi vades. Puto tamen eam vocem ab uſu tunc temporis receſſiſſe, ut obſcuriorem. Ad vades quod attinet, fortaſſe Agellii temporibus, ſi quid illi Juriſconſulto credimus, minus ea fuerit in foro & judiciis frequentata ac trita. Generali quippe nomine *ſponſores*, aut *fidejuſſores* magis appellaſſe videntur. *Vadimonii* tamen apud Senecam fit etiam mentio, & alios inferiores auctores. Si *vadimonii*, cur non & *vadium*? Nam à vadibus *vadimonium*. Hoc ἐγγύη, illi ἐγγυηταί. Seneca lib. IV de beneficiis cap. XXXIX: *Vadimonium promittimus, tamen deſeritur. Non in omnes datur actio. Deſerentem vis major excuſat.* Quid frequentius apud ſcriptores illius & ſequentis ævi, quam *vadimonium facere, obire, deſerere differre?* Quis dubitet quin Juriſconſultorum libri & *vadium* mentionis, & vadimoniorum pleni fuerint? Cur in compilatione Triboniani, quam vix veteribus illis contexuit Juriſconſultis, nullum hodie veſtigium vadium extat, aut vadimonii? Ne in ipſo quidem edicti prætoris verbis, ubi de fidejuſſoribus ſiſtendo judicio edixit, *vadium* nomen hodie ſupereſt, cum proprie tamen ita vocarentur qui vadimonium promiſerant. Paulus apud Tribonianum leg. I D. in jus vocati ut eant: *Edicto cavetur, ut fidejuſſor judicio ſiſtendi cauſa datus pro rei qualitate locuples detur.* Quis non credat, in edicto prætoris, ad quod ſcripſit Paulus, *vadis* potius extitiſſe mentio-

mentionem, quod proprium huic rei nomen, quam *fidejuſſoris?* Cui non etjam veriſimile, Tribonianum repoſuiſſe *fidejuſſorem* pro vade? Item in Ulpiani libro v ad edictum, cujus fragmentum pro lege eſt 11 D. Quibus ex cauſis, prætor ait, *in bona ejus qui judicio ſiſtendi cauſa fidejuſſorem dedit, ſi neque poteſtatem ſui faciet, neque defendetur, iri jubebo.* Prorſus mihi perſuadeo, & Tribonianum hic in prætorio Edicto apud Ulpianum pro vade fidejuſſorem maluiſſe. Quod & in aliis locis feciſſe nullus dubito. Nam cum apud Juriſconſultos in iis libris, quos non contaminavit Tribonianus, vadimonii extet mentio, quis non credat, & in illis quos ille interpolavit pluries eam vocem lectam fuiſſe? Paulus in Collatione Moſaicarum & Romanarum legum, ſub titulo, ut citat compilator, quemadmodum injuriarum agatur: *Qui autem injuriarum aget, certum dicat quid injuria factum ſit, & taxationem ponat, non minorem quam quanti vadimonium factum ſit.* Nemini dubium eſſe poteſt quin hæc ſatiſdatio, vel cautio judicio ſiſtendi ab aliis Juriſconſultis *vadimonii* nomine vocata ſit. Quam vocem cur exterminatam ab eo jure voluerit, quod nobis ex antiquorum Juriſprudentium laciniis contexuit & conſarcinavit, plane neſcio. Gloſſæ Philoxeni, quæ ante jus Juſtinianeum fuere compilatæ, & multa habent vocabula ex libris Juriſconſultorum, quorum ſcripta in jure Juſtiniani condendo adhibuit Tribonianus: *Vadimonium*, ἐγγύη, ἐγγυοδοσία. Nec cautio tantum in judicio ſiſtendi hoc nomine nuncupata eſt, ſed etiam quælibet ſatiſdatio. Auſonius:

Mileti fugiſſe Thales vadimonia alumnus.

Quia nempe dixerat, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. Non ſolum cautiones judicio ſiſtendi pro alio monuerat cavendas, ſed omnes. Sic *vades* etiam appellati omnes ſponſores, ut judicatum ſolvi, pecuniam creditam redditum iri, & cæteras. Demus tamen, nomen vadis exoletum

letum tunc fuiſſe, nec amplius in uſu, cur *ſponſores* pro fidejuſſoribus in Digeſtis ſaltem non legimus hodie? Grammatici omnes qui ante Juſtiniani tempora ſcripſere, cum *vades* interpretantur, non dicunt eſſe fidejuſſores, ſed ſponſores. Acron in Horatium, ad illa, *Ille datis vadibus. Vadibus*, inquit, id eſt, *ſponſoribus, à vadimonio quod promittit is, qui ad judicium provocatur, certo die affuturum.* Item Porphyrio: *Vades, ſponſores dici, notum eſt.* Notandum eſt, non *fidejuſſores*, ſed *ſponſores* exponere, ut & Varronem, qui dicit in IV de L. L. *vadem & pradem* ſponſorem eſſe. Gloſſæ Philoxeni Triboniani Digeſtorum compilatione antiquiores, & quæ multa vocabula citant ex illis ipſis Juriſconſultis, quos excarnificavit poſtea, & interpolavit Tribonianus, *fidejuſſoris* non habent mentionem, ſed *ſponſoris*, quem ἐπαγγελλόμενον, id eſt, promiſſorem exponunt. Seneca *ſponſorem* ſemper nominat, non *fidejuſſorem*, ut lib. III de beneficiis: *Hoc unum deeſt avaritiæ, ut beneficia ſine ſponſore non demus.* Anteriores Seneca non opus eſt producere, qui nunquam aliter appellant, ut Cicero aliique. De poſterioribus videamus. Paulus lib. v Sententiarum cap. IX: *Et tum dantes, quam accipientes, hæredes quoque eorum procuratores cognitorumque perſonæ, itemque ſponſores eadem ſtipulatione comprehenduntur.* Anianus *fidejuſſores* interpretatur: *cognitores, vel fidejuſſores eadem promiſſio comprehendit.* Idem lib. eod. cap. de cautionibus & pœnis appellationum, *fidejuſſorem & ſponſorem* nominavit quaſi diverſos. *neceſſe enim non habet ſponſorem quis fidejuſſoremve dare, aut præſens eſſe.* Certe apud eundem titulus eſt lib. I de fidejuſſore, ubi dicit ex edicto prætoris ſi ſolvendo ſint, licet ſinguli in ſolidum teneantur, obligationem dividi. *Fidejuſſores* tamen à *ſponſoribus* alios fuiſſe & in alia re, perſpicuum ex eodem Paulo cap. IX, libri ejuſdem. *Minor*, inquit, *ſe in iis quæ fidejuſſit, vel fidepromiſit, vel ſpopondit,*

vel

vel mandavit in integrum reſtituendo reum principalem, non liberat. Ut enim *mandare* aliud, quam *fidejubere*, & *fidepromittere*, ita & *ſpondere* ab his omnibus aliquid diverſum. Ergo *ſponſor* tunc à *fidejuſſore* alius, quando proprie ſumeretur. Sed & in illo titulo de fidejuſſore apud Paulum veteres libri addunt, *vel ſponſore.* An *ſponſor* in pecunia credita videtur proprie dictus purius loquentibus? Sic poſſet videri. *Sponſorem* ita Cicero accepit in ea pro Quintio: *Cur cæteros creditores, & ſponſores non convenerat.* Hoc ſenſu & *ſponſores* Senecæ III de Beneficiis. Phædrus:

Faudatori nomen locans ſponſo improbo
Non rem expedire, ſed male credere expetit.

Ita enim hæc ſcribenda, quæ in vulgatis depravatiſſima. *Male credit*, qui parum idoneo credit, quod perditurus eſt. Seneca lib. IV de beneficiis, cap. ult. *Pecuniæ etiam male creditæ exactio eſt. Et appellare debitorem ad diem poſſum, & ſi foro ceſſerit, portionem feram.* Bene credit, qui idoneo & locupleti. Martialis lib. x, & ſpondendi mentionem facit:

Non vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec ſpondet, nec vult credere, ſed nec habet.
Turba tamen non deeſt ſterilem quæ curet amicum,
Heu quam perfatuæ ſunt tibi Roma togæ!

Poſſem & alia proferre. Nihil tamen prohibet, quin & *fidejuſſor* ſimiliter capi queat pro pecunia credita. Nec deſunt ad eam rem teſtimonia. Non igitur in eo putem diſcrimen eſſe, ut *ſponſor* in mutuo, *fidejuſſor* in aliis rebus dari ſolitus ſit. Nam & Paulus lib. v, cap. de cautionibus, & pœnis appellationum, *ſponſorem* & *fidejuſſorem*, licet diverſos, in eadem tamen re dari ſignificat. *Neceſſe enim non habet ſponſorem quis, fidejuſſoremve dare.* Ergo fidejuſſor is erit proprie, qui fide ſua jubet alicui pecuniam credi, & qui auctor ei credendi eſt, hac in parte non diſſimilis mandatori. Ideo & ſollemnia hæc verba in fidejuſſione fuere, *peto, volo, jubeo,*

jubeo, dico. Græcis quoque κελεύω, ut apud Demoſthenem in παραγραφῇ adverſus Lacritum, de fidejuſſore: καὶ ἑαυτῷ μὲν τὸν νῦν παρεστηκότα ἐκέλευε, αὐτὸς γὰρ ἔφη ποιήσειν μοι τὰ δίκαια ἅπαντα, καὶ ἐπιδημήσειν Ἀθήναζε, τὸν δ' ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν Ἀρτέμωνα πλεύσεσθαι ἐπὶ τοῖς χρήμασι. Dixi non diſſimilem mandatori fidejuſſorem eſſe pecuniæ creditæ. Nam & quodam caſu mandator, idem omnino cum fidejuſſore, ubi aliquis tibi mandat, ut Titio ſub uſuris credas, Inſtit. III, tit. XXVII. Pro fidejuſſore crediti, qui ſic mandat. Sed & mandati habet actionem fidejuſſor contra debitorem recuperandi gratia quod pro eo ſolverit, Inſtit. III, tit. de fidejuſſoribus. Mando, jubeo, volo, peto, ut illi credas, verba ſunt plane ſynonymæ ſignificationis. Græce quoque fidejuſſor ita accipiebatur, τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω, λέγω, θέλω, βούλομαι. Sed etſi φημὶ dixerit, pro eo erit ac ſi dixiſſet λέγω. Inde *fidedicere*, idem quod *fidejubere*. Apuleius de Deo Socratis: *At inter Rutulos recens cognito ſi nemo huic capiti crediderit, quis pro te Deus fidedicet.* Ita enim ibi ſcribendum, non *fidem dicit. Fidedicere*, ut *fidejubere*. Atque ita etiam loquutus, ne nimis antiquum cenſeas, Anianus lib. I, cap. IX Sententiarum Pauli: *Si minor majorem fidedicat, licet ipſe teneri non poſſit, tamen quem fidedixit, teneri poteſt.* Et notabis loquutionem, *quem fidedixit.* Quod Apuleio, *pro quo fidedixit.* Ita Græci dicunt ἐγγυᾶσθαί τινα, *fidejubere aliquem*, & *fidedicere.* Non diſſimilis loquendi modus, quo *ſacramento dicunt* Romani milites apud optimos & claſſicos auctores, qui ſacramento promittunt quod rogantur. Pro eo aliquot ſcriptorum locis *ſacramentum dicere*, perperam invenies excuſum, ut apud Cæſarem & Plinium, ubi veteres codices exaratum ſemper habent, *ſacramento dicere*. Venit aliquis ad me cum eo qui pecuniam mutuam quærit, & jubet me ei credere fide ſua, & ſuo periculo. Hic proprie *fidejuſſor*, quem πιστικελευστὴν Græci juris auctores recentio-

centiores appellant. Nos verba quibus acciperetur per ſtipulationem ei rei tralaticia, ſuperius retulimus. Si quis autem ad me accedat petens mutuum, cui tuto credi poſſe non credam, peto viciſſim ab eo, ut aliquem mihi det, qui fidem ſuam interponat, & ſolutum iri ſpondeat, id eſt, promittat. Is *ſponſor* appellabitur. Nec alia ſollemnitate verborum accipi ſolebat, quam ut diceret, *ſpondeo*. Ita Græci diſtinguunt inter ἐπαγγέλλειν, ἐπαγγέλλεσθαι, & ὑπισχνεῖσθαι. Qui mandat, ἐπαγγέλλει, hoc eſt, προστάσσει. Qui ἐπαγγέλλεται, fidejubet, hoc eſt, non rogatus nec invitatus, jubet pecuniam credi ei qui rogat mutuam. Hinc πιστεπαγγελτής, idem quod fidejuſſor. At ὑπισχνεῖται, hoc eſt, ſpondet, qui petenti ſe daturum promittit. Ammonius: Ὑπισχνεῖται μὲν ὁ τοῖς αἰτήσασι δώσειν ὁμολογήσας, ἐπαγγέλλεται δὲ ὁ ἀφ' ἑαυτοῦ δώσειν ὁμολογήσας. Veteres Latini *ſponſoris* appellationem frequentius uſurparunt, quam *fidejuſſoris*. Inter utrumque nomen non alia præter eam quam notavi differentia. Sed mirum, cum *ſponſoris* nomen adeo frequens fuerit in ſcriptis Juriſconſultorum quos compilavit Tribonianus, ut ex illis, quæ attuli ex Paulo, cōſtat, nuſquam in ejus collectione Digeſtorum comparere ſponſores, ut nec vades, nec prædes. Nimirum deleviſſe ubique nomen ſponſorum, vadiumque & prædium, & fidejuſſores omnibus locis ſubrogaſſe palam eſt. Quod idem eum in *fiduciæ* appellatione factitaſſe ſupra obſervabam, in cujus locum mille locis ſubſtituit *hypothecam*, quia ea vox tunc uſitatior, ut in imperio Græculo, & *fiducia* obſcurior. Quis non etiam miretur Theophilum, cum ſollemnia ſtipulationum verba Romana Græce vellet vertere, illud *ſpondes? ſpondeo*, non reperiſſe quomodo Græco ſermone exprimeret, atque id profeſſum eſſe? Ἀλλὰ τὸ μὲν *ſpondes? ſpondeo*, οὐ μεταφράζεται ἑλληνιστί, τὸ δ' ἕτερον μεταφράζεται, *promittis? promitto*, τοῦτ' ἔστιν, ὁμολογεῖς; ὁμολογῶ. *Fideipromittis? fideipromitto*, τοῦτ' ἔστι, πίστει κελεύεις;

πιστὰ κελεύω. An cum *ſponſoris* & *ſpondendi* ea notione nulla extarent in toto jure Juſtinianeo veſtigia, ideo vel neſciit quomodo Græce eſſent reddenda, vel conſulto reddere noluit? Quod enim ad verbum ἐγγυῶμαι Græcum attinet, generalis eſt ſignificationis etiam ad fidejuſſores, & fideipromiſſores, haud minus, quam ad ſpōſores. Quis enim alius fidejuſſor, aut fidepromiſſor, quam ἐγγυητής? At Theophilus aliquot locis poſtea in eodem capite verbum *ſpondeo*, Græce reddit ὁμολογῶ. Ut in iſtis, *quinque aureos dare ſpondes?* Ὁμολογεῖς δοῦναί μοι πέντε νομίσματα; Hic aliud eſt, & in alio ſignificatu verbum *ſpondere* accipitur. Idemque eſt omnino quod promittere. In formula vero illa verborum, quam ſupra attulimus, *ſpondere* ſignificat, fidem ſuam pro alio interponere, quod Græcis eſt ἐγγυᾶσθαι. Unde ſponſor, ὁ ἐγγυητής. Quod vocabulum quando nuſquam extaret in Digeſtis, neque in Codice Juſtinianeo, in Græcum ſermonem cōvertendum non putavit Theophilus. Notes & illud licet, cum in Latinis Gaii legatur, *fidepromittis? fidepromitto, fidejubes? fidejubeo*, eumdem Græcum interpretem alterum tantum retinuiſſe, cum utrumque non poſſet exprimere niſi eadem voce Græca. Inde ergo *fidepromittis, fidepromitto* vertit, πιστὰ κελεύεις; πιστὰ κελεύω. Quod de verbo ad verbum redditum, eſt *fidejubes? fidejubeo*. An ergo *fidepromiſſor*, idem cum *fidejuſſore*? Idem certe Theophilo. At *fidepromittere* aliud quam *fidejubere* in illo Pauli loco, quem ex collectaneo 1 Sententiarum ante citavimus, *Minor in iis, quæ fidejuſſit, vel fidepromiſit, vel ſpopondit, vel mandavit.* Perſpicuum eſt ex verborum ipſorum diſcrimine, differre etiam nomina inter ſe *fidepromiſſoris, fidejuſſoris, & ſponſoris*. De fidejuſſoris, & ſponſoris differentia jam diximus. An alia inter *fidejuſſorem* & *fidepromiſſorem*, quam ex formula accipiendi, qua alter *fidepromittere* dicebat, alter *fidejubere*? Qui promittenti aliquid adpromittebat, &

pro-

promiſſionem rei principalis, ſua inſuper firmabat, is ut *adpromiſſor* ejus dicebatur, ita etiam & *fidepromiſſor*. Et fallitur Hotomannus in commentario verborum juris, qui notat, *fide ſua promittere*, de reo principali dici cum promittit aliquid ſe facturũ, aut daturum, at fide aliena eumdem promittere, cum fidejuſſorem præbet. Immo *fide ſua promittere*, ut *fide ſua jubere* de ſponſore dicitur, qui pro altero fidem ſuam interponit. Hinc & *fidepromittit*, qui pro altero id facit, ut & *fidejubet*, qui item pro altero. Optimæ Gloſſæ: *Fidepromiſſores*, πιϛεπαγγέλται. *Fidepromiſſor*, πιϛοκελεύϛης. Vides eumdem facere interpretatione ſua cum fidejuſſore, cum Paulus diſtinguat? Is ſane eſt qui *adpromiſſor* appellabatur, quem miror relictum eſſe à Triboniano in leg. XLIII D. de ſolutionibus, his verbis: *In omnibus ſpeciebus liberationum etiam acceſſiones liberantur, puta adpromiſſores, hypotheca, pignora.* Æque potuit & in hac lege *fidejuſſores* pro adpromiſſoribus ſupponere, ut in aliis fecit. Nam & hic *hypothecam* pro *fiducia*, ut ſcripſerat Ulpianus, ſubſtituiſſe certa mihi fides eſt. Reliquit etiam *adpromiſſorem* in leg. LXIV, tit. IV: *Sed etſi reum maritus acceperit, adpromiſſoremve.* Fortaſſe non putavit *adpromiſſorem* idem eſſe cum fidejuſſore. Nam ſine dubio mutaſſet. Nec audio clariſſimos doctores, qui *adpromiſſores* notant eſſe proximos à fidejuſſoribus, & ob id ἐγγύους vocari. Hoc non intelligere me fateor. *Adpromiſſor*, idem cum *fidepromiſſore*, qui pro alio promittit, quem & cum fidejuſſore poſſis eumdem facere, ut eam vocem generalem eſſe voluit Juſtinianus de omnibus adpromiſſoribus, ſponſoribus, vadibus, prædibus, & fidepromiſſoribus, quos omnes uno nomine Græci appellant ἐγγύους, & ἐγγυητάς. Ut *adpromiſſor* eſt, qui ſpondet pro promiſſore, id eſt, reo promittendi, ſic *adſtipulator*, quem Philoxenus in Gloſſis προσεπερωτητὴν exponit, qui pro reo ſtipulandi ſtipulatur. *Ad-*

ſtipulator, προσεπερωτητής. Ex vi vocabuli tam Græci, quam Latini is dicitur proprie, qui in re præſenti eſt,& una idem pro eodē ſtipulatur, cum aliquis ſibi ſtipulatur aliquid. Ita ergo & *adpromiſſor*, qui adeſt promittēti alicui idemq; promittit, ut diſerte habetur leg. v, tit. II: *Satiſacceptio eſt ſtipulatio, quæ ita obligat promiſſorem, ut adpromiſſores quoque ab eo accipiantur, id eſt, qui idem promittant.* Feſtus *adpromiſſorem* interpretatur, *qui quod ſuo nomine promiſit, idem pro altero quoque promittit.* Immo eſt qui pro altero promittit tantum. Sic alio loco inter ſtipulatorem & adſtipulatorem, ita diſtinguit, quod ille pro ſe ſtipuletur, hic pro altero. Hoc enim eſt *alteri adſtipulari*, ut alteri adpromittere. *Reus ſtipulando*, inquit, *eſt idem qui ſtipulator dicitur, quippe ſuo nomine ab altero quid ſtipulatus eſt, non is qui alteri adſtipulatus eſt.* Ut ſubtiliter diſtinguendo alius eſt adpromiſſor à fidejuſſore, vel ſponſore, ita revera idem eſt, & æque potuit cum bona ratione id mutare in *fidejuſſorem* Tribonianus, ac vadem, prædem, ſponſoremque, quæ omnia nomina, ex libris Juriſconſultorum expunxit. Nam jure, quod in fidejuſſoribus obſervari ſanxit Juſtinianus, idem prorſus *adpromiſſor* cum fidejuſſore. *Expromiſſor* autem alius ab adpromiſſore. Hic enim ſimul cum promittendi reo *obligatur. Expromiſſor* vero ſolus, quia in rei principalis locum ſucceſſit, pro quo novandi animo promiſit. *Sponſores* porro, ut olim generatim omnes, qui pro aliquo ſpondebant, id eſt, promittebant, ita poſtea *fidejuſſores* iidem dicti, ubi vocum ſubtilitates & diſtinctiones antiquorum Juriſconſultorum à poſterioribus negligi cœptæ ſunt. Græcis certe, quamvis in lingua ſua copioſiſſima, ἐγγυητὴς quilibet, qui quocunque modo & in quacunque re, pro quibuſlibet fidem ſuam interponeret, & pro eo ſponderet, ſive promitteret. Auſonius *ſpondendi* verbo id quod vades prædeſque faciunt intellexit, & ſunt qui

pro

pro debitoribus pecuniæ creditæ ſponſores interveniunt. In ludo ſeptem ſapientum de Thalete:

Nos, ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, dicimus.
Latinum eſt, ſponde, noxia eſt præſto tibi.
Per mille poſſum currere exempla, ut probem,
Prædes vadeſque pœnitudinis reos.

Idem in Ludio ad ſponſores retulit, qui fœneratoribus pro debitore ſe interponunt.

Thales, ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, protulit,
Spondere qui nos, noxa quia præſto eſt, vetat.
Hoc nos monere fœneratis non placet.

Ubi *fœnerati* ſunt fœneratores, & qui fœnerantur. Sic *ſponſus* Ovidio pro eo qui ſpopondit:

Hac eadem ſponſum conſulti ante atria mittit,
Vnius ut verbi grandia damna ferat.

Qui alluſit ad illud Thaletis, ſive Chilonis, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. Sic Phædro *ſponſus improbus* pro ſponſore improbo:

Fraudatori nomen locans ſponſo improbo.

Gloſſæ Iſidori: *Sculna, ſponſus.* Hic *ſponſus*, ſponſor eſt, nempe qui Græcis μεσεγγυητὴς, Latinis *ſculna*, & ſequeſter. Mirum vero, in illo apophthegmate Chilonis, ſive, ut aliis placet, Thaletis, non dico omnes recentiores interpretes, nam de his, quid mirum? ſed Auſonium ἐγγύα pro verbo accepiſſe, & *ſponde* vertiſſe. Nomen eſt, non verbum, nec verbi imperantis modus. Quod ſi eſſet, ab agendi verbo ἐγγυᾶν veniret, quod hoc ſenſu Græcis non uſurpatur, ſed in patiendi forma ἐγγυᾶσθαι eſt ſpondere, non ἐγγυᾶν. Hoc enim tradere & dare proprie ſignificat, non ſpondere. Grammatici: Ἐγγυῶ, τὸ ἐκδίδωμι, καὶ κατεγγυῶ. Euſtathius: Ἐγγυᾷ ὁ διδοὺς, ἐγγυᾶται ὁ λαμβάνων. Quod habet ex Ammonio de differentiis ac proprietatibus vocum: Ἐγγυᾶν καὶ ἐγγυᾶσθαι διαφέρει. ἐγγυᾷ μὲν γὰρ ὁ διδοὺς, ἐγγυᾶται δὲ ὁ λαμβάνων. Quæ verba non de ſponſoribus pecuniæ, aut rei alterius, accipienda ſunt, ſed de puellis,

quas parentes ſpondent petitoribus nuptiarum cauſa. Socer igitur puellam ſpondet, hoc eſt, ἐγγυᾷ, qui eam locat: is qui petit & accipit, ἐγγυᾶται, gener nempe. Latini ita diſtinguunt inter *ſpondere* & *deſpondere*, ut Græci inter ἐγγυᾶν & ἐγγυᾶσθαι. Nam ſpondet puellam à quo petitur: deſpondet, qui petit. Vide Donatum in Adelphos, & alibi. Veteres Gloſſæ: *Deſpondit*, ἐμνηστεύσατο. Nam ἐγγυᾶται, qui deſpondet ac procatur: ἐγγυᾷ, qui dat nuptum, vel promittit. Quod & ἐκδιδόναι dicebant. Sic καταγγυᾶν compoſitum, idem eſt quod tradere apud Demoſthenem in Exceptione contra Apaturium, non intellectum docto interpreti, & perperam redditum: ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀργυρίου τοῦ Παρμένοντος τὴν ναῦν καταγγυῶ, καὶ τοὺς παῖδας. Ubi καταγγυᾶν non eſt *ſponſione obſtringere*, ut vertit interpres, ſed *tradere*. Tradidit ille navem & pueros, ut venderentur, & ut Parmeno, cui ſponſor erat, ſuum recuperaret: Ταῦτα δὲ πράξας κατηγγύησα τοὺς παῖδας, ἵν' εἴ τις ἔνδεια γένοιτο, τὰ ἐλλείποντα ἐκ τῶν παίδων εἴη. Hoc eſt, *His peractis, pueros tradidi, ut ſiquid eſſet reliquum ad ſolutionem, id ex his ſervaretur.* Non ut reddidit interpres, *pueros ſponſione obſtrinxi.* Quod ſenſu caret & nihil ad rem pertinet. Paulo ante dixit, ſe tradidiſſe pignus Parmenoni, ut ex eo diſtracto debitum reciperet. Pignus illud erat navis. Spoponderat pro Apaturio hic qui παραγραφῇ utitur, Trapezitæ Heraclidi, cum Apaturio triginta minas daret mutuas. Parmeno quoque decem ei dederat, ut navem liberaret oppigneratam aliis creditoribus in parem ſummam. Liberatis prioribus creditoribus manſit navis oppignerata ſecundis, Parmenoni & Heraclidi Trapezitæ. Cum paulo poſt foro ceſſiſſet & lateret Heraclides, Apaturius fraudandi cauſa navem pignori poſitam è portu educere voluit, & ſervos pariter oppigneratos Athenis ablegare. Parmenon cui decem minæ debebantur ab Apaturio, ſervos qui amandabantur, retinuit, &

navem portu ſolvere prohibuit, ſimulque accerſit ſponſorem Apaturii, remque ipſi aperit. Ille ut liberaretur fidejuſſione qua ſe Trapezitæ Heraclidi obligaverat, navis cuſtodes ſe conſtituiſſe, & ſponſoribus menſæ Heraclidis factum Apaturii ſe narraſſe dicit. Deinde ſubjungit, καὶ παρέδωκα τὸ ἐνέχυρον, εἰπὼν αὐτοῖς ὅτι δέκα μναῖ ἐνέστησαν τοῦ ξένου ἐν τῇ νηΐ. Menſarius ille Heraclides, ut jam diximus, foro ceſſerat, & menſam, ut loquebantur Attici, everterat, quæ hodie *Banca rupta* eſt. Sponſores ejus appellabantur à creditoribus. Ut eis gratum faceret hic cujus oratio eſt, indicat, ab Apaturio triginta minas illi menſario deberi, ſub pignore navis, & ſimul pignus ipſum illis tradit, hoc eſt, navem ipſam, admonetque illos, eamdem navem oppigneratam etiam eſſe Parmenoni ob decem minas, καὶ παρέδωκα τὸ ἐνέχυρον, εἰπὼν αὐτοῖς ὅτι δέκα μναῖ ἐνέστησαν τοῦ ξένου ἐν τῇ νηΐ. Cùm hoc feciſſet ille pro quo perorat Demoſthenes, navem tradidiſſe non contentus, ſervos etiam tradidit, hoc eſt, κατηγγύησε, ut ſi totum debitum ex navi diſtracta ſervari non poſſet, reliquum ex ſervis venditis reciperetur. Ταῦτα δὲ πράξας κατηγγύησα τοὺς παῖδας ἵν' εἴ τις ἔκδεια γίγνοιτο, τὸ ἐλλεῖπον ἐκ τῶν παίδων εἴη. Ita legimus ex veteribus libris, εἴ τις ἔκδεια, non εἴ τις ἔνδεια. Nam ἔκδεια, ut bene Suidas interpretatus eſt, Atticis dicitur ἡ κεχρεωστημένη λοιπὰς, *reliquatio debiti*. Debes mihi centum aureos ſub pignoribus, iis diſtractis nonaginta tantum recipio. Decem qui ſuperſunt, vel potius deſunt quo minus integrum recuperem, ἔκδεια vocatur Atticis. Quod hic dixit de ſervis κατηγγύησα παῖδας, de navi paulo ante dixit, παρέδωκα ἐνέχυρον. De utroque paulo poſt ſubjungit, τὴν ναῦν καὶ τοὺς παῖδας παραδίδωμι. Hoc eſt, *navem trado & pueros*. Ergo ἐγγυᾶν & κατεγγυᾶν eſt tradere. Ἐγγυᾶσθαι, ſpondere, promittere, & fidem ſuam pro altero interponere. Demoſthenes paulo poſt in eadem oratione: Οὐκ ἂν πολὺ ἔξαρνος ἐγγυόμενος ἢ συνεγγυώμενος,

 nun-

nunquam inficiarer ſi ſpopondiſſem. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II: Ἀλλ' ἕν τι μόνον ἐγγυᾶσθαι τὸ μηδὲν ἐξ ἐπιδρομῆς κακὸν ὑπ' ἐχθρῶν παθεῖν προκαταληφθέντας. Idem lib. VI: Ἐγγυῶμαι ὑμῖν τὴν βουλὴν ἐγὼ, ὡς ὑπὲρ τῶν χρειῶν φιλονεικίας ἀξίως τῆς ἀρετῆς ἣν ἂν παράσχητε ἐν πολέμῳ, βραβεύσειν. *Spondeo ego vobis, ſenatum, in contentionibus veſtris ſuper rebus creditis, pro merito virtutis, quam in bello oſtenderitis, auctoritatem ſuam interpoſiturum, eaſque terminaturum.* Et apud Arrianum in Epicteto, ἐγγυῶμαί σε, *ſpondeo tibi, promitto tibi.* Sed quis poſt Homerum requirat alium teſtem? Is hoc verbum ἐγγυᾶσθαι ſic uſurpavit Odyſſ. Θ:

Δειλαί τοι δειλῶν γε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι.

De Marte loquitur cum Venere in adulterio à marito deprehenſo. Pœnam debebat quam adulteri. Pro eo ſponſorem ſeſe offert Vulcano Neptunus, qui ὑπίσχεται, hoc eſt, promittit ac ſpondet multam eum eſſe ſoluturum, petitque ut vinculis exſolvatur, & fidedicit pro illo:

Λῦσον, ἐπεὶ δέ τοι αὐτὸν ὑπίσχομαι ὡς σὺ κελεύεις,
Τίσειν αἴσιμα πάντα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Sponſoris, aut fidejuſſoris pro altero antiquius diſertiuſque exemplum non puto alibi poſſe reperiri. Quod hic ὑπίσχεσθαι dixit, paulo poſt vocat ἐγγυᾶσθαι, id eſt, promittere ac ſpondere. Non igitur ἐγγυᾷν promittere eſt, ſed ἐγγυᾶσθαι. Quod qui facit, alterum daturum ſpondet. At qui ἐγγυᾷ, ipſe dat. Hinc etiam ἐγγυαλίζω, idem quod trado, in manus do, & ἐγχειρίζω, ut πυκταλίζω à πύκτης apud Anacreontem. Nam & ἐγγύη eſt pignus, pecunia, quæ deponitur apud ſequeſtrem, ἔκδοσις χρημάτων, ut Grammatici exponunt. In Chilonis ergo præcepto ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα, ἐγγύα nomen eſt, non verbum. Scribendum quippe eſſet, ἐγγυῶ, ut eſſet, *ſponde*, ab ἐγγυῶμαι. Ea vero loquutio & antiqua, & conveniens brevibus hujuſmodi ſententiis, argutis, & oraculi modo pronuntiatis. Simplicius erat dicere, ἐγγύα

πάρει-

πάρειστ' ἄτα. *ſponſui comes noxa.* Pro eo dixit, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα, *ſponſio; ei vero praſto eſt noxa.* Idem ferme loquendi genus apud Virgilium:

Craſtina lux, mea ſi non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulum ſpectabis cadis acervos.

Eadem & apud Plautum hoc verſu:

Pici divitiis, qui aureos montes colunt,
Eos ſolus ſupero.

Plura ejuſdem exempli poſſem notare, ſi memoria ſuffragaretur. Sed unum ſaltem Græcum adferendum eſt. Theocritus in Ἀδωνιαζούσαις: Ἁ κλὰξ τᾶς μεγάλας τᾶς λάρνακος, ὧδε φέρ' αὐτάν. *Clavis magna ciſta, huc illam fer.* Plane ſimilis loquutio, cum illa Chilonei præcepti, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. Quod ὑπίσχεσθαι, & ἐγγυᾶσθαι Homero eſt, idem nempe quod pro alio promittere & ſpondere, hoc etiam ἀντιφωνεῖν ſequentibus Græcis dictum eſt, quod non *ſpondere*, ſed *reſpondere* ſignificat. Qui interrogatur à creditore an pro debitore ſpondeat, cum reſpondet id ſe facere, ἀντιφωνεῖ. Inde & ἀντιφωνεῖν pro ſpondere. Heſychius: ἐγγυάζειν, ἀντιφωνεῖν. Proprie ἀντιφωνεῖν eſt reſpondere interroganti. Unde ἀντίφωνος ἠχὼ Græcis. Hinc & pro *reſcribere* poſitum eſt, quod vulgo etiam *reſpondere* dicimus, in Epiſtola Jonathanis ad Spartiatas, Maccabæorum lib. I, cap. XII: Καὶ νῦν καλῶς ποιήσετε ἀντιφωνήσαντες ἡμῖν πρὸς ταῦτα. *Et nunc recte feceritis, ſi ad hæc nobis reſpondeatis.* Inde & pro ſpondere, ἐγγυᾶσθαι. Suidas: Ἀντιφωνῶ σοι, ἐγγυῶμαί σοι. Optimæ Philoxeni Gloſſæ, ſcriptæ ante Juſtinianum, & juris Orientalis & Græci auctores: *Spopondit,* ὑπέσχετο, ἀντεφώνησεν, ἐνεγγύησατο. *Reſpondere* Latinos eodem plane ſignificatu uſurpaſſe, ex his Aſconii Pædiani conſtat: *Deponitur in ſequeſtri: Accipitur ab eo qui corrumpitur: Recipitur, id eſt, promittitur, id eſt, pro judicato reſpondetur.* Hoc eſt, ἀντιφωνεῖται. *Spondere* apud veteres, notante Feſto, idem erat quod *dicere. Spondere*, inquit,

quit, *antea ponebatur pro dicere, unde & reſpondere adhuc manet, ſed poſtea uſurpari cœptum eſt, in promiſſo.* Etquid mirum ſi *ſpondere*, quod erat olim dicere, poſtea uſurpatum ſit pro promittere, cum & ipſum hoc verbum *dicere* eamdem apud veteres videatur habuiſſe ſignificationem? An non *dotem dicere*, idem quod promittere, & *dotis dictio* eſt promiſſio? Certe & *dictam* pro ſponſa, vel pacta Nonius interpretatur. *Virgo*, inquit, *priuſquam petatur, ſperata dicitur. Dehinc promiſſa, dicta, vel pacta, vel ſponſa, dici poteſt. Hinc illud Virgilii: Cui pater & conjux quondam tua dicta relinquor.* Aliud tamen apud Juriſconſultos *dotem dicere*, aliud *promittere*. Ulpianus in Titulis: *Dos, aut datur, aut dicitur, aut promittitur.* Perperam doctiſſimi Juriſconſulti putant, *dotis dictionem* ſollemnibus verbis fuiſſe conceptam. Nec juvat, quod producunt ex leg. III Cod. Theod. hæc verba: *Dos ſi qua forte ſollemniter, aut data, aut dicta, aut promiſſa fuerit.* Nam hæc ſollemnitas æque ad dationem pertinet ac promiſſionem, non ad ſolam dictionem. Immo vero verborum ſollemnitas in promiſſione ſola locum habuerit, non in datione, nec in dictione. Et ſane ſtipulatio promiſſioni intervenire debuit. Atqui ſtipulationis propria verba ſollemnia. Ea ſuſtulit lex VI Cod. de dotis promiſſione, quæ ſanxit, *ad exactionem dotis qualiacunque verba ſufficere, ſive ſcripta fuerint, ſive non, etiamſi ſtipulatio in pollicitatione rerum dotalium minime fuerit ſubſequuta.* Ea lex eſt Theodoſii & Valentiniani in Cod. Theod. de Dotibus. In qua vulgo legitur: *Etiamſi dictio, vel ſtipulatio in pollicitatione rerum dotalium minime fuerit ſubſequuta.* Verba illa, *ſi dictio*, ex ea ſuſtulit Tribonianus, & legem totam interpolavit, inſerendo, *ſive ſcripta fuerint, ſive non.* Quicunque eam legem Theodoſio ſcripſit, certe neſcivit quid eſſet *dicere dotem*, aut dotis dictio. Quod putavit in dictione dotis interveniſſe ſtipulationis verba ſol-

ba ſollemnia, plane erravit. Hoc pacto nulla differentia extitiſſet inter promiſſionem dotis, ac dictionem. Quid igitur opus hanc certis perſonis dare, & illam? Nam mulier quæ nuptura erat, ea dotem dicere poterat, & debitor mulieris ſi ejus juſſu diceret, item procurator, & parens. Cæteri omnes promittebant. Stipulatio in promittenda dote ita concipiebatur: *Decem dotis in proximo anno dare ſpondes? ſpondeo. Promittis? promitto.* Hæc proprie dotis promiſſio appellata, quæ cum ſollemnitate verborum qualis in ſtipulatione requirebatur, fiebat. At dotis dictio, quam mulier nuptura faciebat, & illæ, quas diximus, perſonæ, ſimpliciſſima fuit, hac nempe formula, *Doti tibi erunt decem.* Hoc diſcrimen dotis dicendæ, & promittendæ luculenter explicavit Gaius Inſt. II, tit. IX, ſi attendiſſent doctiſſimi in jure viri. *Sunt*, inquit, *& alia obligationes, qua nulla pracedente interrogatione contrahi poſſunt, ut ſi mulier, ſive ſponſo uxor futura, ſive jam marito, dotem dicat.* Ad quæ verba mirum notare juris peritiſſimos, *Dotis dictionem certis & ſollemnibus verbis fieri nulla pracedente interrogatione.* Quod nulla fit præcedente interrogatione, ſine ſollemnitate fit. Hæc enim propria ſollemnitas ſtipulationum. Quæ nulla interveniebat in dotis dictione, ut in promiſſione. Sane omnes antiqui Juriſconſulti tradunt, ſtipulationes inductas eſſe obligationum firmandarum gratia, *qua quadam verborum ſollemnitate concipiebantur.* Hæc verborum ſollemnitas aberat dotis dictioni. Omnino *dotem dicere* nihil aliud eſt quam conſtituere, immo & promittere, ſed ſine ſtipulatione. Nam & mulier nuptura, quæ dotem promittit ſine ſtipulatione, dotem plane dicit. Hæc eadem loquutio eſt, qua *multa dici, & lex dici*, id eſt, conſtitui dicitur. Ita & *uxorem dicere*, eſt promittere. Virgilius in Ciri:

Illa ego ſum, Minos, ſacrato fœdere conjux
Dicta tibi.

Spon-

Sponſam, ac promiſſam Nonius exponit in alio ejuſdem poëtæ verſu quem ſupra attulimus. Sic apud eumdem: *Et pecori dixere maritum.* Æmilius Probus in Eumene: *Hoc tempore data eſt Eumeni Cappadocia, ſive potius dicta. Nam tum in hoſtium erat poteſtate.* Id eſt, promiſſa, deſtinata, decreta. Sic *dicta dos* eſt, quæ non eſt data, ſed promiſſa, vel pacta. At quæ *promiſſa* proprie dicitur, quatenus diſtinguitur à *dicta*, de ea quæ cum ſtipulatione ac verborum ſollemnitate promittitur, intelligi debet. Cum igitur *ſpondere* veteribus idem eſſet Feſto auctore, quod dicere, ex eo etiam factum, ut *dicere* pro ſpondere accipiatur. Decretam tamen, deſtinatam, & conſtitutam potius intellexerim, quæ dicta eſt. Quod autem *reſpondere* etiam pro ſpondere poſitum eſt, ita uſurpatum id videri poſſet, quomodo & *repromittere* pro ſimplici promittere, & *reddere* pro dare, ut olim obſervavimus. Græci tamen cum ἀντιφωνεῖν pro eo dixerunt, hoc ad verbum Latini expreſſerunt, vertentes *reſpondere*. Nam ſi ἀρχαϊκῶς *ſpondere* eſt φωνεῖν, *reſpondere* eſt ἀντιφωνεῖν. Atque ita eo verbo uſi ſunt etiam optimi auctores. Sextus Empiricus lib. IX Adverſus Mathematicos: Ἡμῶν γὰρ ζητούντων εἰ ἔστι τις τόπος ἐν ᾧ ἔστι τὸ σῶμα διαφέρον αὐτοῦ τοῦ ἐν αὐτῷ λεγομένου σώματος, ἐκεῖνοι ὡς ὁμόλογον ἡμῖν ἀντιφωνοῦσι τὸ ἐν τόπῳ γεγονέναι Σωκράτην, καὶ ἐν τούτῳ νῦν διαλέγεσθαι Πλάτωνα. Græci Juriſconſulti, qui jus Romanum Græce verterunt, ſub imperio Conſtantinopolitano, cum vocabulum non haberent quibus antiquorum Juriſprudentium *conſtitutam pecuniam* exprimerent, ἀντιφώνησιν reddiderunt. Gloſſæ Græco-Latinæ: Ἀντιφώνησις, *pecunia conſtituta.* Ἀντιφωνεῖν, *conſtituere.* Atqui *conſtituere* aliud eſt Juriſconſultis, quam *ſpondere*, vel *reſpondere*, vel quod Græcis ἀντιφωνεῖν. Hoc enim verbum generale de omnibus, qui pro altero ſe ſoluturos promittunt. *Conſtituere* vero *pecuniam* non ſolum is dicitur, qui eam pro altero ſo-

ro ſoluturum ſe promittit, ſed & qui pro ſe. Ea re differebat *conſtituta pecunia* ab ea, quam ſpoponderat ſe ſoluturum fidejuſſor. Nam qui conſtituebat, nuda pactione fidem ſuam ſolebat interponere: qui ſpondebat, ſtipulatione. Inde *actio pecuniæ conſtitutæ* à Prætore perſonalis introducta eſt, quam jus civile non agnoſcebat, utpote quod nullam actionem ex pacto nudo daret. *Conſtitutum* quippe pecuniæ, conventio eſt, qua quis ſe ſoluturum ſine ſtipulatione promiſit, quod ipſe vel alius debet. Cum quis conſtituit in diem ſe ſoluturum, quod in præſenti debet, non eſt ἀντιφώνησις. Nec qui ita conſtituit, poteſt vere dici ἀντιφωνητής. Quod nomen ex vi vocis, quam explicavimus, ei tantum convenit, qui pro altero ſpopondit. Abuſive tamen de utroque dictum, & qui pro ſe, & qui pro altero conſtituerat. Duobus etiam modis conſtituebatur pecunia, vel in diem, vel præſenti die. Quæ debebatur præſenti die, poterat in diem conſtitui; quæ in diem, præſenti die ut ſolveretur. De qua re dubitatum eſſe apud veteres, patet ex leg. III D. de conſtituta pecunia; & leg. II Cod. eodem. Sed Labeo, vel propter has potiſſimum cauſas, propter illa quæ nondum peti poſſent, *Conſtitutum* inductum exiſtimabat, ut eſt in ead. leg. qua ſupra D. de conſtituta. Quod in eo qui pro ſe conſtituit, valuiſſe tantum putarim. Quis enim prohibet, quod in diem debeo, ſi conſtituam hoc ipſo die me ſoluturum? Et thema legis ſupraſcriptæ de eo eſt, qui debitor jure civili & prætorio, in diem obligatus conſtituit. Si quis pro altero conſtituerit, qui in diem debet, non puto teneri. Nam fidejuſſor in duriorem cauſam obligatus, quam ipſe reus ſit, non tenetur. Ut minus debeat, poteſt obligari, non ut plus quam reus principalis, cujus acceſſio tantum eſt. Non ſolum autem in quantitate plus aut minus intelligitur, ſed etiam in tempore. Ergo quod in diem debet reus principalis, id ſi eadem die ſoluturum conſtituerit, non tenebitur fi-

tur fidejuſſor. Etenim pro fidejuſſore prorſus eſt, qui conſtituit pro altero. Aliud eſt in eo, qui pro ſe conſtituit, ut jam diximus. Doctus Juriſconſultus nuper ad Theophilum notabat, conſtitutum fieri in diem, idque ipſum verbum ſignificare, eoque videri non valere conſtitutum ſi quis ſine die conſtituat. Longe aliter ſentio. Quis enim mihi perſuadeat, non eſſe, nec dici proprie poſſe *Conſtitutum*, ſi quod in diem debeo hoc ipſo die conſtituam me ſoluturum? An vis verbi, quominus conſtitutum ſit, prohibebit? Nihil minus. Hac ipſa hora, aut poſt horam poſſum conſtituere, quod non niſi poſt menſem deberem. Nec Petronii locus hilum ad hoc probandum facit, *Veniremus ad conſtitutum*. Non enim *conſtitutum*, diem condictum ibi ſignificat, ſed locum. *Conſtitutum* itaque de loco, & de die, & de pecunia debita dicitur. *Pactus & conſtitutus dies, pactus & conſtitutus locus, pacta & conſtituta pecunia*. Sed hæc, in diem certum & conſtitutum ſolvenda, vel etiam in præſenti. Nam poterat quis, ut dixi, conſtituere eodem die ſe ſoluturum. Intervallum quidem aliquid eſſe debet inter ſolutionem, & conſtitutum. Sed vel aliquot horarum, vel unius horæ ſatis erat. Alias ſi quis ſtatim ſolveret, ac ſolutionem repræſentaret, vix eſſet conſtitutum. Numerata quippe pecunia differt à Conſtituta. Sed & conſtitutum tempus aliud à præſenti. Et præſens de eo quod jam adeſt. Conſtitutum cujus nondum dies, vel hora venit. Quintilianus in declamatione CCLXXX: *Omnium vel pœnarum, vel præmiorum tempus, aut conſtitutum eſt, aut præſens. Quoties finitur dies, expectandus. Quoties vero non differtur, præſens eſt.* Ergo conſtitutum tempus non dicitur niſi de eo quod eſt præfinitum, ac nondum venit. At conſtituit pecuniam, qui promittit eam ſe ſoluturum, vel in diem, vel præſenti die, id eſt, eodem die quo conſtituit. Falſum igitur eſt, quod notant non valere conſtitutum ſi quis ſine die conſtituat,

cum

cum præſenti die poſſit conſtitui, quod in diem debebatur. Quod pactum, ut dixi, valebat in eo tantum, qui pro ſe conſtituebat. At in ea loquutione, qua quis *ad conſtitutum venire* dicebatur, de loco intelligebant. Non opus erat unius, aut plurium dierum intervallo depacto ad conſtitutum locum veniri, ut eſſet proprie ac diceretur *Conſtitutum*. Unius horæ, vel ſemihorii, vel etiam minus, ſufficiebat, ut hoc nomen haberet. Idem de pecunia Conſtituta. Varro II de R.R. de loco intellexit: *Scrofam mane ſalutavi, cum alius eum ſalutaſſet, alius convitiatus eſſet, quod tam ſero veniſſet ad conſtitutum.* Juvenalis ſat. III:

Hic ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.

Ubi ad conſtitutum veniebat cum amica. Quod *conſtitutæ pecuniæ* actio fuit in privatis, hoc *recepticia* in trapezitis, à recipiendo. *Recipere* autem dicitur, & qui promittit ſe pro altero ſoluturum. *Recepta* autem, & *conſtituta* pecunia, quantum ad ſignificationem pro altero promittendi, non differunt, ſed quoad perſonas quæ promittunt. Nam Trapezitæ recipiunt, alii conſtituunt. Utrunque Græcis ἀντιφωνεῖν. Theophilus: καὶ ἡ recepticia ἥτις ἁρμόζει τραπεζίτου ἀντιφωνήσαντος. Et *recepticia*, ſive *pecunia recepta* actio, *qua competit, cum menſarius ſe ſoluturum recipit.* Hoc Græci dicunt ἀναδέχεσθαι. Quod ad omnes cujuſcunque rei pro altero ſponſores, vel fidejuſſores porrigitur etiam apud Atticos. Demoſthenes contra Lacritum: Καὶ ἡγούμενος αὐτοὺς ποιήσειν πάντα ὅσαπερ ὑπισχνεῖτο, καὶ ἀνεδέχετο Λάκριτος οὑτοσί. *Facturos eos cum putarem omnia quæcunque hic promiſerat, ac receperat.* Quod & alibi apud eum occurrit. Hinc ἀνάδοχος pro ſponſore, qui ad verbum eſt *receptor*. Gloſſæ: *Vades*, ἀνάδοχοι, ἔγγυοι. Item: *prædes*, ἀνάδοχοι ἔγγυοι. Heſychius: ἐγγύαι, ἀναδοχαί. Septuaginta, ut ante notabamus, ἐκδέχεσθαι pro eodem poſuerunt. Aſconius: *Recipitur pecunia, id eſt, promittitur, cum pro judicato reſpondetur.* Et paſſim apud

claſſicos auctores *recipere in ſe*, *ad ſe*, & ſimpliciter *recipere*, pro aliquid facturum promittere. Quod proprium poſtea factum eſt Menſariorum in *recepticiæ actionis* nomine contra ipſos præſtandæ, cum pro altero ſe ſoluturos receperant. Ex his duabus actionibus *Conſtitutæ pecuniæ*, & *Receptæ*, cum unam facere vellet Juſtinianus, *recepticiam* abolevit, & in actionem *pecuniæ conſtitutæ* transfudit quidquid erat in *recepticia* plenius. Hæc fuit porro inter utramque differentia, quod non cõſtituebatur, niſi de rebus pondere, numero & menſura conſtantibus, in quibus & mutuum conſiſtebat. At recipiebatur à Menſario de rebus omnibus mobilibus immobilibuſque. Cujus differentiæ hanc cauſam puto fuiſſe, quod olim Menſarii auctionibus præerant, pretia rerum venditarum colligebant, & redigebant. Apud eos cujuſque generis res deponebantur, quia publicæ fidei erant veluti ſequeſtres. Idcirco & promittebãt ſe ſoluturos, aut redditurus pro aliis res quaſcunque mobiles, vel immobiles. At privatos non ob alias res conſtituere jus erat, quam in quibus mutuum conſiſtebat, hoc eſt, quæ pondere, numero & menſura continebantur. Non ſolum autem recipit ſolvi Argentarius, ſed etiam conſtituit, ut patet ex leg. VI D. de Edendo: *Sed & quod ſolvi conſtituit argentarius, edere debet: Nam & hoc ex argentaria venit.* Ergo & *conſtitutæ pecuniæ* actio in argentarium competit, ſiquidem & ipſe conſtituit. Ergo & jam ante Juſtinianum *conſtitutæ pecuniæ*, & *receptæ* actio eadem erat. Sed omnino credo Tribonianum, quod Juſtinianus ſuſtulerat *recepticiam* actionem, & quaſi ſupervacuam à legibus ſuis recedere juſſerat, ne uſpiam ejus in Digeſtis veſtigium extaret, in hac lege repoſuiſſe *conſtituit*, pro *recepit*. Cum enim novo jure liceret omnibus conſtituere, quod antea privatis tantum licitum, ubi argẽtariis recipere pro rebus omnibus erat moris, ideo & à Triboniano hoc ſcriptum conſtituere argentarium.

tarium. Lege quippe II Cod. de conſtituta pecunia, omnia quæ de recepticia in diverſis legumlatorum libris poſita ſunt, aboleri expreſſis verbis jubet. Conſtat ex eadem leg. II Cod. eod. in certis caſibus conſtitutæ pecuniæ actionem annalem fuiſſe, quod olim Athenis legitimum in omnibus ſponſionibus, ut eſſent ἐπέτειοι, id eſt, annales. *Conſtitutam pecuniam* quidam Græci non inde dictam interpretati ſunt, quod eam aliquis, vel pro ſe, vel pro altero ſolvi conſtitueret, ſed confirmatam ejus pecuniæ ſolutionem expoſuerunt. Hinc & Græce *pecunia conſtituta*, χρημάτων συστάσεως reddiderunt, & σύστασιν ex eo dici voluerunt, τὴν ἀντιφώνησιν, quia διὰ τῆς ἀντιφωνήσεως συνίσταται ἢ βεβαιοῦται ἡ ἀπαίτησις τῶν παρά τινος ὀφειλομένων τινὶ πραγμάτων. Quod per conſtiturum pecuniæ conſiſtit & confirmatur exactiorerum, quæ alicui ab altero debētur. Quattuor differentias ſtatuunt iidem Græci inter ἀντιφώνησιν, id eſt, conſtitutum pecuniæ, & communem ἐγγύην, hoc eſt, fidejuſſionem. Prima eſt, quod & pro ſe quis poteſt conſtituere, non ſolum pro altero, cum nemo niſi pro altero fidejubeat, id eſt, ἐγγυᾶται. Secunda aliud pro alio conſtituitur ſi velit creditor. ut, debeo tibi centum aureos præſenti die, poſſum tibi ipſe conſtituere, aut alius pro me, centum modios frumenti ejuſdem pretii intra menſem ſolvendos. An poſſit aliud conſtitui, quam quod debetur, quæſitum eſſe dicit Ulpianus leg. I D. eod. Sed poſſe reſpondet, quia, inquit, jam placet rem pro re ſolvi poſſe. Atqui ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου οὐκ ἐγγυᾶται ἐπὶ βαρυτέρᾳ αἰτίᾳ, non poteſt aliud pro alio fidejuſſione promitti. Quod addit Græcus ἐπὶ βαρυτέρᾳ αἰτίᾳ, ſequeretur inde ſi non gravior eſſet cauſa, obligari poſſe fidejuſſorem, rem aliam pro alia promittendo ſolvi, ut cui decem aurei eſſent crediti, poſſit pro eo aliquis frumentum ejuſdem pretii fide ſua jubere. Nullo tamen caſu id eſſe licitum, clare ſancitur leg. XLII D. de fidejuſſoribus, quæ negat, in

Zz 2 aliam

aliam rem, quam quæ credita eſt, fidejuſſorem poſſe obligari. Tertia differentia: conſtituitur debitum, non item quod indebitum eſt. Nam hactenus conſtitutum valere, ſi quod conſtituitur debitum ſit, ait lex XI D. eodem. Quod non idem in fidejuſſione, quia etiam quod non debetur fide ſua quis jubere eſſe poteſt. Æque in recepta pecunia olim quoque id obtinuit. Sed Juſtinianus, ut ad inſtar conſtitutæ hac in parte eam redigeret, per conſtitutæ pecuniæ actionem, quam in omnibus loco recepticiæ ſubrogavit, res indebitas exigi noluit. At olim eas actione recepticia petere licebat, ut videre eſt in leg. II Cod. eod. Quarta & ultima: conſtitutum pecuniæ fit inter præſentes, & abſentes, & per nuncium & epiſtolam, & quibuſcunque verbis, & per liberam perſonam. Quare? Quia ἀντιφώνησις conventio eſt ſine ſtipulatione, quæ nec ſollemnia verba requirit, & inter abſentes pacto firmari poteſt, per epiſtolam & nuncium. At fidejuſſio non fit citra ſtipulationem jure Romano civili, nec porro aliter ſtipulatio procedit niſi inter præſentes, ut ſit qui ad interrogatum reſpondeat. Apud Græcos qui ſtipulationum firmamenta ſuis pactionibus & conventionibus non adhibebant nihil fuit hac in parte diſcriminis inter ἀντιφώνησιν & ἐγγύην. Quinimmo ἀντιφώνησις etiam de qualibet ἐγγύῃ accipitur, ut jam ante notavimus. Sed & Græci Juriſconſulti quamvis ἀντιφώνησιν ad *conſtitutam pecuniam* proprie tranſtulerint, paſſim tamen & pro quavis interceſſione & ἐγγύῃ eam vocem accipiunt, ut Harmenopolus lib. III, cap. περὶ ἐγγύας γυναικὸς, ubi promiſcue γυναῖκα ἐγγυωμένην, & ἀντιφωνοῦσαν pro eadem ponit, quæ nempe pro alio interceſſit. Nam *intercedere*, vel ſpondere, eſt ἀντιφωνεῖν, non conſtituere. At leg. I D. de conſtituta pecunia, ubi dicitur, *& mulieres de conſtituta teneri ſi non interceſſerint.* Harmenopulus illud *ſi non interceſſerint*, ἐὰν μὴ ἰντερκεδεύσωσιν Græce reddidit, cum tamen ubiq;

illo

illo titulo *intercedere* ἀντιφωνεῖν verterit. Sed cum in hac lege ἀντιφωνεῖν eſſet ponendum pro conſtituere, vitandæ ambiguitati verbum Latinum in altero retinendum fuit. Doctus interpres ad illam legem, ſcribit, *mulierem conſtituere pro alio poſſe, ſi non interceſſerit.* Quod quid ſit, non capio. Nam qui pro alio conſtituit, plane intercedit. Lex autem vult, modo pro altero non conſtituat, id eſt, non intercedat, teneri. Ergo pro ſe conſtituens tantum tenetur. Et recte ita interpretatus eſt Harmenopulus, vel Μικροῦ κατὰ στοιχεῖον auctor, unde habet: Αἱ γυναῖκες ἀντιφωνοῦσαι ἐνέχονται ἐν ᾧ μὴ ἐντερκεδεύουσιν, ἤγουν ἰδίῳ ὀνόματι ἢ κέρδει ἀντιφωνοῦσαι ἐνέχονται, ὑπὲρ ἀλλοτρίου δὲ ἀντιφωνοῦσαι βοηθοῦνται. Induxit in errorem clariſſimum Juriſconſultum Synopſis Baſilicῶn, lib. XXVI, tit. VII, ubi interceſſio exponitur, τὸ ὑπὲρ ἄλλου παρέχειν ἐνέχυρον, οὐ μὴν τὸ ἀναδοῦναι τῷ χρεώστῃ τὸ ἐνέχυρον αὐτοῦ, καὶ γυναῖκες ἀντιφωνοῦσαι ἐνέχονται, ἐν ᾧ μὴ ἐντερκεδεύουσιν. Putavit igitur, ita accipienda verba legis ſupraſcriptæ, ut *intercedere* eſſet pignus pro alio dare, *conſtituere* autem *pro alio*, hoc eſſe, promittere ſolvi. Quod eſt falſiſſimum. Dicitur quidem leg. VIII D. ad Velleianum, quamvis pignoris datio interceſſionem faciat, tamen redditionem pignoris non eſſe interceſſionem. Poſſe igitur mulierem creditricem, rem quam pignori acceperit debitori liberare, quoniam hoc pro interceſſione non habetur, non poſſe vero rem aliquam pignori dare, quia quæ hoc facit, intercedit. De omni itaque interceſſione loquitur lex prima D. de conſtituta, quæ dicit, mulierem de conſtituta teneri ſi non intercedat, id eſt, ſi pro ſe conſtituat, non pro altero. Sic pro ſe quis poteſt conſtituere in diem ſit obligatus, non item ſi pro altero. Tunc enim fidejuſſor eſt, nec debet in duriorem cauſam obligari, quam reus principalis ſit obligatus. Apud Harmenpoulum lib. III, tit. περὶ ἐγγυητῶν καὶ ἀντιφωνητῶν, ἀντιφωνηταὶ ſunt ii qui pecunias pro aliis conſtitue-

runt. Vetus interpres in Novella IV Juſtiniani unde ille titulus ad verbum ſumptus eſt ἀντιφωνηταὶ vertit *ſponſores*, de fidejuſſoribus, mandatoribus, & ſponſoribus. Quaſi ſponſores hoc differrent à fidejuſſoribus, quod ſine ſtipulatione promitterent. Sed melius Julianus Anteceſſor ἀντιφωνητὰς reddit, eos qui pro aliis pecunias conſtituunt. Senatuſconſulto Velleiano ſancitum erat, *ne mulieres pro ullo intercederent*, quod verbum Græci ἀντιφωνεῖν reddunt, hoc eſt, ne pro ullo ſponderent. In ipſis Senatuſconſulti verbis ita ſcriptum erat, *Quod ad fidejuſſiones, & mutui dationes pro aliis quibus intercesſerint fœminæ, pertinet*. Hotomanno placebat legi, *& mutuationes*. Nòn enim, inquit, Senatuſconſultum prohibet ne mulieres dent pecuniam mutuam, ſed ne accipiant. Non hic ſenſus decreti. Qui accipit pecuniam mutuam, non intercedit. Nec puto mulieres prohibitas accipere mutuum ab aliquo. Cujacius *mutui dationes* intelligit, cum mulier alii datura, vel ab eo qui alii daturus erat, mutuum accepit. Ne hoc quidem verum eſt. *Interceſſor* proprie dicebatur, cujus opera & *interceſſione* mutuam aliquis pecuniam reperiebat. Ergo intercedit mutui dationi, qui facit ut det quis ſuam pecuniam petenti mutuam. Seneca Epiſt. CXIX: *Opus erit tamen tibi creditore. Vt negotiari poſſis, æs alienum facias oportet. Sed nolo per interceſſorem mutueris. Nolo proxenetæ nomen tuum jactent. Paratum tibi creditorem dabo.* In verbis igitur Velleiani, aut delendæ illæ voces ſunt *pro aliis*, aut certe tranſponendæ, & legendum: *Quod ad fidejuſſiones, & mutui dationes, in quibus pro aliis interceſſerint fœminæ*. Aliter ſenſus non conſtat. Poſſunt & expungi illa duo verba, *pro aliis*, ſine damno ſententiæ. *Interceſſores* itaque dicti, qui in mutui datione interveniebant, & ſe interponebant pro debitore, quos & ἀντιφωνητὰς & ἐγγυητὰς etiam Græci appellant. Diverſi autem in hoc à proxenetis, quo-
rum

rum mentio junctim fit cum interceſſoribus illo Senecæ loco quem ante attulimus, quod proxenetæ non obligabantur, cum interceſſores haud minus, quam fidejuſſores tenerentur. Ideo & Seneca hæc duo officia diſtinxit, cum *per interceſſorem mutuari* dixit, & *per proxenetam nomen debitoris jactari*. Interceſſor igitur in cauſa eſt, ut mutuum detur, quia fidem ſuam interponit pro mutuatario. Proxeneta monſtrat nomen & laudat, vel, ut loquitur Seneca, jactat. Propterea Ulpianus leg. 11 D. de Proxeneticis, ait, *qui proxeneta faciendi nominis intervenit, non poſſe quaſi mandatorem teneri, quia monſtret magis nomen, quam mandat, tametſi laudet nomen*. Ab his proxenetis & interceſſoribus non nimium diverſi qui *notores* dicebantur. Cum quis quaſi ignotis pecuniam alteris credere verebatur, hi notores eos commendabant, & ſibi notos affirmabant, & bene his poſſe credi. *Cognitores* etiam dicebantur. Atque ita vocat Cicero, ut doctis iam obſervatum. Aliter *cognitor* eſt, qui rem præſentis in judicio defendit, ut *procurator* abſentis. Qui ſectionem bonorum redimebant, notores, ſive cognitores dabant, qui pro ſe publico ſponderent, atque intercederent. Qui cognitores plerumque & participes lucri, ut ſocii, cum ſectoribus erant. Unde *cognituras* & *ſectiones* junxit Suetonius in Vitellio: *Cujus filius cogniturus & ſectionibus uberius compendium nactus*. Sed & *cognitor*, qui litem alterius ſuſcipiebat, inde dictus eſt, quod notor ejus eſſet. Idem quippe notor & cognitor. Unde *notorem petere*, ac *dare*. Seneca Epiſt. XXXIX: *Tu à me non eſt quod illum, aut illum exigas. Qui notorem dat, ignotus eſt.* De his notoribus ac cognitoribus idem dici poteſt, quod de interceſſoribus ac proxenetis nominum. *Ἐγγυητὴν* etiam Græci vocaverunt eum, qui in ſecuritatem creditoris ſpondet pro debitore. Sic vocatur apud Scævolam in leg. XXXIV D. de pignoribus: *Δανείστήρος*

σεσημασμένον παρ' ἐμοῦ, σὺ δηνάρια πεντακόσια παρεκάλεσά σε, μὴ βεβαιωτὴν, ἀλλ' ὑποθήκην παρ' ἐμοῦ λαβεῖν. Eamdem plane habet ſignificationem cum ἐγγυητῇ. Nam τὸ ἔγγυον idem eſt ac βέβαιον & ἀσφαλὲς, ut ante docuimus. Optimæ Gloſſæ: βεβαίωσις, *confirmatio, fidejuſſio.* Item: βεβαιωτὴς, *fidejuſſor, ſponſor.* Adhibitus etiam βεβαιωτὴς in contrahenda emptione, quem Latini *ſecundum auctorem* appellant. Nam cum venditor ſit primus auctor, fidejuſſor ejus merito eſt ſecundus. Ita certe & fidejuſſor in mutuo ſecundus auctor eſt credendi, quia primus ipſe debitor. Βεβαιωτὴς porro venditionis, pro fidejuſſore venditoris eſt habendus, ſi res evicta fuerit. Veteres Gloſſæ: *Secundus auctor*, βεβαιωτής. Julianus Anteceſſor in conſtitutione III *Venditionis confirmatorem* vocat, qui in Novella Juſtiniani Græca βεβαιωτὴς appellatur, καὶ οὐ τοῦτο μόνον ἐπὶ δανειστῶν φαμὲν, ἀλλὰ καὶ εἴ τις ὠνήσαιτό τι παρά τινος, εἶτα τὸ κωλυόμενον λάβοι βεβαιωτήν. Julianus: *Hæc autem omnia quæ de creditore & fidejuſſore diximus, etiam ad venditionis confirmatorem trahenda ſunt, ut non prius emptori licentia ſit adverſus confirmatorem conſiſtere, niſi prius venditorem convenerit, vel indubitate ſolvendo non ſit.* Hæc βεβαιώσεως δίκη Atticis dicebatur, quæ dabatur emptori adverſus venditorem, ſi ei de re empta controverſia in tertius moveret. Suidas: βεβαιώσεως, δίκης ἐστὶν ὄνομα, ἣν δικάζουσιν οἱ ὠελπσάμενοι τι. Lege, οἱ ὠνησάμενοί τι. *Confirmationis, vel confirmandæ venditionis, nomen actionis eſt, qua experiuntur, qui aliquid emerunt.* Idem mendum apud Heſychium ſic corrigendum: Βεβαιώσεως δίκη, ἐπὶ τῶν ἀντισαμένων τι μετὰ ταῦτα ἀμφισβητούμενον. *Actio, quam intendunt, qui emerunt rem, de qua poſt controverſia oritur.* Quis non putaret, eſſe actionem, quæ competat adverſus βεβαιωτὴν venditionis, hoc eſt, ſecundum auctorem? Non ea tamen fuit jure quo Attici utebantur, ſed in auctorem ipſum, hoc eſt, venditorem dari ſolebat, ut ratam

tam faceret venditionem rei pro qua lis movebatur emptori, eamque illi confirmaret. Ita enim Pollux lib. VIII, cap. VI: Ἡ δὲ βεβαιώσεως δίκη, ὁπότε τις πριά-μενος οἰκίαν ἢ χωρίον ἀμφισβητοῦντος τινὸς ἀνάγῃ ἐπὶ τὸν πεπρακότα, τὸν δὲ προσήκει βεβαιοῦν, ἢ μὴ βεβαιοῦντα ὑπεύ-θυνον εἶναι τῆς βεβαιώσεως. *Confirmationis actio dicitur, cum quis empta domo, aut fundo, ſi controverſia ſuper eo moveatur, venditorem indicat. Hunc vero oportet rem emptam firmare, aut ſi non firmet, ratamque faciat venditionem, teneri actione confirmationis.* Sequitur: εἰ δὲ ὁ ἀνάγων ἐπὶ τὸν πεπρακότα ἡττηθείη, τὸ μὲν ἀμφισβη-τηθὲν τοῦ κρατήσαντος ἐγίγνετο, ὁ δὲ ἡττηθεὶς τὴν τιμὴν παρὰ τοῦ αὐτὸ πεπρακότος ἐκομίζετο. Ita ſcribenda hæc Pollucis verba. Quod ſi, qui venditorem ſuum indicaverat, & eum auctorem allegaverat, victus eſſet, res controverſa adjudicabatur victori, victus autem emptor, pretium recipiebat à venditore. Harpocration ἀνάγειν, exponit μηνύειν τὸν πεπρακότα, καὶ ἐπ' ἐκεῖνον ἰέναι. Hoc eſt, allegare, vel laudare venditorem, eumque oſtendere rem venditam volenti evincere, ut ipſum conveniat. Hoc eſt, quod dicimus, *appeller ſon garent*, non redhibitionis cauſa, ut obſervat vir doctiſſimus ad Harpocrationem, ſed ut ratam faciat venditionem, auctoritatemque præſtet, ne res empta evincatur. Emptor qui nolebat actionem excipere & litigare, cum eo qui rem venditam vindicabat, monſtrabat illi venditorem, hoc eſt, auctorem ſuum, ut cum eo potius, quam ſecum experiretur. Eſt quidem ἀναγωγὴ redhibitio, cum res empta redhibetur ac redditur venditori ob aliquod vitium, quod venditor celavit, diſſimulavitque, cujus notitiam ſi habuiſſet emptor, id non fuiſſet empturus. Heſychius: ἀναγωγὴ ἡ τῶν πραθέντων ἀνδραπό-δων ἀνάδοσις ἐχόντων αἰτίαν τινά. Hoc eſt, *redhibitio venditorum mancipiorum, ob vitium aliquod.* Sed aliud eſt ἀνάγειν τὸ πραθὲν, id eſt, rem venditam redhibere, aliud ἀνάγειν ἐπὶ τὸν πεπρακότα, ad venditorem deducere

eum qui rem petit, ut cum illo potius litiget. Igitur ἀνάγει ἐπὶ τὸν πρατῆρα, qui ad venditorem ducit petitorem, ἀνάγει τὸ πραθὲν, qui venditori rem emptam reddit ac redhibet. Perperam etiam legitur in Harpocrationis verbis, καὶ ἐπ' ἐκεῖνον ἰέναι. Quod vertunt, *venditorem indicare, & ad illum ire.* Immo debuit: *& ad illum mittere.* Et legendum eſt mutato accentu, ἐπ' ἐκεῖνον ἱέναι. Inquinatiſſima ſunt verba ejuſdem Harpocrationis, quibus βεβαιώσεως δίκην interpretatur, quæ ſic redintegranda judico: Βεβαιώσεως, δίκης ὄνομά ἐστιν, ἣν δικάζονται οἱ ὠνησάμενοί τι τῶν πωλουμένων, ἂν ἕτερος ὁ μὲν ἀμφισβητῇ τοῦ πραθέντος, ὁ δὲ μὴ βεβαιοῖ. Ea actione utuntur adverſus vendentem, qui aliquid ab eo emerunt, ſi alius id vindicet, venditor autem non confirmet venditionem. Si quis arra data, venditor rem de qua conveniſſet non traderet oblato pretio, agebat hac eadem actione τῆς βεβαιώσεως contra eum, qui arram acceperat, is qui dederat. Harpocration dum ἀνάγειν, explicat, ἱέναι ἐπὶ τὸν πρατῆρα. *Mittere* potius accipiendum eſt, quam *ire.* Nam emptor cui litem movebat tertius de re empta, cum ad venditorem ἀνάγει, petitorem quaſi deducit ad ſuum auctorem, ut cum illo agat, eumque illi oſtendit atque indicat, ut ab eo potius, quam à ſe petat. Quod perſpicuum fit ex eodem Harpocratione in voce αὐτομαχεῖν, idque explicat, τὸ δι' ἑαυτοῦ δικάζεσθαι, ἀλλὰ μὴ δι' ἑτέρου, οἷον ἐάν τις εἰς πρατῆρα ἀνάγῃ, πρὸς ἐκεῖνον ἀποφαίνειν τὴν δίκην οὖσαν. Per ſe, non per alium, litigare dicitur & αὐτομαχεῖν, qui actionem excipit ipſe, nec alium allegat, quem debeat convenire petitor. Exempli gratia, emit Titius mancipium à Seio. Mævius illud mancipium ſuum eſſe aſſerit, & petit à Titio. Si Titius conveniri ſe patitur, & contendere vult cum Mævio, ſervum quem emit non ejus eſſe, αὐτομαχεῖ. Si vero nolit cum Mævio litigare, ſed venditorem à quo mancipium emit, oſtendit Mævio, ut cum eo experiatur, tum ἀνάγει εἰς

τὸν πρα-

τ̄ πρατῆρα, hoc eſt, petitorem ad venditorem, & aucto-
em ſuum amandat, nec ipſe αὐτομαχεῖ, ſed per alium,
d eſt, per venditorem. Quod ſi res evincatur, tum
βεβαιώσεως δίκη ei adverſus venditorem competit. Ita
uidem omnes Grammatici exponunt. Sed videndum
uidquid dicant, an non potius illa βεβαιώσεως δίκη
dverſus βεβαιωτὴν inſtituta fuerit, hoc eſt, fidejuſſo-
em venditionis, quam adverſus ipſum venditorem. In
mnibus enim contractibus & obligationibus, etiam
uæ conſenſu contraherentur, ut venditio & emptio,
nterponebantur apud Græcos ἐγγυηταί. In emptione
ontrahenda is βεβαιωτὴς appellabatur, adverſus quem
t dixi actio τῆς βεβαιώσεως emptori videtur potius
ompetiiſſe. Quid enim, ſi venditor non eſſet ido-
eus, quomodo βεβαιοῦν poterat venditionem, aut ſi
victa res eſſet, pretium reſtituere? Nec ſolum in
enditione, ſed etiam in locatione adhibebantur apud
tticos ἐγγυηταί. Theophraſtus in characteriſmo diſ-
dentis, notat, qui talis eſt, veſtes poliendas locare
lloni, non ei qui optime eas curare poſſet, ſed qui
aret idoneum fidejuſſorem, καὶ τὸ ἱμάτιον δὲ ἐκδοῦναι
ινὸς, οὐχ ὃς βέλτιστα ἐργάσεται, ἀλλ᾽ ὅταν ᾖ ἄξιος ἐγγυητὴς τοῦ
αφέως. Nec dubitari porro poteſt, quin in contra-
endi emptionibus intervenerint apud Atticos ex par-
venditoris ἐγγυηταὶ, qui ob evictionem dabantur em-
tori. Hos & βεβαιωτὰς dixere, quatenus & βεβαιωτὴς
em qui ἐγγυητὴς, & de omni fidejuſſore vox ea, ut
m dixi, uſurpabatur. *Vades* Varroni dicuntur lib. v
L. L. *A quo caveri lege cœptum eſt ab his qui præ-*
a venderent, vades ne darent. Hoc eſt, βεβαιωτὰς,
l ἐγγυητάς. Item: *Ab eo ſcribi cœptum in lege man-*
piorum vadem ne poſceret, nec dabitur. Is fidejuſſor
pellatur leg. IV D. de evictionibus. *Illud quæritur,*
s qui mancipio vendidit, debeat fidejuſſorem ob evi-
ionem dare, quem vulgo auctorem ſecundum vocant.
loſſæ: *Auctor ſecundus*, βεβαιωτής. Miror Cujacium,

at quantum virum! cautionem illam, vel ſatiſdationem, quæ dabatur ob evictionem, *ſecundi mancipii* nomine fuiſſe appellatam, notare. Nec enim auctores, quos ad hoc citat, id evincunt. Notæ Magnonis S.S.M. *Satis ſecundum mancipium*, aliud plane volunt. Quis enim poſſit putare, per *ſecundum mancipium*, ibi intelligendam eſſe talem ſatiſdationem? Immo ſatis gratum, ſatis placitum, vel obſequens mancipium accipe. Nam & hoc *ſecundum* ſignificat. Gloſſæ optimæ: *Secundum*, θυμήρες. In Ciceronis Epiſt. I, lib. v, ad Atticum, ne id quidem poteſt eo ſenſu ſumi: *De ſatiſdando vero te rogo, quoad eris Romæ, tu ut ſatiſdes, & ſunt aliquot ſatiſdationes ſecundum mancipium, in his & Memmianorum prædiorum, vel Atilianorum.* Nec enim ibi loquitur de ſatiſdatione ob evictionem, ſed ob creditum, vel mutuum accipiendum. Leviter corruptus eſt ille Ciceronis locus, & reſcribendum: *Et ſunt aliquot ſatiſdationes ſecundum mancipia, in his & Memmianorum prædiorum & Atilianorum.* Rogat Atticum, ut ſatiſdet pro ſe quamdiu erit Romæ. Aliquot eſſe ſatiſdationes ſecundum mancipia, quæ dari poſſint, nempe prædia Atiliana & Memmiana, quæ oppignerari poſſent, ſi mancipia, hoc eſt, ſervi, non ſufficerent. Datos ſæpiſſime apud veteres pignori ſervos, ſi probari rem notiſſimam opus eſſet, multis poſſem confirmare. Hoc igitur ita accipiendum, non ut doctiſſimis placet Juriſconſultis, qui notant, veteres *mancipia* vocaſſe, quæ recentiores *mobilia*, eaque à *prædiis*, id eſt, immobilibus diſtinxiſſe. Nec hilum juvat eos locus Ciceronis lib. III de Officiis, *Nec vero in prædiis ſolum jus civile ductum à natura maliciam fraudemque vindicat, ſed & in mancipiorum venditione, venditorum fraus omnis excluditur.* De qualibus mancipiis eo loco intellexerit, ſtatim palam facit his verbis: *Sed & in mancipiorum venditione venditorum fraus omnis excluditur. Qui enim ſcire debuit de*

ſani-

nitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto Ædilium. ec verba itaque Modeſtini leg. III D. de diverſis æſcriptionibus, de aliis mancipiis intelligenda, quam veris, id eſt, ſervis: *Longæ poſſeſſionis præſcriptio-m, tam in prædiis, quam in mancipiis locum habere aniſeſtum eſt.* Varro ipſe quem paulo ante citavi-us, prædiorum venditionem & legem mancipiorum vendendis iis diſcrevit. Ergo ſatiſdationes, aut in ancipiis pignori dandis fiunt, aut in prædiis. Hoc eſt, od ille dixit, ſecundum mancipia eſſe aliquot ſatiſ-tiones prædiorum Atilianorum & Memmianorum, eſt, ſecundo loco à mancipiis, ſi mancipia non ſuf-erent. Ibi *ſecundum* præpoſitio eſt, & μετὰ ſignificat, apud Salluſtium in Jugurthino, *ſecundum ea uti bitis uterer.* At ſecundo illo mancipio, ut voluit Cu-cius, nihil abſurdius. Si ullum ſecundum mancipium, bet eſſe & primum. Hæc enim ſunt relata. Sic *ſe-ndus auctor* fidejuſſor eſt venditionis, quia venditor primus. Primum vero mancipium quid erit? Ju-conſultus in ea lege dicit, quæri, an qui vendidit ancipio debeat fidejuſſorem ob evictionem dare. quidem vulgo exiſtimabatur, ſed ipſe reſpondet, n debere dari, niſi hoc cautum ſit lege venditionis, daretur. Qui mancipio igitur vendebat, neque fi-juſſorem, hoc eſt, βεβαιωτὴν, dare tenebatur, neque dupla promittere. Rurſus qui non dabat mancipio, luplam promitteret, neque is debebat ſatiſdare, ut erte dicit lex LV D. eodem. Ergo uno tantum caſu erat promiſſorem de evictione dari à venditore, ſi que mancipio venderet, neque duplam promitte-. Plato in XII de legibus vult proxenetam vendi-nis, quem προπράτην alii auctores vocant, ipſe προ-πωλῶντα appellat, ob evictionem teneri æque ac ven-orem, & recipi pretium ab eo ſi non ſit ſolvendo nditor. Ἐγγυητὰς μὲν, inquit, καὶ ὁ προπωλῶν ὅπως τοῦ μὴ ίκως πωλοῦντος ἢ καὶ μηδαμῶς ἀξιόχρεω. Ὑπόδικος

δ' ἔστω

δ' ἔςω καὶ ὁ προπωλῶν, καθάπερ ὁ ἀποδόμενος. *Fidejuſſor ſit, & proxeneta ejus, qui aliquid injuſte vendit, aut qui non eſt idoneus. Teneatur vero evictionis nomine tam proxeneta venditionis, quam ipſe venditor.* Non ſine cauſa itaque quidam videntur dubitaſſe an proxeneta faciendi nominis, qui reſpondet proxenetæ emptionis contrahendæ, poſſet quaſi fidejuſſor, aut mandator teneri, ut apud Ulpianum legere eſt leg. II D. de proxeneticis. Si venditor dedit fidejuſſorem, hoc eſt, βεβαιωτὴν, non ambigi debet, quin βεβαιώσεως δίκη adverſus eum competierit etiam antiquo jure Attico, adeo ut optio eſſet emptoris, utrum vellet ad actionem βεβαιώσεως inſtituendam eligere. Si non datus eſſet fidejuſſor à venditore, tum contra ipſum venditorem eadem actione experiebatur, quandoquidem & locum habebat eadem actio in eumdem venditorem, ſi arris acceptis, & pretio oblato nollet rem tradere, & venditionis legem implere. *Vades* etiam, ut Varro notavit, iſti venditionis fidejuſſores olim vocati ſunt tam in prædiis, quam in mancipiis, hoc eſt, immobilibus, ac ſervis vendendis. Non igitur ea vera diſtinctio, quam quidam grammatici tradiderunt, *vadis* & *prædis*, quod ille in capitali judicio, hic in privato ac pecuniario acciperetur. Quod diſcrimen conſignavit in Monoſyllabis Auſonius, his duobus verſiculis:

Quis ſubit in pœnam capitali judicio? vas.
Quis cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs?

De *vade* jam ſupra diximus. De *præde* nunc dicendum. Quos publicum accipiebat fidejuſſores, ita antiquitus appellati. Varro lib. v de L.L. *Sponſor & præs & vas, neque iidem, neque res à quibus ii, ſed diſſimiles. Itaque præs, qui à magiſtratu interrogatus, in publicum ut præſtet: à quo & cum reſpondet, dicitur præs.* Prædem igitur & vadem non alio diſtinguit, quam quod ille publico, iſte privatis ſponſor dari ſolitus.

litus. Sed quid eſt in verbis Varronis, *in publicum præſtare?* Non puto hoc Latinum eſſe. Certum eſt à præſtando prædem dictum velle. Verum quid præſtat publico, vel in publicum, qui pro eo præs eſt? Fidem. Inde & fidejuſſores appellati. Idem Varro lib. IV: *Prædia dicta, item ut prædes, à præſtando, quod per ea pignori data publici mancupes fidem præſtent.* Ita ergo legendum & in ſuperiori loco: *Itaque præs, qui à magiſtratu interrogatus, fidem publico ut præſtet. A quo & cum reſpondet, dicitur præs.* Ubi *reſpondere* accipitur, ut apud Aſconium, pro promittere, & fidejubere. Qui interrogatus, inquit, à Magiſtratu, ut fidem publico præſtet, ubi reſpondit, id eſt, ſpopondit, vel fidejuſſit pro publicano, vel mancupe, dicitur *præs*, à fide præſtanda. Aliter tamen accepit Feſtus, ut ex abbreviatore ejus conſtat, apud quem hæc leguntur: *Præs eſt is qui populo ſe obligat, interrogatuſque à magiſtratu ſi præs ſit, ille reſpondet, præs.* Ex quibus patam eſt, eum in Varrone legiſſe: *Itaque præs, qui à magiſtratu interrogatus, in publicum ut præs ſiet.* Quod apud Feſtum, *ut præs ſit*. Scaliger in Caſtigationibus ad Feſtum, vult *præſeſſe* antiquitus ſignificare præſentem eſſe. Sit hoc verum. An erit quod illi placet, prædem inde dictum, quod interrogatus à magiſtratu an præſeſſet, reſpondet, præs. Sic Græcus, inquit, interrogatus εἰ πάρεστι, reſpondet potius πάρεμι, quam πάρειμι. Ergo & Latinus deberet reſpondere, *præ* non *præs*. Nam *præ* eſt πάρειμι, non *præs*. Ridiculum præterea, aliquem, ut fidejubeat pro mancupe, interrogari à magiſtratu an ſit præſens, & illum reſpondentem ſe præſentem eſſe, eo modo obligari. *Præſentem eſſe* hac ratione ſignificaret fidejubere, & ſpondere pro altero. Quod nuſquam reperietur. Poſtremo verba ſtipulationum in obligationibus contrahendis, ita concipiebantur, ut qui interrogaret, rem ipſam exprimeret, cui obligare reſpondentem vellet, & reſpondens

etiam

etiam ſciret, & expreſſe diceret in quam rem obligari vellet, *Spondes? ſpondeo. Promittis? promitto. Fidejubes? fidejubeo.* Hæc in privatis fidejuſſionibus & ſponſionibus. An putamus, in publicis, & quæ populo fiebant, aliud obſervatum, & ſatis fuiſſe, ſi magiſtratus interrogaret ſponſorem publici futurum, an adeſſet, & ſi ille reſponderet, ſe adeſſe? Non hoc ſit mihi veriſimile. Interrogabatur igitur an eſſet *præs*, & reſpondebat, *præs*. Inde *prædes*. *Præs* non hic ſignificat præſentem. Unde enim hoc? *Præ* eſt παρά. Hinc *præſum* πάρειμι, antiquis. Nam *præ* duplicis eſt notionis apud Latinos, pro Græca præpoſitione παρὰ, ut παρυφὴ, *prætextum*, & ἀντὶ τοῦ πρὸ, *ante*, ut *præire*. Ita *præeſſe* non eſt παρεῖναι recentioribus, ſed προΐστασθαι, & ante aliquem, vel aliquos eſſe. At veteres etiam pro παρεῖναι uſurparunt. Ut autem *præſum* dixere, & *præſumus*, & *præſunt*, ita & *præſes* pro *praes*, & *præſeſſe*, pro *praeſſe*. Inde ſolum remanſit *præſens*, quod eſt pro *præens*, ὁ παρών. Eadem quippe ratione, qua *ſum* fecere ex ἔμι Æolico, ita & *ſunt* ex ἐντὶ, ita & *ſes* pro εἷς, & *ſeſtis* pro ἐστὲ, & *ſens* pro *ens*. Unde & *ſentia* pro *entia* ἡ οὐσία. Unde male *eſſentiam* ſcripſere, quæ debuit eſſe, & fuit olim *ſentia*, ut compoſitum *præſentia* ἡ παρουσία. Sic à verbo *abſum*, *abſens* pro *abens*, & *abſentia* pro *abentia*, ἀπουσία, quia veteribus *ſens* pro *ens* ὁ ὤν, & *ſentia* pro οὐσία. Si Auſonius ſcripſit, ut citatur à Scaligero, *noxa qui præſeſt*, idem erit quod præſens eſt. Sed alio loco, *præſto eſt* dixit. Et falſum quod ad eum Feſti locum obſervat idem vir magnus, multorum ſcriptorum Latini nominis codices calamo exaratos habere *præſeſt*, pro quo vulgati *præſto eſt*. Cum longe plurima exemplaria manu ſcripta verſaverim, nuſquam mihi occurrit. Demus reperiri, non tamen *præs* inde poteſt deduci. Nam *præſeſt* compoſitum eſt ex *præ*, & *ſeſt*. Quæ ratio, quæ analogia id faceret, ut diviſi prima littera ex verbo remaneret

adfixa

adfixa fini præpoſitionis? Deinde, ut dixi, *præſentem* pro ſponſore rem publicam ſalvam fore, non putem unquam fuiſſe dictum. Quid enim aliud denotaret iſta vox *præs*, ſiquidem à *præeſſe* facta foret? *Præs*, idem quod idoneus & locuples, & compoſitum ex *præ*, vel *pro*, & *æs*, ὁ εὔχαλκος, ὁ ἀξιόχρεως. Sic *aſſiduum* pro locuplete & idoneo veteres Grammatici dictum volunt, *ab aſſe dando*, id eſt, *ære*. Tales præcipue eligebantur, qui in publicum ſponderent. Inde *præs prædis* declinatur, pro *præs præris*, ut hæ duæ litteræ invicem permutantur. Ideo interrogabatur, qui ſe ſponſorem exhibebat in publica re pro ejus mancupe, an eſſet *præs*, id eſt, idoneus. Et reſpondebat, *præs*. Ab eo *præditus*, qui inſtructus eſt pluribus bonis, & opibus. Gloſſæ Philoxeni: *Præditus*, κεχορηγημένος, ὠχυρωμένος. Apud Apuleium in Floridis *præditus* pro divite ponitur, & opulento: *ipſe bene veſtitus, bene præditus*. Aliud enim *prædiatus*. Inde quoque *præda* videtur nomen nacta de opulentis manubiis & ſpoliis. *Præs* itaque locuples & idoneus fidejuſſor, quales expetebantur à magiſtratibus, ut publico fidem præſtarent. Inde & *prædia*, ipſa bona, quæ pignori populo dabantur. Aſconius *bonaprædia* unica voce dicta vult, & diſtingui à *prædiis*. Prædia ſunt res ipſæ, quæ dantur pignori à redemptoribus publicorum operum, vel etiam à publicanis, *prædes* vero fidejuſſores. Non enim illi tantum fidejuſſores dabant, qui *prædes* appellati, ſed etiam pignora, quæ ſimiliter *prædia* dicta, hoc eſt, ἀξιόχρεα, ut *prædes*, homines ſunt ἀξιόχρεοι. Quia autem res immobiles magis ſunt idoneæ ad fidem præſtandam, quam mobiles, idcirco & ἔγγεια κτήματα, id eſt, res ſoli, *prædiorum* nomine ſunt nuncupata. Unica vero dictione *bonaprædia* vocata ſunt, fidejuſſorum, hoc eſt, prædium bona, ſive ea in mobilibus rebus conſiſterent, ſive immobilibus. Nam ſi prædes, qui ſe obligaverant pro publicanis, aut redemptoribus publi-

eorum operum non ſolverent, aut ſolvendo non eſſent, bona eorum, qua mobilia, qua immobilia, vendebantur. Atque ea, ut dixi, *bonaprædia*. Poſſeſſiones vero ſoli quas ipſe redemptor, vel publicanus, pignori reipublicæ dediſſet, *prædia* vocabantur. Inde abuſive omnes ἔγγειοι κλῆροι hoc nomine appellatæ. Qui publica igitur redimebant, ſive opera, ſive vectigalia, ii *prædes* dabant, hoc eſt, fidejuſſores, & *prædia*, id eſt, pignora ſoli, quia magis idonea quam mobilia, contra quam vulgo perſuaſum fuit noſtris doctoribus ex male intellectis Juriſconſulti verbis. Hinc *prædibus & prædiis caveri* apud Ciceronem in Verrinis, id eſt, fidejuſſoribus & pignoribus, ſive hypothecis. In veteri inſcriptione Neapolitana. LEX. PARIETI. FACIVNDO. IN. AREA. QVÆ. EST. ANTE. ÆDEM. SERAPIS. TRANS. VIAM. QVI. REDEMERIT. PRÆDES. DATO. PRÆDIAQVE. SVBSIGNATO. DVVMVIRVM. ARBITRATV. Ubi *prædia ſubſignare* poſitum forſitan pro ſupponere, vel hypothecæ dare. Ut enim *adſignare* pro adponere vel adſcribere rem alicui, ſic *ſubſignare* pro ſupponere. Nam & in fine legis, hæc verba leguntur: *Pecuniæ dimidia pars dabitur, ubi prædia ſatis ſubſignata erunt, altera pars dimidia ſolvetur, opere effecto probatoque*. Id eſt, ubi prædiis ſubſignatis ac ſuppoſitis ſatis datum fuerit. Inde *prædiati* publico obligati, ſive ſuo nomine datis prædiis, ſive alieno tanquam prædes, quorum & bona erant fiduciata reipublicæ. Gloſſæ Philoxeni: *Prædiatus*, ὑπὲρ φόρου δήμῳ ἐνδεδεμένος. Ita ſcribendum. Nam vulgo perperam legitur, *prædiator*, & δήμου. Pro vectigali, vel tributo, obligatus populo. Alius autem *prædiator*, quam *prædiatus*. Sic quippe vocabatur, qui prædia publico obligata & proſcripta, vel bonaprædia, emebat. Eædem Gloſſæ: *Prædiator*, ὠνητὴς ὑπαρχόντων. Sic *præmiator*, qui præmium petit & aufert. Hinc & pro prædone nocturno, *nocturnus præmiator* veteri Comico, qui, ut ait Tibullus,

bullus, *rapta præmia veſte petit*. Græcis λωποδύτης. Inde *prædiatoria lex*, & *prædiatorium jus*, quod erat de prædiatis, id eſt, publico obligatis. Nec vero redemptores publici *prædiati* tantum dicti, ſed & qui à publico ærario, vel republica pecuniam mutuati fuerant, prædiis, vel prædibus datus. Suetonius in Claudio: *Poſtremo etiam ſeſtertium octogies pro introitu novi ſacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris anguſtias decidit, ut cum obligatam ærario fidem liberare non poſſet; in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit ſub dicto præfectorum.* Ærarii publici Præfecti ſolebant pecuniam ad ærarium pertinentem privatis mutuam ſub uſuris dare. Eam ſummam ſeſtertii octogies, quam impenderat Claudius pro introitu ſacerdotii, ab ærario ſumpſerat mutuam, *prædiis datis*, hoc eſt, poſſeſſionibus hypothecæ titulo obligatis. Quam cum non poſſet diſſolvere & fidem liberare, *lege prædiatoria*, quæ prædiati bona, ſi non ſolveret, vendi jubebat, *pependiſſe venalis* dicitur. Id eſt, bona ejus in tabella proſcripta publice pependiſſe. Ita enim & *pignorari* ſupra notavimus, hoc eſt, ἐνεχυράζεσθαι, qui non ipſe, ſed cujus bona pignori caperentur. Non igitur ita accipienda verba Suetonii, uti viris placet eruditiſſimis, quaſi ex veteri jure in cauſis fiſcalibus ſervato, qui non ſolverent, ipſi bonaque eorum venum exponerentur dicto præfectorum ærarii. Ad quid enim *prædes* & *prædia* ab his qui publico deberent poſtulata, niſi ut bona, quæ obligaſſent, ipſis non ſolventibus proſcripta penderent, & venderentur? Pendet itaque venalis cujus bona pendent. Nemo tunc vendebatur pro debito. Sed quid eſt *in vacuum pendere?* An fruſtra, cum nulli accederent empturi? Sic in Gloſſis, εἰς κενὸν, *fruſtrà, in vacuum*, exponitur. Et apud Apoſtolum εἰς κενὸν τρέχειν, *in vacuum currere* quidam ex veteribus verterunt. Apud Senecam *in vacuum* aliquot locis obſervavi, pro in vanum. Ut *in vacuum*

tumultuari. Pro quo vulgo legitur, *in ſupervacuum.* Quod & aliis locis apud eum corruptum occurrit. An potius expreſſit modum, quo illæ proſcriptorum bonorum in publico viſebantur, pendentes nimirum in aërem, hoc eſt, in vacuum, non affixæ? Edictum enim Præfectorum, quo proſcribebatur, vænalia eſſe bona prædiati, affixum erat pilæ, vel columnæ. Sub eodem autem edicto pendebat funiculo adnexa tabella, quæ bona ipſa, qualia eſſent, ubi ſita, & quanta, declarabat. Hoc plane *in vacuum pendere* ſignificat. Manilius de funambulo, quem *in aëre & ventis ferri* alius dixit:

Et cæli meditatus iter veſtigia perdet
In vacuum, & pendens populum ſuſpendet ab ipſo.

Turnebus *in vacuum proſcripta* volebat dici, quaſi vacua, & in nullius dominio mancipioque, ut qui ea emeret in vacuum veniret. Quod non poſſum probare. Quis enim ignorabat, quæ ſic proſcripta vænirent ex cauſa debiti, emptori jus fuiſſe ea poſſidere, & habere quaſi vacua? Melius omnino ut *in vacuum pependiſſe* dicatur, qui fruſtra pependerit, quod nemo emptor, aut ſector bonorum ejus acceſſerit. Et hoc veriſſimum judico. Ab illis porro *prædiatis,* ſive publico obligatis, quorum bona qui emebant, *prædiatores* dicti, id eſt, prædiorum, ſive hypothecarum emptores, *jus prædiatorium* appellatum, cujus peritos maxime fuiſſe Furium & Caſſellium, oſtendit Cicero pro Balbo his verbis, quæ non carent vitio, ut edita ſunt: *Etenim Q. Scævola ille augur, cum de jure prædiatorio conſuleretur, homo juriſperitiſſimus conſultores ſuos nonnunquam ad Furium & Caſſellium prædiatores rejiciebat.* Expungendam prorſus liquet vocem *prædiatores*, ne cenſeamus cum doctiſſimis Juriſconſultis, *prædiatores* dictos qui juris ad prædes & prædia pertinentis erant periti. Quod eſt ineptiſſimum. Nam *prædiatores*, ut jam dixi, non alii quam prædiorum, id eſt, ὑποθηκῶν emptores quas obligaverant prædiati. De quibus titu-

lum

lum fecerat Caius in libro ad Edictum Prætoris urbani, ut videre eſt in lege LIV D. de jure dotium. Valerius Maximus cum locum illum Ciceronis exſcriberet, *prædiatores* non nominavit eos Juriſconſultos ad quos Scævola conſultores ſuos de jure prædiatorio remittebat. *Q. Scævola*, inquit, *legum clariſſimus & certiſſimus vates, quotieſcunque de jure prædiatorio conſulebatur, ad Furium & Caſellium, quia huic ſcientiæ dediti erant, conſultores rejiciebat.* Nec video cur prædiatores nominari debuerint, juris prædiatoris periti. Quod jus prædiatorium ipſos magis *prædiatos*, id eſt, populo obſtrictos, quam *prædiatores*, qui ex publico emerant bona ſub haſta auctionata, reſpiciebat. Præs autem non is tantum, qui pro mancupe fidejubebat, dictus, ſed ipſe manceps, qui quid à populo cōducebat. Ad hos omnes puto tantum pertinuiſſe jus prædiatorium, qui nempe populo prædes fierent, ut in locationibus ad haſtam publicam faciendis mos fuit. Prædes etiam publici erant, qui dabantur à magiſtratibus municipalibus, cavebantq; rem publicam ſalvam fore. Qui fidejuſſores tamen, non prædes appellantur leg. LXVIII D. de fidejuſſoribus, & alibi paſſim in jure. Nec magis mirum, hodie in Pandectis *prædum* & *prædiatorum* nullam extare mentionem, quam *vadum* & *vadimoniorum*, cum tamen Juriſconſulti ex quibus jus ſuum curavit compilandum Juſtinianus, paſſim ea vocabula uſurparint. Quæ omnia adeo vulgaria fuiſſe in Romano Imperio conſtat, etiam extremo, ut & *vadia* pro pignoribus Latinitas infima barbaraque dixerit, & *prædes* pro fidejuſſoribus. Unde hodieque *pleios* eos appellamus, voce ex Latina detorta, quaſi *preios*, vel *preios* media littera extrita, ut apud nos in omnibus mos eſt. Nam & Romani *prædes* etiam in rebus privatis, qui ſe fidejuſſores conſtituerent, nuncuparunt. Hinc illud Auſonii;

Quis, cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.

Et ut conſtat ex Cicerone, in III contra Verrem, is unde hæreditas petebatur, pro præde litis vindiciarum ſatis dabat, ac is qui petebat, ubi ſatis acceperat pro præde litis vindiciarum, ſponſionem faciebat in certam pecuniam, aut æſtimationem, quam amittebat, niſi ſua eſſet hæreditas de qua contendebat. Lis autem vindiciarum erat, cum litigabatur de ea re apud Prætorem cujus quis eſſe deberet poſſeſſor incertum erat, & ideo qui poſſidebat, ſatiſdare tenebatur adverſario ſuo PRO PRÆDE LITIS VINDICIARVM, nihil ſe deterius in poſſeſſione rei facturum de qua lis eſſet. *Pro prade* autem ſatiſdat, qui tanquam præs hoc facit. Ut *pro bono facere*, & *pro ſano*, qui tanquam ſanus & bonus aliquid agit. Valerius in Notis & Edictis perpetuis hæc profert: PDE. L. V. Id eſt, *prade litis vindiciarum.* Item: P. P. L. V. Quod explicat, *pro prade litis vindiciarum.* Cui multa erat irrogata, prædes poſcebatur. Agellius lib. VII, cap. XIX: *L. Scipioni Aſiatico P. Scipionis Africani ſuperioris fratri C. Minucius Tribunus plebi multam irrogavit, eumque ob eam cauſam prades poſcebat.* Aſconius notat, *prades dici ſatiſdatores locupletes, pro re de qua apud judicem lis eſt.* In nomine *predis* ſignificationem eſſe locupletis, quod antea obſervabamus, vel inde conſtat. *Prades, vades, ſponſores, adpromiſſores, fidepromiſſores, fidejuſſores, receptores*, qui certis notis rebuſque, & ſpondendi formulis diſtinguebantur apud veteres Juriſconſultos, Juſtinianus, ſive Tribonianus, unica fidejuſſorum appellatione voluit contineri, cæteris omnibus abolitis. Illud tamen conſtat, *ſponſorum* nomen æque genericum fuiſſe prioribus, quam poſterioribus *fidejuſſorum.* Quocunque porro nomine vocaretur, qui pro alio quacunque in cauſa interveniret, ac fidem ſuam interponeret, olim jus erat creditori quem vellet, eligere, reum principalem, an fidejuſſorem, vel ſponſorem. Nec accedo ſententiæ docti Juriſconſulti,

ſulti, qui nuper ad Theophilum notavit, Juſtinianum jus vetus reduxiſſe Novella IV, qua ſanxit, conveniri prius debere debitorem quam acceſſiones. Utitur ad hoc probandum teſtimonio Quintiliani ex declamationibus, ubi dicit, *non aliter ſalvo pudore ad ſponſorem venire creditorem, quam ſi rem recipere à debitore non poſſit.* Sed pudor ille non facit jus. Honeſtiores quidem creditores pudore prohibentur priorem interpellare ſponſorem, quam debitorem, ſi hic eſſet ſolvendo. Verum qui pudorem iſtum non haberet, nullo jure vetabatur ſuum recipere à fidejuſſore, ſi vellet, & debitorem, ſive reum principalem, quamvis idoneus eſſet, quietum non ſollicitare. Quod Caius in Inſtitutionibus diſerte his verbis teſtatur: *Aut in obligatione debitoris, ſi aliquis fidejuſſor accedat, & ille qui perſonam fidejuſſoris accipit, interroget, iſtum fide tua eſſe jubes? & ille reſpondeat, fide mea eſſe jubeo: hac conditione non ſolum qui debitor eſt, ſed & is qui fidejuſſor exiſtit, obligantur.* Ita enim ea conſtituenda & diſtinguenda. Sequitur deinde: *Et non ſolum fidejuſſor ipſe dum vivit, ſed & hæredes ipſius, ſi ille defecerit, tenentur obnoxii. Creditor autem qui pecuniam credit, in poteſtate habet ad repetendam pecuniam, quem velit tenere, utrum ipſum debitorem an fidejuſſorem, ſed ſi debitorem tenere elegerit, fidejuſſorem abſolvit, ſi vero fidejuſſorem tenuerit, debitorem abſolvit. Quia uno electo, quem idoneum creditor judicat, alterum liberat.* Hoc idem traditur in Papiani reſponſis cap. XVI, qui amplius ſcribit, ante judicem id profiteri creditorem debere. *Quod ſi quis à debitore ſuo fidejuſſorem in ſolutione acceperit, in poteſtate habeat creditor, aut fidejuſſorem tenendi, aut eum qui debitor prior extiterit. Quod tamen ante judicem creditor profiteri debet, quem ſcilicet eorum malit eligere.* Idque etiam clare probatur ex leg. III Cod. de fidejuſſoribus, poteſtatem nimirum electionis permitti creditori. Nec diſſimulat

Juſtinianus in præfatione ejus ipſius Novellæ, qua jus vetus mutavit, eam partem legis antiquæ non fuiſſe omnino diſcretam, quia nempe optio penes creditorem fuit, fidejuſſorem conveniendi ante reum principalem. Ea igitur parte & legem veterem de fidejuſſoribus correxit, ut non liceret creditori contra fidejuſſorem actionem de credito ante movere, quam adverſus ipſum reum principalem egiſſet. Quod etiam ſtatuit in conſtitutæ pecuniæ fidejuſſoribus, & mandatoribus, item venditionis ſecundis auctoribus, qui & ipſi pro fidejuſſoribus, hoc eſt, βεβαιωτὰς. At olim licuit creditori, vel fidejuſſorem, vel reum principalem eligere. Unius electione liberabatur alter. Et electo quidem reo principali, omnino liberabatur fidejuſſor, non etiam mandator, ut eſt apud Paulum lib. II Sentent. tit. XVII: *Electo*, inquit, *reo principali, fidejuſſor vel hæres ejus liberatur. Non item in mandatoribus obſervabatur.* Cur tam diverſe ratio petenda à Cujacio Obſervat. lib. XXIII, cap. XXV. Juſtinianus mandatores fidejuſſoribus exæquavit. In jure quoque Talmudico cavetur, creditorem mutuaticiæ pecuniæ, ſi ſponſorem acceperit, non exigere primo à ſponſore oportere, ſed à debitore, niſi ea quis conditione crediдiſſet, ut à quocunque vellet prius exigendi poteſtatem haberet, tum ei licebat ex doctorum cæterorum Miſnicorum ſententia à ſponſore repetere non diſcuſſo reo principali. Simeon vero filius Gamalielis ſi debitori facultates ſuppeterent, etiam ſi ea conditione mutuum dediſſet creditor ut eligendi poteſtatem haberet, non putavit eligi debere fidejuſſorem, ſed à debitore, qui ſolvendo eſſet, incipiendum eſſe. Quæ tamen ejus ſententia non eſt approbata. Fidejuſſorem ערב vocant, quod verbum etiam originem *arraboni* dedit, quod ערבון. De quo in præcedentibus. Fidejuſſorem adhiberi omni obligationi poſſe *ſive re, ſive verbis, ſive conſenſu*, dicit Ulpianus leg. VIII D. de

D. de fidejuſſoribus. Ubi obligationem quæ fit litteris, omiſiſſe de induſtria Tribonianum manifeſtum eſt, quia non amplius tunc in uſu jure Juſtinianeo, vel quia qualis fuiſſet olim, non intelligeret, ut in ſuperiore libro docuimus. Nam qui ſcripturam menſæ accipi debere putarunt, eo maxime argumento refelluntur, quod ea obligandi ratio per litteras, quæ apud menſam Argentariorum contraheretur, notiſſima illo in tempore fuerit, & maxime uſitata. Verum de hac litterarum obligatione adhuc in tertio volumine de uſuris Juſtinianeis erit agendum, ubi de nominum faciendorum ratione diſſeremus. Quod initio hujus capitis diximus, plures ejuſdem rei fidejuſſores dari Romano jure ſolitos, ſciendum, & Atticis idem moris fuiſſe. Jurabant judices apud illos ſe neminem in vincula conjici juſſuros, qui tres fidejuſſores dare poſſet ejuſdem cujus ipſe eſſet ordinis ac cenſus: Οὐ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας. Quæ ſic interpretatur Ulpianus: Τῶν τριῶν ἐγγυητῶν ἴσην οὐσίαν ἐχόντων ἐκείνῳ ὅνπερ ἐγγυῶνται, ἵνα ἱκανοὶ ὦσιν οἱ τρεῖς ἐγγυήσασθαι αὐτόν. Ita hæc verba legenda.

CAPUT XVII.

Post pignora & hypothecas fidejuſſoreſque reſtare perſonas ipſas & corpora debitorum, quæ dari poſſint in ſecuritatem creditoribus. Hoc vocari Græcis δανείζειν ἐπὶ τοῖς σώμασι. Solonem id lege ſuſtuliſſe apud Athenienſes. Σεισάχθειαν eam quibuſdam appellatam. Eumdem legiſlatorẽ ad præſens omnes ob debita nexos atque addictos liberaſſe, ac ne in poſterum necterentur, ſanxiſſe. Ab Ægyptiis eam legem de non obligandis corporibus tranſtuliſſe. Abſurde facere legiſlatores, qui vetent pignori capi inſtrumenta ruſtica & aratoria, & ipſos aratores agricolaſve in ſervitutem ob æs alienum abduci permittant. Quid

ſit ἀποψηφισθῆναι. Verba Philochori apud Suidam correcta, & explicata. Ob debitum qui ſe ſponte ſua in ſervitutem ex conventione creditori dedebant, vel judicis auctoritate eidem addicebantur, nec liberos fuiſſe, nec cives. A popularibus ſuis Athenis vulgo ex albo civium eradi ſolitos, omnium δημοτῶν ſuffragiis. Ea res ἀποψήφισις dicta. Ὑποχρέφιοι dicti, qui ſub corporum nexu pecuniam mutuabantur. Quid ſit ἐπὶ τοῖς σώμασιν ὀφείλειν, & ἐπὶ τοῖς σώμασιν. Duobus modis ἀγώγιμα fieri corpora, aut pignoris acceptione, aut pignoris capione. Ἀγώγιμα tamen magis de pignoris capione intelligi. Vbi alterum licitum fuit, utrumque fere fuiſſe permiſſum. Quid ſit ἀγώγιμον γίνεσθαι, de corporibus pignori capi ſolitis. Ἀγώγιμον σῶμα proprie dici de perſonæ pignoriſcapione, ut ἀγώγιμα χρήματα, de bonorum. Quid diſcriminis ſit inter ἄγειν & ἀπάγειν. Leges Atticæ de cæde explicatæ. Quid ſit ὁ ὑπένερθεν νόμος apud Demoſthenem. In axibus, ac pilis, ita ſcriptas fuiſſe leges, ut in ſuperiore parte inciſa prior fuerit, in inferiore poſterior. Lex de homicidis confeſſis expoſita, & emendata. An, qui occiſus ſit, duci poſſit. Ἀπάγειν etiam ad ſupplicium ducere ſignificat. Ita Latinos verbum ducere accepiſſe. Axones proprie de legibus Solonis, non de Draconis. Alia lex Attica de cædis reis, emendata. Quid ſit ἐφορία ἀγορά. Quid προαγόρευσις. Differentia inter ἄγειν & ἀπάγειν explicata à Demoſthene. Poſt Solonis legem non licuit creditoribus ſuos debitores ἄγειν, ſed ἀπάγειν. In jus rapere aliquem obtorto collo, idem eſſe quod ἀπάγειν. Ἀπαγωγὴ non fuit actionis formula, ſed prehenſionis jus. Quid ſit ἀπαγωγῇ χρῆσθαι. Lex Attica emendata. Quid ſit νομίμων εἴργεσθαι. In furibus interdiariis ἀπαγωγὴ permiſſa. Qui jus prehendendi habebant, non poteſtatem habuiſſe eumdem in vincula conjiciendi. Ἀπάγεσθαι abſolute poſitum, eſſe ad mortem duci.

duci. Qui ipſe ἀπάγειν præ virium imbecillitate reum non valebat, magiſtratui eum indicabat. Hæc indicina, ἐφήγησις dicta. Non fuiſſe propriè actionis nomen. De quattuor modis adverſus fures agendi. Ἀπάγειν, non eſſe, in vincula aut carcerem conjicere, ut vulgo accipitur. Quid ſit ἔνδειξις. Ἐνδείκτης idem quod delator, vel denuntiator. Ἀπαγωγὴ in omnibus ferme publicis criminibus lege licita. In nullis fas fuit ἀγώγιμον facere. In quem præſentem, ſi capi poſſet, competeret ἀπαγωγὴ, in eumdem abſentem, aut ſi præſens non poſſet prehendi, competiſſe ἔνδειξιν. Cur ἀπαγωγὴ aliquando confundi videatur cum ἐνδείξει. Harpocration correctus. Ἀπαγωγὴ & pro ſupplicio, cum quis ad mortem ducebatur. Diverſa ἀπαγωγὴ privatorum, quæ his lege permittebatur, & magiſtratus. Quid diſtet ἔνδειξις & ἐφήγησις. Lex Attica apud Demoſthenem emaculata, & expoſita. De loquutione ἄγειν καὶ φέρειν, qua vaſtationem ac direptionem regionis hoſtilis auctores ſignificant. De ſingulis hominibus etiam uſurpari. Latinis veteribus vexare eodem ſenſu quo ἄγειν ac φέρειν Græcis poſitum. Id verbi factum à vehere. Ἀγώγιμος alicui eſſe dicebatur quem ἄγειν ἢ φέρειν licebat ad libitum. Vexare idem quod χειμάζειν. Qui ab immundis ſpiritibus vexabantur, ἀγώγιμοι veteribus dicti, & χειμαζόδροι. Non ſolum ἀγώγιμα σώματα dicebantur, ſed etiam χρήματα. Ergo & ἄγεσθαι æque uſurpatum de inanimis & immobilibus rebus, quæ rapiebantur, vel per vim capiebantur, quam de animalibus. Ante Solonem corpora debitorum ἀγώγιμα. Hunc ſola eorum bona lege ſua ἀγώγιμα fieri conceſſiſſe. Quid juris permiſſum fuerit in corpore ἀγωγίμου. Falli eos qui putant, poſt Solonem ἀγωγίμους datos ſuis creditoribus debitores. Nullum hujus moris veſtigium in Atticis ſcriptoribus reperiri. Locus Ariſtophanis in quo debitor ſe queritur ἄγεσθαι, φέρεσθαι à creditoribus, quo-

quomodo intelligendus. Terentii verba de damnato domum ducto, hoc eſt, ἀγωγίμως, ad debitum ex cauſa mutui contractum non eſſe referenda. De injuriarum damnato ea dici. Injuriarum actio, id eſt, αἰκίας δίκη, inter privatas fuit, non inter publica judicia. Quid ſit proprie αἰκία. Harpocration explicatus. Vlpianus & Paulus emendati. De injuriarum æſtimatione. Quid ὕβρις & αἰκία differant. Tribonianus reprehenſus. Donatum perperam accepiſſe Terentii locum de obaratis, quos ex more Romano jus fuit ἀγωγίμους fieri. Qui noxæ dedebantur liberi homines, non diſſimiles fuiſſe Græcorum ἀγωγίμοις. In aliquot caſibus ex crimine privato ſolitos fieri homines ἀγωγίμους Athenis. De noxali actione à Prætore propoſita, injuriarum, & vi bonorum raptorum. In publicis judiciis ἀπαγωγὴν magis locum habuiſſe, quam ἀγωγίμων abductionem. Alia multa.

ACceptis pignoribus & fidejuſſoribus, quid aliud ſupereſt, quam ut tali nomini bene credi putemus, & ultro etiam credamus? Si nihil horum habet quo fidem præſtet, an niſi qui velit perdere, huic homini poſſit credere? Enimvero cui nec pignora, vel hypothecæ, nec etiam fidejuſſores in mundo ſunt quos dare queat, huic etiam aliquid reſtat, quod det, ut ſecurum ſuum creditorem reddat. Quid illud? Se ipſum dabit. Apud antiquos & jure & more hoc etiam factum, ut aliquis ſe pro credito obligaret. Hoc Athenis Atticis vocabatur ἐπὶ σώμασι δανείζεσθαι, *corpore ſuo obligato pecuniam accipere mutuam.* Cum id eſſet apud Athenienſes ſollemne ante Solonem, primus ille dicitur id ſuſtuliſſe, ſanciendo, ne quis pecuniam crederet ἐπὶ σώμασι. Utrumque certe per σεισάχθειαν, hoc eſt, *onerum relevationem,* creditur introduxiſſe. Ea liberatio corporum fuit, & bonorum. Ita enim Diogenes Laërtius σεισάχθειαν interpre-

pretatur in Solone: Πρῶτον μὲν τὴν σεισάχθειαν ἐποι-
σατο Ἀθηναίοις, τὸ δὲ ἦν λύτρωμα σωμάτων τε καὶ κλη-
ρων, καὶ γὰρ ἐπὶ σώμασιν ἐδανείζοντο, καὶ πολλοὶ δι' ἀπορίαν
ήγοντο. Sed cum Solon τὰ κλήματα liberavit, non in
oſterum ſanxit ne quis bona ſua hypothecę titulo poſ.
t obligare. Nam paſſim poſt Solonem legimus in ſcri-
is Oratorum & Hiſtoricorum, licuiſſe apud Athe-
ienſes prædia hypothecæ dare creditoribus. Quid er-
o ſi dicamus, non etiam decreto caviſſe ne in futu-
um liceret corpora pro debitis oppignerare, ſed in
ræſenti omnes nexos ſolviſſe qui ſemet ipſos obli-
gaverant, ut eorum prædia liberavit qui oppoſitis illis
es alienum contraxerant? Inter omnes tamen conve-
nit, Solonem vetuiſſe, ne quis poſtea, cum jam ſolviſſet
eo tempore illos qui vincti ob debitum ſerviebant,
pecuniam ſub corporum nexu mancipiove mutuam
daret. Plutarchus in Solone: Τοῦτο γὰρ ἐποιήσατο πρῶτον
πολίτευμα γράψας, τὰ μὲν ὑπάρχοντα τῶν χρεῶν ἀνεῖσθαι,
πρὸς δὲ τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν. Dio-
dorus ſcribit, Solonem ab Ægypto hunc morem Athe-
nas tranſtuliſſe. Ægyptios enim ita judicare, bona
quidem ad dominos quorum ſunt propria pertinere,
ſive ea acquiſiverint ſuo labore, ſive ab aliis, qui eorum
dominium habebant, dono acceperint; at perſonas
ipſas eſſe reipublicæ, nec ſui corporis quemquam po-
teſtatem ipſum habere, ſed civitatem, ut publica mu-
nia fungantur in pace & bello. Ridiculos quippe vi-
deri aliarum gentium in Græcia legiſlatores, qui ar-
ma militem, aratrum agricolam pignori dare vetue-
rint, ipſos vero milites & agricolas, qui his uterentur,
abduci in ſervitutem, propter debitum permiſerint:
Μέμφονται δέ τινες οὐκ ἀλόγως τοῖς πλείστοις τῶν παρὰ τοῖς
Ἕλλησι νομοθετῶν, οἵτινες ὅπλα μὲν καὶ ἄροτρον, καὶ ἄλλα τῶν
ἀναγκαιοτάτων ἐκώλυσαν ἐνέχυρα λαμβάνεσθαι πρὸς δά-
νειον, τοὺς δὲ τούτοις χρησομένους συνεχώρησαν ἀγωγίμους εἶναι.
Certe & Athenis ne quis pignori acciperet militis ar-

ma

ma lege prohibitum fuit, τὰ ὅπλα θέσθαι ἐνέχυρα. Apud alios aratra, & alia inſtrumenta colendis agris neceſſaria nefas etiam habitum pignori capere, ut apud Romanos, idque lege vetitum fuit. Abſurde dicere Diodorum, qui ſcribat, hanc legem de corporibus non opponendis à Solone Athenas ex Ægypto introductam, ut nomine σεισαχθείας appellatam, vir magnus adnotavit. Duplicem quippe eſſe errorem: alterum quod σεισάχθειαν putet, qua corpora abduci non poterant, cum tamen paulo ſuperius τὴν δανείων ἔκπραξιν ἐκ τῶν οὐσιῶν μόνον, καὶ οὐκ ἐκ τῶν σωμάτων eſſe dixerit: alterum, quod etiam Athenis erant corpora ἀγώγιμα lege Solonis. Ipſemet autem paulo poſt ſcribit, Græcos inſtituiſſe, τῶν ὀφειλόντων σώματα ἀγώγιμα εἶναι. Breviter pro Diodoro magno illi viro reſpondeamus. Si in Ægypto hic mos invaluit, quo non liceret abducere in ſervitutem corpora debitorum, an abſurde fecit, qui hanc legem, ſive hunc morem Athenas traduxiſſe Solonem ſcripſerit, cum ſatis conſtet, in Ægypto peregrinatum eum fuiſſe? Quod autem σεισαχθείας nomine hoc ipſum appellatum dicat à Solone, nihil quidem in eo peccat. Quæ enim major σεισάχθεια introduci ab eo potuit ad egenos & inopes ſublevandos, quam lege ſancire ne quis deinceps, ut antea ſolitum erat, corpora obæratorum ob æs alienum ſibi addicta in ſervitutem abduceret? Nam plerique auctores & hoc σεισαχθείας alterum fuiſſe genus ſummo conſenſu tradunt, quod à corporibus ipſis nexum ob debita removerit. De Diogene ſupra vidimus. Auctor incertus apud Suidam: Σεισάχθεια, χρεωκοπία δημοσίων, καὶ ἰδιωτικῶν, ἣν εἰσηγήσατο Σόλων. εἴρηται δὲ παρ' ὅσον ἔθος ἦν Ἀθήνησι τοὺς ὀφειλέτας τῶν πενήτων σώματα ἐργάζεσθαι τοῖς χρήσταις· ἀποδιδόντας δὲ οἱονεὶ τὸ ἄχθος ἀποσείσασθαι, ὡς Φιλοχόρῳ δὲ δοκεῖ, ἀποψηφισθῆναι τὸ ἄχθος. Inſignis omnino locus, qui auctoritate Philochori nititur, quo docemur, etiam ante Solonem, cum mos obtineret, ut in ſervitutem ſe darent

credi-

editoribus debitores ad operas corpore præſtandas,
c nomen σισαχθείας in uſu fuiſſe, ubi nimirum per-
uto ære alieno hujuſmodi debitores hoc onus ſer-
utis à ſe eſſent amoliti; ἀπὸ τοῦ ἀποσείσασθαι τὸ ἄχθος;
ut Philochoro videbatur, ἀποψηφισθῆναι τὸ ἄχθος.
d quid ſit ἀποψηφισθῆναι, hoc loco nemo me poſſit
cere, niſi qui ſciat, quid proprie fuerit apud Atticos
οψηφίζεσθαι, & ἀποψήφισις. Atqui etiam ſi quis id
obe noverit; vix hinc poſſit ſe extricare. Nihil eſt
im quod ex genuina hujus verbi ſignificatione trahi
eat ad horum mentem elucidandam. Eſſet quidem
οψηφισθῆναι τὸ ἄχθος, decreto & ſententia judicum
ad onus ſervitutis ab homine libero amoveri, ſed
us ſenſus ne ſic quidem procedat. Nam cur in eo
mine σισαχθείας exponendo, quod dicitur ἀπὸ τοῦ
οσείσασθαι τὸ ἄχθος, *ab onere excutiendo*, addidiſſet
ctor, id verius Philochoro viſum eſſe, ἀποψηφισθῆναι
ἄχθος? Quæ affinitas ſoni, vel ſenſus ἀποψηφισθῆναι,
m σισαχθεία? Corruptiſſima ergo eſſe verba illa ma-
eſto patet, non difficulter corrigenda hoc modo:
Φιλοχόρῳ δὲ δοκεῖ, τοῦ ἀποψηφισθέντων τὸ ἄχθος, vel τῆς
οψηφίσεως τὸ ἄχθος. Explicavit Philochorus quale
id eſſet ἄχθος, quod à cervicibus ſuis amolirentur,
i ære alieno diſſoluto ex ſervitute voluntaria cui ſe
diderant ob debitum, in libertatem poſtliminio re-
cabantur. Hoc igitur erat τῶν ἀποψηφισθέντων τὸ ἄχ-
ος, vel τῆς ἀποψηφίσεως, quo beneficio σισαχθείας, &
utione debiti relevabantur, nempe peregrinitas, &
itatis amiſſio, vel potius ſervitus. Sed nulla pæne
itatione unica ſyllaba addita ſcribendum, τοῦ ἀποψη-
θῆναι τὸ ἄχθος. Qui ſe pro cive gerebat, cum non
et, ſi in peregrinitatem redigeretur ſententiis po-
larium, quibus ſe falſo inſeruerat, ἀποψηφισθῆναι di-
batur, & res ipſa ἀποψήφισις. Harpocration: Ἀπο-
φίζον]. ἀντὶ τοῦ, καταδικάζουσιν αὐτὸν μὴ εἶναι πολίτην.
ἀποψήφισιν δὲ τὸ πρᾶγμα λέγει Δημοσθένης ἐν τῇ πρὸς
Εὐβου-

Εὐβουλίδην ἐφίεσι. Qui peregrinitatis condemnati fuerant, hi ἀποψηφισθέντες, & ἀποψηφισμένοι dicti. In recenſione civium, quæ διαψήφισις vocabatur, cum populares ſententiam ferrent, de his qui falſo ſe in civitatem infulciebant, cum pluribus ſuffragiis aliquis ad peregrinos erat redactus, & ex civium albo veluti expunctus & eraſus, hoc nomen ἀποψηφισθέντος in eum competebat. Suidas: Ἀποψηφισθέντες. εἴ τις ξένος ἔδοξεν εἶναι καὶ οὐ πολίτης, τοῦτον ἐν ταῖς διαψηφίσεσι τῶν δήμων ἀπεψηφίζοντο οἱ δημόται, καὶ ἐλέγετο ἀπεψηφισμένος, εἶτα εἰσήγετο εἰς τὸ δικαστήριον, καὶ ἐκρίνετο ξενίας, καὶ εἰ μὲν ἑάλω, ἐπιπράσκετο ὡς ξένος, εἰ δὲ ἐκράτει, ἀνελαμβάνετο εἰς πολιτείαν. *Abjudicatus. Si quis peregrinus videretur, & minime civis eſſe, hunc in recenſionibus populi, populares judicabant non eſſe civem, & dicebatur abjudicatus. Deinde in judicium vocabatur, & peregrinitatis reus fiebat. Quod ſi cauſa caderet, vendebatur, uti peregrinus. Si vinceret, in civitatem recipiebatur.* De his διαψηφίσεσι, vide eumdem Suidam in voce διαψήφισις. De his tractaſſe Philochorum, in ſexto operis Ἀτθὶς inſcripti narrat idem eo loco quem citavimus. Homo liber qui ſe in ſervitutem auctoraverat, atque addixerat propter debitum, jus civis, atq; etiam liberi, amittebat, eratque inter ἀπεψηφισμένους. Nam & poterat vendi ab eo creditore cui ſeſe in nexum dederat, niſi mallet in civitate ejus opera tanquam mancipii ſui uti. Plutarchus in Solone: Οἱ χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν, ἀγόμενοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, οἱ μὲν αὐτοῦ δουλεύοντες, οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι. Illud igitur onus fuit, quod ἄχθος τὸ ἀποψηφισθῆναι vocabat Philochorus, quo levabantur qui per σεισάχθειαν ſoluta pecunia ſeſe à creditore liberabant, & libertatem ſimul, καὶ τὴν πολιτείαν recuperabant, quam τῇ ἀποψηφίσει amiſerant. Nam ipſi quidem, ut ſemet ipſos ſemel abdicaverant libertate, ſponte ſua, ex convẽtione, ſervi ſuorum creditorum facti, vel judicis auctoritate, ſi ſolvendo

non

on eſſent, eidem addicebantur. Sententiis autem ſuo-m popularium, ex albo civium eraſi, non amplius ant cives. Nec enim civis eſſe poterat, qui non eſſet ber. Quæ ἀποψήφισις dicebatur, & qui per eam è vium numero fuerant expuncti, ἀποψηφισθέντες voca-antur, & ἀπεψηφισμένοι. Veriſimile eſt igitur, ubi quis x civibus ob æs alienum addictus fuerat creditori, & ı ſervitutem datus, conveniſſe populares ejuſdem tri-us ad διαψήφισιν faciendam & comitia de ejus ca-ite habenda, perrogatiſque ſententiis, omnium cal-ulo jure civitatis, qui liber amplius non erat, excidiſ-e. Homo ob debitum ita ſervus factus, ſi pecuniam oſtea confeciſſet ad ſe liberandum, in libertatem, atque adeo civitatem reſtituebatur. Quæ σεισάχθεια etiam dici conſueverat, antequam Solo ſuam illam de liberandis tam corporibus, quam poſſeſſionibus in-troduxiſſet. Eam more Ægyptiorum inſtituiſſe recte & vere dictum Diodoro, quia nullis in Græcia populis hic mos fuit, niſi Athenienſibus, poſtquam eum Solon ex Ægypto tranſtulit. At Ægyptiis fuit ex lege Bocchoridis, qui ὀφειλόντων τὴν εἴσπραξιν τῶν δανείων ἐκ τῆς οὐσίας μόνον ἐποιήσατο, τὸ δὲ σῶμα κατ' οὐδένα τρόπον εἴασεν ὑπάρχειν ἀγώγιμον, ἡγούμενος εἶναι τὰς μὲν κτήσεις τῶν ἐργαζομένων, ἢ παρὰ κυρίου τινὸς ἐν δωρεαῖς λαβόντων, τὰ δὲ σώματα τῶν πόλεων. Bona perſonarum eſſe, perſonas vero civitatum exiſtimabat. Propter debita ergo quibus perſonæ obnoxiæ, bona earum capi pignori accipive decrevit, neutro vero modo, nec ullo omnino perſonas ipſas pignerari juſtum eſſe. Quod autem ſcribit vir ſummus, etiam lege Solonis Athenis corpora fuiſſe ἀγώγιμα, id plane falſum. Nec ut ſit verum, efficit, quod Diodorus ait, Græcos introduxiſſe, ut eſſent ὀφειλόντων σώματα ἀγώγιμα. Certe tanto magis inde evincatur, in cætera Græcia hunc morem ſemper viguiſſe, quem Solon exemplo Ægyptiorum è ſua republica ſuſtulerit. Sanxiſſe Bocchorin tradit idem, κατ' οὐδένα

 τρόπον

τρόπον τῶ ὀφειλόντων τὰ σώματα εἶναι ἀγώγιμα. Duobus præcipue modis corpora debitorum, pro ære alieno reſpondebant ſuis creditoribus. Aut enim ex conventione pignori ſe ſponte obligabat ipſe debitor, aut ſi id non feciſſet, ſed in ſolvendo ceſſaret, pignori capi poterat, & addici creditori. Neutro modo *pignorari*, hoc eſt, ἐνεχυράζεσθαι, corpora voluit Solon. Ad priorem præcipue modum pertinere videntur verba legis ipſius, ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν, ἢ δανείζεσθαι. Quod & Plutarchus dixit, χρέα λαμβάνειν ἐπὶ τοῖς σώμασι. Qui rem aliquam pignori dabant, dicebantur, ſi vas eſſet, ἐπὶ τῷ σκεύει δανείζεσθαι, ſi ager aut ædes, ἐπὶ τῷ ἀγρῷ, ἢ ἐπὶ τῇ οἰκίᾳ. Certe ἐπ᾽ ἐνεχύροις pecuniam accipere mutuam dicebant illum, qui ſub pignoribus eam accipiebat. Ergo & qui ſemet ipſum ex pactione oppignerabat, in accipiendo mutuo, ἐπὶ σώματι δανείζεσθαι, dicebatur, quia nexum corporis ſui faciebat. Si filium, aut filiam pigneraret, ut multos feciſſe conſtat etiam ſub extremo Imperio Romano, ἐπὶ παισὶ ἐδανείζετο, *ſub nexu liberorum æs alienum contrahebat*. Debita ita contracta, ἐπὶ τοῖς σώμασι πεπιστευμένα δάνεια vocat Diodorus lib. I. Ὑπογραφεῖς Græci appellabant, qui ſub pignore corporis ſui pecuniam acceperant. Heſychius: Ὑπογραφίων, τῶ ἐπὶ τῷ σώματι δεδανεισμένων. Qui ita debebant, ἐπὶ τοῖς σώμασιν ὀφείλειν Plutarcho dicuntur in tractatu περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι, de non fœnori accipiendo: Τί γὰρ, inquit, ὤνησε Σόλων Ἀθηναίους ἀπαλλάξας τοῦ ἐπὶ τοῖς σώμασιν ὀφείλειν; Eadem loquutione utebantur & in aliarum rerum pignoribus & hypothecis. Ἐπὶ τῇ νηῒ ὀφείλειν, dicitur apud Demoſthenem in παραγραφῇ contra Apaturium, qui nave oppignerata ſe debitorem conſtituit: Ἔτυχε δὲ οὗτοσὶ ὀφείλων ἐπὶ τῇ νηῒ τῇ αὐτοῦ τετταράκοντα μνᾶς, καὶ οἱ χρῆσται κατήπειγον αὐτὸν ἀπαιτοῦντες. Ita & in ea contra Lacritum παραγραφῇ fœneratur Androcles Artemoni ἀργυρίου δραχμὰς τρισχιλίας ἐπὶ οἴνου κεραμίοις Μενδαίοις τρισχιλίοις. Id eſt,

Id eſt, *tot vini amphoris pignori oppoſitis*. Corpus ſuum oppignerantem debitorem ſimilis eventus, ſi non ſolveret, in corpore proprio conſequebatur, ac ſi rem aliam ſuam pignoris titulo obligaſſet. Ut ęnim res oppignerata vendebatur, ſi moram ſolutioni faceret debitor, ſic ipſi, ſi ſemet pignori dediſſet, idem exitus erat ſubeundus, ut venumdaretur peregre, niſi in ſolutum eum mallet accipere creditor, tanquam ſervum ſibi addictum. Hoc eſt quod dicit Plutarchus in Solone: Οἱ χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν, ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, οἱ μὲν αὐτοῦ δουλεύοντες, οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι. Præter hunc modum tenendi, & in ſervitutem abducendi debitoris, qui ſe ad hoc conventione obligaverat, corpuſque proprium nexui dederat, alia ratio fuit etiam citra conventionem & obligationem pignoris, qua ipſe ille debitor in ſolutione ceſſans, pignori capiebatur. Quam *pignoriſcapionem* Græcis Romaniſque pariter fuiſſe receptam in rebus ſoli & mobilibus, propter debitum quod ſolvere reus tardaret, injecta manu capiendis, diximus ſupra capite de pignoribus & hypothecis. Hæc igitur pignoris capio locum etiam habuit æque in corporibus & perſonis ipſis debitorum, atq; in eorum bonis apud eas gentes, quæ permiſerunt ἐπὶ τοῖς σώμασι δανείζειν. De quo corporum ἐνεχυρασμοῦ magis proprie putem intellexiſſe legem Ægyptiam & Atticam, quæ ἀγώγιμα σώματα γίνεσθαι ob æs alienum vetuit, quam de illo altero modo, quo ex pacti conventione in pignus ſe ultro ponebat ſuo creditori debitor. Sed auctores hæc non diſtinguunt, cum utrumque forte ſcirent, ex æquo aut prohibitum apud quaſdam gentes, aut conceſſum. Ideo indifferenter ſcribunt vetuiſſe Solonem poſt Ægyptios ἐπὶ τοῖς σώμασι δανείζειν, & τὰ ἀγώγιμα ὑπάρχειν σώματα. Hoc ad pignoriſcapionem, & ἐνεχυρασμὸν corporum magis referri debet, illud ad nexum & obligationem corporum titulo pignoris. Quæ, ut

dixi, auctores miſcent, quia utrumque fere ibi uſurpatum, ubi alterum. Diodorus: Μέμφονται δέ τινες οὐκ ἀλόγως τοῖς πλείστοις τῶν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν νομοθετῶν, οἵ τινες ὅπλα μὲν καὶ ἄροτρον, καὶ ἄλλα τῶν ἀναγκαιοτάτων ἐκώλυσαν ἐνέχυρα λαμβάνεσθαι πρὸς δάνειον, τοὺς δὲ τούτους χρησομένους συνεχώρησαν εἶναι ἀγωγίμους. Non fiunt homines ἀγώγιμοι, niſi cum per vim pignoris vice ex cauſa judicati capiuntur, & arbitratu capientis, quocunque his uti modo voluerit, ſive venditurus peregre, ſive apud ſe in ſervitute retenturus, abducuntur. Ἐνέχυρα quoque λαμβάνεσθαι dicuntur in pignoricapione, ut auferantur per vim à domino, ex quo capiuntur, ut diximus in capite de pignoribus. Conſtantinus leg. I Cod. Theod. de pignoribus: *Interceſſores à rectoribus provinciarum dati ad exigenda debita, ea quæ civiliter poſcuntur, non ſervos aratores, aut boves aratorios pignoris cauſa de poſſeſſionibus abſtrahant, ex quo tributorum illatio retardatur.* Hæc ablatio ſervorum, aut boum ex agris, τὸν ἐνεχυρασμὸν reſpicit, hoc eſt, *pignoricapionem*, non pignoris conventionalis obligationem, ut & in lege Honorii VIII Cod. Quæ res pignori: *Pignorum gratia aliquid quod ad culturam agri pertinet auferri non convenit.* Ἐνεχυράζεσθαι, pignori capi. Vide & Authenticam, quæ ibi ſequitur. Ita ergo τὰ ἄροτρα ἐνέχυρα λαμβάνεσθαι, & ἀνθρώπους ἀγωγίμους εἶναι, conjunxit Diodorus, quia paria ſunt, capi hominem pignoris cauſa, quod eſt ἀγώγιμον γίνεσθαι, & rem mobilem ſimiliter pignoris titulo auferri. In pignore conventionali, ſive homo pigneretur ex pacto, ſive res mobilis, nec ille fit proprie ἀγώγιμος, nec iſta aufertur, ſed hunc & illum ſponte ex conventione creditor accipit apud ſe manſura donec ſibi debitum perſolvatur. Explicandum igitur quid ſit proprie ἀγώγιμον fieri. Nam ex hujus vocis expoſitione pendet rerum ipſarum dilucida diſtinctio, quas tenebris involverunt viri docti non minoribus, quam quibus obruuntur Cimmerii. Inde enim

conſta-

conſtabit, quam falſo crediderint etiam poſt legem Solonis, homines Athenis ἀγωγίμους ob æs alienum fieri ſolitos. Quid ſit diſcriminis inter ἄγειν & ἀπάγειν jure Attico, maxime patet ex Oratione Demoſthenis contra Ariſtocratem. Iſte Ariſtocrates decretum ſcripſerat, ſi quis occidiſſet Charidemum, εὐθὺς ἀγώγιμον ἐκ τῶν συμμάχων εἶναι, vel ἐκ τῆς συμμαχίδος. Quæ verba ἀγώγιμον εἶναι auctor argumenti in illam orationem, interpretatur, ἐκδίδοσθαι εἰς τὸ κολασθῆναι, *ducendum ad pœnam.* Sed melius ipſe Demoſthenes exponit de eo qui capi poteſt à quocunque indemnatus, ut quod illi libuerit à quo captus fuerit, patiatur: Ἀγώγιμον εὐθὺς ἐποίησεν, καὶ παραβὰς τὸ διωρισμένον ἐκ τοῦ νόμου δικαστήριον, ἄκριτον τοῖς ἐπιζητοῦσι παρέδωκεν ὅ, τι ἂν βούλωνται, χρῆσθαι. *Ducendum eum ſtatim conſtituit, & ſupergreſſus definitum à lege judicium, indemnatum accuſatoribus tradidit, quocunque modo ipſis liberet, tractandum.* Quod explicat ſtatim: καὶ λαβοῦσιν ἐκείνοις ἐξέσται στρεβλοῦν, αἰκίζεσθαι, χρήματα πράξασθαι. His nempe qui prehenderint ἀγώγιμον, licere eum torquere, male mulcare, pecunias exigere, & quodcunque denique ei mali voluerint, indicta cauſa facere poſſe, atque etiam vel occidere, ut paulo poſt diſerte dixit idem Orator, καὶ μὴν ἔν γε τῷ ποιεῖν ἀγώγιμον πάνθ' ὅσα ἀπείρηκεν ὁ νόμος δέδωκας, χρήματα πράξασθαι, ζῶντα λυμαίνεσθαι, κακοῦν, ἔχοντα αὐτὸν ἀποκτιννύναι. Ut oſtendat Rhetor, quam injuſta ſit illa rogatio Ariſtocratis, & quantum legibus contraria de eo ἀγωγίμῳ faciendo, qui Charidemum interfecerit, legum Atticarum de cæde & homicidis cum hoc pſephiſmate Ariſtocrateo comparationem inſtituit, quo melius hujus injuſticia & iniquitas eluceſcat. Inter eas leges, prima hæc lex de homicidio fuit: Δικάζειν δὲ τὴν βουλὴν, τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας, καὶ πυρκαϊᾶς, καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ, δούς. Draco Areopagitarum cognitionem eſſe vult, de cæde, ac vulnere data opera

facto, de incendio, ac veneno. Qua lege ille cognitionem de his criminibus non aliis, quam Areopagitis tribuit. Priuſquam judicium reddatur, & aliquis hujus criminis convictus damnetur, *criminum* hæc eſſe nomina dicit: poſt convictionem, & damnationem, *delicta* appellari. Tum αἰτίαι ſunt, poſt ἀδικήματα. Nondum hac lege ſancitum eſt, quid pati debeat cædis convictus ac damnatus, ſed judicium penes Areopagum eſſe adverſus horum criminum reos, decernit. In rogatione Ariſtocratis, qui Charidemum occiderit, protinus jubetur eſſe ἀγώγιμος, & quidem ex omni ſociorum regione. Qui de cæde cauſam dicit, ab Areopagitis judicari voluit lex Draconis. In hoc vero pſephiſmate, ſine judicio, cauſa indicta à privato quolibet rapi, & quo placuerit ei modo puniri ſancitur, qui occiderit Charidemum. Sequebatur poſt ſupraſcriptam de homicidiis alia lex, priori ſubjuncta, qua cavebatur, ne convictos quidem & judicatos homicidii reos licere, vel in territorio juriſdictionis Atticæ, eo modo tractari à quolibet, quo Ariſtocratis rogatio volebat eum qui Charidemum occidiſſet, in omnibus ſociorum provinciis. Nam qui fit ἀγώγιμος, licet unicuique eum vexare, raptare, domum per vim ducere, & pecunias ab eo exigere, denique vel interficere. Quæ omnia fieri prohibet hac lege Draco in eum qui cædis fuerit abſens condemnatus, etiam ſi deprehendatur in Attici ſoli ditione. Καί τοι ταῦτα ἀπείρηκεν ἄντικρυς καὶ σαφῶς ὁ κάτωθεν νόμος, μηδὲ τοὺς ἑαλωκότας, καὶ δεδογμένους ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ποιεῖν. Quo ſenſu dicatur hic ὁ κάτωθεν νόμος, veteres Critici diſputarunt, ſed fruſtra & inaniter, quantum judico. Nulla enim ex omnibus quas attulerunt, expoſitionibus vera eſt. Didymum ἡλιαίαν intelligi volebat, quia curiarum Athenis aliæ τὰ ἄνω δικαστήρια dicebantur, aliæ τὰ κάτω. Verum de lege hic ſermo eſt, non de curia, vel foro. Alii hoc referebant ad formam ſcripturæ, qua Axes, vel κύρβεις erant ſcripti,

ſcripti, quod vocabant *βυστροφηδὸν*, quia à ſiniſtra ad dexteram cum perſcripti eſſent, mox ſcriptura à dextra ad ſiniſtram revertebatur, ut in verſuris ſulcorum. Cæterum quid hoc ad *νόμον κάτωθεν*? Nam quæ verſus ad hunc modum peragit ſcriptura, alternis ad dextrorſum ſiniſtrorſumque, non magis ſuperior inferiorque dici queat, quam quæ alio modo & communi exaratur. Tertia eſt opinio, quod Axes & *κύρβεις*, cum olim eſſent in arce & loco urbis altiſſimo, poſtea in forum & curiam inferiora urbis loca fuere tranſlati. Has leges in Axibus non fuiſſe ſcriptas, paulo poſt docebimus. Axes enim legum Solonis fueri proprii, non Draconis. At has leges de quibus hic agimus de cæde latas, Draconis fuiſſe, ipſe Demoſthenes infra dicit. Ponamus tamen, & Axes ad leges Draconis pertinuiſſe, ſi ea vera ſententia, quæcunque inciſæ in Axonibus erant leges, *τῆ κάτωθεν νόμων* nomine æque potuerunt deſignari, nec ulla magis quam altera eam appellationem merita eſt. Cur igitur Demoſthenes præcedentem legem, quam allegavit de homicidiorum reis ad Areopagitas remittendis, non hoc inſignivit nomine, ſed hanc tantum ſequentem? Aut cur hanc ſequentem ſic appellare ei libuit, cum ea quæ præceſſit, non minus hac appellatione fuerit digna? Mirari libet ineptias & *ἀλογίας* veterum Grammaticorum, qui quod obvium erat, non potuerunt videre. In Axibus, vel in pilis lapideis ordine erant ſcriptæ leges in ſingulis lateribus. Priores in ſuperiore parte cujuſque lateris ſcriptæ habebantur. Sequentes ſubjiciebantur, uſque ad infimam lateris pilæ vel *στήλης* partem. Lex de homicidis ſi in pila fuit inciſa, in ſummo, ut primo loco, fuerit poſita. Lex ſecunda de homicidis confeſſis & judicatis non vexandis nec torquendis, ſi deprehenderentur in Attico ſolo, ſed recta ad judicem ducendis, infra illam ſcripta videtur. Hæc eſt igitur, quam *τὸν κάτωθεν νόμον* appellat Demoſthenes, quia ſerie & or-

dine inferior erat in Axis vel pilæ ſcriptura locatus, quam ille prior, qui etiam ſuperior. Ab eo ſcribendi in columnis, cippis, & axibus more, etiam in voluminibus & codicibus, ea quæ ante ſcripta ſunt, *ſupra* eſſe ſcripta dixere, & quæ poſtea, *infra*. Τὰ ἄνω γεγραμμένα, τὰ κάτω. Quem κάτωθεν νόμον dixit Demoſthenes, ſtatim appellat νόμον τὸν μετὰ ταῦτα his verbis: Λέγε δ' αὐτοῖς νόμον τὸν μετὰ ταῦτα. Idem eſt quod ὁ νόμος κάτωθεν. Nam ille prior νόμος fuit ὁ ἄνωθεν. Quem & πρότερον νόμον paulo poſt nuncupat, quia priore loco nimirum ſcriptus, & in ſuperiore pilæ vel libri parte: Πῶς τοῦτο δηλοῖ; ἐν τῷ τῷ προτέρῳ νόμῳ, καὶ ἐν τούτῳ. In priore lege, & in hac, inferiore ſcilicet, & ſecunda. Nunc videamus verba ipſa hujus ſecundæ, vel poſterioris, ſive inferioris legis, τοῦ κάτωθεν νόμου, quæ ſic habent: Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ, καὶ ἀπάγειν ὡς ἐν τῷ ἄξονι ἀγορεύει, λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδ' ἀποινᾶν, ἢ διπλοῦν ὀφείλειν ὅσον ἂν καταβλάψῃ. Vir doctiſſimus ad leges Atticas ea ſic vertit: *Homicidas morte multanto in patria occiſi terra, & abducunto, ut in lege cautum eſt. In eos ne ſæviunto, neve pecuniam exigunto.* Nihil magis fingi potuit contra mentem Athenienſis Rhetoris, qui jam in ſuperioribus oſtendit, qui ſenſus eſſet hujus legis, quam recitari ſibi juſſit. Nimirum etiam confeſſum & convictum homicidam non poſſe à quoquam fieri ἀγώγιμον etiam ſi deprehendatur intra fines Attici ſoli. Etenim hæc lex ſanxit, ἀπάγεσθαι quidem poſſe ab illo qui eum deprehenderit intra terminos Atticæ regionis, dum ne male eum tractaret, aut pecuniam ab eo exigeret. Quod ſi faceret, duplum inferre ipſe deberet. Hæc autem verba, λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδ' ἀποινᾶν, quibus lex vetat eum homicidam vexari, & pecunia à privato multari, clare ex ſententia Demoſthenis indicant, per eam legem non poſſe fieri ἀγώγιμον, licet ἀπαγώγιμον γίνεσθαι concedat. Nam in illis quæ proxime præcedunt, dum interpretatur, quid ſit ἀγώγιμον

εἶναι,

εἶναι, hæc omnia ſub eo nomine comprehendi dixit, quæ in ἀγώγιμον factum fieri liceat, ab eo qui illum prehenderit: nempe στρεβλοῦν, αἰκίζεσθαι. χρήματα πράττεσθαι. *Torquere, verberare, pecunia multare.* Diſerte hæc omnia lex fieri prohibet in homicidii cõvictum, quem tamen ἀπάγειν jus faſque eſſet. At ſi ἄγειν liceret, hoc eſt, ſi ἀγώγιμος jure eſſet, talia in eum competerent, nempe λυμαίνεσθαι, & ἀποινᾶν. Mirari vero ſubit, quomodo viri doctrina & judicio inſignes perſuadere ſibi potuerint in hac lege exponenda, quem cædis reum non licuerit vexare & verberare, dum captus ducitur ad judicem, hoc eſt, ἀπάγεται, eumdem licuiſſe interficere. Sed ſupra omnem admirationis cauſam eſt, quomodo qui cæſus jam dicatur, prohibeatur idem violari ullo verbo, aut facto, & duci tamen permittatur. Quid enim hæc aliud ſibi volunt? Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ, καὶ ἀπάγειν ὡς ἐν τῷ ἄξονι ἀγορεύει, λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδ' ἀποινᾶν. *Homicidas*, ut vertit vir clariſſimus, *morte multanto in patria occiſi terra, & abducunto, ut lege cautum eſt. In eos ne ſæviunto.* Jubet abduci, qui jam morte multatus ſit, vetatque in eum ſævire, nec ab eodem pecuniam exigi vult. Bonum habere ſtomachum oportuit, qui hæc potuit concoquere. Legantur quæ præcedunt, quæ ſequuntur in Demoſthene, nihil aliud eum velle tota oratione apparebit, quam lege illa ſancitum eſſe, quem homicidii reum in Attica provincia liceret ἀπάγειν, non licuiſſe violare dicto factove, nedum fas fuerit morte multare. Tota illa oratoris ratio, comparatio, argumentum peribit ipſi, & contra eum faciet ſi ἀπαγώγιμον fas fuit privato interficere. Quin & omnis illa differentia, quam inter ἀγώγιμον & ἀπαγώγιμον, inter τὸ ἄγειν & τὸ ἀπάγειν, tanto ſtudio ſtatuere conatur, eadem opera evaneſcet, ſi, quem ἀπάγειν, quis jure potuit, potuit etiam morte afficere. Nihil enim plus poteſt etiam ſi immaniſſime ſæviat, qui

ἀγώγιμον lege factum ceperit, & abduxerit, quam letho eum dare. Saltem ubi duxit, letho afficit. At hic, ut verba legis ſonant, ubi mortem ei intulit, tum demum ἀπάγειν eumdem illi permittitur. Quæ nullus poſſum capere. Nec etiam video, quæ ratio virum doctiſſimum moverit, ut ἐν τῇ ἡμεδαπῇ redderet, *in patria occiſi terra.* An hoc ἡμεδαπὸν putavit ſignificare? Simpliciſſime potuit, nec aliter ſane debuit, *in noſtra regione.* Hoc eſt, in Attica. Nam legiſlator illam ἡμεδαπὴν appellavit. Et hæc quoque inter ſe opponit Orator. Rogatione Ariſtocratis ἀγώγιμος fieri ſancitur, qui Charidemum interfecerit, ex quacunque ſociorum regione, ἐκ πάσης συμμαχίδος. At lege illa Draconis præter quam in Atticæ territorii ditione, non licuit homicidam confeſſum ἀπάγειν. Etenim ſi ad ſocios confugiſſet, non poterat ibi capi, nec inde retrahi ad ſupplicium. A ſolo quidem ejus quem occidiſſet patrio ac natali arceri cædis reum leges decernebant. Ideo aufugere inde modo debebat & exulare. Cæterum omnes aliæ regiones ei liberæ patebant ac tutæ, nec fas eum inde ad pœnam abripi. Quod in ſequentibus expreſſe docet Orator, & rationes adfert, quare ita legibus ac moribus conſtitutum ſit. Et hac in parte rogationis Ariſtocrateæ manifeſtam iniquitatem probare contendit, quod cum leges de cæde non darent ἀπαγωγὴν cuiquam in cædis confeſſæ reos, convictoſve, niſi in Attico territorio, ipſe lege ea quam rogabat, non ſolum ἀπαγωγὴν concederet in eum qui interfeciſſet Charidemum, ſed etiam ἀγώγιμον eumdem conſtitueret, nec ſolum in Attica regione, ſed undequaque, πανταχόθεν, καὶ ἐκ πάσης συμμαχίδος, ex omnibus ſociorum provinciis. Τῶν νόμων, inquit, οὐδὲ τοὺς ἑαλωκότας διδόντων ἀπάγειν πλὴν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ, σὺ γράφεις ἄνευ κρίσεως τινὰ ἀγώγιμον ἐκ τῆς συμμαχίδος πάσης; καὶ οὐδὲ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ ἄγειν κελευόντων τῶν νόμων, σὺ δίδως πανταχόθεν ἄγειν; *Et cum leges ne*

cædis

cædis quidem manifeſtæ reos & condemnatos abducere concedant niſi in noſtri territorii juriſdictione, tu legem fers, qua indicta cauſa agi & abripi aliquis poſſit ex omni ſociorum regione. Et cum ne in noſtra quidem leges jubeant, tu das ex omni loco duci per vim poſſe? Jam ex his omnibus, quæ diximus, conſtat, verba illa in ſupraſcripta lege non poſſe conſiſtere, Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ, καὶ ἀπάγειν. Saltem dixiſſet, ἐξεῖναι ἀπάγειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ, καὶ ἀποκτείνειν. Vel, ἀπάγειν, ἢ ἀποκτείνειν. Sic in lege de furtis, furem diurnum permittit prendi & abduci ad undecim viros, ſi ſupra quinquaginta drachmas furatus fuerit. Nocturnum vero qui quodlibet ſurripuerit, licere vult interfici, aut in perſequendo vulnerari, atque ita abduci, ſi velit. Ergo licentiam dat omnino ejus occidendi: Εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα, εἰ βούλοιτο. In arbitrio relinquit ejus, qui furem nocturnum deprehenderit, aut occidere ſi ſtatim poſſit, aut dum eum perſequitur vulnerare, atque ita captùm ad undecim viros ducere, εἰ βούλοιτο. Ergo ſi occidere mallet, quam abducere, poterat. At hic aliud eſt. Et ne illa quidem lectio, ἀποκτείνειν ἢ ἀπάγειν, ſubſiſteret. Nam plane lege iſta vetitum eſt homicidam condemnatum violari ullo modo à privatis, ſed duci tantummodo. Faceſſere omnino debent eæ voces, quæ ſenſum legis turbant, totaque lex ſic in integrum reſtituenda, non additione, ſed demptione: Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἐν τῇ ἡμεδαπῇ ἀπάγειν, λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδ' ἀποινᾶν. Prorſus ſum certus verbum illud, ἀποκτείνειν hic in ipſo legis contextu, & infra in ipſius Demoſthenis oratione, inſertum eſſe ab aliquo ſciolo, qui putaret, id omnino deſiderari, inductus his verbis Oratoris: Ἐν μὲν γὰρ ἐκείνῳ γράψας, ἐάν τις ἀποκτείνῃ, τὴν βουλὴν δικάζειν εἶπεν, ἐν δὲ τούτῳ τὸν ἀνδροφόνον προσειπὼν, ἃ χρὴ πάσχειν εἴρηκεν. *Nam cum ſcripſiſſet in illa lege,* ſi quis cædem fecerit,

ſena-

ſenatum cognoſcere de eo dixit, in hac vero cum homicidam appellaverit, quid pati debeat, indicavit. Sequitur protinus: Οὗ μὲν γὰρ ἦν ἡ αἰτία τὸ πρᾶγμα, τὴν κρίσιν εἴρηκεν. Οὗ δ' ὁ ἁλοὺς ἔνοχος τῷ προσρήματι τούτῳ καθέστηκε, τὴν τιμωρίαν ἔγραψε. *Vbi enim res in crimine & accuſatione verſabatur, judicium nominavit. Vbi vero reus & appellationi homicidæ obnoxius judicio eſt redditus, pœnam ſcripſit.* Ab his vocibus & quid pati debeat reus damnatus, & de pœna ejus in hac lege conſtituta, permotus ille quiſquis eſt, putavit inſerendum legi verbum ἀποκτείνειν. Et hanc intelligi debere τιμωρίαν, quæ in homicidam hac lege conſtituatur, & illud ὃ χρὴ πάσχειν, qui hominem occiderit. Cum autem pœna illa mortis fuerit, ideo ἀποκτείνειν infulſit. In quo eum dupliciter ratio fugit. Nam de legitimo capitis ſupplicio, quod ex judicio cuiquam & ſententia judicum irrogatur damnatis, nuſquam leges nec auctores ἀποκτείνειν ſolent dicere, ſed θανάτῳ ζημιῶσαι, *morte multare, plectere, punire*, non vero *interficere.* Demoſthenes ibidem: Οἱ Θεσμοθέται τοὺς ἐπὶ φόνῳ φεύγοντας κύριοι θανάτῳ ζημιῶσαί εἰσιν. Præterea in verbo ἀπάγειν continetur ea τιμωρία, quam dicit Demoſthenes ſecunda illa lege præſcribi. Ἀπάγειν enim eſt ad *ſupplicium ducere*, aut in carcerem, aut ad judicem, qui damnatum vel confeſſum ad mortem duci jubeat. Demoſthenes eodem loco: Καὶ τὸν ἐκ τῆς ἐκκλησίας πάρεισι πάντες ἑωρᾶτε ὑπ' ἐκείνων ἀπαχθέντα. Id eſt, *ad ſupplicium ductum.* Ita Latini *duci* ſimpliciter accipiunt. Quintilianus declam. CCLXX: *Dum eum duci juſſit magiſtratus.* Id eſt, ἀπάγεσθαι. Nimirum, *ad ſupplicium.* Suetonius in Caligula: *Et cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpecto elogio, ſtans tantummodo intra porticum mediam, à calvo ad calvum duci imperavit.* Hoc eſt, ἀπαχθῆναι, ad mortem duci, atque interfici. Et recte Græci eo loco vertunt, σφαγῆναι· ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχρι τοῦ φαλακροῦ πάντας σφαγῆναι.

Melius

Melius ac ſcite magis ex Græcorum antiquorum more dixiſſent ἀπαχθῆναι. Seneca lib. 1 de Ira: *Is cum iratus duci juſſiſſet eum qui ex commeatu ſine commilitone redierat, quaſi interfeciſſet, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum non dedit.* In ſequentibus bis, aut ter eo verbo abſolute utitur de eo, qui ad ſupplicium ducitur. Curtius: *Nos jube duci, ut quod ex tua morte petieramus, ex noſtra conſequamur.* At in hac lege, quæ jubet repertum intra fines homicidam ἀπάγεσθαι, non intellexit letho dandum, ſed ad magiſtratus ducendum, aut in carcerem, ut per eos ad ſupplicium porro duceretur. Nemini enim privato licuit confeſſum reum, aut jam condemnatum interficere, ſed ad magiſtratum erat ducendus, qui de eo ſupplicium ſumi juberet. Suidas: Ἀπήγοντο δὲ οἱ κακοῦργοι πρὸς τοὺς ἕνδεκα. Cædis rei ἀπήγοντο πρὸς Θεσμοθέτας. Nam ſi confeſſi eſſent rei, ſine judicio capite puniebantur. Si condemnati eſſent, quos ἑαλωκότας τῇ ψήφῳ hic vocat Demoſthenes, ubi quis eos in fuga deprehendiſſet intra fines Atticos, retrahere poterat, & ad judices ducere, ἀπάγειν, dum ne quid in eos violentiæ committeret. Et hæc eſt τιμωρία, quam à lege deſignatam dicit Orator. Nam ubi ad judicem erant deducti, jubebat eos ἀπάγεσθαι τὸ ἐπὶ θανάτου. Verba Rhetoris: Οὗ δ' ὁ ἁλοὺς ἔνοχος τῷ προσρήματι τούτῳ καθέστηκε, τὴν τιμωρίαν ἔγραψε. περὶ μὲν δὴ τῶν ἑαλωκότων ἂν λέγοι. λέγει δέ τι; ἐξεῖναι ἀποκλείνειν, καὶ ἀπάγειν. ἆρ' ὡς αὑτὸν, ἢ ὡς ἂν βούληταί τις; πολλοῦ γε καὶ δεῖ. ἀλλὰ πῶς; ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται, φησί. Τοῦτο δ' ἐστὶ τί; ὃ πάντες ἐπίστασθ' ὑμεῖς. Quibus ex verbis liquidius luce eſt, expungi eas voces debere, ἀποκλείνειν καὶ, & legendum: Λέγει δέ τι; ἐξεῖναι ἀπάγειν; ἆρ' ὡς αὑτὸν, ἢ ὡς ἂν βούληταί τις; πολλοῦ γε καὶ δεῖ. *Vbi vero,* inquit, *cadis reus convictus, obnoxius huic homicidæ appellationi factus eſt, pœnam lex commemoravit. De his qui jam condemnati ſunt, id omnino dicat. Quid igitur dicit? Licere eos abducere. An ad ſe ipſum*

ſe ipſum domum, & quomodo quis voluerit? Nihil minus. Quomodo ergo? Vt in Axe præſcripſum eſt, ὡς ἐν ἄξονι εἴρηται. Sed quis ille ἄξων cujus hic lex meminit, in quo præſcriptum erat quomodo abducendus eſſet reus à privato cui hæc poteſtas dabatur? Hæc lex Draconis non vult, ullo modo male tractari, aut verberari cædis confeſſæ reum, vel convictum condemnatumque, ſed ſimpliciter ad undecim viros, ſi prehendatur, abduci. In illo verbo ἀπάγειν quærit Demoſthenes, quid contineatur, aut quam vim habeat, & quid eo intelligatur. An, inquit, reum ad ſe ἀπάγειν domum ei qui illum prehenderit, permittit, aut quocunque alio voluerit? Nihil minus. Quomodo igitur? ὡς ἐν ἄξονι ἀγορεύει. Quod ipſe interpretatur, ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται, ſicut in Axone dicitur. Ubi ille Axon, aut quis, aut quid in eo ſcriptum, quod declararet quemadmodum reus eſſet abducendus ad Undecimviros? Non enim de ipſo Axone in quo hæc lex inſcripta fuit poteſt accipi. Debuit quippe hoc ipſo loco eadem lex indicare modum ἀπαγωγῆς. At remittit ad Axonem in quo id præſcribatur. An Axon aliquis fuit in foro erectus & inſcriptus, qui formulas actionum continebat, & modos quibus licebat reos ἀγωγίμους facere, aut ἀπάγειν? An hoc divinare eſt, & nulla uſpiam apud Græcos hujus Axonis mentio occurrit? Præterea ἄξονες proprie appellati, id eſt, axes lignei verſatiles in quibus leges Solonis erant ſcriptæ. Omnes enim auctores Græci ἄξονας Soloni dant. Harpocration: Ἄξονες· οἱ Σόλωνος νόμοι ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσιν ἐγγεγραμμένοι. Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους· ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται. Citat ut vides hunc locum Rhetoris, qui eſt in manibus, & de Solonis Axe eum interpretatur. Atqui lex quæ hic recitatur, non Solonis, ſed Draconis fuit, ut ipſe Demoſthenes paulo poſt teſtatur, ubi legem aliam allegans ad cædes pertinentem, non illam ſolum, ſed & cæteras ante allegatas φονικοὺς, omnes Draconis eſſe docet.

Ὁ μὲν

Ὁ μὲν νόμος ἐϛὶν οὗτος Δράκοντος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ οἱ ἄλλοι ὅσους ἐκ τῶν φονικῶν νόμων παρεγραψάμην. Ergo & hic qui præ manibus, Draconis eſt. In Areopago omnes iſtæ Draconis leges φονικαὶ ſervabantur. Nam ita eos citat: ἐκ τῶν φονικῶν νόμων τῶν ἐξ Ἀρείου πάγου. Leges porro Draconis non in Axibus ligneis, ut illæ Solonis, ſed in pilis lapideis inſcriptæ erant, ut ſuperius ex eodem Rhetore probavimus in ea contra Euergum, quæ ſic habet: Ταῦτα ἀκούσας ἐγὼ τῶν ἐξηγητῶν, καὶ τοὺς νόμους ἐπισκεψάμενος, τοὺς τοῦ Δράκοντος, ἐκ τῆς ϛήλης, ἐβουλευόμην μετὰ τῶν φίλων, ὅτι χρή με ποιεῖν. At nemo unquam ἄξονα, ϛήλην interpretatus eſt, cum ϛήλη columna ſit, vel pila lapidea. Deinde omnes omnino auctores *Axones* legum Solonis proprios faciunt. Nam quod *Axes* Ammianus de Lycurgo Rhetoris uſurpavit, mera eſt κακόζηλος. Nunc quærendum, qui fieri poſſit, ut lex Draconis mentionem faciat Axonis Solonis, ejuſque auctoritate utatur ad declarandam formulam, quam ſequi debebant, quibus ipſa lex facultatem dabat τοῦ ἀπάγειν reum homicidii. Nam hoc ſane in primis mihi mirum videtur, & ἀδύνατον. Sed nec de alio Axone, nec tamen de eo ipſo in quo lex hæc ſcripta, licet interpretari. Poſtremo nec dicit Orator, quid in illo fuerit ἄξονι, & quomodo reum abducendum præſcripſerit, λέγει δὲ, τί; *Quid illa lex Draconis dicit?* ἐξεῖναι ἀπάγειν, *licere abducere.* Ἆρ' ὡς αὐτὸν, ἢ ὡς ἂν βούληταί τις; *An ad ſe ipſum, aut quomodo quis voluerit?* Πολλοῦ γε καὶ δεῖ. *Nihil minus.* Ἀλλὰ πῶς; *ſed quomodo?* Ὡς ἐν τῷ ἄξονι εἴρηται, φησί. *Vt in Axone dictum eſt, ait.* Lex nempe dicit, ita debere reum ἀπάγειν, ut in Axone dictum eſt. In quo Axone? An Solonis? Non alii ſane Axones. Atqui poſterior hic Dracone legiſlator, & ſuas ſcripſit leges Dracone pridem è vivis ſublato. Addit Demoſthenes: Τοῦτο δ' ἐϛὶ τί; *Hoc vero quid eſt?* Quod in Axone nimirum dictum eſt. Ὃ πάντες ἐπίϛασθ' ὑμεῖς. *Quod vos omnes tenetis.* Explicat hoc deinde quid ſit. Οἱ θεσμοθέται

θέται τοὺς ἐπὶ φόνῳ φεύγοντας κύριοι θανάτῳ ζημιῶσαί εἰσι, καὶ τὸν ἐκ τῆς ἐκκλησίας πέρυσι πάντες ἑωρᾶτε ὑπ' ἐκείνων ἀπαχθέντα. ὡς τούτους οὖν ἀπάγειν λέγει. *Theſmotheta*, inquit, *poteſtatem habent eos, qui ob cædes profugi ſunt, morte multandi, & vidiſtis quemdam ex concione anno præterito omnes, quem duci illi juſſerunt. Ad illos igitur jubet lex reum abduci.* Oportet igitur aliquis fuerit Axon in quo formulæ ἀπαγωγῆς continerentur. Cujus igitur erit ille Axon, aut à quo poſitus? Non certe à Dracone. Atqui hæc lex ejus. An à Solone, qui in Axibus ſcribendas omnes ſuas leges curavit? Atqui hæc lex Draconis. Quomodo hæc conciliabimus? Scite oportet omnes, eas leges φονικὰς citari à Demoſthene non ex pilis lapideis, in quibus erant inciſæ Draconis leges, quas alibi στήλας vocat, ſed ex Areopago. Ita enim ſcribit cum leges illas allegat: Ἐκ τῶν φονικῶν νόμων, τῶν ἐξ Ἀρείου πάγου. Alibi in ea contra Euergum alias Draconis leges ex ipſa ſtela, ſive pila citat: Καὶ τοὺς νόμους ἐπισκεψάμενος τοὺς Δράκοντος ἐκ τῆς στήλης. Quæ ratio hujus differentiæ? Hæc erit quam dicam. Ad leges Draconis de cæde, ſecundum quas judicabant Areopagitæ, multas actionum criminalium formulas addiderat Solon, quas & in Axonibus proſcripſerat, ut & cæteras quas tulerat leges. Habebant igitur Areopagitæ in archivis deſcriptas Draconis leges, ne ad lapiceas pilas quoties ex his judicandum erat recurrere neceſſe haberent. Ita autem ſervabant deſcriptas, ut etiam quæ à Solone in illis legibus innovata eſſent, aut mitigata, aut explicata in his continerentur. Cujus rei exemplum plane ἐναργὲς, & illuſtre hæc lex exhibet Draconis. Scripſerat Draco: Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐν τῇ ἡμεδαπῇ ἐξεῖναι ἀπάγειν. Quomodo illud ἀπάγειν ſumendum eſſet ex Axone Solonis explicatum, & additum in ipſa lege ab Areopagitis, ὡς ἐν Ἄξονι ἠγόρευται, λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδ' ἀποινᾶν. Quia enim illud ἀπάγειν multi potuiſſent interpretari pro ἄγειν. Ideo ex Axone Solo-

Solonis, quo ſenſu eſſet accipiendum, adjicitur. Nam Solon de ἀπαγωγῇ in ſuis Axonibus multa dixerat, & quatenus ea utendum eſſet & quomodo, ut apparet ex oratione ejuſdem Demoſthenis contra Androtionem, cujus verba non hic producam, quia infra erunt adducenda, & explicanda. Quod igitur in lege Draconis ſcriptum erat licere ἀπάγειν cædis reos in Attico territorio deprehenſos, id ex ea ἀπαγωγῆς ratione ac more, quem in ſuis Axonibus Solon admiſerat, in aliis criminibus legem Draconis eſſe interpretandam, additum fuit in ipſa lege ab Areopagitis. Sic Edictum Ædilium de ſervis ad morem ac jus ſæculi ſui interpolavit per Tribonianum Juſtinianus, ut ante docebamus. Sic etiam Anianus Gaii inſtitutiones reformavit ex ritu ſuæ ætatis. Ut in iſto titulo de libertatibus ſervorum: *Nam Latini patronorum beneficio, id eſt, ſi iterum ab ipſis, aut teſtamento, aut in Eccleſia, aut ante conſulem manumittantur, civium Romanorum privilegia conſequuntur.* Idem in aliis præſtitit, ut & Tribonianus magna licentia graſſatus eſt in ſcriptis veterum Juriſconſultorum. Legiſſe autem Demoſthenem ἠγόρευται, non ἀγορεύει, ex ejus interpretatione liquet, qua id expoſuit, ὡς εἴρηται. Dicit itaque Orator omnes ſcire, ac neminem ignorare, quid per illud verbum ἀπάγειν in lege Draconis ſignificaretur, quia nimirum in Axone Solonis id explicatũ omnium oculis obvium & expoſitum patebat. Ὃ πάντες ἐπίστασθ' ὑμεῖς, ὡς ἐν ἄξονι ἠγόρευται. Cæterum quod ἀποκτείνειν, deinde ἀπάγειν reum cædis, verba ejuſdem legis, ut vulgata ſunt, permittunt, omnino ridiculum eſt; ut jam oſtendimus. Adeó vero non licebat cædis reum occidere intra fines Atticæ, ſi modo abſtineret iis rebus ac locis quibus eum abſtinere leges ſanciebant, ut ſimili pœna teneretur, qui hujuſmodi reum interfeciſſet, aut cauſam mortis præbuiſſet, ac ſi quemlibet alium Athenienſem neci dediſſet. Sic lex ea legenda

eſt apud Demoſthenem in Ariſtocratea: Ἐὰν δέ τις τὸν ἀνδροφόνον κτείνῃ, ἢ αἴτιος ᾖ φόνου, ἀπεχόμενον ἀγορᾶς ἐφορίας, καὶ ἄθλων, καὶ ἱερῶν Ἀμφικτυονικῶν, ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖον κτείναντα τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι. Male disjunctim vulgo ſcribitur, ἀπεχόμενον ἀγορᾶς, ἐφορίας. Quaſi ita intellexiſſet, ἀγορᾶς, καὶ ἐφορίας, ut & in ſequentibus fecit, καὶ ἄθλων, καὶ ἱερῶν Ἀμφικτυονικῶν. Sed ipſe Demoſthenes egregie ea verba legis expoſuit, & quomodo ſint legenda docuit. Quod non animadvertiſſe doctiſſimum earum legum interpretẽ, miror. Ἐάν τις, inquit, ἀνδροφόνον κτείνῃ, ἀπεχόμενόν φησιν ἀγορᾶς ἐφορίας. Τί τοῦτο; λέγει τὸν ὁρίων τῆς χώρας. ἐνταῦθα γὰρ ὥστε μοι δοκεῖ, τἀρχαῖα συνίεσαν οἱ πρόσχωροι παρά τε ἡμῶν, καὶ τῶν ἀστυγειτόνων, ὅθεν ὠνόμακεν ἀγορὰν ἐφορίαν. Sic totus ille locus ſcribendus ac diſtinguendus eſt. Ἀγορὰ ἐφορία eſt forum in collimitio. Mos erat quippe non ſolum in Græcia, ſed etiam in Italia, in confinio multarum civitatum haberi forum rerum vænalium, quo conveniebant ex vicinis oppidis vicíſque magna hominum frequentia, ad vendẽdum & emendum. Feſtus: *Forum primo negotiationis locus, ut forum Flaminium, forum Iulium, ab eorũ nominibus, qui ea fora conſtituenda curarunt. Quod etiam locis privatis, & in vicis, & in agris fieri ſolet.* Hujuſmodi fora in agris celebrata in confinio multorum pagorum, Græcis ἀγοραὶ ἐφορίαι dictæ. Nam ab ὅρος, quod eſt terminus, ut μεθόριος, ἐνόριος, ita & ἐφόριος, *terminalis*. Inde ἐφορία ἀγορὰ, *limitaneum forum*. Illud enim ἐφορία adjectivum eſt. Mirum ἐφορίας interpretamentum eſt apud Harpocrationem: Ἐφορία, ἡ ἐπὶ τῶν ὅρων γινομένη παραγγελσις, ὡς Δημοσθένης διδάσκει ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους. Hic ipſe locus eſt, quem in manibus habemus, in quo apparet, eum legiſſe diviſim, ἀγορᾶς, ἐφορίας. Quod magnum eſt argumentum, quam oſcitanter ſcripta auctorum veterum evolvere ſoliti ſint illi λεξικογράφοι. Præterea cum παραγγελσιν interpretatur, non explicat, quid proprie

prie eſſet ἐφορία, vel ἐφορία ἀγορᾶς, ſed quomodo arcerentur cædis rei ab illa ἀγορᾶς ἐφορίᾳ, oſtendit. Nam πρόῤῥησις, denuntiatio eſt, quæ arcebat finibus Atticæ, hoc eſt, foris & conciliabulis, quæ in illis finibus haberi ſolebant, homicidii reos. Et πρόῤῥησιν illam Rex faciebat Athenis, qui & in Areopago ſimul cum reliquis Areopagi ſenatoribus de cæde cognoſcebat. Latini verbum προαγορεύειν *edicere* verterunt. Poëta in re tali:

Edico præſente Deo, præſentibus aris.

Sed hæc obiter. Nefas igitur erat homicidii reum intra fines deprehenſum occidere dummodo abſtineret ſacris Amphictyonicis, certaminibus ſacris, & foro limitaneo. Poterat tamen ἀπάγεσθαι à quolibet, qui eum intra fines deprehendiſſet, hoc eſt, ad magiſtratum duci, ut plecteretur. Hinc colligi vult Demoſthenes quantum fuerit diſcrimen inter rogationem, quam ferebat Ariſtocrates, & leges Draconis de cæde. Hæ ne convictum quidem cædis reum, atque jam damnatum occidi volebant in Attica ditione, ſed ἀπάγεσθαι tantum, idque ſine ulla injuria, aut contumelioſa vexatione. Ariſtocrates vero rogatione ſua, qui Charidemum occidiſſet ἀγώγιμον eum eſſe decernebat, ex quocunque loco ubi poſſet capi. Tum Orator explicat, quæ ſit differentia inter ἄγειν & ἀπάγειν, his verbis: Ὡς τούτους οὖν ἀπάγειν λέγει. διαφέρει δέ τι τοῦτο τοῦ ὡς αὐτὸν ἄγειν, ὅτι ὁ μὲν ἀπάγων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὡς τοὺς θεσμοθέτας, τοὺς νόμους κυρίους ποιεῖ τοῦ δεδρακότος, ὁ δὲ ὡς αὐτὸν ἄγων, ἑαυτόν. ἔστι δ᾽ ἐκείνως μὲν, ὡς ὁ νόμος τάττει, δοῦναι δίκην, οὕτω δὲ ὡς ὁ λαβὼν βούλεται. Cui in lege Solonis ἀπάγειν permittitur cædis reum, ad Theſmothetas eum ducit. Qui vero ἀγώγιμον aliquem facit, & ad ſe ἄγει, rapit. Qui ἀπάγει ad Theſmothetas, legibus poteſtatem dat de commiſſi reo quod voluerint, ſtatuendi: qui ad ſe eum rapit, & ἄγει, ſe ipſum dominum & arbitrum, quid eo ſit faciendum, conſtituit. Priore modo quo reus ἀπάγεται, ſecundum

dum legum ordinem, pœnas eſt daturus. Iſto veró quo ἄγεται, quo modo libuerit ei à quo captus eſt, punitur. Optime ex iſtis dilucefcit, quid differant ἄγειν & ἀπάγειν, & quantum diſtet ἀγώγιμος, ab illo quem lege licet ἀπάγεσθαι. Hoc niſi præſtruxiſſemus, nunquam recte explicari potuiſſet, quo ſenſu ἀγώγιμα debitorum σώματα fieri Græci permiſerint, quos etiam poſtea ſequuti ſint Romani, ut in ſequenti capite latius diſſeremus. Cum antea juxta communem omnium Græcorum legem liceret Athenis obæratos, qui ſolvendo non eſſent. ἀγωγίμους facere, poſtea lege Solonis id vetitum fuit, nec unquam deinceps id apud Athenienſes licitum eſt, licet viri ſummi diſſentiant, quos hac in re nihil vidiſſe facile probabimus. Pergamus enucleatius aperire, quid proprie eſſet ἀπάγεσθαι, & quot modis ſumi apud Græcos in judiciis ſoleret, ut inde clarius liqueat, creditoribus in Athenienſium civitate poſt Solonis legem licuiſſe, ſuos debitores qui ſolvendo non eſſent, ἀπάγειν, non ἄγειν, aut ἀγωγίμους eos facere. Quinque ab antiquis criticis verba referuntur, quæ in actionibus partim privatis, partim judiciis publicis uſitata fuere apud Græcos, petitoribus, aut accuſatoribus adverſus reos competentia. Ἀπάγειν, ἐφηγεῖσθαι, γράφεσθαι, δικάζεσθαι, ἐνδεικνύειν. At δικάζεσθαι quidem dicitur qui actionem intendit civilem. Qui in crimen ſubſcribit, γράφεσθαι. Sed hæc duo ſatis nota ſunt; reliqua tria minus. Qui reum convictum, vel condemnatum in eo loco deprehendebat, unde ad judicem trahi ac perduci fas erat, ſi id faceret, ἀπάγειν eum dicebatur. Latinis hoc, *obtorto collo trahere ad judicem*. Plautus in Pœnulo:

Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priuſquam obtorto collo ad prætorem trahor.

Priuſquam ad Prætorem ἀπάγεσθαι, Idem in Rudente:

—Opta ocius,
Rapi te obtorto collo mavis an trahi.

Nempe

Nempe rapi ad judicem, vel in jus ἀπάγεσθαι, ut paulo poſt explicat:

Ego hunc ſceleſtum in jus rapiam exulem.

Ἀπάξω πρὸς τοὺς ἕνδεκα. Inde nomen ἀπαγωγή, quam εἶδος δίκης eſſe Grammatici interpretantur, ſed falluntur. ὀνομάζεται δὲ, inquit Harpocration, ἀπὸ τοῦ ἀπάγειν. ἀπάγεσθαι δὲ ἐπὶ τῶν κακούργων. ἀπήγετο δὲ πρὸς τοὺς ἕνδεκα. Non eſt nomen actionis, ſive δίκης, ſed jus eſt potius rapiendi aliquem in jus, privatis conceſſum apud Græcos in certis caſibus & cauſis, vel criminibus. *Prenſionem* Latini dicerent. Inde ἀπαγωγὰς Suidas exponit αἰχμαλωσίας, id eſt, *captiones*, ſive *prehenſiones*. Gloſſæ: *prendit*, ἀπάγει, συλλαμβάνει. Jure antiquo populi Romani Tribuniplebis prenſionem habebant, id eſt, ἀπαγωγὴν, non vocationem. Poterant enim ipſi venire & prendi aliquem jubere, id eſt, ἀπάγειν, ſed vocandi abſentem jus non habebant. Jure illo prenſionis hæc tria continebantur, *prendere, tenere, abducere*. Iſtud tertium *abducere* eſt proprie Græcorum ἀπάγειν. Quod ultimum eſt in prenſione. Nec enim aliquis abducere alium in jus poteſt, niſi prendendi & capiendi habeat poteſtatem. Ita & privati apud Græcos in quibus criminibus reum ἀπάγειν eis licebat, vel quod idem eſt ἀπαγωγῇ χρῆσθαι, *abductione uti*, tria etiam hæc ſimul habuere, λαβεῖν, ἔχειν, & ἀπάγειν. Quod etiam illis datum fuit, quibus ἄγειν, vel ἀγώγιμον quempiam facere lege aliqua licuit. Demoſthenes in Ariſtocratea, de his quibus ἀγώγιμον facere conceſſum erat: καὶ λαβοῦσιν ἐκεῖνον ἔξεστι στρεβλοῦν, αἰκίσασθαι, χρήματα πράξασθαι. Hæc eſt prenſio. Item paulo poſt: καὶ μὴν ἔν γε τῷ ποιεῖν ἀγώγιμον, πάνθ' ὅσα ἀπείρηκεν ὁ νόμος, δέδωκας, χρήματα πράξασθαι, ζῶντα λυμαίνεσθαι, κακοῦν, ἔχοντα ἀποκτεῖναι. *Tenentem occidere*. Uſque adhuc & prendere ac tenere, utrique ex æquo permiſſum, ut & tertium, abducere, ἀπάγειν, tam ei qui ἀγώγιμον ducebat, quam qui tantū jus τοῦ ἀπάγειν

habebat. Sed in eo poſtea diſcrimen, quod ἄγειν τὸν ἀγώγιμον, & in vincula apud ſe conjicere, & multare pecunia, & quocunque modo male tractare, atque etiam neci dare licitum fuit. Ei vero qui τοῦ ἀπάγειν poteſtatem habuit, nihil horum facere fas erat, ſed quem abduxerat judicio ſiſtere, ac judicibus intactũ & inviolatum exhibere debebat. Heſychius: Ἀπαγωγὴ, ἡ τῶν κακούργων πρὸς τοὺς ἐν δικαστηρίῳ παράδοσις. Ubi melius legatur fortaſſe, πρὸς τοὺς ἕνδεκα παράδοσις, ut apud Harpocrationem & Suidam habetur. Nam οἱ ἕνδεκα cognitionem habuere hujuſmodi criminum in quibus privato ἀπαγωγὴ competebat. Si quis parentum male tractationis convictus eſſet, aut infrequentis militiæ, aut ſi quis ea loca ingreſſus eſſet, quæ condemnato ex lege nefas eſſet ingredi, in eos ἀπαγωγὴ ad undecimviros capitales cuilibet privato permittebatur. Lex à Demoſthene allegata in Timocratea: Ἐάν τις ἀπαχθῇ, τῶν γονέων κακώσεως ἡλωκὼς, ἢ ἀστρατείας, ἢ προειρημένον αὐτῷ τῶν νομίμων εἴργεσθαι, εἰσιὼν ὅπη μὴ χρὴ, δησάντων αὐτὸν οἱ ἕνδεκα, καὶ εἰσαγόντων αὐτὸν εἰς τὴν Ἡλιαίαν. Nihil ea lege corruptius, in his verbis quæ emendavimus: ἢ προειρημένον αὐτῷ τῶν νομίμων εἴργεσθαι, εἰσιὼν ὅπη μὴ χρή. Quam cauſam fuiſſe puto cur in hac lege producenda ea omiſerit ſciens doctus legum Atticarum enarrator. Nam vulgo nullo ſenſu legitur, ἢ προειρημένων αὐτῷ τῶν νόμων εἴργεσθαι. Cædis rei qui arcebantur foro, ſacris, myſteriiſque, aliiſque legitimis ſollemnitatibus, τῶν νομίμων εἴργεσθαι dicebantur. Si contra vetitum feciſſe eſſent deprehenſi, poterant prehendi à quolibet, & abduci ad undecimviros rerum capitalium. Hoc eſt igitur quod lex dicit, ἢ προειρημένον αὐτῷ τῶν νομίμων εἴργεσθαι, εἰσιὼν ὅπη μὴ χρή. *Et ingreſſus quo minime oportet, cum ipſi prædictum fuerit ut abſtineret locis quæ lex vetat.* Notus eſt Græciſmus, προειρημένον αὐτῷ, *cum prædictum ipſi eſſet*, ut ἐξὸν αὐτῷ, *cum ipſi liceret.* Male porro eam legem ita Latine interpre-

terpretatur vir ille, quem dixi, doctiſſimus: *Si quis damnatus male parentum tractationis, ea deprehendatur ingredi loca, quibus arcetur.* Εἴ τις ἀπαχθῇ, non eſt, *ſi quis damnatus*, ſed, *ſi quis prenſus & abductus ſit*, nempe ad undecimviros, *ex his qui convicti ſunt maletractationis parentum.* Sciendum autem eſt, nonniſi in criminibus fere capitalibus & judiciis publicis, ἀπαγωγὴν datam in reos fuiſſe privatis. In furibus nocturnis licita fuit, quos etiam licebat occidere, aut inter perſequendum vulnerare, & ita abducere ad undecimviros, ſi quis vellet. In furibus diurnis, ita permiſſa eſt ἀπαγωγὴ, ſi furtum excederet quinquaginta drachmas. Eos vero occidere non licuit, ſed ἀπαγωγὴ tantum in his permiſſa, cum in nocturnis, utrum quis vellet, liberũ eſſet, aut illos occidere, aut ἀπάγειν. Convicto autem ejus furti in quo ἀπαγωγὴ locum habebat, non licebat furi ſatiſdatione ob ſolutionem rei furtivæ, pœnam mortis evitare, quam lex irrogabat. Demoſthenes in Timocratea: Τῷ δὲ ἁλόντι ὧν αἱ ἀπαγωγαί εἰσιν, οὐκ ἐγγυητὰς καταστήσαντι, ἐξεῖν εἶναι τῶν κλεμμάτων, ἀλλὰ θάνατον τὴν ζημίαν. Interpres vertit: *Convicto eorum facinorum, propter quæ in vincula abripi liceat.* Immo convicto eorum furtorum. Nam de furtis tantum ſermo eſt. Præterea, ὧν αἱ ἀπαγωγαί εἰσιν, non debet reddi, *propter quæ in vincula abripi liceat.* Non enim in vincula licebat privatis reum conjicere, quem prehendendi jus habebat, & ad undecimviros abducendi. Male idem vir doctiſſimus, in ſcholiis Ulpiani, καθ᾽ ὧν ἀπαγωγαί εἰσιν, reddit, *quorum ſunt abductiones, quos licet abducere in carcerem.* Nam ἀπαγωγαὶ illæ, ſive prenſiones reorum, quos in jus abducere licebat privatis, παραδόσεις tantum fuere, quibus reus tradebatur in poteſtatem judicis. Judex vero ita prenſos & abductos traditoſque ſibi ab adverſario reos, in carcerem duci jubebat, vincirique donec exſolviſſent, ſi pecuniæ tantum eſſent condemnati, aut ſi capitale

eſſet crimen, ad ſupplicium duci. In utroque verbum ἀπάγεσθαι uſurpabatur, ſed rarius ἀπαγωγὴν dici mos erat. Et de carcere quidem & vinculis frequentius hoc ipſum exprimere conſueverant, εἰς δεσμωτήριον ἀπάγεσθαι. Alexis in Labete:

— Εἰς τὸ δεσμωτήριον
Εὐθὺς ἀπάγεσθαι τοῦτον.

De eo autem qui ad ſupplicium rapiebatur, ἀπάγεσθαι ſimpliciter dicebant, & Latine *duci*. Heſychius: Ἀπάγεσθαι, εἰς θάνατον ἕλκεσθαι. Quod notum ſupra fecimus aliquot auctorum teſtimoniis. Qui jus igitur habebat privatus reum ἀπάγειν, eum prendere & abducere tantum poterat, judicique tradere, non in vincula, vel carcerem ex propria auctoritate conjicere. Nec juvat quidquam quod ex loco quodam Demoſthenis in Ariſtocratea lex quædam permittit homicidam in foro conſiſtentem, aut in ſacris, abducere in carcerem: Τὸν δ' ἀνδροφόνον περιόντα ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ κατὰ τὴν ἀγορὰν, ἀπάγειν ἐξεῖναι εἰς τὸ δεσμωτήριον. Non enim ὁ ἀπάγων recta in vincula conjiciebat, & colonum carceris faciebat eum reum quem abducere licuerat, ſed præfectis carceris tradebat, qui ex judicis auctoritate illum incarcerabant, aut undecimviris, qui jubebant in carcerem trudi. Ita interpretatur verbum ἄπαγε Ulpianus in ea contra Androtionem, ἔῤῥωσαι, καὶ σεαυτοῦ πιστεύεις; ἄπαγε. Ἄπαγε δὲ, inquit, δηλονότι πρὸς τοὺς ἕνδεκα, καὶ τοὺς ἐπὶ τοῦ δεσμωτηρίου. Ubi οἱ ἐπὶ τοῦ δεσμωτηρίου, ſunt præfecti, vel cuſtodes carceris, qui tamen poteſtatem non habuere quempiam in vincula conjiciendi citra judicis auctoritatem. Ita accipiendum & apud Suidam in hac lege: Τοὺς ἀπάγοντας εἰς τὸ δεσμωτήριόν τινας ἐπὶ δίκῃ κλοπῆς χιλίας διδόναι δραχμὰς τοὺς ἁλόντας. Ubi ἀπάγοντες εἰς δεσμωτήριον, ſunt privati, qui reum in jus obtorto collo rapiunt, judici tradendum, aut carceris præpoſitis, ut in vincula conjiciatur. Sed corruptiſſima illa ſunt apud Suidam, χιλίας διδόναι

δραχμὰς τοὺς ἁλόντες. Nam οἱ ἁλόντες ſunt ipſi rei, qui criminis alicujus accuſati, etiam convincuntur & condemnatitur. Suidas autem de hjs intelligit, qui hujuſmodi reos in jus rapiunt vinciendos, cum οἱ ἁλόντες ſint οἱ ληφθέντες, convicti, & damnati. Lege ergo: *χιλίας διδόναι δραχμὰς τοὺς μὴ ἁλίσκοντας, qui non tenerent.* Etenim qui quos abduxerant, tanquam reos, convincere nō poterant, mille drachmis multabantur. Si quis autem ſe nimis imbecillem viribus eſſe ſentiret ad abducendum in jus, aut ad judicem, quem licebat ἀπάγειν, magiſtratui eum indicabat, qui prehendi per viatorem, aut lictorem juberet, & abduci. Hoc ἐφήγησις dicebatur. Domum quippe ubi lateret reus magiſtratui monſtrabat, ut inde in carcerem educeretur. Pollux: Ἐφηγεῖσθαι δέ ἐστιν, ὅταν τις δι' ἀσθένειαν ἀπάγειν οὐ θαῤῥῶν ἐπάγῃ τὸν ἄρχοντα ἐπ' οἰκίαν οὗ τις λαθὼν ἀποκρύπτεται. Ita enim apud Pollucem ſcribendum, non ἀφηγεῖσθαι. *Monſtrare eſt, quando aliquis propter virium infirmitatem, non auſus reum prehendere & abducere, induxerit magiſtratum in ædes ubi quis abducendus occultatur.* Res ipſa ἐφήγησις vocatur, quam δίκης ὄνομα æque inſcite veteres Grammatici interpretantur, atque ἀπαγωγήν. Suidas: Ἐφήγησις, δίκη ἐστὶ εἰσαγομένη ἐπὶ τοὺς ὑποδεξαμένους τὸν εἰργόμενον ὑπὸ τῶν νόμων ἐπιβαίνειν τῆς χώρας, οἷον φυγάδα, ἢ ἀνδροφόνον, ἢ ὅταν τῶν δημοσίων τι κατέχειν δοκῇ τις κρύφα. *Demonſtratio, actio eſt in eos intendenda, qui ſuſcipiunt eum quem leges regionem ingredi vetant, ut exulem, & homicidam, vel quando quis ex pecunia publica aliquid clam retinuit.* Hoc multis explicat Demoſthenes in Oratione contra Androtionem, ubi non unam ex legibus viam patere oſtendit de facinoroſis vindictam ſumendi. Sapientem enim legiſlatorem Solonem, varios modos eorum accuſandorum eſſe voluiſſe, quoniam in civitate non unius eſſent generis & genii omnes homines. Alios quippe reperiri δεινοὺς, id eſt, in dicendo

 acres,

acres, & accuſandis improbis idoneos: alios audaces & manu fortes, θρασεῖς: alios in utroque μετρίους. Si ſolis igitur qui mediocres habebāt facultates vireſq;, de ſceleratis pœnas expetere permiſiſſet, videbat multos impunitos evaſuros. Si rurſus accuſandi licentiā ſolis iis dediſſet, lege, qui confidentes eſſent & dicendi potentes, qui minus hac facultate valerent, non poſſe jus ſuum perſequi contra improbos. Ut ergo quo quiſque modo poſſet injurias ſuas vindicandi in judicio haberet copiam, non unam jure agendi viam ſingulis propoſuit: δεῖν δ' ᾤετο μηδένα ἀποστερεῖσθαι τοῦ δίκης τυχεῖν ὡς ἕκαστος δύναται. πῶς οὖν ἔσται τοῦτο, ἐὰν πολλὰς ὁδοὺς δῷ διὰ τῶν νόμων ἐπὶ τοὺς ἠδικηκότας, οἷον τῆς κλοπῆς; Exempli gratia, inquit, in furto quod quis paſſus eſt, non unus omnibus modus propoſitus eſt furis in jus vocandi trahendique, & pœnas ex eo repoſcendi. Quomodo hoc? Ἔρρωσαι, καὶ σεαυτῷ πιστεύεις; ἄπαγε. ἐν χιλίαις ἐστὶν ὁ κίνδυνος. Ἀσθενέστερος εἶ; τοῖς ἄρχουσιν ἐφηγοῦ. τοῦτο ποιήσουσιν ἐκεῖνοι. Φοβῇ καὶ τοῦτο; γράφου. Καταμέμφῃ σεαυτὸν, καὶ πένης ὢν οὐκ ἂν ἔχοις χιλίας ἐκτῖσαι; δικάζου κλοπῆς πρὸς διαιτητὴν, καὶ οὐ κινδυνεύσεις. *Vales viribus, & te ipſo confidis? prende. mille drachmum periculum eſt. Imbecillior es? magiſtratibus furem monſtra. illi prendi jubebunt. Hoc etiam metuis? In crimen ſubſcribere. Si facere id pigeat, &, cum ſis pauper, non potes ſolvere mille drachmas, ſi reum non peragas, civilem furti actionem intende apud judices pedaneos, & multa periculum non incurres.* Hæc eſt παράφρασις eorum Demoſthenis verborum. Hæc ſunt quattuor agendi modi adverſus fures, de quibus Suidas ſic habet: Ἀπάγειν, ἐφηγεῖσθαι, γράφεσθαι, δικάζεσθαι, τούτων ἕκαστον ἐπὶ τοῦ ἑτέρου καθηγορούντων λέγεται. ἀλλ' ἐὰν πρὸς διαιτητὴν ἡ δικασία γένηται, καλεῖται δικάζεσθαι. Immo δικάζεσθαι proprie eſt actione civili agere, atque ut Latini loquebantur, ad *interdictum litigare*, & δίκη proprie actio civilis. Si quis civiliter apud διαιτητὴν

furti

furti agere mallet, multæ mille drachmarum, quas ſolvebat, qui non teneret, non erat obnoxius. Si publico judicio apud undecimviros experiri vellet, aut ipſi furem licebat ἀπάγειν, hoc eſt, prendere ac magiſtratui tradere, aut indicare magiſtratui ubi lateret, ut prendi juberet. Quod ſi alterutrum facere nollet, accuſare ſimpliciter poterat, & in crimen ſubſcribere, ſed periculum erat à multa mille drachmarum, ſi cauſa caderet. Tria igitur priora in criminalibus tantum locum habuere, ἀπάγειν, ἐφηγεῖσθαι, & γράφεσθαι. Idem jus erat & in impietatis, vel læſæ religionis crimine. Τῆς ἀσεβείας, inquit, κατὰ ταῦτα ἐστὶν ἀπάγειν, γράφεσθαι, δικάζεσθαι πρὸς Εὐμολπίδας, φράζειν πρὸς τὸν βασιλέα, περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τὸν αὐτὸν τρόπον σχεδόν. In omnibus his locis ἀπάγειν vertit interpres, *in carcerem abducere*, vel *conjicere*. Melius Ulpianus, ἀπάγειν, ἀπαγωγῇ χρῆσθαι interpretatur, & ἀπαγωγὴν eſſe, τὴν πρὸς τοὺς ἕνδεκα παράδοσιν. Quod ait Orator, ſi quis ἀπάγειν per ſe nolit, aut magiſtratui monſtrare, qui ipſe prendat, tertium teſtare, ut accuſet, & dicam ſcribat. Hæc accuſatio in his criminibus in quibus licita erat ἀπαγωγὴ, vocabatur proprie ἔνδειξις. Ut enim præſens reus, ſi prendi poſſet, abducebatur, aut monſtrabatur magiſtratibus, qui per lictorem eum prenderēt, ita abſens deferebatur & accuſabatur. Quæ accuſatio ἔνδειξις. Pollux lib. VIII, cap. VI: Ἡ δὲ ἀπαγωγὴ, ὅταν τις ὃν ἐστὶν ἐνδείξασθαι μὴ παρόντα, τοῦτον παρόντα ἐπ' αὐτοφώρῳ λαβὼν ἀπάγῃ. *Prenſio vero, cum quis eum quem abſentem licet deferre & accuſare, hunc in re præſenti & flagranti delicto deprehenſum, captumque abducit.* Si quis furem, aut alterius criminis reum in quo ἀπαγωγὴ competeret, ita abduxiſſet, vel accuſaſſet, ſi cauſam non teneret, vel ſi non tuliſſet quintam ſuffragiorum partem, ἐν χιλίαις ὁ κίνδυνος, ut poſt Demoſthenem ibi addit Pollux. Hinc ἐνδείκτης, *delator, accuſator*. Et ἐνδείκνυσθαι deferre nomen alicujus, & accuſare, præcipue in capitali

tali crimine & publico judicio. Suidas in ἔνδειξις. Ἐπειδὰν τοῖς ἁλῶσι τιμῶσιν οἱ δικασταὶ, τί χρὴ παθεῖν, ἢ ἀποτίσαι. *Deinde judices ſtatuebant in convictos, quid eos pati, aut præſtare, oporteet.* Ergo, inquit vir doctus ad leges Atticas, *non erat illius, qui deferebat, ducere.* Unde Demoſthenes ibidem: Ὅτι τε ἐνδεικνύναι δίδωσιν τὸν ἀνδροφόνον, καὶ οὐκ αὐτὸν ἀγώγιμον οἴκαδε λαβόντα. Idem peccatum hic committit, quod hactenus omnes viri docti, ut ἄγειν & ἀπάγειν confundant. Subjicit enim ſtatim: *Niſi ſi quis tamen in rem præſentem veniſſet, poterat enim homicidam in jus rapere ad magiſtratum, & abducere.* Hoc eſt, ἀπάγειν. Quod licitum in pleriſque criminibus publicis, immo ferme omnibus. At in nullis τὸ ἀγώγιμον quempiam facere, ubi prendiſſet. Ἀγώγιμος domum ejus qui prehenderat ducebatur, ut quo vellet modo eum tractaret, & acciperet, vel in compedibus habendo, vel ſervire ſibi cogendo, vel vendendo, vel etiam neci dando. In ἀπαγωγῇ vero non licebat alio abducere prenſum reum, quam ad magiſtratum, vel ad præfectum carceris. Demoſthenes in Ariſtocratea: Ἀπάγειν ἔξεστιν εἰς τὸ δεσμωτήριον, οὐκ οἴκαδε, οὐδ᾽ ὅποι βούλεταί τις, ὥσπερ σὺ δέδωκας, κἀνταῦθ᾽ ἀπαχθεὶς, οὐδ᾽ ὁτιοῦν πρὶν ἂν κριθῇ πείσεται, ἀλλ᾽ ἐὰν μὲν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιωθήσεται, ἐὰν δὲ μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων ὁ ἀπαγαγὼν, χιλίας προσοφλήσει. *Abducere licet in carcerem, non domum, nec quo cuique libuerit. Eo abductus nihil mali ante judicium patietur, ſed ſi convictus fuerit, morte multabitur. Si vero is qui abduxerit non quintam ſententiarum partem tulerit, multam ſolvat, mille drachmas.* Adeo autem ejuſdem fuit ἔνδειξις, cujus & ἀπαγωγὴ, ut in quem abſentem expeteret ἔνδειξις, in eumdem ſi in re præſenti eſſet prehenſus, ἀπαγωγὴ competeret per eumdem exequenda. Hinc Harpocration ſub eadem ἐνδείξεως appellatione videtur etiam ἀπαγωγὴν comprehendiſſe, his verbis: Ἔνδειξις, εἶδος δίκης δημοσίας, ὑφ᾽ ἣν τοὺς ἐκ τῶν νόμων

εἰργο-

εἰργομένους τινῶν, ἢ τόπων, ἢ πράξεων, εἰ μὴ ἀπέχοιντο αὐτῶν, ἀπῆγον. *Genus publicæ accuſationis, qua eos qui ex legibus, locis certis, aut rebus abſtinere erant juſſi, niſi his temperarent, abducebant*. Pæne confundit cum ἀπαγωγῇ. Nam ita legendum in Harpocratione, non ὑπῆγον. Quinimmo ἀπαγωγὴν Suidas iiſdam verbis definit, quibus ἔνδειξιν, Pollux. Ἀπαγωγὴ, inquit ille, μήνυσις ἔγγραφος διδομένη τῷ ἄρχοντι, περὶ τοῦ δεῖν ἀπαχθῆναι τὸν δεῖνα. *Abductio, delatio conſcripta, magiſtratui tradita, de aliquo ducendo.* Verum hæc ἀπαγωγὴ longe alia eſt ab illa, quam paulo ante prenſionem eſſe diximus in certis cauſis cuilibet è populo permiſſam. Hæc enim ἀπαγωγὴ ipſa eſt ἔνδειξις, quam ita Pollux exponit: Ἔνδειξις δ' ἦν πρὸς τὸν ἄρχοντα ὁμολογουμένου ἀδικήματος, οὐ κρίσεως, ἀλλὰ τιμωρίας δεομένου. ὁ δ' ἐνδεικνύμενος ἐν γραμματείῳ πρὸς τὸν ἄρχοντα τὴν ἔνδειξιν ἀπέφερε, ἵνα ὑπόδικος ᾖ ψευδοῦς ἐνδείξεως. Iſta ἔνδειξις, quæ in γραμματείῳ, hoc eſt, in ſcripto Archonti dabatur, ipſa illa eſt ἔγγραφος μήνυσις Suidæ, quæ & ἀπαγωγὴ dicebatur, quia de reo confeſſo ejuſmodi delatio porrigebatur Archonti, qui indicandus non erat, ſed ducendus, id eſt, puniendus, & morte plectendus. Hoc enim ἀπαχθῆναι ſignificat, ut ſupra docuimus. De confeſſis enim magiſtratus ſumebat ſupplicium ſine judicio. Indicatos prendi jubebat, & ἀπαχθῆναι, id eſt, *duci*, nempe ad ſupplicium. In his ſolis ergo criminibus in quibus confitente habebantur rei, ἔνδειξις locum habuit. Hæc eadem & ἀπαγωγὴ, quia ſi capti eſſent, nihil aliud eos manebat, quam ἀπαχθῆναι. Delatio, hoc eſt, ἔνδειξις præcedebat, qua indicium de reo magiſtratui faciebat delator: tum ſequebatur ἀπαγωγὴ, per magiſtratum, qui eum duci, id eſt, morte multari jubebat. De hac ἀπαγωγῆς genere intelligenda lex apud Demoſthenem in ea contra Theocrinem: Ἐάν τις παρ' αὐτὰ ποιῇ τὸ συκοφαντεῖν, ἔνδειξιν αὐτοῦ εἶναι καὶ ἀπαγωγήν. Si quis mercatorem, aut navicularium falſo accuſaſſet

cuſaſſet eo nomine; quod Athenas coemptum peregre frumentum non importaſſet, non ſola mille drachmarum multa, ut in aliis accuſationibus fuit ſollemne, plectebatur, ſed morte etiam multabatur, & contra eum tanquam ſycophantam, admittebatur ἔνδειξις, deinde ἀπαγωγὴ, hoc eſt, ad ſupplicium ducebatur. Demoſthenes in ea Oratione: Ὅτι δ᾽ οὐ ταῖς χιλίαις μόνον ἔνοχός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἀπαγωγῇ, καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κελεύει ὁ νόμος οὑτοσὶ, συκοφαντοῦντα τοὺς ἐμπόρους, καὶ τοὺς ναυκλήρους ῥᾳδίως ἐξ αὐτοῦ νόμου γνώσεσθε. Non enim de illa ἀπαγωγῇ in hac lege accipiendum, quæ privatis dabatur, rei nempe prehendendi poteſtas, & ad undecimviros abducendi, ſed de illa altera qua judex reum duci ad ſupplicium imperabat. In confeſſis tamen criminibus de quibus non erat cognoſcendum judici, ſed ſupplicium ſumendum, etiam illa altera, quam ante diximus, privatis fuit conceſſa, ut ex eodem Polluce oſtendimus. Qui enim ἔνδειξιν abſentis faciebat, poterat adverſus præſentem uti ἀπαγωγῇ, & obtorto collo ad Archontem trahere, atque ἀπάγειν, qui ipſe & ſua ἀπαγωγῇ utebatur duci jubendo, hoc eſt, capite plecti. Sed illa ἀπαγωγὴ privatorum etiam in his delictis permittebatur, quæ non habebant reos confeſſos. At ἔνδειξις non in aliis, quam in confeſſis convictiſque reis, ſi non his abſtinerent locis rebuſve, à quibus eos lex arcebat. Reliquæ capitalium accuſationes & executiones criminum γραφαὶ δημοσίαι dicebantur. Accuſabat delator, & reum ſi poterat peragebat. Hic ubi ἔνδειξις locum habuit, non erat reus convincendus, & peragendus, ſed tantum demonſtrandus. Ideo ἔνδειξις ea delatio appellata. Alia fuit quam ἐφήγησις, etſi nomen ſignificatione non diverſum. Nam ἐφήγησιν, Ulpianus ὑπόδειξιν interpretatur. Sed privatus, qui ἀπαγωγὴν, hoc eſt, prenſionem uſurpare, præ imbecillitate virium non poterat, indicabat eum Magiſtratui, ut prendi juberet. Sed & præibat magiſtratui, & dedu-

cebat

cebat eum ad locum, ubi abſconditus latebat reus. Hoc enim proprie ἐφηγεῖσθαι, hoc eſt, ducem ſe præbere alicui, atque eum deducere, vel inducere in rem præſentem. Unde Pollux interpretatur, ἐπάγειν τὸν ἄρχοντα ἐπ' οἰκίαν οὗ τις ἀποκρύπτεται. Aliud erat ἔνδειξις. Nec enim quælibet accuſatio, vel executio criminis hoc nomine appellata, ſed ſola nominis delatio, ejus de quo, utpote confeſſo, citra cognitionem & judicium, ſupplicium erat ſumendum. Quæ delatio ſcripto erat facienda & magiſtratui porrigenda à delatore, ut teneretur ipſe, ſi eum, qui innocens foret, detuliſſet. Ideo μήνυσιν ἔγγραφον Suidas appellat, & ἀπαγωγήν, quia ducendus erat, non judicandus, qui ſic fuerat apud magiſtratum delatus. Gloſſæ: *Delator*, μηνυτής. Item: *Delator*, καταγγελεύς, ἐνδείκτης. Nihil opus fuiſſe accuſatione, aut judicio, ubi ἔνδειξις requirebatur, quia in confeſſis tantum reis convictiſque criminum publicorum, dari ſolebat, clare demonſtrat lex Draconis à Demoſthene recitata in Ariſtocratea. Sic habet, ut editur in vulgatis: Φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι μηδαμοῦ κατὰ τῶν τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐάν τις κατίῃ ὅποι μὴ ἔξεστιν. Doctiſſimus legum Atticarum interpres & commentator ſic eam quoque citavit, nec animadvertit tranſpoſitione eſſe vitiatam, dum ad hunc modum Latine vertit: *Cædis ne poſtulator unquam is qui homicidam exulantem, eoque redeuntem, quo non licet, in jus ad magiſtratum rapuerit, aut detulerit*. Cur, *in jus rapuerit, aut detulerit*, cum ἐνδεικνύναι ſignificet tantum *deferre?* Verba legis, quo ordine ſunt in vulgatis diſpoſita, non alium efficiunt ſenſum, quam hunc, cædis perſecutionem non eſſe contra eum dandam, qui homicidam detulerit, reverſum eo unde in exilium profugerat. Sed cur hic delator & ἐνδείκτης lege prohibetur cædis accuſari, ſi nomen rei cædis detulerit, reverſo ad locum unde exulat? Quis unquam audivit dicam cædis ſcribi ei qui alium cædis poſtulaverit? Iſti

ἐνδεικ-

ἐνδεῖξαι) ſi per calumniam aliquem falſo detuliſſent, plerumque non ſolum χιλίαις, ſed etiam morte multabantur. Quinimmo ἔνδειξις quoque, & ἀπαγωγὴ adverſus eos dabatur, ſi temere inſimulaſſent mercatorem aut navicularium, alio quam Athenas frumentum devexiſſe, ſed cædis rei non agebantur, neque φόνου δίκαι in eos ſcribebantur. Demoſthenes ipſe cum hanc legem exponit, longe alio ordine, quam in contextu poſita eſt, eam producit. Ὁ μὲν νόμος, inquit, οὗτος Δράκοντος. δεῖ δὲ ἃ λέγει σκέψασθαι. κατὰ τῶν ἐνδεικνύντων, φησὶ, τοὺς κατιόντας ἀνδροφόνους ὅπου μὴ ἔξεστι, δίκας φόνου μὴ εἶναι. Huic legi miſere corrumpendæ anſam dedit loquutio non intellecta, ἐνδεικνύντων, pro *deferunto*. Sic ergo ſcribenda: Τοὺς φεύγοντας ἐνδεικνύντων, ἐάν τις κατίῃ ὅποι μὴ ἔξεστι, φόνου δὲ δίκας μὴ εἶναι. *Exules deferunto, ſi quis eorum reverſus ſit, quo minime licet, cædis vero ne poſtulantor.* Hæc lex erat φονικὴ, & ſequebatur poſt alias pleraſque, quæ contra cædis reos, hoc eſt, ἀνδροφόνους erant ſancitæ, quas omnes in anterioribus recitari juſſit orator. Iſta lex ergo decernit, ſi quis propter cædem exularet, & reverſus eſſet unde expulſus fuerat, deferri debere, hoc eſt, ἐνδείκνυσθαι, nec opus eſſe cædis crimen ei ſubſcribere. Δίκας δὲ φόνου μὴ εἶναι. Cur hoc? Quia ex crimine cædis exulans, ſi eo rediiſſet, ubi ei eſſe non liceret, abſque ulla accuſatione & judicio, ſi compertus eſſet rediiſſe ante quinquennium, unde exierat, morte multabatur. Et ſatis erat nomen ejus deferre magiſtratui, qui ſtatim eum prenſum duci jubebat. Quod dicimus vulgo, *ſine forma & figura progreſſus*. Demoſthenes ita explicat: Ὅτι τε ἐνδεικνύναι δίδωσι τὸν ἀνδροφόνον, καὶ οὐκ αὐτὸν ἀπάγειν οἴχεσθαι λαβόντα. Cædis reum lex deferre concedit, non prenſum duci, quo libuerit ei qui delator ejus extiterit. Ex hac lege maxime conſtat, ἔνδειξιν in his tantum criminibus dari ſolitam, quæ pœnam non judicium indicata & delata poſcerent, atque ut loquitur Pollux, ἔνδειξις τῶν

ὁμολο-

ὁμολογουμένου ἀδικήματος, οὐ κρίσεως ἀλλὰ τιμωρίας δεομένου. Comparat & hic ſummus orator componitque rogationem Ariſtocratis cum lege Draconis, ut oſtendat, quantum interſit. Ariſtocrates eum qui Charidemum occidiſſet, vult ἀγώγιμον undecunque fieri, id eſt, duci ad libidinem ejus qui eum prehendiſſet, privata auctoritate, rapiendum, vexandum, vinciendum, atque etiam necandum. Draco vero ne cædis quidem reos exilii damnatos, ſi eo rediiſſent unde pulſi fuerant, ἀγωγίμους ad libitum prendentis fieri ſanxit, ſed ἔνδειξιν tantũ adverſus eos conceſſit, & nomina eorum deferri apud magiſtratum, qui duci illos juberet. Hæc omnia quæ attulimus, oſtendunt quid ſit diſcriminis inter ἄγειν & ἀπάγειν, inter ἀπαγωγὴν & ἀγώγιμον εἶναι. Ubicunque lex permittebat privato ἀπαγωγὴν alicujus rei, prendere illi licebat reum dum ne alio quam ad magiſtratum, vel in jus abduceret, vel in carcerem publicum. Ubi ἀγώγιμον facere aliquem ex decreto magiſtratus, vel ex lege, licitum erat, cui hoc indulgebatur, eum prendere, & ſecum captum ducere, & quocunq; modo vellet tractare, ac vel letho poterat dare. Hujus vis ſignificationis ineſt in vergo ἄγειν. Unde ἄγειν & φέρειν regionẽ hoſtilem dicuntur qui eam omni modo raptant ac divaſtant, qua res animales & moventes agendo, qua inanimales & immobiles auferendo. Ita enim hæc junctim ponuntur, ἄγειν τε καὶ φέρειν, ut ἄγειν ad animalia referatur, φέρειν ad inanima. Ammonius: Ἄγειν καὶ φέρειν διαφέρει. Ἄγεται μὲν τὰ ἔμψυχα, φέρεται δὲ τὰ ἄψυχα. Hoc confirmat verſu Homerico:

Οἱ δ' ἦγον μὲν μῆλα, φέρον δ' εὐήνορα οἶνον.

Nihil frequentius apud ſcriptores Græcos de regione hoſtili, quæ omni prædationis genere diripitur ac vaſtatur, quem hæc duo verba, ἄγειν τε καὶ φέρειν. Quod Grammatici veteres exponunt, διὰ πάσης ἰδέας λεηλατεῖν τὴν χώραν, καὶ πορθεῖν. Utrumq; & de ſingulis hominibus qui vexantur, dicitur, ut in hac lege Draconis apud

Demoſthenem contra eumdem Ariſtocratem: Καὶ ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ τεθνάναι. Ubi ἄγων καὶ φέρων non eſt ſimpliciter *vim inferens*, ut vertit vir doctiſſimus, ſed omni genere violentiæ aliquem *raptans* & *vexans*. Item in alia lege apud eumdem: Ἐάν τις τινὰ τῶν ἀνδροφόνων, τῶν ἐξεληλυθότων, ὧν τὰ χρήματα ἐπίτιμα, πέραν ὅρων ἐλαύνῃ ἢ φέρῃ, ἢ ἄγῃ, τὰ ἴσα ὀφείλειν, ὅσα περ ἂν καὶ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ δράσῃ. Doctus interpres legum Atticarum in hac lege Latine vertenda omiſit illa verba ἄγῃ ἢ φέρῃ, ut & illa ὧν τὰ χρήματα ἐπίτιμα. Cujus rei autem bona fiſco non erant ex condemnatione addicta, ἐπίτιμα dicebantur, & ipſe etiam ἐπίτιμος. Nam è contra ἄτιμοι & infames quibus condemnatis bona adempta fuerant, & publicata. Sed hæc alibi. Hic quærimus quid ſit ἄγειν ἢ φέρειν in illis legibus, qua homo ἄγεσθαι ἢ φέρεσθαι ab altero dicitur. In regione quæ vaſtatur hoſtiliter, utrumque ſimul locum habet, ἄγειν καὶ φέρειν. Nam ἄγεσθαι intelligitur de hominibus & animalibus, quæ rapiuntur & aguntur: φέρεσθαι de rebus cæteris inanimis, quæ feruntur ac vehuntur. At hic in his legibus, quo ſenſu homines disjunctim ἄγεσθαι ἢ φέρεσθαι dicuntur, ſi junctim legeretur, φέρῃ καὶ ἄγῃ, ἄγεσθαι intelligendum foret in ipſius perſona, quæ abduceretur, φέρεσθαι in bonis ac facultatibus, quæ diriperentur. Verum hic ſermo eſt de cædis imprudentis reo, qui ſolum ſponte vertit, cui bona non ſunt adempta, quem ubi extra fines intra quos cædem patravit, expulſus fuerit, vetat lex à quoquam φέρεσθαι ἢ ἄγεσθαι. Qui ab aliquo capti prenſorem ſuum ſequi nolebant, plerumque ſublimes auferebantur. Cujus moris frequentia exempla apud Comicos occurrunt: *Si ſequi nolit, ſublimem rape.* Item apud Terentium in Phormione: *rape hunc.* Verbum enim *rapere* convenit cum φέρειν. At qui ſe abducendum dabat, ἄγεσθαι dicebatur. In hac lege explicanda Demoſthenes τοῦ ἄγειν tantum meminit,

quaſi

quaſi hoc verbo facile intelligeretur quocunque modo abductus. Sane qui ἀγώγιμος fiebat, ſi non ſe ἄγεσθαι permitteret, ἐφέρετο. *ferebatur.* In altera lege quæ τὸν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως permittit impune ab eo qui ſe defēdit, occidi, videtur de direptione bonorum, non corporum vexatione ea verba interpretatus: Τίνα γὰρ, inquit, οἴσει ἢ ἄξει βίᾳ ἀδίκως Χαρίδημος; πάντας ἀνθρώπους. ἴστε γὰρ τοῦτο ὅτι πάντες οἱ στρατεύματα ἔχοντες οὗτοι ὧν ἂν οἴωνται κρείττονες εἶναι ἄγουσι καὶ φέρουσι, χρήματ᾽ αἰτοῦντες. Quæ tamen poſſunt, immo & debent, ſic accipi, ut ante expoſuimus. *Quem rapiet ſublimen, aut per vim abducet & injuriam Charidemus? Omnes homines. Scitis enim ut illi qui exercitum habent, ſoleant quibus ſe ſuperiores eſſe putaverint, eos abducere ac rapere, pecunias ab his exigentes.* Per vim ad hoc abripiebantur, aut abducebantur, ut hac vexatione liberare ſe volentes pecunias promitterent. Inde & ἀγώγιμος aliquis fieri dicitur in ea oratione, ut pecuniæ ab eo exigantur: ἕν γε τῷ ποιεῖν ἀγώγιμον, πάντα ὅσα ἀπείρηκεν ὁ νόμος δέδωκας, χρήματα πράξεσθαι, & cætera. Latine proprie verbum *vexare* id ſignificabat, quod Græcis ἄγειν καὶ φέρειν. Quod Agellius, vel apud Agellium Cornutus Annæus ſic optime explicavit: *Vexare grave verbum eſt, factumque ab eo videtur, quod eſt vehere. In quo ineſt jam vis quadam alieni arbitrii. Non enim ſui potens eſt qui vehitur. Vexare autem quod ex eo inclinatum eſt, vi atque motu proculdubio vaſtiore eſt. Nam qui fertur ac raptatur, atque huc atque illuc diſtrahitur, is vexari proprie dicitur.* Hoc Græcis eſt ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι. Ita Cato hoc verbo uſus eſt in oratione de Achæis: *Cumque Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret,* ἦγε καὶ ἔφερε. Cicero apud eumdem Agellium de Sicilia à Verre ſic ſpoliata ac direpta, *ut à barbaris prædonibus vexata eſſe videretur.* Ergo *vexare* eſt ἄγειν καὶ φέρειν. Certe à *vehere* hoc verbum deductum eſt. Nam veteres *vexum* & *ve-*

ctum pro eodem dixerant, ut *fixum* & *fictum*; *nexum* & *nectum*. Sic apud poëtam *cæli convexa per oras*, pro *convecta*. Inde ergo *vexare*, idem quod *vectare*, à vehere. Sic *vexari terras vicinorum* dixit Sæculus Flaccus ab amne qui terras quas alluit, etiam diluit, rapit & aufert. Philoxeni Gloſſæ: *Vexare*, ὀχλεῖν, σκύλλειν, χειμάζειν. Antiquam & recentiorem illius verbi ſignificationem notavit. Nam ὀχλεῖν eſt *vexare* eo ſenſu, quo vulgo tum dicebant, *vexatum eſſe quem fumo, aut vento, aut pulvere*, id eſt, ὀχληθῆναι. At σκύλλειν ea notione, qua raptari aliquis, ac ſpoliari, agi ferrique dicitur. Χειμάζειν addit optimus Grammaticus, ut Virgilicanum illud interpretaretur, *Dulichias vexaſſe rates*. Ab illo ἄγειν igitur, ἀγώγιμος is vocatur, qui ad alicujus libitum, raptari, ſpoliari, lacerari, diripi, diſtrahi, duci quo libet, & uno verbo *vexari*, poteſt. Quem ſuæ cupiditates undique trahunt retrahuntque, ἀγώγιμον ab illis fieri, dixit doctiſſimus auctor Clemens Alexandrinus in Pædagogo ſecundo: Πάντοθεν γὰρ ἀγώγιμος ὁ ἀκόλαστος, καὶ ἀπὸ ἐδωδῆς, καὶ ἀπὸ στρωμνῆς, καὶ ἀπὸ συναστροφῆς, καὶ ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἐκ τῶν ὤτων, καὶ ἐκ τῶν γνάθων, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν μυκτήρων. Idem in Protreptico ad Nationes, ἀγώγιμον τοῖς δαίμοσι γίνεσθαι ait, qui dæmonibus raptandus ac vexandus datur: Ἐντεῦθεν ὥσπερ ἐξ ἱεροῦ τινος ἀσύλου, οὐδενὶ οὐκέτι ἀγώγιμος τῶν δαιμόνων ὁ ἄνθρωπος γίνεται ἀποδιδὼν εἰς σωτηρίαν. Recte quis dicat hunc qui ἀγώγιμος malis geniis traditur, ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι ὑπὸ δαιμόνων. Quod & χειμάζεσθαι etiam dixere, à vexatione navium, quæ in mari tempeſtate affictantur. Unde illud poëtæ:

Οὐδεὶς γαμεῖται ὅστις οὐ χειμάζεται.

Menander ἐπιχειμάζειν ita accepit: ἐπιχειμάζεις σαυτὸν, hoc eſt, te ipſum crucias, torques, vexas. Notatq; Phrynichus, Alexandrinos vulgo ita hoc verbum uſurpare. Hinc & χειμαζομένους vocarunt τοὺς δαιμονιζομένους, ſive τοῖς δαίμοσιν ἀγωγίμους, à dæmonibus correptos & exagitatos.

gitatos. Ante Solonem corpora debitorum fuere apud Athenienſes fœneratoribus ἀγώγιμα, qui mos & in omni Græcia. Lege Solonis in Athenarum civitate deſierant eſſe ἀγώγιμοι debitores, & ſola deinceps eorum bona, ut eſſent ἀγώγιμα, ſancitum, liberis & immunibus perſonis manentibus. Nam & χρήματα etiam ἀγώγιμα dicebantur, ut & σώματα. Quod contra obſervationem Ammonii facit, qui ἄγεσθαι de animalibus rebus, φέρεσθαι de inanimis dici debere notavit. Auctores certe hanc differentiam non obſervant. Vetus auctor apud Suidam: ἀγομένων τῶν ἡμετέρων. Quod ipſe explicat, ἁρπαζομένων. Plutarchus in Solonis vita: Οἱ χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν, ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν. *Qui pecunias oppigneratis corporibus accipiebant, ducendi domum creditoribus dabantur.* Ita vertendum, non ut ille magnus olim magiſter ad leges duodecim Tabularum, *nexi fœneratoribus.* Nexum quidem inibant, qui ſe fœneratoribus in ſervitutem dediderant, ſed *nexus* ſignificatio nulla ineſt in nomine ἀγώγιμος. Non enim ad hoc tantum ἀγώγιμοι fiebant, ut necterentur, & obligarentur, ſed ut quo vellet modo in eos creditor ſæviret. In ſervitutem abducere poterat, in compedibus habere, cruciare, vendere peregre, denique neci dare. Quinetiam & ſecare in plures partes, ſi plures eſſent unius creditores, ut olim Romæ jus erat. Hæc omnia & alia quæcunque in eum parare ac patrare creditori libitum eſſet, qui ἀγώγιμος erat, pati oportebat debitorem. Falluntur qui putant poſt Solonem fas ac licitum fuiſſe Athenis corpora debitorum facere ἀγώγιμα, cum ſola bona eorum huic pœnæ obnoxia fuerint. Nullum hujus rei veſtigium extat apud ſcriptores Atticos, ut oratores & comicos, cum non paucæ apud Demoſthenem orationes habeantur de rebus ſub uſura, & quidem nautica, creditis. Pignora capiuntur, & venduntur ob moram ſolutioni factam, non ipſa reorum corpora ἐνεχυράζονται.

Nec facit ad rem quod Strepſiades ære alieno obrutus in comœdia Nubibus apud Ariſtophanem queritur ſe ἄγεσθαι & φέρεσθαι ab improbis creditoribus propter uſuras non ſolutas. Non enim ſe ἀγώγιμον fieri verbis illis teſtatur, ſed opes ſuas, quæ pignori capiebantur à fœneratoribus:

Ὑπὸ γὰρ τόκων, χρήστων τε δυσκολωτάτων
Ἄγομαι, φέρομαι, τὰ χρήματ' ἐνεχυράζομαι.

Ut exaggeret miſeriam ſuam, ἄγεσθαι ſe dicit, ac φέρεσθαι, quæ verba de ἀγωγίμοις tantum uſurpari conveniebat. Quippe in ſequentibus introducitur fœnerator, qui debitum repetit, nec amplius quid minatur ſolvere neganti, quam in jus eum ſe vocaturum:

Σὲ δὲ νὴ τὸν Ἑρμῆν προσκεκλήσεσθαί γέ μοι
Εἰ μὴ ἀποδώσεις τ' ἀργύριον.

Hóc erat ἀπάγειν, non ἄγειν, *in jus rapere*, non ἀγώγιμον *facere*. Alius creditor inficianti ei debitum dicit ſe θήσειν πρυτανεῖα, hoc eſt, apud judicem ſacramento provocaturum. De quo more nos in tertio volumine. Inter ἀγώγιμον & ἀπαγώγιμον hæc maxime erat differentia, quod ἀπαγωγὴ vel à privato ad judicem, vel per judicem fieret, in carcerem publicum. Ἀγωγίμους ſi quos aut lex, aut mos, aut ſententia judicis fieri permitteret, à privato cui erant addicti ducebantur domum, quaſi in privatum carcerem. Hæc nota τοῦ ἀγωγίμου præcipua quod domum ejus cui addictus fuerat, & à quo erat captus, duceretur, ibi eam ſortem habiturus, quam vellet ὁ ἄγων. Demoſthenes in Ariſtocratea: ὡς τούτους οὖν ἀπάγειν λέγει. διαφέρει δὲ τοῦτο τοῦ ὡς αὑτὸν ἄγειν. ὅτι ὁ μὲν ἀπάγων, τοὺς νόμους κυρίους ποιεῖ τοῦ δεδρακότος, ὁ δὲ ὡς αὑτὸν ἄγων, ἑαυτόν. *Ad hos Theſmothetas abducendum dicit. Quid hoc vero differt ab eo qui ad ſe domum ducit? Quod ille qui abducit, leges dominas conſtituit ejus qui hoc fecit: qui vero ad ſe domum ducit, ſe ipſum dominum facit.* Item in eadem paulo poſt: ὅτι τε ἐνδεικνύναι δίδωσιν τὸν ἀνδροφόνον, καὶ οὐκ αὐτὸν ἀγώ-

γιμον οἴχεσθαι λαβόντα. Alibi dixit, οἴκαδε λαβόντα ἄγειν. Nemo certe ἀγώγιμος unquam factus, niſi hac conditione & omine, ut domum duceretur illius cui damnatus erat & addictus. Ergo, inquies, Athenis mediæ Comœdiæ ætate ἀγώγιμα corpora jus erat fieri, ut ex Phormione Terentii liquet, ubi ille paraſitus eo nomine gloriatur, quod ſibi nihil eſſet, quippe qui impune malus eſſe poſſet, cum ob maleficium alia pœna multari nequiret, quam ut duceretur domum ejus cui judicatus eſſet addictus. Non hoc autem ſe metuere. Edacem enim hominem ſe eſſe, & ſapere illos ſi qui ſe ita damnatum ſibi domum ducere nollent, & alere.

Mihi ſciunt nihil eſſe. Dices, ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem, & ſapiunt mea quidem ſententia,
Pro maleficio ſi beneficium ſummum nolunt reddere.

Hæc verba, *ducent damnatum domum*, ἀγώγιμον plane deſignant. Ad quem locum Donatus ita notavit: *Miris uſus eſt verbis ad extenuandam pœnam, & rem ad commodum transferendam. Nam quod obæratus inimicum eſt, id paraſitus maxime optat, duci ab aliquo domum.* Si hoc intellexit comicus, non ſervavit τὸ πρέπον, qui in comœdia palliata togatæ morem induxerit. Non enim dubium, ſi hanc illi mentem affingamus, quin reſpexerit ad conſuetudinem Romanam quæ tunc in obæratis obtinuit, ut ſequenti capite dicemus. Nihil enim tale per ea tempora uſitatum Athenis, ab uſque Solonis ætate, qui corpora ob æs alienum ἀγώγιμα eſſe vetuerat, hoc eſt, duci domum creditoris. Nec novum eſt comœdiæ auctoribus Latinis, etiam in palliatas multa de Romana conſuetudine traducere. Quod vitium Plauto magis familiare, quam Terentio, qui decori in his obſervantior, ut & totius οἰκονομίας, quam Plautus. Hic in Amphitryone

treſviros nominavit, qui in carcerem nocturnos graſſatores compingerent, quos Roma Thebas tranſtulit. Sed Terentium non ſic lubet interpretari, ut in Græci argumenti fabula morem Romanum putemus alluſiſſe. De pecunia credita non eſt apud illum eo loci ſermo. Solo prohibuit ἐπὶ τοῖς σώμασι δανείζειν, & σώματα debitorum fieri ἀγώγιμα. Nihil hic contra legem Solonis peccatum eſt. Phormio in illa ſcena jactat ſe multos homines deverberaſſe uſque ad necem, cum hoſpites, tum ſenes, nec à quoquam unquam ſibi injuriarum ſcriptam dicam, id eſt, αἰκίας δίκην. Inter privata judicia hæc actio injuriarum locum habuit apud Græcos, & ἰδιωτικὴ δίκη fuit, ut conſtat ex Polluce. Verberatum ſe ab aliquo qui querebatur, hanc actionem intendebat, & injuriam ipſe ſuam æſtimabat qui pulſatus fuerat, quæ æſtimatio judicis arbitrio definiebatur. Harpocration: Αἰκίας, εἶδος δίκης ἐστὶν ἰδιωτικῆς ἐπὶ πληγαῖς λαγχανομένης, ἧς τὸ τίμημα ἐν τοῖς νόμοις οὐκ ἐστὶν ὡρισμένον, ἀλλ' ὁ μὲν κατήγορος τίμημα ἐπιγράφει, ὅσου δοκεῖ ἄξιον εἶναι τὸ ἀδίκημα, οἱ δὲ δικασταὶ ἐπικρίνουσι. Notandum, dicere Harpocrationem ἐπὶ πληγαῖς, non ἐπὶ πληγῇ. Nec enim de vulnere hæc actio intentata, ſed de plagis acceptis in verberatione. Nam vir doctus ad leges Atticas Harpocrationis fidem elevat, quod hanc αἰκίας δίκην ſcripſerit eſſe ἰδιωτικήν, & contrarium probare contendit auctoritate Plutarchi, qui per Solonem refert, πληγέντος ἑτέρου τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἀδικοῦντα καὶ διώκειν, hoc eſt, *ſi alius ſit vulneratus, licere cuilibet dicam ſcribere ei qui injuriam fecerit, eamque perſequi.* Πληγέντος, id eſt, τρωθέντος. Hoc judiciorum publicorum proprium. At αἰκίας actio privata, ut etiam præter Harpocrationem tradit Pollux, cujus fides hac in re apud me magni momenti. Αἰκία verberationem, aut pulſationem tantum ſine vulnere deſignat. Inde αἰκίαν ἐρετμῶν Oppiano, *remorum pulſus:*

Κονδῦν τι ῥιπτῶσι, καὶ αἰκίην ζυνεργάσωνται.
Heſychius: Αἰκίαις, πληγαῖς, μάστιξι. Αἰκίζεται, μαστίζεται, ὑβρίζεται. Lex Attica qua injuriarum actio, hoc eſt, αἰκίας, dabatur, ob verbera, hoc τύπτειν vocat, quod alias αἰκίσασθαι dicebatur: ἄν τις τύπτῃ τινὰ ἄρχων χειρῶν ἀδίκων, αἰκίας δίκην εἶναι. Verbera igitur, non vulnera, iſta actione perſequi, & privato quidem judicio moris fuit apud Atticos. At vulnerum executio publico judicio exercebatur, ideo & cuilibet dabatur, quæ τραύματος ἐκ προνοίας appellata eſt, atque exilio puniri ſolebat. Aliud igitur vulnerari, aliud verberari. Hoc actione privata vindicabatur apud Atticos, illud publico judicio. Huic pœna exilium, illi multa pecuniaria, cui taxationem ipſe accuſator ponebat, non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Romanos. Paulus in libro ſingulari, ſub titulo quemadmodum injuriarum agatur, in collatione legum Moſaicarum cum Romanis: *Qui injuriarum*, inquit, *aget, certum dicat, quid injuriæ factum ſit, & taxationem ponat non minorem, quam quanti vadimonium fuerit.* Hoc eſt, quod Harpocration dixit in actione αἰκίας, ὁ καλήγορος τίμημα ἐπιγραφέσθω, ὁπόσου ἄξιον εἶναι δοκεῖ τὸ ἀδίκημα. Falſum eſt igitur, quod obſervat ex Ulpiano Demoſthenis ſcholiaſtes, in privatis actionibus pœnam pecuniariam à lege fuiſſe definitam, in publicis judiciis ab accuſatore æſtimatam. Non enim hoc perpetuum, ut ex hac αἰκίας δίκῃ apparet. Nec ſane potuit lex definire multam in injuriarum actione, quæ injuriæ modum noſſe non poterat. Perinde enim, ut ea gravior, aut levior, ita æſtimatio fuit facienda, quæ ſic permiſſa eſt agenti injuriarum, ut judex arbitrari debuerit an recte tanti æſtimata injuria fuerit ab accuſatore. Inſignis Ulpiani locus eſt in collatione legum Moſaicarum, qui ſic legendus eſt: *Injuria ſiquidem atrox, id eſt, gravis, per reum non ſine judicis arbitrio æſtimatur. Atrocem autem æſtimare ſolere prætorem, idque*

 colligi

colligi ex facto, ut puta ſi verberatus, vel vulneratus fuerit. Nec enim poſſum probare quod vulgatum eſt, *injuriam rerum.* quamvis doctiſſimus Juriſconſultus, qui notas ad eum ſcripſit, *injurias rerum* interpretatur, quæ re fiunt, membro rupto, vel oſſe fracto. Ipſa enim orationis τάξις hoc non fert: *injuria ſiquidem atrox, id eſt, gravis rerum.* Potius dicere debuit: *injuria ſiquidem rerum,* id eſt, *atrox, & gravis.* Sed nec Latinum eſt *injuria rerum.* Quod dicit, per reum non ſine arbitrio judicis æſtimari, idem prorſus eſt quod Græci ſcribunt in actione αἰκίας: Ὁ κατήγορος τίμημα ἐπιγράφεται, οἱ δὲ δικασταὶ ἐπικρίνουσι. Quod Latine verti ſic egregie poſſet: *Reus ponit taxationem injuriæ non ſine arbitrio judicis.* Ubi enim æſtimavit reus, judex arbitratur an recte tanti æſtimata ſit. *Reus* apud Ulpianum eſt ὁ κατήγορος, actor, veteris juris Romani notione, qua reus non ſolum is cum quo agitur, ſed qui agit, appellatur. Quod hic injuriam ab actore taxari dicitur non ſine arbitrio Prætoris, de honoraria injuriarum actione id accipiendum. Nam in legitima quæ dabatur ex lege duodecim tabularum, injuriæ puniendæ modus erat æſtimatus viginti quinque aſſibus. Atque ita ſcribendum apud Paulum: *Injuriarum actio, aut legitima eſt, aut honoraria. Legitima ex lege duodecim tabularum, qui injuriam alteri faxit, viginti & quinque æris pœnæ ſunto.* Quæ æſtimatio cum nimis eſſet levis in injuriis gravioribus, Prætor edicto ſe recuperatores daturum propoſuit æſtimandis injuriis. Hi recuperatores arbitrabantur an recte eſſet æſtimata ab actore injuria. De lege talionis in membro rupto, non hic eſt locus. De ea ſpeciali injuria tractamus, quæ Græcis proprie αἰκία dicta eſt, & cujus condemnatus, ei quem pulſaverat, ἀγώγιμος concedebatur, judicis ſententia. Heic enim explicamus quid ſit eſſe ἀγώγιμον. Paulus quid αἰκία ſit, optime etiam explicat in eadem collatione, titulo de injuriis. *Generaliter,* inquit,

quit, *dicitur injuria omne quod non jure ſit. Specialiter alia eſt contumelia, quam Græci αἰκίαν vocant*. Sic ſcribendum, non ἀδικίαν. Eam poſtea expreſſit, ubi tradit *edictum Prætoris ad eam injuriam pertinere, quæ contumeliæ cauſa ſit. Fieri autem injuriam, vel in corpore dum cædimur, vel in verbis dum convitium patimur*, & reliqua. Injuria quæ in corpore fit dum cædimur, id eſt, verberamur, aut pulſamur, αἰκία eſt. Hunc locum Pauli in Inſtituta ſua traductum Tribonianus ita interpolavit, ut mirum ſit. Primum videntur ætate ipſius Triboniani jam corrupta in libris fuiſſe Pauli Juriſconſulti verba, ut etiam nunc habentur apud pariatorem legum Moſaicarum, cum Romanis, ubi hodie legitur, ἈΔΙΚΙ'Α pro ΑἸΚΙ'Α. Qua corruptela nihil proclivius. Una quippe tantum littera inſerta eſt. Ita ergo deſcripſit locum Pauli Tribonianus: *Generaliter injuria dicitur omne quod non jure ſit, ſpecialiter alias contumelia, quæ à contemnendo dicta eſt, quam Græci ὕβριν appellant*. Pro his ſcripſit Paulus, ut in collatione eſt legum Moſaicarum: *Generaliter dicitur injuria omne quod non jure ſit. Specialiter alias eſt contumelia, quam Græci αἰκίαν vocant.* Falſum quod ὕβριν pro eo repoſuit Tribonianus. Nam ὕβρις nomen eſt generalius. Et reprehendit ibidem Paulus Labeonem quod putarit apud Prætorem injuriam ὕβριν duntaxat ſignificare. Ὕβρεως, inquam, nomen latius ſumitur, quam αἰκίας. Nam ea tantum ὕβρις αἰκία dicitur, quam accipit in corpore qui cæditur. At quæ verbis fit, dum convitium patimur, vel cum dignitas læditur, vel cum matronæ comites abducuntur, ea etiam ὕβρις appellatur. Maxime vero generali notione *injuria* intelligitur, quidquid non jure fit. quo nomine ἀδικία cenſetur. Quidquid enim non jure fit, ἀδίκως id fieri Græci dicunt. Hinc conſtat, falſiſſimam eſſe in Paulo lectionem, *Specialiter alias eſt contumelia, quam Græci ἀδικίαν vocant.*

Nec juvat quod ſtatim ſubjungitur; *Nam cum prætor non jure adverſum nos pronuntiavit, injuriam nos accepiſſe dicimus.* Non enim hæc referenda ad eam ſpecialem injuriæ ſignificationem, quæ contumelia eſt Latinis, & Græcis αἰκία. Nemo quippe dicat ſe contumeliam accepiſſe à Prætore, qui non jure adverſus eum pronuntiaverit. Hæc igitur ad eam injuriæ generalem appellationem pertinent, de qua præceſſit, *injuriam dici generaliter omne quod non jure fit.* Prætor enim qui non jure adverſus aliquem pronuntiavit, injuriam ei fecit. Sed hæc non eſt contumelia. Eſt quidem ἀδικία, ſed ea ἀδικία contumelia dici non poteſt. Αἰκία igitur contumelia eſt, ſpecialiter ſumpta, qua quis pulſatur, aut verberatur, atque ut Paulus loquitur, *caditur.* Huic contumeliæ apud Atticos pœna irrogabatur pecuniaria, æſtimatione actoris taxanda, non ſine arbitrio judicis. Cum multos qua cives, qua hoſpites, verberaſſet Phormio, cur nunquam injuriarum eſſet accuſatus à quoquam Getæ quærenti reſpondet, non ſolere tendi rete accipitri, aut milvo, quamvis male faciant nobis, quod tenditur illis aviculis quæ nihil nobis faciunt mali. Quid ita? Quia ex iſtis fructus capi poteſt, in illis opera luditur. Timere ergo debent ii, unde aliquid poteſt abradi.

Me, inquit, *ſciunt nihil habere. Dices; ducent damnatum domum,*
Alere nolunt hominem edacem, & ſapiunt mea quidem ſententia,
Pro maleficio ſi beneficium ſummum nolunt reddere.

Ex his alicui non luſcitioſo clare perſpicuum eſt, non recte de obæratis verba Comici accepiſſe Donatum, qui damnati & addicti creditori domum ejus ducendi dabantur. Loquitur enim Phormio de multa pecuniaria, quam ſolvere tenebantur condemnati alicui injuriarum actione. Hoc ex loco autem planiſſime colligi poteſt, judicatos & damnatos Athenis, eo nomine, quod

quod injuriam alteri feciſſent, ei fuiſſe addictos donec multam exſolviſſent, & in domo ejus quaſi in carcere privato vinctos manſiſſe. Quod non ſolum in actione injuriarum, ſed etiam in aliis judiciis privatis videtur obtinuiſſe, ut uſque ad pœnæ ſolutionem apud eum cui multam ex condemnatione debebant in cuſtodia haberentur privata. Qui privatus carcer non alia ratione judicatis & damnatis privato judicio deſtinabatur, donec exſolviſſent ſummam in quam erant condemnati, quàm publicus iis qui ex cauſa judicati multam publico debebant. Quicunque autem domum abducendi concedebantur quaſi in privatam cuſtodiam iis quorum intererat, & quibus erat à damnatis ſolutio pœnæ pecuniariæ facienda, hi dicebantur ἀγώγιμοι. At non id nominis de his uſurpatum, qui in carcerem publicum trudi ſolebant. Heſychius de illis intellexit, cum ἀγωγίμους interpretatus eſt, καταδεδικασμένους, condemnatos: ἀγωγίμων, ὅτι μὲν φορτίων, ὅτι δὲ καταδεδικασμένων. Non multum ab his Græcorum ἀγωγίμοις diſtabant liberi homines, qui noxæ dedebantur ob damnum ſarciendum ei cui noxam commiſerant. Quod jure Romano licuiſſe certum eſt. Idque apparet ex Inſtit. IV, tit. VIII de Noxalibus actionibus. Papinianus in collatione legum Moſaicarum, tit. de atroci injuria: *Per hominem liberum noxæ deditum, ſi tantum acquiſitum ſit, quantum damnum dedit, manumitti cogendus eſt à pratore, qui noxæ deditum accepit, ſed fiduciæ judicio non tenetur.* Hic liber homo noxæ deditus ejuſdem plane conditionis fuit cùm ἀγωγίμῳ Græcorum, ex judicati cauſa addictus, & vinciendus donec judicatum ſolviſſet ei cui erat condemnatus, quaſi in privatum carcerem datus. Ἀγώγιμον σῶμα ejus fiebat qui noxæ dedebatur, ut & illius qui in cauſa judicati addicebatur. Utroque enim caſu corpus ejus qui deliquerat in ſervitutem, ei qui damnum ex delicto erat paſſus, dari

ſole-

ſolebat. Uterque liberabatur, cum noxæ deditus, tum ex cauſa judicati ἀγώγιμος factus, ſi alicunde corraſa pecunia damnum ſarciſſet, aut multam ſolviſſet. Præterquam in cauſa debiti licuit Athenis in multis aliis caſibus & delictis privatis tradi ἀγωγίμους, qui injuriam alteri fecerant, damnumve dederant. Sic lex fuit Athenis, *qui falſum teſtimonium dixerit, vinciatur apud eum in quem dixit.* Hujus mentio extat apud Senecam Controverſiarum lib. v. Ἀγώγιμον factum intelligi oportet, & in domo ejus in quem teſtimonium dixiſſet, quaſi in carcere privato vinctum habendum: Injuriarum alicui damnatus, qui pœnam pecuniariam ſolvendam haberet, ſi ſolvere non poſſet, addicebatur ei cui injuriam fecerat, apud Athenienſes, ut ex Comico ſupra oſtendimus. Apud Romanos pariter edicto Prætoris noxalis actio propoſita erat *injuriarum, & vi bonorum raptorum.* Si quis igitur liber in noxam deditus eſſet injuriarum nomine, eadem conditione & vinciebatur, & ſerviebat domi ejus, qui noxæ deditum acceperat, atque ille ἀγώγιμος apud Græcos, qui injuriarum damnatus, domum actoris addictus ducebatur. Nam noxæ deditus plane ἀγώγιμος fiebat, & qui ex judicato Græcis ducendus tradebatur domum actoris ac victoris, in noxam prorſus dedi intelligebatur, id eſt, ad ſupplicium & pœnam, quam vellet in eum ſtatuere. Noxæ deditio in privatis tantum delictis locum habuit, non in his quæ publicam executionem requirebant, aut capitalem coërcitionem. Pœna quoque pecuniaria, propter quam, donec eſſet ſoluta, ducendi ac vinciendi, hoc eſt, ἀγώγιμοι, dabantur victori condemnati, privatis tantum delictis irrogari ſolita. Nam in publicis judiciis, ἀπαγωγὴ potius uſitata ac dicta fuit. Eaque duplex erat, aut per privatos facienda in jus, vel ad judicem, cui lex hanc poteſtatem in certis criminibus dabat, aut per judicem poſt latam de reo ſententiam, qua ad mortem duci jube-

jubebatur, hoc eſt, ἀπάγεσθαι, aut in carcerem publicum, ſi pecuniaria eſſet multa. Quid diſcriminis fuerit inter noxæ deditum & ἀγώγιμον, nos in ultimo capite latius declarabimus. Nunc ſufficiat docuiſſe, quis Græce appellatus ſit ἀγώγιμος, ut melius ſciatur quomodo corpora debitorum ἀγώγιμα Athenis ante legem Solonis fieri ſolita ſint, & Romæ ante illas leges, quæ addici vincirique, qui ſolvendo non eſſent, prohibuerunt. De quibus ſequens caput abunde diſſeret.

CAPUT XVIII.

De more ac jure quo Romani uſi in addictis ob æs alienum ducendis. Qui proprie dicantur ἀγώγιμοι *& addicti. Eos eſſe quorum corpora, non tantum bona creditoribus addicantur.* Ἐκδότους *eoſdem etiam Græcis appellari. Qui noxa dediti erant,* ἀγωγίμους *quoque &* ἐκδότους *eos appellatos.* Προσθέτους *etiam appellari &* προσηλύτους, *ſed de his addictis potius intelligi, qui ſe ſponte ſua ex obligationis nexu addicebant. Qui judicis ſententia judicati & damnati addicebantur,* ἀγωγίμους *&* ἐκδότους *vocatos eſſe. Addicere idem eſſe quod Græce* προστίθεσθαι. Προσήλυτος *idem quod addictus, ſed voluntarius. Duobus modis* ἀγώγιμα *facta bona debitorum, totidemq; modis perſonas. Corporis ultroneam deditionem, vel oppignerationem reſpondiſſe pignoris conventionalis dationi, ut pignoriscapioni ex cauſa judicati, addictorum abductionem. Quid ſit* ἀγώγιμον πρὸς τὰ χρέα γίνεσθαι, *apud Dionyſium Halicarnaſſeum. Lege quæ vetuit* ἐπὶ σώμασι δανείζειν, *tam pignoriſcapionem perſonæ debitorum vetitam fuiſſe, quam ultroneam oppignerationem, ac nexum. Romæ ab initio urbis conditæ morem nectendorum debitorum obtinuiſſe. Primum inter Reges Servium Tullium, eam aut abolevisse, aut aboleri voluiſſe. An legẽ aliquam ſuper ea re*

tule-

tulerit. Non videri ullam tuliſſe, aut ſi tulit, non eſſe ſervatam. Morem nectendi uſque ad annum urbis cccc xxvii *duraſſe. Eo anno legem latam ne in poſterum debitores necterentur, & qui tunc nexi, ſolutos fuiſſe. Quæ res huic legi cauſam præbuerit. De lege duodecim tabularum, quæ nexum permiſit, venditionem, & ſectionem corporis obnoxii, partitionemque inter creditores. Ea lege abrogatam illam Servii, ſi fuit ulla de non nectendo. Quæ pœna maneret addictos & ἀγωγίμους ob æs alienum. Subiiſſe debitores quodcunque pœnæ collibitum fuiſſet creditoribus, quibus addicebantur. Sectionem corporum uſurpatam aliquando Romæ, quamvis eam lex permitteret, vix credibile. Lex illa duodecim de addicendis & ſecandis debitoribus, explicata pluribus. Qui ſint juſti dies. Quid juſtidium, & juſtitium. Addictos in domo creditoris, nervo, aut compedibus vinciri, lege juſſos. Quæ differentia fuerit, nervi & compedum. Explicatæ voces, ξύλον, ποδοκάκκη, κυφὼν, κῦφος, χαλιὸς, columbar, cuſpus, cippus, numella. In carcere tam Romæ, quam in Græcia noxios fuiſſe vinctos. Ita & debitores non ſolvendo, quaſi in privato carcere apud creditores ſuos vinciri ſolitos. Ea vincula non ad eos pertinuiſſe, qui ſe ſua ſponte in ſervitutem ex nexu dediſſent. Error Hotomanni notatus. Addictos ex cauſa judicati, in compedibus, aut nervo apud creditorem fuiſſe habitos. Qui ſponte nexum inibant, ſolutos opus feciſſe. Lex duodecim tabularum emendata. Ἀγώγιμος idem qui & judicatus. Cur ἀγώγιμα Græcis merces venales appellentur. Iterum correcta lex duodecim de addictis. Tranſpoſitiones in veteribus legibus ac precibus tralaticiæ. De diario ſervorum, & addictorum, eumdem utriuſque modum fuiſſe, libram farris in dies. De ſectione corporis debitorum, quam lex permiſit, an uſus admiſerit. Nunquam eam Romæ uſurpatam fuiſſe, multis, cum ratio-*

rationibus tum auctorum teſtimoniis confirmatum. Agellii ἀλογία pluribus argumentis confutata. Sectionem bonorum à ſectione antiqua corporum obnoxiorum non accepiſſe nomen, & originem. Quid ſit proprie ſector, & unde dicatur. Græcis ἐργώνην appellari, & ſectionem ἐργωνίαν. Secare idem quod ſequi, vel perſequi. Secta quid, & ſectari. Manilii verſus emendati. Quis ſit cognitor. An idem cum ſectore, cujus munus cognitura. Falſum eſſe Scaligerum, qui ita putarit. Explicata lex Pœtelii de nexis ſolvendis, & in poſterum prohibendis. Dionyſius in ea hiſtoria narranda, cum Livio compoſitus. Non videri idem dicere ſuper ea lege. An poſt illam legem nulli poſtea Romæ ob debitum nexi. An omnino lex ulla talis lata fuerit ſub Pœtelii conſulatu, ne in poſterum debitores necterentur. Ita quidem videri, ſed eam legem parum fuiſſe obſervatam. Varro correctus. Nullam tuliſſe legem Syllam de obæratis non nectendis, aut qui nexi eſſent, ſolvendis. Dionyſius Halicarnaſſeus explicatus. Non omnes fuiſſe vinctos in domo creditorum, qui ex cauſa judicati his addicebantur. De nexis ac nexu, quid ea voce proprie ſignificetur. Non vinctos ſed oppigneratos eo nomine intelligi, & nexum pro oppigneratione ſumi. Multis hoc probatum. Pignora ob debitum data in aliis linguis etiam vinculorum appellatione notata. De nexu & mancipio, & traditione nexu. Quidquid per æs ac libram gerebatur olim ad hoc ut obligatio contraheretur, nexi nomine, vel nexus, veteribus Romanis appellatum.

DIximus priori capite, in omni Græcia præterquam Athenis poſt legem Solonis, non ſolum ἀγώγιμα facta bona debitorum, ſed etiam corpora. Nunc quo more in his ac jure Romani veteres uſi ſunt, diſpiciendum. In ea

republica rem iſtam variaſſe, nec ſemper idem jus circa addicenda corpora obæratorum tenuiſſe, fert animus hoc capite confirmare. Quod argumentum ita à ſummis viris hactenus tractatum eſt, ut plus dicendum aliis reliquerint, quam ipſi docuerunt. Non quod non multa multi dixerint, ſed plerique omnes rem admodum per ſe intricatam non potuerunt explanare, etſi plura quam quæ ad rem facerent elucidandam diſſeruerint. Qui Græcis ἀγώγιμος, hic Latinis *addictus*, & ἀγώγιμον ποιεῖν *addicere.* Plauti Comœdiæ titulus fuit *Addictus*, id eſt, ἀγώγιμος, de qua dubitarunt veteres Critici an Plauti eſſet genuina. Certe prius fuit judicare, deinde addicere ducendum, poſtremo judicatum & addictum duci. Sed ἀγώγιμος proprie judicatus & addictus, ducenduſque. Unde & pro *addicto* ea vox ſæpe uſurpatur, quia *addicto* nihil reliquum erat niſi duci. Etiam ἐκδότους Græci veteres vocant, qui Latinis *addicti*. Demoſthenes in Ariſtocratea ſub finem ἔκδοτον ποιεῖν dicit, pro eo quod ante dixerat ἀγώγιμον ποιεῖν, his verbis: Τοῦτο φυλάττετε καὶ μέμνησθε ὅτι πάντων ἐστὶν ἐναντιώτατον τῷ κρίνειν, τὸ μὴ δόντα κρίσιν ἔκδοτον ποιεῖν. *Hoc videre mementote, quod omnium maxime contrarium ſit cauſæ cognitioni, indicta quemquam cauſa non judicatum addicere.* Paulo poſt, ἔκδοτον διδόναι id vocat: δίδωσιν ἔκδοτον τὸν ἀθῷον ἀφειμένον τοῖς νόμοις. *Quem leges liberum & impunitum dimittunt, hunc in noxam dedit, vel addicit.* Ἔκδοτοι enim dicebantur, qui noxæ dedebantur. Nec multum diſparis conditionis erant homines liberi noxæ dediti, propter æs alienum addicti. Utroſque ἐκδότους & ἀγωγίμους liceat appellare. Gloſſæ: *deditus*, ἔκδοτος. At *noxæ deditus*, εἰς κόλασιν ἔκδοτος. De quibus in ultimo capite plura. Προσθέτους etiam vocarunt hujuſmodi nexos ob æs alienum atque addictos. Plutarchus in Lucullo de obæratis, qui addicti ſerviebant: Αὐτοῖς δὲ τέλος μὲν ἦν προσθέτοις γενομένοις δουλεύειν. *Ipſis vero hic exitus dabatur,*

ut addicti ſervirent. Proprie enim *addicere* eſt rem alicui quaſi domino, ut eam jure pleni dominii poſſideat, adjudicare & attribuere. Hinc cum aliquod opus tanquam auctori ſuo redditur & tribuitur, *addici* ei dicitur Latine, ut & Græce προστίθεται. Agellius lib. III, cap. III: *Neque tamen dubium, quin iſta, & quæ ſcripta à Plauto non videntur, & nomini ejus addicuntur, veterum poëtarum fuerint.* Quo verbo ſic & alibi uſus eſt, *addicere* pro vindicare alicui quod ſuum ſit, vel ut ſit ſuum. Phrynichus ita accepit verbum προστίθεσθαι in Ecloga dictionum Atticarum: Ἔν τινι κωμωδίᾳ ἀρχαίᾳ προστιθεμένῃ Τηλεκλείδῃ τοῦ κωμῳδοῦ ἐστιν οὕτως εἰρημένον. Ita legendum, non ut vulgo eſt, προτιθεμένῃ. *Ita reperitur in Comœdia antiqua Teleclidi attributa*, vel *addicta*. Inde ergo πρόσθετος addictus alicui, ut apud eum ſerviat tanquam dominum. De eo tamen nexorum genere πρόσθετον putarim accipiendum, qui ſponte nexum inibant, ac ſua voluntate ſe in ſervitutẽ ex nexu creditoribus dabant. Προσηλύτων appellat Ammonius, ubi docet quid ſit diſcriminis inter ἀπελεύθερον, & ἐξελεύθερον. Nam ἀπελεύθερος, inquit, is eſt qui è ſervo liber factus eſt, at ἐξελεύθερος ὁ γενόμενος διὰ χρέα προσήλυθος, ἢ κατ᾽ ἄλλην τινὰ αἰτίαν δουλεύσας, εἶτα ἐλευθερωθείς. *Qui factus eſt propter debita addictus, vel alia ex cauſa in ſervitutem redactus, ac poſtea liberatus.* Ubi προσήλυθος is proprie videtur, qui ſponte in ſervitem alicui ſe daret pro debito, dum ſolveret. Nam προσήλυτοι dicebantur, qui alias πάροικοι & μέτοικοι, dum ex ſua patria ac gente in aliam migrarent, ut loci illius legibus, quem ad habitandum optaſſent, ſeſe addicerent. Tales & πρόσθετοι, *addicti*, non qui auctoritate judicis adjudicati alicujus dominio tranſderentur, ſed qui ſponte ſua ſe traderent ex conventione. Nam qui per judicem damnati addicerentur, ἔκδοτοι & ἀγώγιμοι potius Græce vocabantur. Nihil prohibet tamen & προσθέτους de utriſque fuiſſe di-

ctos, ut Latine *addicti* de utroque genere. Nam προσ-τίθεσθαι eſt *addicere*. At προσήλυτοι nonniſi de voluntariis addictis. Duobus porro modis, ut ἀγώγιμα fiebant & addicticia bona debitorum, ita & perſonę ipſæ. Qui ex conventione pignori, vel fiduciæ dabat rem mobilem, aut immobilem creditori ob debitum, ut ſi non ſolveret, res ea in dominium ejus tranſiret, aut ut venderet, quo ſuum ex diſtracto pignore reciperet non ſolvente debitore, ex pacto pignus pleno dominii jure poſſidebat, aut vendebat creditor. Si vero de pignore dando nihil conveniſſet, debitor autem in ſolvendo ceſſaret, aut ad diem appellatus non reſponderet, tum pignora de eo capi mos fuit, quibus diſtractis debitum creditor recuperaret. Aliquando & ea pignora ſi emptorem non invenirent ſolebant ipſi creditori adjudicari & addici. Utroque modo ἀγώγιμα fiebant bona debitoris, ſed ultimo magis proprie. Pignoris enim datio voluntaria fuit, eaque obligatio utriuſque partis conſenſu contrahebatur. Dici nihilominus poteſt, debitorem, dum paciſcitur rem ſuam creditoris futuram, pleno dominii jure ab eo poſſidendam niſi ad diem ſolvat, eam ipſi quodammodo addicere, & πρόσθετον facere. At magis ἀγώγιμον dicatur, quando per vim pignus capitur, & auctoritate judicis, creditori adjudicatur & addicitur. Idem fuit in perſonis quod in illarum bonis, apud eas civitates, ubi licuit corpora ἀγώγιμα facere, & addicere ob debitum, non ſolum bona. Nam & liberi homines ſponte ſua, ex pacto nexum inibant, & operas ſuas in ſervitute pro pecunia donec ſolviſſent, dabant. Quæ corporis ſpontanea quaſi deditio reſpondebat pignoris dationi, quod *conventionale* doctores appellant. Nam ſua corpora vere oppignerant, qui ſic ea in poteſtatem creditori tradunt, uſque ad ſolutionem debiti. Προσηλύτους iſtos qui ultro ſe dederent poſſis merito cum Ammonio appellare. At ſi ab initio talis pactio non inter-

interpoſita eſſet, aut renueret aliquis ultro ſe addicere ſuo creditori, cum videret ſe non eſſe ſolvendo, jus tamen fuit, ſi nihil haberet unde facere poſſet ſatis, ac bonam copiam cogeretur ejurare, perſonam ipſius pignori capi, & tradi addicique creditori, ea uſuro quomodo vellet, ſive ad retinendam eam in ſervitute, ſive ad venundandam, ut ex pretio debitum ſuum ſervaret. Hos ἐκδότους & ἀγωγίμους vocare proprie liceat. Nam per vim & contra voluntatem ſuam, nullo ex pacto inter conſentientes inito, ducebatur domum creditoris eique addicebatur, vel ut ſervitutem apud eum ſerviret, vel ut venumdaretur. Quæ res reſpondet pignoriſcapioni bonorum, & vera eſt corporum ἐνεχυρασία, de qua in ſuperioribus diximus. Utraque tamen ratione tam ſpontanea pignoris datione, quam violenta pignoriſcapione, qua bonorum, qua corporum, tum corpora, tum bona ἀγώγιμα, dediticia & addicticia vocari poſſe, & vocata eſſe certum eſt. Nam qui ſponte ſe addicit, aut ſua bona, ſemet ipſum aut ſuas facultates ἔκδοτα ipſe dat. Nec intereſt ad rei appellationem utrum id fiat judicis auctoritate, an ipſius debitoris voluntate. Certe & qui ſponte nexum inibant, & qui judicati addicebantur, ἀγώγιμοι Græcis dicuntur. Dionyſius lib. v Antiquitatum Romanarum in oratione Valerii Publicolæ fratris, qua de remittendis plebi debitis agit: Τί δ' ἡμῖν ἔσται πλέον εἰ τοῖς δανεισταῖς ἀγώγιμοι πρὸς τὰ χρέα γενησόμεθα; Ut non diſtinguit hic, qua de cauſa ἀγώγιμοι fierent creditoribus ſuis debitores, utrum ex pactione, quæ præceſſerit, an ex cauſa judicati, certum eſt non debere diſtingui. Clarius idem auctor lib. vi, oſtendit, ex contractu fieri etiam ἀγωγίμους ſolitos eos qui ſemetipſos in pignus promiſiſſent. Nam variis in ſenatu ſententiis dictis ſuper obæratorum fortunis relevandis, quidam auctores fuere, ut qui Volſcorum & Auruncorum bello bonam operam navaſſent reipublicæ, nexu liberarentur,

tur, adeo ut nec ipſi, nec eorum bona à creditoribus detineri poſſent, μηδενὸς αὐτῶν μήτε τὸ σῶμα, μήτε τὴν οὐσίαν ὑπὸ τῶν δανειστῶν κρατεῖσθαι. De cæteris vero, qui per illud bellum non arma tuliſſent, cenſuerunt ἀγωγίμους εἶναι τοῖς δεδανεικόσιν, ὡς ἕκαστοι συνέβαλον, *ut creditoribus addicerentur perinde ut contracta cum his eſſet obligatio.* Prout contraxiſſent cum creditoribus. Ut in contrahendo mobilium, aut immobilium pignore variis conditionibus ex conſenſu contrahentium obligatio ſolebat conciliari, ita & ubi licuit corpora ipſa obligare, non uno modo contractus fiebat. Sub hac conditione plerumque pignus contrahebatur, ut aut vendere illud creditori liceret, aut ne liceret, ſolutione non ad diem procedente, aut ut retinere illud penes ſe poſſet ac jure domini poſſidere. Ita & in corporum nexu ex pacto convento faciendo, perinde ut eſſent conditiones ei conventioni adpoſitæ eas ſervari oportebat, ſi debitor ſpopondiſſet ſe ſervitutem ſerviturum, pecunia non ſoluta, aut ſi vendi ſe poſſe, vel non poſſe pactus eſſet. Nec dubium eſt igitur, quin ἀγώγιμοι etiam dicerentur, qui ſe ſua ſponte ex pactæ conventionis fide creditori dedidiſſent, vel in ſervitutem, donec ſolviſſent, vel in venditionem, ſi ita maluiſſet creditor, aut ſi ita conveniſſet. Manifeſtum eſt etiam, ſub illis legum verbis, quibus, vel Athenis, vel Romæ aliquando prohibitum fuit ἐπὶ σώμασι δανείζειν, non ſolum vetitum eſſe ἀγώγιμον facere debitorem per pignoriſcapionem perſonæ, ſed etiam per conventionem. His præſtructis, quid juris fuerit ſervatum apud Romanos, in hoc corporum liberorum nexu interim permittendo, interim prohibendo, explicemus. Non debet eſſe ambiguum, quin ab ultima origine Romanæ reipublicæ hic mos nectendorum, & oppignerandorum propter debita corporum, & in ſervitutem abducendorum, fuerit receptus. Cum enim per omnes Græciæ & Aſiæ populos vigeret idem inſtitutum, & in

Roma-

Romanos, qui eorum aborigines fuere, inde liquet traductum. Sub regibus fuiſſe uſitatum, vel ex eo conſtat, quod Servius Tullius in gratiam illud minutæ ac miſeræ plebis, cui impenſius favebat, aut abolevit, aut aboleri voluit. Dionyſius in ejuſdem Servii oratione, quam ad populum habuit, ita eum loquentem inducit: Ὅσοι δ' ἂν μετὰ ταῦτα δανείσωνται, τούτους οὐκ ἐάσω πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι, ἀλλὰ νόμον θήσω μηδένα δανείζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροις, ἱκανὸν ἡγούμενος τοῖς δανεισταῖς τὰς οὐσίας συμβαλλόντων κρατεῖν. *Si qui in poſterum pecuniam fœnore ſumpſerint, non ſinam eos ob debitum in ſervitutem rapi, ſed lege cavebo, ne cuiquam liceat ſub pignore liberorum corporum mutuum dare, cum ſufficiat creditoribus facultates contrahentium æs alienum detinere.* Quod ſe facturum dixit in illa concione, an fecerit, quæſtio eſt. Nondum enim rex erat, cum hæc in concione promiſit. Nec poſtea quam rex à populo renuntiatus eſt talem legem tuliſſe eum ſcribit in ſequentibus Dionyſius. Pollicitus eſt & in illa concione ſe pecunia ſua æs alienum egentium eſſe diſſoluturum. Quod & fecit. Nam juſſis referre ad ſe quantum ſinguli deberent, obæratis, menſis in foro poſitis omnium nomina in conſpectu populi exſolvit. Sed non legitur legem ullam ſanxiſſe ne in poſterum corpora eorum, qui æs alienum contraherent, obligarentur, & ducerentur. Quod πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι dixit. Sed melius ἄγεσθαι dixiſſet. Nam inde ἀγώγιμοι. Et paulo poſt ſic loquutus eſt, in alia ejuſdem Servii concione: Οἱ δανεισταὶ μὲν, ὅτι τοὺς πένητας ὑμᾶς οὐκ εἴασα τὴν ἐλευθερίαν ἀφαιρεθῆναι, ὑπ' αὐτῶν ἀχθέντας. Item lib. VI: Καὶ τὸν κήρυκα ἀνειπεῖν κελεύσας, μηδένα τῶν δανειστῶν ἐξεῖναι σῶμα πολιτικὸν πρὸς ἴδιον χρέος ἄγειν. *His dictis præconem juſſit pronuntiare, nemini creditorum licere civium corpora ob debita privata abducere.* Doctus interpres perperam vertit, *in privatum uſum abducere.* Immo πρὸς χρέος ἄγειν, eſt propter debitum,

domum ducere. Sic paulo ante, *οἱ πρὸς τὰ χρέα δουλωθέντες*. *Propter as alienum in ſervitutem abducti.* Alio loco, πρὸς τὰ χρέα κατέχεσθαι dixit qui ob debitum vincti detinebantur. Et lib. IV. de Tullio: Τούτους οὐκ ἐάσω πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι. *Hos non ſinam ob as alienum duci.* Vbi melius legatur ἄγεσθαι quam ἀπάγεσθαι, quomodo & alibi paſſim loquutus eſt. Satis autem in ſuperiori capite notavimus quid eſſet diſcriminis inter ἄγειν & ἀπάγειν. Sed & ἀπάγεσθαι alibi pro ἄγεσθαι Dionyſius uſurpavit, ut in Excerptis Conſtantini περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, de Publii filio: διαψευσθεὶς δὲ τῆς ἐλπίδος ἀπήχθη πρὸς τὸ χρέος. Et apud Pollucem de duro & immiti creditore: ἀποπνίγων τοὺς ὀφείλοντας, ἀπάγων τοὺς ὑπερημέρους, id eſt, *domum judicatos ducens.* Sic Latinis *abducere* pro *ducere.* ut apud Plautum: *judicatum uxor abducit domum.* Alii paſſim *ducit* pro eo dicunt. Sed & Plutarchus promiſcuè modo ἄγεσθαι modo, ἀπάγεσθαι de addictis uſurpavit, in Coriolano. Τοὺς δὲ παντελῶς, inquit, ἀπόρους, αὐτοὺς ἀπῆγον, καὶ τὰ σώματα καθεῖργνυσαν αὐτῶν. Id eſt, *judicatos addictoſque ducebant*, vel *abducebant.* Et paulo poſt: ἀλλ' ἀγομένους πάλιν περιορᾷ καὶ ῥυσιαζομένους. Legem porro Tullii, ſi ullam ſanxit de non nectendis debitoribus, non diu eam obtinuiſſe, abunde declarant ſequentia tempora Reipublicæ quæ frequentiſſimam habent apud auctores mentionem & querimoniam de nexis ob æs alienum. Sed nec Livius ullius legis à Servio latæ meminit quæ prohiberet necti debitores. Morem eum in Republica invaluiſſe uſque ad annum urbis CCCCXXVII. quo conſules fuere C. Pœtilius, & Papirius Mugilanus. Eo anno, ſcribit Livius lib. VIII, *Plebi Romana velut aliud initium libertatis factum eſſe, quod necti deſierint: mutatum autem id jus ob unius fœneratoris ſimul libidinem, ſimul crudelitatem.* Res ibi narratur, quæ inde peti poteſt. *Vbi* eam retulit, addit, *victum eo die ob impotentem injuriam unius ingens vinculum fidei, juſſoſque conſules*

ferre

ferre ad populum, ne quis niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur. Pecunia credita bona debitoris non corpus obnoxium eſſet. Legem de eo tunc latam fuiſſe, quæ ſequuntur, luculentum dant teſtimonium. *Ita,* inquit, *nexi ſoluti: cautumque in poſterum ne necterentur.* Quis non tam idoneo auctori credat, ab eo tempore, poſt illam legem Romæ neminem unquam nexui datum debitorem? Multa tamen ſunt quæ contrarium ſuadeant. Nam & poſt illa tempora vinctos & addictos debitores qui ſolvendo non erant, legimus, & leges ab aliis latas ne necterentur, non melius fuiſſe obſervatas quã hæc fuit, aut illa Servii. Quæ ſi fuit hujus ulla, quis neſcit paulo humanior, lege duodecim Tabularũ eam fuiſſe abrogatam, qua ſancitum eſt, ut æris confeſſi ac debiti judicati creditoribus ſuis addicerentur, nervo aut compedibus vincirentur, capite pœnas darent, aut trans Tiberim venum irent? Si plures forent quibus reus eſſet judicatus, ſecarent, ſi vellent, ac partirentur corpus ſibi addicti hominis. Verba legis apud Agellium referuntur lib. xx. c. 1. Vbi quod de ſectione ait ac partitione inter creditores ſi plures eſſent, non debet mirum videri. Cum enim in poteſtate eſſet creditoris, ſi vellet, debitorem ſibi addictum necare, aut trans Tiberim peregre venũ dare, quando plures erant quibus addictus foret, ſi interfectum mallent quam venditum, unusquiſque creditorum partem de corpore ejus quem ſecuiſſent ferebat. Nec putandum porro, pœnam illam capitis quæ debitoribus qui bonam copiam ejuraverant imminebat, aliam tum Romæ ex lege duodecim fuiſſe, quam in Græcia omni. Nam quicunque ex quacunque cauſa ἀγώγιμος fieret, arbitratu ejus cui addicebatur, ducendus, pœnam quam ille vellet ſubibat, ſive vinculorum, ſive ſervitutis, ſive etiam necis. Ergo & qui ob debitum ἀγώγιμοι dabantur creditoribus, ut mos fuit ubique in Græcia, atque

etiam Athenis ante Solonis legem , hæc omnia quæ collibitum eſſet creditori ſuo patiebatur, aut vincula in ejus domo, aut ſervitutem, aut venditionem, aut etiam capitis ſupplicium. Demoſthenes in Ariſtocratea: Καὶ μὴν ἔν γε τῷ ποιεῖν ἀγώγιμον πάνθ᾽ ὅσα ἀπείρηκεν ὁ νόμος, δέδωκας, χρήματα πράξασθαι, ζῶντα λυμαίνεσθαι, κακοῦν, ἔχοντα αὐτὸν ἀποκτιννύναι. *Equidem dum addictitium facis, illa omnia das quæ lex prohibet, pecunias exigere, vivum male mulcare, in mala manſione habere, ubi in poteſtate habeas interficere.* Eædem pœnæ ac fata manebant arbitrio creditoris inferenda debitorem ἀγώγιμον qui ſolvere non poterat. Quem plures igitur creditores ſibi judicatum & addictum tenerent, ſi interficere mallent, ſecabant ac partiebantur inter ſe, idque jure facere poterant, cum fas eſſet uni creditori ſuum debitorem ἀγώγιμον occidere. Diſſectum antiquitus neminem quamdiu lex illa viguit, equidem illi juriſconſulto apud Agellium facile crediderim, partim ob crudelitatem quæ vix caderet in talia ingenia, partim etiam ob avariciam fœneratorum, qui ex venditione lucrum majus facere poterant quam ex occiſione aut ſectione. Lex autem illa duodecim Tabularum quæ citatur ab Agellio reſpicit eos qui judicati & condemnati eſſent æris confeſſi ac debiti. In quibus hic ordo ſervabatur. Poſt judicium ac condemnationem, triginta his dies dabantur ad conficiendam pecuniam, quam diſſolverent. Hi *juſti dies* dicebantur, per quos jure agi cum illis non licebat, velut quoddam, inquit Agellius, juſtidium, *id eſt, juris inter reos quaſi interſtitionem quamdam & ceſſationem.* Ita ſcribit vetuſtiſſimus liber, *juſtidium* pro *juſtitium*. Et tamen *juſtitium* ſic videtur dictum ut *ſolſtitium*. Iura enim per eos dies quaſi ſtabant ac ceſſabant, ut *ſol ſtare* vulgo creditur per *ſolſtitia*, quæ τροπαὶ ſunt. Optime Gloſſe *juſtidium* etiam ſcribunt, ſicque etiam in aliis auctorum exemplaribus reperi. Et videntur *juſtidium*

à juſtis

à juſtis diebus dictum putaſſe nonnulli. Ἀ'ργητικὴν ἡμέραν interpretatur Philoxenus, quia tunc ceſſarent jura. Et ſic legendum, non ἀρχοντικήν. Fallitur ſi quis putat *juſtos dies* hoc ſenſu dici, quaſi δικαίους. Aliud enim *juſtus* ὁ δίκαιος, qui ſic à nomine *jus* deducitur, ut *onuſtus* à voce onus. At *juſtus dies* ut aliam habet ſignificationem, ita & originem. *Iuſtus* enim dicitur in quo jus ſtat. Et quidni ſic *juſtus* queat componi à jure ac ſtando, ut ſic dies vocaretur in quo jura ceſſarent, quemadmodum & *juſtitium* quaſi juris *ſtitium*, vel ſtatio ceſſatiove? Nullam certe video rationem ut in hac *juſtorum dierum* ſignificatione *juſtus* accipiatur pro δίκαιος. Immo contrarium plane eſt. Quomodo enim illi juſti dies vocati eſſent in quibus jus reddi ac jure agi non licebat? Iſtam hujus vocis quam diximus eſſe notionem, verba ipſa legis arguunt: *Æris confeſſi debitique judicatis triginta dies juſti ſunto.* Id eſt, ſunto dies triginta illis juſti, in quibus in jus vocari non poſſint, ſed jura pro illis ſtent ac ſileant. Atque ſic quidem privatis dati juſti dies. Publice etiam alii ſic dicti ſunt, per quos in tota urbe juris erant feriæ. Sic *præliares dies* quibus in arce vexillum proponebatur ad imperandum exercitum *juſtos* etiam appellatos ſcribit Macrobius, quia per eos dies jura Romæ ſilebant, & quaſi ſtabant. *Præliares*, inquit, *dies ab juſtis non ſegregaverim: ſiquidem juſti ſunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum rufi coloris in arce poſitum eſt.* Et recte quidam præliares dies ab juſtis non ſegregandos putat, quia quacunque de cauſa jura Romæ ceſſarent, illi dies *juſti* appellati, quod in iis jus ſtaret ceſſaretque. Inde à juſtis diebus *juſtidium* appellatum, hoc eſt, tempus vel ſpatium juſtorum dierum, vel unus etiam *juſtus dies* quo jure agi non licebat. Nec obſcure *juſtum* à jure quod ſtabat dici Agellius his verbis declarat, quæ ſic in vetuſtiſſimo libro leguntur: *Eoſque dies Decemviri juſtos appellaverunt, velut quoddam*

immo

immo juſtidium, id eſt, juris inter eos quaſi interſtitionem quandam, & ceſſationem, quibus diebus nihil cum his agi jure poſſet. Cæterũ ſi per eos dies debitores nihil extricaſſent pecunię quo creditorem abſolverent, *ad prætorem vocabantur, & ab eo quibus erant judicati addicebantur, nervoque aut compedibus vinciebantur.* Ita ſcribit Agellius, & ſic in eo legendum non ut eſt vulgo, *nervo quoque.* Nam apud creditorem ita vinciebantur, cum ei judicati addicti eſſent, *aut nervo, aut compedibus.* Vulgo volunt, *nervum* eſſe vinculum ferreum quo pedes vinciuntur, quia ita Feſtus interpretatur. Sed qua in re differet à compedibus, quæ & ipſæ vincula pedum ſunt, & quidem ferreæ? At lex duodecim manifeſtò diſtinguit: SECVM. DVCITO. VINCITO. AVT NERVO AVT COMPEDIBVS. QVINDECIM. PONDO. NE. MINORIBVS. Ita ſcribendum non MINORE. Nam ad compedes id referendum, non ad nervum. Græcis πέδαι dicuntur, & pondus in his ſpectabatur quia ex ferro. Demodocus in Medea apud Pollucem:

Τριακονταλίτρους ἐνὶ νεανίσκῳ πέδας.

Trigintilibres juveni indantur compedes.

Gloſſæ: *Compedes,* πέδαι. Inde apud Plautum, *craſſæ ac ponderoſæ compedes.* At *nervus* etiam vinculum pedum, ſed ligneum, cui pedes immittebantur, & nervis in eo vinciebantur. Id Attici vocarunt ξύλον abſolutè, & ἐν ξύλῳ δεδέσθαι qui in nervo vinciebantur. Sed & δεδέσθαι in carcere cum legimus aliquem damnatum in ſcriptoribus Atticis, de eo genere vinculi debemus intelligere. Ποδοκάκκην lex Solonis vocabat. Lyſias in priore cõntra Theomneſtum, ubi hæc verba Solonis in lege quadam quomodo eſſent exponenda docet: Δεδέσθαι δ᾽ ἐν τῇ ποδοκάκκῃ ἡμέρας δέκα τὸν πόδα, ἐὰν μὴ προστιμήσῃ ἡ Ἡλιαία. Quid eſſet ποδοκάκκη, ſic explicat: ἡ ποδοκάκκη αὕτη ἐστὶν, ὦ Θεόμνηστε, ὃ νῦν καλεῖται ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι. εἰ οὖν ὁ δεθεὶς ἐξελθὼν, ἐν ταῖς εὐθύναις

τῶν ἕνδεκα καθηγεροίη, ὅτι οὐκ ἐν τῇ ποδοκάκκῃ ἐδέδετο, ἀλλ' ἐν τῷ ξύλῳ, οὐκ ἂν ἠλίθιον αὐτὸν νομίζοιεν; Comici Latini qui palliatas docuerunt, quas ex Græco verterunt, pro ἐν ξύλῳ δεδέσθαι, poſuerunt, *in nervo vinciri.* Unde apud Plautum in Aulularia:

At ego credo Deos voluiſſe, ut apud te me in nervo enicem.

Ἐν ξύλῳ. Quod nervo etiam colla vinciri è Plauto notat Feſtus, ſcire oportet, eodem vinculo ligneo tam cervices quam pedes & manus aliquando necti ſolita. *Nervum*, inquit, *appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impediuntur, quanquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait: Perfidioſe captus. Eo adepol nervo cervices probas.* Hæc ſunt Grammaticorum nugalia. Idem lignum quinque locis foramina habebat. quibus collum, & manus, & pedes inſerebantur. Hinc πεντεσύριγγον ξύλον vocat Ariſtophanes in Equitibus:

— Τουτονὶ
Δῆσαι ἐκέλευσε πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ.

Idem prorſus ξύλον eſt de quo Attici ſcriptores dicunt, ἐν ξύλῳ δεδέσθαι, & Latini ex eo Comici, *in nervo vinciri.* Scholiaſtes vetus πεντεσύριγγον interpretatur, πέντε ὀπὰς ἔχον, δι' ὧν οἵ τε πόδες, καὶ αἱ χεῖρες καὶ ὁ τράχηλος ἐνεβάλλετο. Hoc lignum erat in carcere apud Atticos, & apud Romanos quibus οἱ κακοῦργοι vinciebantur. Heſychius: Πεντεσύριγγον ξύλον, πέντε ὀπὰς ἔχον, τέσσαρας μὲν εἰς ἃς οἱ πόδες καὶ αἱ χεῖρες διείρονται, μίαν δὲ δι' ἧς ὁ τράχηλος. De eo plane intelligit Plautus in Rudente:

Illi in columbum credo leno vertitur,
Nam in columbari collum haud multo poſt erit,
In nervo mille hodie nidamenta congeret.

Ubi *nervum* vocari illud ξύλον πεντεσύριγγον, manifeſtum eſt. Quod *columbar* appellat, quia cavernas haberet ſimiles cavis vel loculamentis, in quibus columbi nidificant. Inde & *tignorum cubilia* quæ Græcis ὀπαὶ dicuntur, Latinis *columbaria* dicta teſte Vitruvio.

Item

Item foramina in triremibus per quę remi eminerent. *Columbar* genus vinculi apud Plautum interpretatur Priſcianus, in verſu quem ſupra citavimus. Veteres Gloſſæ Philoxeni *nervum* exponunt ξυλοπέδην, quia etiam pedes impediebat. Nam & ποδοκάκκην ſimiliter Attici ab eadem ratione. Ἐνηναγκάσαι ξύλῳ Iuſtinus Martyr dixit, qui de eodem ligno intelligit. Fuere in carceribus hujuſmodi ligna quæ quattuor tantum haberent foramina pedibus ac manibus inſerendis ac vinciendis. Eorum mentio in Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii lib.v. cap.XXXII. καὶ ὡς ἐπὶ πλείστας ἡμέρας τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας ὑπὸ τέσσαρα τοῦ κολαστηρίου ξύλου παραταθεὶς διαστήματα. Ac collum ſeorſim iiſdem illis martyribus vinctum fuit vinculo ferreo, quod κλοιὸς σιδηροῦς ibi vocatur. *Boiam* etiam vocarunt. Vnde apud Prudentium : *Colla boiis impedit.* De quibus nos alibi. Κύφωνες quoque Græcis vincula lignea quibus collum inſerebatur, quod caput κύφειν cogerent, Latinis *cuſpi.* At Suidas notat vocari Romanis κούσπους, quæ Græcis ποδοκάκκαι. Sic enim apud eum ſcribendum: Ποδοκάκκη, ξύλον εἰς ὃ ἐν εἱρκτῇ τοὺς πόδας ἐμβάλλοντες συνέχουσιν, ὃ παρὰ Ῥωμαίοις κοῦσπος καλεῖται. Eoſdem & κυφῶνας Græci vocerunt, quia idem vinculum ligneum pedes & cervices vinciebat, & nutare caput faciebat. Vnde κυφών. Suidas in Epicureo: δεδέσθω ἐν κυφῶνι πρὸς τῷ ἀρχείῳ, ἡμέρας εἴκοσι. Hinc proverbium apud eundem, in voce ἐκ παντὸς ξύλου, ubi ſcribi oportet, ἐκ παντὸς ξύλου, ἐλλείπει, κυφὼν γένοιτο. *Ex omni ligno fiat cuſpus* vel *nervus.* Ac non ex omni ligno Mercurius. Idem proverbium apud Zenobium ſic reſtituendum : ἐκ παντὸς ξύλου κυφὼν ἂν γένοιτο. Item in Collectione Vaticana. Male etiam apud Apoſtolium legitur κῦφον, pro κυφών. Eam vocem interpretatur Suidas alibi ſic: κυφὼν ἐστὶ δεσμὸς ξύλινος, ὃν οἱ μὲν κλοιὸν, οἱ δὲ καλιὸν ὀνομάζουσιν. Ita enim ſcribendum. Καλιὸν vocabant hoc idem ligneum vinculum ſive nervum, à

ſimili-

ſimilitudine columbarii ſive cavi columborum in quo illi congerunt, quas καλιὰς & καλιὰς Græci appellant. Heſychius: καλιὸς τὸ δεσμωτήριον ἢ ξύλον ᾧ ἐδέοντο, καὶ οἱ μικροὶ οἶκοι, καλιαὶ καὶ καλιοί. Inde ἐγκαλιοσκελεῖς qui crura in hujuſmodi cavis & vinculis ligneis habebant. Sic enim ſcribi debet apud Heſychium: ἐγκαλιοσκελεῖς, οἱ μὴ ἀποδιδόντες τὰ χρέα, ἐν τοῖς καλιοῖς ἐδεσμεύοντο τοὺς πόδας. *In nervo pedes vinctos habebant debitores donec ſolviſſent.* Nec ſolum pedes, ſed etiam manus ac cervices. Vnde & κυφοὶ & κυφῶνες, & Latinum *cuſpus* ex κυφὸς inſerta ſuo more littera *ſ*, ut in *duſmi*, *caſmœna*, & ſimilibus. Ultima Latinitatis ætas *cippos* appellat, & pedes *cippare* vel *incippare* pro nervo vincire. Quod ad idiotiſmum linguę noſtræ manavit. *Ceppos* hodieque dicimus. Verum de his alibi. Acta cap. XVI. ubi hæc verba leguntur de Paulo & Sila in carcerem conjectis, & nervo vinciri juſſis: Ἔβαλεν αὐτοὺς εἰς τὴν ἐσωτέραν, καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον. Id eſt, *nervo vinxit*. Nam eſt ita apud Tertullianum in libro ad Martyras: *Nihil crus ſentit in nervo, cum animus in cœlo eſt.* Idem de cultu fœminarum: *Neſcio an crus periſcelio lætatum in nervum ſe patiatur artari.* Gloſſæ Nomicæ *cuſpos*, interpretantur ξυλόποδας. Et Philoxenus, *Cuſpos*, ξύλινα σανδάλια. Sed hoc non prohibet quin cervices eo etiam vinctas habuerint. Sic nervus ab iiſdem ξυλοπέδη & ab Atticis ποδοκάκκη vocabatur, quod tamen vinculum cervicis non minus erat, ac pedum. Cum enim pedibus manibuſque & collo in eodem ligno conſtricti tenerentur, cernuare cogebantur, & caput inter genua ferme demiſſum habere. In carcere igitur tam Græco quam Romano, noxii aut nervo aut compedibus vincti ſervabantur. Cato apud Agellium lib. XI. cap. XVIII. *Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque in purpura.* ἐν ξύλῳ καὶ πέδαις. Id eſt, alii in nervo, alii in compedibus. Non enim

enim ſimul in utroque. Livius lib. viii. *Ne quis niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam luiſſet, in compedibus aut in nervo teneretur.* Duo hæc igitur vinculorum genera noxiis in carcere vinciendis tam in Latio quam in Græcia uſitata. Et perinde ut noxam merebantur noxii majorem, ita compedibus ponderoſioribus ſtringebantur, aut nervo graviore. Graviſſimus fuit quo homo quaſi quadrupes conſtringebatur, pedibus manibuſq; eodem ligno impactis, & collo etiam inſerto. Tales *Numellæ* Latinis veteribus. *Machinæ genus ligneum* interpretantur, *ad diſcruciandos noxios paratum, quo & collum & pedes immittunt.* Græcis hoc πεντεσύριγγον ξύλον. Leviſſimus fuit quo pedes tantum vincti. In carceribus autem vinctas fuiſſe cuſtodias, multis locis ex jure noſtro poteſt probari. Quod item & apud Græcos in more. Vel unicus Platonis Phædon de Socrate in carcere vincto, & eo die quo mori juſſus eſt ſoluto, poſſit hujus rei fidem facere. Ita ergo & debitores qui non erant ſolvendo velut in privato carcere domi apud ſuos creditores in nervo vel compedibus detinebantur donec ſolviſſent, aut depecti eſſent. Agellius: *Erat autem jus interea paciſcendi, ac niſi pacti forent, habebantur in vinculis dies ſexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis, ad prætorem in comitium producebantur, quantoque pecuniæ judicati eſſent, prædicabatur, tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant.* In his itaque tantum qui ex cauſa judicati addicti eſſent, niſi judicatũ feciſſent ea quæ lex dicit, locum habuiſſe, certo certius eſt, de nervo aut compedibus, & capitis pœna, vel venditione. Nec ad eos ullo modo referri oportet qui ex pacto nexum inibant & operas ſuas in ſervitute pro pecunia dabant donec ſolviſſent, ut perperam Hotomanus putavit in Quæſtionibus Illuſtribus cap. xxvi. *Vt rem,* inquit, *ab ovo repetamus, primum jus fuit* xii *Tabularum, ut debitores damnati ſi judicatum facere*

non

non poſſent, publice venderentur, atque addicti ſervirent, id eſt, in nervo operas darent. In paucis verbis multa peccata. Quomodo in nervo operas dare potuerunt, pedibus, manibus, & cervicibus conſtricti? Ponamus, nervo pedes vinctos tantum habuiſſe, & ſic opus feciſſe, ut certum eſt facere ſolitos ſervos, qui in ergaſtulum tradebantur, profecto qui publice vendebantur non creditori ſuo operas dabant, ſed domino id eſt, emptori. Nam certe fieri non potuit, ut cui judicati addicti erant, eidem ſervirent, ſi eſſent peregre trans Tiberim venditi, aut ſi pœnam capitis paſſi forent. Mirum, tantum juriſconſultum in tam illuſtri loco tantam rei quam tractabat imperitiam oſtendiſſe. Alia prorſus ratio fuit eorum qui in ſervitutem ſe ſua voluntate, & ex pactione, creditoribus ſuis dabant, ut ex operis ſeſe liberarent: alia eorum qui æris confeſſi debitique judicati fœderatoribus addicebantur. Illi operas dabant & ſerviebant non vincti. Hi ubi addicti fuerant, & domũ à creditore ducti, in nervo aut compedibus per ſexaginta dies quaſi in carcere privato habebantur, donec ſolviſſent, aut pacti eſſent cum creditore, poſt quod dierum ſpatium ſi aut ipſi non ſolverent, aut nemo eos liberaret, vendebantur, aut capite plectebantur. Puto hoc in creditorum arbitrio fuiſſe, utrum eos vellent peregre vendi, aut pœna capitis multari. Si quis pœnam fœneratorum ad fœnus accuſandum arripiat, qui quadruplione luebant quod ſupra modum à lege poſitum exegiſſent, cogitet quanto graviora ſupplicia caſci illi Romani debitoribus fidem fallentibus irrogaverint, necis aut ſervitutis. Nemo autem apud veteres, ut jam diximus, in carcerem conjiciebatur publicũ, quin ibidem vinctus attineretur compedibus, quæ ſunt πέδαι ferreæ: aut nervo, id eſt, ξύλῳ. Inde *in vincula conjicere*, quod idem eſt atque in carcerem aliquem tradere, nervo aut compedibus vinciendum. Græci δεσμὸν ſimiliter utrumque

genus vinculi appellant, tam nervum quam compedes, uti & Latini *vincula*. Aliquando magis proprie de compedibus, ut apud Livium, *in nervum & vincula.* ubi vincula ſunt πέδαι. Nec ſecus ergo fuit & de privato carcere, cum quis nempe ἀγώγιμος alicui tradebatur domum ejus damnatus ducendus & ibi in vinculis habendus, ut debitor creditori judicatus & addictus donec ſolviſſet. Nec enim omnes debitores in creditoris domo vincti detineri ſoliti, ſed ii tantum qui ex cauſa judicati addicti ei forent. Reliqui qui ſe ſponte in nexum dederant, operas ſoluti dabant. Livius lib. VI. *Itaque cum jam ex re nihil dari poſſet, fama & corpore judicati atque addicti creditoribus ſatisfaciebant.* Idem lib. eodem de Manlio Torquato: *Homines prope quadringentos produxiſſe dicitur, quibus ſine fœnore expenſas pecunias tuliſſet: quorum bona vanire, quos duci addictos prohibuiſſet.* Id eſt, ἀγωγίμους fieri. Et paſſim apud eum *judicatos & addictos duci* invenies, de his qui de pecunia credita cauſam dixerant, & condemnati fuerant. Ex quibus colligi poteſt, mendoſa eſſe verba Legis quæ ſic habet: *Æris confeſſi, rebuſque jure judicatis triginta dies juſti ſunto.* Quæ ſunt iſtæ res jure judicatæ quibus juſti dies triginta dabantur? Alio loco ubi hanc legem citat, non habet vocem *jure.* Omnino ſcribendum eſt: *Æris confeſſi, debitique judicatis triginta dies juſti ſunto.* Qui non videt ita legendum eſſe, nihil videt. Ipſe Agellius ita ſe legiſſe clare oſtendit paulo ante, ubi ex mente legis verbiſq; ipſis eam rem ſic narrat: *Confeſſi igitur æris ac debiti judicatis triginta dies conquirendæ pecuniæ cauſa dati, quam diſſolverent.* Legis auctor ita ſcripſit ut de æris debiti ex cauſa crediti condemnatis intelligendum monſtraret. Æs enim confeſſum illud eſt, de quo confeſſio facta erat à debitore, ſed *debitum æs* etiam addidit, ut ex credito debitum intelligeretur. Hinc ἀγωγίμους, καταδεδικασμένους interpreta-

pretatur Heſychius, hoc eſt, æris confeſſi judicatos, addictos ductoſque ad creditorem, in domo ejus vinciendos. *Ἀγωγίμων, ὅτι μὲν φορτίων, ὅτι δὲ καταδεδικασμένων.* Merces quæ tradebantur emptori ex cauſa venditi, *addici* ei dicebantur. Vnde & *ἀγώγιμα* ea Græci appellabant quæ vænalia erant, quia vendita emptori addicebantur, iis uſuro prout vellet. In eadem lege differentia *ἀγωγῆς* & *ἀπαγωγῆς* quam ſuperiore capite expoſuimus, manifeſta proponitur in his: *Poſt deinde manus injectio eſto, in jus ducito.* Hæc *ἀπαγωγὴ* eſt qua manu injecta & obtorto collo in jus aliquis rapiebatur, aut ducebatur. Quæ ſequuntur, *τὸ ἀγώγιμον* explicant. *Ni judicatum facit, aut qui endo eo in jure vindicet, ſecum ducito, vincito aut nervo, aut compedibus.* Sed hæc eſſe corruptiſſima, miror non vidiſſe tot viros doctos qui ea interpretari conati ſunt. Quid enim iſta ſibi volunt? *aut qui endo eo in jure vindicet.* Meò periculo qui vindicare à mendis volet, ita ſcribito: *Aut quis endo em jure vindicet.* Niſi inquit judicatum faciat debitor, aut aliquis ſit qui eum in jure vindicet, ducito eum ac vincito creditor. Tranſpoſitio illa familiaris legibus duodecim, *Endo em jure vindicet*, pro, *em endo jure vindicet*, id eſt, eum in jure vindicet. Sic, *tranſque dato*, &, *endoque plorato*, pro tranſdito & implorato. Et in precibus, *ſub vos placo*, pro, *vobis ſubplico.* Quod addit lex, *ſecum ducito, vincito*, illud *ſecum ducito*, ſignificationem *ἀγωγίμου* declarat. quod eſt apud Demoſthenem, *οἴκαδε ἀγέσθω, ὡς αὐτὸν ἀγέσθω*, ubi quæ vis ſit hujus vocis *ἀγώγιμος* enarrat. *Ducere domum* dixit Terentius in Phormione, *ducent damnatum domum.* Quæ ſequuntur, ſic omnino legenda ſunt: *vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo ne majoribus; aut ſi volet, minoribus vincito.* Non enim ad nervum, ſed ad compedes referendum, ut jam diximus. Niſi quis malit legere, *aut nervo, aut compede.* Vt apud Tibullum, *foſ-*

ſor compede vinctus. Perperam etiam ſollicant ea verba viri docti: *Si volet, ſuo vivito, ni ſuo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris in dies dato: ſi volet, plus dato.* Tanquam ſervo vult ſingulas libras farris in dies addicto vinctoque ob debitum dari, quod legitimum fuit diarium ſervorum, præcipue vinctorum. Et fruſtra de carceris publici diario, quis modus ejus fuerit ſolitus dari in publica cuſtodia habitis, quæſitum à viris doctiſſimis, & quæ δεσμωτηρίου δίαιτα. Hi addicti tanquam ſervi ejus cui judicati addicebantur, haberi ſoliti. Ideo & idem diarium eis dari jubet lex quod ſervis in ergaſtulo, aut domi vinctis præbebatur. Horatius lib. I. Sat. V.

—rogabat
Denique cur unquam fugiſſet, cui ſatis una
Farris libra foret, gracili ſic, tamque puſillo.

Sic enim ibi ſcribo, non ut eſt vulgo, *cur nunquam fugiſſet.* Fugiebant ſervi durius habiti à dominis, & qui contenti non erant una libra farris in dies pro diario. At hic in eum, quem fugiſſe cum ſervus eſſet, arguit, ita jocatur, ut miretur cur omnino unquam fugerit, cui cauſa non erat cur exire è domo domini vellet quod in corpore veſco & gracili libra una ei farris, quod ſollemne ſervorum diarium, ſatis eſſet futura. Quæ ſequuntur porro de diebus ſexaginta per quos dies in vinculis debebat eſſe addictus debitor, & trinundino continuo quo ad prætorē in comitium producebatur, ut tertiis nundinis aut capite pœnas daret, aut peregre trans Tiberim venum iret, haud ſcio an unquam obſervata fuerint. Nec magis puto locum unquam Romæ habuiſſe quam ipſam ſectionem de qua lex eadem apud eumdem Agellium hæc ſic habet: *Tertiis nundinis partes ſecanto: ſi plus minuſve ſecuerunt, ſe fraude eſto.* Mirum ſane, cum tot querelæ nexorum apud Livium & Dionyſium Halicarnaſſeum occurrant, neminem de ſupplicio capitis queri, neque de

de hujuſmodi venditione. Sed dicet quis, qui occiſi fuiſſent non potuiſſe querimoniam eo nomine inſtituere, nec illos qui peregre eſſent trans Tiberim venundati. Hoc quidem video poſſe objici, ſed ab imperitis rerum, ſtultiſque. Nam quos addictos vinctoſque eadem fata manebant, poterant quod mox ipſis immineret, hoc modo deprecari, & ne fieret, auxilium implorare. Nullum ſimile ab his verbum audias qui ex vinculis in forum prorumpunt, ut invidiam fœneratoribus faciant. Apud Livium lib. II. *Nexi vincti ſolutique ſe undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem.* Ubi vides ex illis ob æs alienum nexis, quoſdam fuiſſe apud creditorem ſolutos, & ſine vinculis ſerviſſe. Ait enim, undique ex domibus, nempe fœneratorum, tam vinctos ob nexum, quam ſolutos ſe in publicum proripuiſſe. Querelas eorum audiamus: *Civitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter patres plebemque fragrabat odio, maxime propter nexos ob æs alienum. Fremebant, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus captos & oppreſſos eſſe: tutioremque in bello quam in pace, inter hoſtes quam cives libertatem plebis eſſe, invidiamque eam ſua ſponte gliſcentem inſignis unius calamitas accendit.* Quæ ſit illa calamitas, ſtatim exponitur. Nec ſupplicium capitis eſſe dicitur, nec venumdatio peregre, ſed in ergaſtulum abductio, & carnificina, & verbera. Magno natu aliquis ibi in forum ſe projicit, cum omnium ſuorum malorum inſignibus. In veſte ſquallida, promiſſa barba, corpore macie ac pallore confecto, capillis totam faciem inumbrantibus & efferantibus, ſciſcitantibus unde ille habitus, ait, *ſe æs alienum feciſſe, id uſuris cumulatum primo ſe agro paterno avitoque exuiſſe, deinde fortunis aliis: poſtremo velut tabem perveniſſe ad corpus: ductum ſe à creditore non in ſervitium, ſed in ergaſtulum, & carnificinam eſſe. Inde oſtentare tergum fœdum recentibus veſtigiis verberum.*

Sed & alibi omnibus locis ubi iſtæ nexorum ſua mala deplorantium cohqueſtiones occurrunt, occurrunt autem ſæpius, nihil plus quam ſervitutem ſuam complorant, & quæ ſervitutem comitari ſolebant, cruciatus, tormenta, vincula, verbera, ergaſtulum, carnificina. Quæ omnia in ſervos ære emptos licita dominis, eadem & in nexos ob æs alienum permiſſa creditoribus quibus addicti fuerant, tanquam in vera mancipia. Et certe non aliud erant, nec aliter vocabantur. Dionyſius paſſim πρὸς τὸ χρέος δουλωθέντας appellat, & δούλους. Ut autem in ſervum mancupio emptum, poteſtas domino fuit vitæ & necis, ita & in ἀγώγιμον fœneratori. De ſectione nulla querela, nullum veſtigium apud auctores. Nunquam eam uſurpatam fuiſſe Romæ, Pariſienſis profeſſor, in commentario ad leges duodecim tabularum notat, teſtimoniis Quintiliani, Agellii, & Tertulliani. Sed doctus ille magiſter neſciit diſtinguere inter diſſidentes auctorũ quos citavit ſuper ea re ſententias. Nec enim idem dicit Agellius, quod Quintilianus: nec idem Tertullianus, quod Agellius, aut Fabius. Quod debuit animadvertiſſe Criticus. Primum non id ſcripſit Fabius, ſectionem corporis obæratorum nunquam fuiſſe Romæ vſurpatam, ſed ſimpliciter, licuiſſe lege duodecim tabularum debitoris corpus inter creditores dividi: *Quam legem mos publicus poſtea repudiaverit*. Eum vide lib. III. cap. VI. & videbis non eum id dicere quod voluit magiſter. Id retulit, ut fidem faceret, quædam non laudabilia natura, jure fuiſſe aliquando conceſſa. At nemo ex ejus verbis quiret evincere, quamdiu jure id licuit Romæ, non etiam factitatum, ut corpus debitoris inter creditores divideretur. Tertullianus ſimiliter in Apologetico perhibet, judicatos in partes ſecari à creditoribus, legem Romæ fuiſſe, conſenſu tamen publico crudelitatem poſtea eraſam eſſe, & in pudoris notam pœnam capitis converſam, bonorum adhibita proſcriptione.

ptione. *Suffundere*, inquit, *maluit hominis ſanguinem quam effundere*. Quo ex loco citius id probes, uſitatam fuiſſe tum cum conceſſa fuit, in partes ſectionē, quam non uſurpatam, cum dicat, eraſam poſtea publico conſenſu crudelitatem, & in pudoris notam mutatam. Crudelitas quippe non fuit, quam lex permittebat, niſi etiam exerceri ſolitam exiſtimes. Agellius contra aperte quidē affirmat, diſſectum eſſe antiquitus neminem, neque legiſſe neque audiviſſe. Non humanitate id accidiſſe narrat, aut immanitatis illius quam lex tamen concedebat, odio & averſione, ut nemo diſſectus legatur, ſed quia ſævicia pœnæ deterruit homines, ne eam incurrerent. Verbis legis adductis quæ partes debitoris inter creditores ſecari permittebat, iſta ſua ſubjicit: *Nihil profecto immitius, nihil immanius, niſi ut re ipſa apparet, eo conſilio tanta immanitas pœnæ denuntiata eſt, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Diſſectum eſſe antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi, quoniam ſævicia iſta pœnæ contemni non quita eſt.* Ridiculum plane ac futilem vanumque ſe probat cū iſta ſua tam nugatoria ratiocinatione Agellius, vel ille Juriſconſultus quem ea de re diſputantem introduxit. Quam falſum quippe, quam nihili argumentum, quo oſtendere nititur neminem unquam creditorem in partes fuiſſe ſectum & diviſum? Pœnæ, inquit, immanitas deterruit cunctos. Ergo per illud omne tempus quo id fieri lege licuit, nemo commiſit quare in pœnam hanc incideret. Nemo inventus eſt ære alieno obrutus, nemo qui bonam copiam ejuraverit, nemo denique qui nexum iniverit, & creditori ſuo addictus apud eum ſervitutem ſervierit, aut peregre ſit venumdatus. Nihil horum contigiſſe tunc oportet, ſiquidem verum velimus eſſe, quod adſtruxit præclarus ille Juriſconſultus, neminem quoque fuiſſe diſ-

ſectum. Qui enim addici creditori potuit, & in ſervitutem eidem dari, fas fuit & eum, ſi ita maluiſſet creditor, necari, aut ſi pluribus addictus fuiſſet creditoribus, inter omnes diſſecari àc dividi. Quid enim, ſi talis eſſet debitor, quem nec alere tanti eſſe judicaret creditor, ut nullius nempe uſus & operæ, neque etiam vendere poſſet ob inertiam aut ætatem? In promptu erat creditori pro majore ſuo compendio eum necare. Quod ſæpius & à pluribus factitatum aliquis merito ſuſpicetur. Probandũ hoc Agellio, vel illi juriſconſulto qui apud eum iſta loquitur, nullum unquam Romæ ob æs alienum addictum vinctumve lectum aut auditum, ſi nobis perſuadere vellet, nullum etiam diſſectum. Atqui nihil frequentius in hiſtoria Romana legimus, quam nexorum obæratorum querelas, quiritantium de crudelitate creditorum quibus addicti ſerviebant, in nervo apud eos & compedibus vincti, extrema quæque tolerantes, contumelias, ignominias, verbera, aliaque ſupplicia. Hinc illa orationis Tribuniciæ apud Livium lib. VI. *gregatim quotidie de foro addictos duci, & repleri vinctis nobiles domos, & ubicunque patricius habitet, ibi carcerem privatum eſſe.* Talium pleni ſunt octo priores ejus libri uſque ad conſulatum C. Pœtelii, quo rogante lex lata ne quiſquam pecuniæ judicatus & addictus vinciretur. Non equidem exemplum ullum extat in tota illius temporis hiſtoria, debitoris à creditoribus diſſecti, ſed nec venditi, quod tamen lege licuit. Quod humanitati creditorum potius imputandum quam pœnæ immanitati, quæ quemquam deterruerit. Neminem enim atrocitate ſupplicii deterritum fuiſſe, arguit multitudo vinctorum. Enimvero ad hoc vinciebantur, ut poſtquam in vinculis fuiſſent per dies ſexaginta apud creditorem, poſt trina nundina capite pœnas darent, aut trans Tiberim peregre venum irent. Sectio vero in partes tunc tantum habuit locum, ſi plures eſſent creditores quibus reus

s eſſet judicatus. Tum enim ſecare, ſi vellent, atque tiri corpus addicti ſibi hominis permiſſi ſunt. Non avius igitur ſupplicium in miſeros & bonam coam ejurantes debitores conſtitutum fuit quam capi. Quod ſectionem illam corporis tam atrocem atne horrificam nobis fingit Agellius, fruſtra eum eſſe, vanis terriculamentis ludificari eos cum quibus tum oquebatur, mihi perſuadeo. Non enim vivi hominis orſitan, ſed jam necati, & de quo ſupplicium ſumtum erat, partes inter ſe dividebant creditores. Finge iventem diſſectum ac diviſum. Nihil plus habet hæc pœna, quam vitæ violentum exitum, communem ultimis omnibus ſuppliciis & capitalibus. Nec atrocior hæc pœna diſcerpti hominis videri debeat quam crucis ſupplicium, aut quomodo more majorum apud Romanos puniri dicebantur, cum nudi hominis cervix inſerebatur furcæ, corpus virgis ad necem cædebatur. Quo ſupplicio conterritus Nero cum ſe hoſtem à ſenatu judicatum comperiſſet, & puniendum more majorum, de nece ſibi ſponte inferenda agitavit. His adde quod & olim inter ſupplicia etiam ſectio, & διχοτομία, atque etiam διαζυγὴ, quæ membratim fiebat, uſurpata. Quod Homero dicitur μελεϊστὶ διαζαμεῖν. De qua multa notamus alibi, non hic repetenda. Animadverſione autem dignum, inter tot querimonias miſellæ plebis & fœnore circumventæ, quæ apud Livium occurrunt, quamdiu duravit jus nectendorum & addicendorum creditoribus debitorum, nuſquam eam conqueri de extremo illo capitis ſupplicio, aut de venditione, aut de diſſectione corporis inter creditores. Quæ tria poterant magnam invidiam facere patribus, qui inopem plebem ære alieno oppreſſam, addictam ſibi & obnoxiam habebant. Nuſquam horum trium, vel unius ex tribus fit mentio. Quod magnum indicium eſt, nihil horum fuiſſe uſurpatum. Non enim tacuiſſent hæc tam gravia qui minora tantopere ex-

aggerant. Tantum deplorant ſervitutem, verbera nervum, vincula, compedes. Loca omnia enotare ſupervacuum, & nimis longum. Et jam pleraq; in ſuperioribus attulimus. Servitutem igitur tantum patiebantur pecuniæ judicati, & addicti debitores. Quod adeo verum eſt, ut, ſi ſolviſſent, aut pro illis aliquis, non tamen liberi cenſerentur, ſed quoniam in ſervitutem jure redacti erant, per æs & libram eſſent liberandi, ut illi qui emancipabantur. Quod probatur ea Livii narratione qua memorat lib. VI. Manlium Capitolium creditori ſolviſſe pro quodam centurione qui judicatus in ſervitutem ac vincula ducebatur, additque, *ideo rem creditori palam populo ſolvit, libraque & ære liberatum emittit, deos & homines obteſtatus ut M. Manlio liberatori ſuo parenti plebis Romanæ gratiam referret.* Hariolatur itaque Marcilius, qui interpretamento ad XII. Tabulas, notat, nexos ante legem XII. in perpetuo fuiſſe carcere privato, legem vero Decemviralem poſt inducias dierum triginta *tertiis nundinis*, quas perperam pro tertio nundinarũ die accipit, partes ſecare creditoribus permiſiſſe, aut ſi mallent peregrè trans Tiberim venum dare, aut ſi unus creditor eſſet, necare. Certum quidem eſt, hęc ſtatuiſſe omnia legem decemviralem in duodecim tabulas relatam, ſed illud etiam certo certius, poſt hanc legem nihilo ſecius perpetuum carcerem, & ſervitutem in mundo fuiſſe debitoribus apud creditores, donec ſe illo ære, cujus eſſent judicati, exſolviſſent, nec tria ſupra dicta pœnæ atrocioris unquam fuiſſe uſu ac more frequentata. Cujus rei nec vola nec veſtigium extat in hiſtoria Romana. Nunc premamus iterum verba Cæcilii apud Agellium: *Re ipſa, ut apparet, tanta immanitas pœnæ denuntiata eſt, ne ad eam unquam perveniretur.* Atqui infinitam nexorum multitudinem omni tempore Romæ fuiſſe conſtat, quamdiu lex illa manſit, quæ ad hanc pœnam pervenerat, ſi creditores eam ſumere de nexis

nexis & ſibi addictis ſuſtinuiſſent. Adjicit ſtatim nihilo ad ratiocinandum ante dictis validiora: *Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt.* Quæ certum eſt de debitoribus æris alieni, & judicatis addictiſque accipienda, quia etiam tunc ſolebant multi ſuis addici creditoribus, atq; vinciri. Cęterum aliis etiam ex cauſis noxii in vincula quotidie conjiciebantur, quorum numerus erat magnus, quia nequiſſimi homines hanc pœnam, ut leviorem, contemnebant. Addici porro tunc etiam alios ſolitos quam debitores, ob varia delicta, compertum eſt. Inter pœnas militares hoc ſupplicii genus Auguſto uſurpatum memorat Suetonius in ejus vita, qui *equitem Romanum quod duobus filiis adoleſcentibus cauſa detrectandi ſacramenti pollices amputaſſet, ipſum bonaque ſubjecit haſtæ, quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto ſuo addixit.* Nam proprie hoc *addici* ſignificat, rem emptam tradi, ut emptoris ſit in poteſtate. Ita addicti debitores in poteſtatem tradebantur creditoris, ut jus vitæ ac necis in eos haberet, quos & vendere, hoc eſt, alii addicere, ſi luberet, licebat. Cæterum jus illud vitæ ac necis quod dabatur creditori in debitorem addictum, vel etiam, ſi velis, ejuſdem ſecandi ac partiendi facultas, non magis abſterruit homines Romanos ab ære alieno faciendo, & id committendo quare addicerentur, quam pœna capitis variis criminibus impoſita efficere potuit ne ulli eſſent ſicarii, latrones, deſertores, transfugæ, homicidæ, venefici, ſacrilegi, plagiarii, aliorumq; criminum rei. Et nugatur hic omnino cum ſuo ſibi Cæcilio Agellius. Ab illa ſectione corporum pecuniæ debitæ obnoxiorum, quæ nunquam Romæ fuit uſurpata, perperam magni juriſconſulti derivatam putant *ſectionis bonorum* appellationem. Sed inani ac frivolo argumento hoc colligunt. Non aliis licuit ſecare & dividere inter ſe corpus debitoris quam

ipſis

ipſis creditoribus. Si ad bona hæc ſectio tranſlata fuiſſet, non alias nomen fuit habitura quam inter ipſos creditores bona debitoris ſui inter ſe partientes, & jure dominii addicta ſibi poſſidentes. Nam ut olim corpora ipſa addicebantur ſententia judicis, ita poſtquam hoc de medio ſublatum eſt, bona ſola placuit addici. Et ſicut antiquitus inter plures creditores debitoris non ſolvendo corpus ſecari ac dividi lex permiſit, ita & poſtea facultates ipſas addictas creditoribus ex cauſa judicati, ac venditas, *ſectionis* nomine venire proprie debuerunt. Etenim ſi ſectores quondam corporis obnoxii ſoli fuere creditores, bonorum quoque ſectio debuit ad eos ſolos pertinere, utpote ſectores debitorum olim in corporibus dictos, nunc in bonis dicendos. E contrario nec *ſectio* dicta eſt pro venditione pignorum, nec *ſectores* appellati creditores, qui debitorum ſuorum bona diſtrahenda auctoritate judicis curarent. In aliis enim locum habuit, quam in proſcriptione bonorum debitoris, aut in pignorum venditione. *Sectio* quippe nec venditio proprie eſt, nec emptio, ut ex iſtis verbis Cæſaris liquet lib. II. de bello Gallico: *Poſtridie ejus diei, refractis portis quum jam defenderet nemo, atque intromiſſis militibus noſtris, ſectionem ejus oppidi univerſam vendidit. Ab his qui emerant capitum numerus relatus eſt millium* LIII. Viden ſectionem oppidi venditam à Cæſare, & emptam ab his quibus vendidit? Aliud igitur *ſectio* quam vel venditio vel emptio. Quid igitur erit? Interpres Græcus vertit ἐπικράτειαν, hoc modo: πᾶσαν τὴν τῆς πόλεως ἐπικράτειαν ἀπεμπόλησεν, οἱ δὲ ὠνησάμενοι, &c. Ditionem & fines quouſque ſe porrigit alicujus civitatis territorium ac dominium imperiumque Græci ἐπικράτειαν vocant, ſed *ſectio* hoc non eſt, nec de finibus, aut territorio urbis agitur. Homines enim tantũ venditos fuiſſe cum ſuis ſi forte bonis, quæ ſequuntur, indicant, immo vel ſola capita ſectioni attributa. Vt *oppidi ſectio-*

ionem *venditam* dicit Cæſar, ita & *prædæ ſectio-*
s vaniſſe Cicero in libro I. de Inventione: *Hoc*
modo reprehenditur, ſi dici poteſt ex hoſtibus equus
captus, cujus prædæ ſectio non vanierit. Prædæ
tionem vendebat Quæſtor, redimebant qui licen-
alios ſuperabant. Quid igitur *ſectio*, ſi neque vendi-
proprie, neque emptio? An æſtimatio? Si *ſectores*
timatores ſunt bonorum damnati & proſcripti, ut
terpretatur Aſconius, *ſectio* erit æſtimatio. Non vi-
eo tamen, quam recte dici poſſit, æſtimationem op-
idi vel prædæ vel bonorum vendere aut emere. Qui
ectionem emebat prædæ, quid pro ea redderet ſcie-
at, eamque prius quam acciperet æſtimabat, aut æſti-
natam accipiebat; non tamen ſectio ipſa æſtimatio.
Quid ergo dicemus eſſe? Redemptionem. Hoc qui-
dem genus emptionis, ſed ſpeciale. Vt qui vectigalia
redimunt, aut ſartatecta, operaque alia publica con-
ducunt facienda ab iis qui locant, *Redemptores* vo-
cantur. Græci ἐργολάβους vocant hos ultimos, & ἐκλή-
πτορας, ſed & etiam ἐργώνας. Nam ἐργώνης operis publici
redemptor, idemque ac ἐργολάβος. Ita igitur & *ſector*
erat, prædæ vel bonorum damnati univerſorum re-
demptor. Recte βιώνης redditur in optimis Philoxeni
Gloſſis, nempe τοῦ βίου alicujus redemptor. Nam βίον
Græci pro univerſis alicujus bonis dixerunt, τὴν ὅλην
οὐσίαν, ac ſubſtantiam. Vt in Euangelio Matthæi de
muliere αἱμοῤῥόῳ quæ in medicos impenderat ὅλον τὸν
βίον, omnem ſubſtantiam ſuam, omnia bona. Quod
& alibi occurrit. Suidæ βίοτος, ἡ οὐσία. Heſychius: βίος,
τὸ ζῆν, περιουσία. Ergo βιώνης eſt bonorum alicujus re-
demptor, qui proprie *ſector*. Aſconius: *Sector eſt æſti-*
mator ac redemptor bonorum damnati atque proſcri-
pti. Æſtimat quanti ſint, & redimit ab his qui ſectio-
nem vendunt, ut quod pactum eſt eis reddat in pecu-
nia, quod in rebus aut jure earum perſequendarum ac-
cepit. Sed quare *ſectio* aut *ſector* in hac ſignificatio-
ne?

ne? Idem Aſconius occurrit ac dicit, *quod ſpem ſectans lucri ſui, id eſt, ſequutus ſpem æſtimationis ſuæ, bona auctione vendit, & ſemel infert pecuniam ærario vel ſociis.* Emptor igitur idem & venditor, qui ſector eſt. Nam quatenus ſectionem redimit, emptor eſt: quatenus bona quorum ſectionem conduxit aliis vendit, habetur venditor. Nec emptio igitur proprie, nec venditio ſectio eſt, ſed aliud quid. Ergo redemptio vel conductio. Sed unde ſic dicta? Quod ſequitur ſpem æſtimationis ſuæ, ut vult Aſconius. Sane & *ſecare ſpem* apud poëtam pro ſequi & ſectari. — *quam quiſque ſecat ſpem.* Quod Servius interpretatur, *ſequitur, tenet, habet.* Sic *viam ſecare ad naves* apud eundem poëtam. *Inde & ſectas*, inquit, *dicimus habitus animorum, & inſtituta philoſophorum circa diſciplinam.* Gloſſæ, αἵρεσιν, τρόπον, δόγμα, ἀγωγὴν interpretantur. Hinc & verbum *ſectari.* Nonius: *Secare, ſequi, unde & ſectatores bonorum ſectores dicti ſunt.* Sed an non propius rem acu tetigit Verrius, qui *ſectionem*, perſecutionem juris interpretatur? Vnde & *ſectores* dictos ait, *qui empta ſua perſequuntur.* Ad quem Feſti locum notavit Scaliger, verbis illis Verrii non ſatis declarari quid ſit *Sector*, neque ab auctore Gloſſarii qui βιώνην interpretatur. Immo ab utroque recte, ut nihil melius. Nam *Sectio* non poteſt melius Græce reddi quam βιωνία. Quam cum perſecutionem juris exponit ex Verrio Flaccus, ea expoſitione, quid eſſet, etiam optime declaravit. Qui redemerant ſectionem vel prædæ, vel omnium bonorum damnati proſcriptive, cum univerſa ejus bona, quacunque in re aut jure conſiſterent, accepiſſent ubicunque eſſent reperiunda, ea perſequebantur. Hi litigabant ſæpe cum cognitoribus aut procuratoribus proſcripti, contendentibus, hoc vel illud ad ſectionem non pertinere, quæ aut creditoribus eſſent oppignerata, aut dotis nomine obligata, vel quacunque alia de cauſa in bonis ejus cujus ſe-

ionem redemiſſet non eſſe numeranda, ſed inde detrahenda. De ejuſmodi cognitore damnatos, aut reos defendente, luculenti extant apud Manilium verſus, quos vir doctrina illuſtris corrupit, ſic legendi ac diſtinguendi:

Non ullos curans digitos quaque iverit haſta,
Adfueritque bonis ſector, pœnamque lucretur
Noxius, & patriam fraudarit debitor æris,
Cognitor eſt.

Quacunque inquit iverit haſta proſcriptionum & auctionum, & bonis ſector adfuerit, non ullos curans digitos, eorum nempe qui ſublatis digitis profitentur ſe redemptores eſſe ac ſectores bonorum haſtæ ſubjectorum, cognitoris officio fungitur ad eum defendendum cujus bona publice væneunt. Item cognitorem ſe illi præbet qui criminis alicujus reus bonorum confiſcatione pœnam lucratur ac redimit, & pro eo qui peculatus aut pecuniarum repetundarum tenetur, aut de reſiduis ob adminiſtratam pecuniam publicam. Male Scaliger ad eos verſus notat, cognitorem & ſectorem pæne eumdem fuiſſe, eumque eſſe qui ſectionibus præeſt, cujus munus *cognitura* dicitur. Nihil minus quam hoc verum. Fuere & ſui ſectoribus notores & cognitores, qui pro his ſpondebant & ſocii ſectionis erant, de quibus ſupra. Verum de illis non intelligendus hoc loco Manilius. Sed & de *cognitore urbis*, quem in verſu Maniliani ex conjectura repoſuit, pro eo quod eſt vulgo, *cognitor eſt verbis*, maxime etiam hallucinatus videtur. Nihil enim mutandum, ſed ſola interpunctione locus ſanandus hoc modo:

Cognitor eſt. Verbis nec non laſcivit amores
In varios, ponitque forum, ſudatque Lyæo,
Mobilis in ſaltus, & ſcenæ mollior arte.

Interdum, inquit, & qui ſub eo naſcitur ſigno, pro cognitore ſcenicus exiſtit, & foro renuntiat, verbiſque hoc eſt diverbiis fabularum in varios amores laſcivit, & hiſtrio-

hiſtrioniam profitetur. Atque hæc obiter. Certe *ſectio bonorum* de qua hic egimus nihil habet affine *ſectioni* illi antiquæ qua permiſerat lex debitorum corpora ſecari ac dividi inter creditores. Sed nec illa ab iſta nomen invenit, ut perperam ſibi perſuaſere viri eruditiſſimi, quibus hac in parte non aſſentior. Nunc eà ſolvenda, ſi poteſt, difficultas, quæ intervenit circa legem illam quam latam ſcribit Livius in conſulatu Pœtelii & Papirii, ut pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus *obnoxium* eſſet. Qua lege non ſolum qui tunc erant nexi, ſolutos fuiſſe, ſed etiam cautum ait, in poſterum ne necterentur. Cur igitur Agellius ſuo tempore tradit, addici & vinciri multos quotidie ſe videre? Cur apud Varronem legimus lib. VI. de L.L. à Sylla dictatore ſublatum ne id fieret, hoc eſt ne nexi eſſent qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia darent? Lex Syllæ oſtendit aut nullam illam fuiſſe legem de qua Livius, aut ſi ulla fuit, non eſſe ſervatam. Id quod dicit Agellius de vinctis & addictis ſui temporis, teſtatur, nõ alium feciſſe exitum Syllæ legem de Nexis, quam illam cujus Livius meminit. Neutram nimirum fuiſſe cuſtoditam. Ea lege quam narrat Livius non vetitum ne quis in poſterum necteretur, ſed omnes tantum qui tunc erant nexi, ſolutos priſtinam libertatem recepiſſe, videtur Dionyſius Halicarnaſſeus aſſerere in Excerptis Conſtantini. Vbi enim eam rem memoravit, quæ illi legi, de qua Livius, cauſam dedit, ita ſcribit: ἀγανακτήσαντος δὲ τοῦ δήμου, καὶ δημοσίας ὀργῆς ἄξιον ἡγησαμένου τὸ πρᾶγμα κατὰ τὴν κρίσιν κατηγορήσαντα τὴν διαγγελίαν, ὦφλε θανάτου δίκην, καὶ δι' ἐκεῖνο τὸ πάθος ἅπαντες οἱ δουλωθέντες πρὸς τὰ χρέα Ῥωμαῖοι, νόμῳ κυρωθέντι τὴν ἀρχαίαν ἐλευθερίαν ἐκομίσαντο. Dicit tantum ab eo caſu & occaſione, qui in ſervitutem ducti & addicti fuerant ſuis creditoribus, Romanos cives priſtinam recuperaſſe libertatẽ per illam legem quę tunc temporis lata eſt, non vero eam cauſam fuiſſe, ne qui in poſterum addiceren-

rentur & nectterentur. Aliquam tamen talem legem ſſe tum latam, illud indicio eſt, quod poſt illa tempra in reliquis ac ſequentibus Livii libris nulla extat entio *nexorum*. Extat tamen fœneratorum, quibus es dicta ab ædilibus, quod modū à lege præſcriptum ceſſiſſent, eo nomine damnatis. Niſi quis ad nexos ertinere cenſeat quod legitur apud eumdem lib. XIII. de pecuniæ judicatis qui in vinculis detinebanır. *Ad ultimum*, inquit, *prope deſperatæ reip. auxiium, cum honeſta utilibus cedunt, deſcendit dixitque; Qui capitalem fraudem auſi, quique pecuniæ judicati n vinculis eſſent, qui eorum apud ſe milites fierent, eos oxa pecuniaque ſe exſolvi juſſurum.* Quæ fortaſſean de nexis ob æs alienum accipi debent. Eaque vincula in quibus erant, non publica, ſed privata intelligenda. Nam & apud longe poſterioris ævi auctores mentio fit nexorum & addictorum vinctorumque ex cauſa judicati propter æs alienum non diſſolutum. Præter Agellium Quintilianus *addictos* fuiſſe adhuc ſua ætate teſtatur, ut infra pluribus ſumus dicturi. Iiſdem vixit temporibus Columella qui & *nexus civium* meminit, hoc eſt, nexorum ob pecuniam, quorum opera proceres ſua arva curabant colenda. Ita enim ſcribit lib. I. cap. III. *More prępotentum, qui poſſident fines gentium, quos no circumire equis quidem valent, ſed proculcandos pecudibus, & vaſtandos, ac populandos feris derelinquunt, aut occupatos nexu civium & ergaſtulis tenent.* Vbi *nexum* perperam vir doctus exponit obligationis genus quod per æs & libram fiebat. Non enim de illo nexu hic quæſtio eſt. Sed per pecuniæ judicatos & addictos quos ſervorum loco habebant, ut erant revera ſervi, colere arva ſoliti. Nihil quippe injuriarum aut contumeliarum in nequiſſimos ſervos ſub ſævis dominis competebat, quin & in nexos ab iis quibus addicti fuerant, jure ſuo poſſet exerceri. Qui jus vitæ & necis in hos ne-

xos habebant, poterant in eos ſævire quomodocunque vellent. Ergo & in ergaſtula ſæpe eos mittebant, ut ibi opus vincti facerent haud ſecus atque alii ſervi eadem pœna ob noxiam damnati. Sic ille nexus apud Livium, cujus verba ante retulimus, quiritatur ſe non in ſervitium à creditore ſuo eſſe ductum, ſed in ergaſtulum & carnificinam. Quid igitur factum illi legi quam anno urbis CCCCXXVII. latam perhibet Livius, ne amplius ob debita cives necterentur? Neglectam nempe dicemus, & parum poſt illa tempora in uſum revocatam. Nam nō omnino latam fuiſſe ne dicamus, prohibet inſignis locus ex Catilinario, qui clare oſtendit, talem olim apud majores viguiſſe legem obæratis favorabilem, quæ tunc in uſu non eſſet. Sic enim legati Manliani queruntur apud Salluſtium, ne liberum quidem corpus ſe habuiſſe præ diritate fœneratorum quibus obſtricti erant, ac prætoris ipſius ſævitia qui de pecunia credita jus reddebat: *Neque quo periculum aliis faceremus, ſed uti corpora noſtra ab injuria tuta forent, qui miſeri, egentes, violentia atque crudelitate fœneratorum, plerique patria, ſed omnes fama atque fortunis expertes ſumus. Neque cuiquam licuit more majorum lege uti, neque amiſſo patrimonio liberum corpus habere, tanta ſævitia fœneratorum atque prætoris fuit.* Hæc verba plane probant, fuiſſe antiquitus legem in favorem obæratorum latam, quæ patrimonio debitorum fœneratoribus addicto, liberum iis corpus eſſe juberet. Quod non ad illam legem refero quam ſub Sylla dictatore Varro rogatam ſcribit, ſed ad illam antiquam ſub conſulatu Pœtelii & Papyrii de qua Livius lib. VIII. latam. Non enim adeo vetus res Syllana aliqua lex fuerit tempore Manlii & Catilinæ, ut more majorum non uti ea ſibi licere potuerint quiritari. Sed cur ſi adhuc recentior illa erat Syllana, quæ corpora obæratorum libera eſſe volebat; ſolis bonis obnoxiis, non ejus potius meminere legati iſti Manliani,

liani, quam illius vetuſtioris quam Syllana renovaverat? Hoc ſane dignum animadverſione. Non enim alia de cauſa poſt veterem illam hæc ſancita fuerat nova Syllæ dictatoris temporibus, quam quod antiquata jam propemodum prior illa, in deſuetudinem abiiſſet, quæ auctoritate novæ legis eſſet confirmanda. Quæ omnia penſius conſiderata faciunt ut dubitem de ſinceritate lectionis apud Varronem. Nullo quippe modo credibile eſt, ut adeo recentem legem quæ libertati obæratorum conſulebat, neglexerint prætores illo tempore, ut præter illam judicare potuerint. Nec rurſus veriſimile eſt, ſi lex hujuſmodi aliqua à Sylla dictatore lata fuiſſet in debitorum gratiam qui ſolvendo non erant, non eam pro ſe potius allegare Manlianos legatos, quam vetuſtiorem jam deflatam & obſoletam, quæ vim ſuam & robur ab hac recens lata denuo accipiebat. Deinde quid opus nova lege ad nexos liberandos ubi vetus eſſet qua idem caveretur? Satis fuit obſervationem ejus nova lege injunxiſſe, ut ſæpe alias factum, cum antiquis legibus ſuus uſus auctoritate principum, qui eas de novo confirmarunt, eſt redditus. Poſtremo quis ille C. Popilius, quo rogante Sylla dictatore ſublatum dicit Varro, quod ante fiebat, ut liberi pro pecunia operas ſuas in ſervitute darent? An conſul? An Tribunis plebis? Iſto nomine, illo tempore nullus mihi notus. His adde quod ſcriptura variat, & pro *C. Popilio*, ad oram notatur in codicibus aliis reperiri, *C. Pœtilio Veſulo.* Sane ille C. Pœtilius erit qui una conſul fuit cum Papirio Mugilano qui ad populum ferre juſſi ſunt, *ut pecunia credita bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet.* Is enim vocabatur *C. Pœtilius Veſulus Libo.* Turnebus citat ex veteri Codice: *C. Popilio vacare ſublatum ne fieret.* Omnino ſcribendum: *C. Pœtilio auctore ſublatum ne fieret.* Nam de Sylla dictatore nugæ. Nec eſt quod aliquis eo confugiat, Syllam dictatorem caviſſe

ſua lege ne quis homo liber ſemet ipſum addiceret, cum rogatione Pœtilii latum fuiſſet ne ex cauſa crediti debitores qui bonam copiam ejuraſſent judicati addicerentur. Vtrumq; enim ſublatum videtur lege Pœtilii, qua ſancitum eſt, *ut pecunia credita bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet.* His quippe verbis quibus corpus obnoxium fieri vetatur, æque prohibetur eum recipere creditor qui ſe voluntate ſua dedat & addicat, & qui judicis auctoritate addicatur. Quemadmodum ſi qua lex caveret ne bona ipſa ob pecuniam creditam eſſent obnoxia, non ſolum pignoriſcapio quam judex in cauſa judicati permittere ſolet, prohibita intelligeretur, ſed etiam ipſa pignoris datio & obligatio quæ voluntate & conſenſu contrahitur. Vtrumque pariter ſuſtuliſſe cenſenda eſt lex Solonis dum vetuit quemquam ἐπὶ σώμασι δανείζειν, *ſub fiducia corporum fœnerari.* Si quis autem verba Dionyſii quæ ſupra citavimus penſius examinet, non ſolum, qui tunc nexi erant, ſolutos fuiſſe, ſed etiam ad hoc ne necterentur in poſterum legem quæ tunc lata eſt, valuiſſe deprehendet: καὶ δι' ἐκεῖνο τὸ πάθος ἅπαντες οἱ δουλωθέντες πρὸς τὰ χρέα Ῥωμαῖοι νόμῳ κυρωθέντι τὴν ἀρχαίαν ἐλευθερίαν ἐκομίσαντο. Ita nempe recuperant ſuam libertatem nexi ob debitum, ut etiam non licuerit poſtea in ſervitutem quemquam eo nomine abducere, hoc eſt, ἀγώγιμον facere. Nam in hoc caſu ἀγώγιμος is intelligitur, ὁ ἀγόμενος, vel ἄγεσθαι δυνάμενος εἰς δουλείαν. In Excerptis Appiani ex Conſtantini libro, περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, de Manlio Capitolino: ὕστερον δὲ πρεσβύτην πολλάκις ἐστρατευμένον ἀγόμενον εἰς δουλείαν ὑπὸ τοῦ δανειστοῦ γνωρίσας, ἀπέδωκε τὸ χρέος αὐτοῦ. Hoc igitur in verbis Dionyſii ſubintelligendum, non ſolum nexos illius temporis fuiſſe liberatos, ſed etiam lege eadem cautum ne in futurum necterentur. Quod ſi quis pertendat aliam fuiſſe Dionyſii mentem, quod maluerit ſequatur, dum conſtet non aliam legem latam eſſe quæ con-

conſuluerit libertati obæratorum niſi illam Pœtelii uſque ad legem Iuliam, de qua nos dicemus in ſequenti capite. Et de ea lege Varronis locus quem paulo ante emendavimus, accipi debet, qui totus ſic etiam legendus eſt: *Liber qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia dabat dum ſolveret, Nexus vocabatur, ut ab ære obæratus. Hoc C. Pœtelio auctore ſublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam ejurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti.* Certatim quaſi ex compacto viri docti delendum illud *diſſoluti*, pronuntiant. Sed non animadverterunt longe aliter vocem *Nexus* à Varrone ibi ſumi & explicari, quam vulgus accipit. Nec enim dubium quin ſi *Nexus* hic vinctum ſignificaret, expungendum foret *diſſoluti*. Nam qui non *nexi* ſunt, id eſt, vincti, ii plane diſſoluti intelligendi. Atqui *Nexum* hic Varro ait dictum eſſe liberũ hominem qui operas dabat pro pecunia, donec ſolviſſet. Tales, non erant vincti. Quid enim ab eo timeres qui ſe ſua voluntate in ſervitutem dederat? Nec omnes porro fuiſſe vinctos qui in domo creditoris ſerviebant dum ſolverent quod debebant, colligitur ex hoc Livii loco lib. II. *Ad hæc viſa auditaque clamor ingens oritur. Non jam foro ſe tumultus continet, ſed paſſim totam urbem pervadit, Nexi vincti ſolutique, ſe undique in publicum proripiunt, implorant Quiritum fidem.* Ita enim ſcribendum. *Nexos*, id eſt, qui nexus nomine detinebantur à ſuis creditoribus, tam vinctos quam ſolutos, ſe in publicum proripuiſſe dicit. Etiamſi quis pertendat omnes vinctos ſerviſſe, non tamen ob id appellati *Nexi*. Et clare Varro ita *Nexum* vocatum fuiſſe tradit qui liber operas ſuas pro pecunia daret, donec ſolviſſet, ut *obæratum* ab ære. Ergo *Nexus* idem ſimpliciter quod obligatus corpore, vel oppigneratus. Nec alio ſane ſenſu *nexus* ipſe debitor dicitur cujus corpus pecuniæ creditæ obnoxium eſt, quam bona *Nexa* quæ ſunt obnoxia. Quod mirum tot doctos viros hactenus non

obſervaſſe. Si *nectere* verbum eſſet proprium de debitoribus qui in vincula dabantur apud creditorem, nihilque aliud denotaret quam vincire nervo aut compedibus, lex duodecim tabularum non temere aliam uſurpaſſet vocem de hujuſmodi addictis qui vinciebantur. At uſa eſt verbo *vincire*, non *nectere*, in eo ſignificatu. Sic enim poſuit: *Secum ducito, vincito nervo aut compedibus.* Cur non dixit *nectito*, ſi proprium huic rei id vocabulum? Immo non fuit, ſed aliud deſignavit. *Nexus* idem eſt, quod oppigneratio. Et *nexus* & *nexa*, idem quod oppigneratus vel oppignerata. Hinc *nexum inire*, de his qui ſponte ſe pignori dabant creditori, ſuaque corpora ipſi addicebant. Livius lib. VII. *Nam etſi unciario fœnore facto leuata uſura erat, ſorte ipſa obruebantur inopes, nexumque inibant.* Hoc eſt, ſemet ipſos pignori dabant creditoribus, & uſque ad ſolutionem eis ſerviebant. Pro quo & *in nexum dare* vel *nexui*, ut in pignus, & pignori, idem Livius lib. VIII. dixit: *L. Papirius is fuit, cui cum ſe C. Publilius ob æs alienum paternum in nexum dediſſet, quæ ætas formaque miſericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt.* Sic enim ibi ſcribendum. Is Publilius ſe ſponte tradidit pignori ſuo creditori, hoc eſt, *in nexum.* Vbicunque *nexos* ob æs alienum nominat Livius, nõ aliter ii intelligendi quam pignerati & obligati ob debitum. Nec aliter accepit Varro, cum in verbis ſupra citatis dixit, liberos homines qui in ſervitute operas ſuas dabant, lege Pœtelii, *ne eſſent nexi diſſolutos fuiſſe.* hoc eſt, ne eſſent obligati ipſi in corpore ſuo, fuiſſe diſſolutos. Sic diſſolvi res pignori data dicitur, quã ne nexa ſit, id eſt, obligata, debitori creditor reddit. Apud Livium l. VIII, ubi loquitur de lege Pœtelia, qua cautũ eſt, *ne in poſterum necterentur debitores*, non id ſignificat ne vincirentur, ſed ne oppignerarẽtur, vel pignoris nexu obligarentur ipſi. Et quod *nexos* ſolutos eſſe ejuſdem legis

bene-

beneficio ſcribit, quorum perſonæ pignori obligatæ detinebantur à creditoribus, liberatos fuiſſe ait, ut ſolutum vel diſſolutum pignus dicitur quod liberatur. Non igitur ea lege cautum ne quis in nervo aut compedibus teneretur, ut vult Hotomannus cap. XXVI Quæſtionum illuſtrium; ſed ne pignori obligaretur. Id enim eſt, *necteretur*. *Nexus civium* apud Columellam non eſt vinctio civium, ſed ἐνεχυρασία corporum. Ad ſummam, *nexus* non alia notione de corporibus pignori obligatis & creditæ pecuniæ obnoxiis dici Romanis conſuevit, quam de bonis. De *nexu* bonorum in priore volumine ſatis multa diximus, ubi etiam notavimus, Romanos hanc loquutionem à Græcis Italiotis accepiſſe, qui ὑποδῆσαι, id eſt, nectere, pro pignori ponere uſurparunt. Heſychius: ὑποδῆσαι, ἐνεχυρᾶσαι, Ἰταλιῶται. Item: ὑπόδεσμιος, ὑποτεθείς. id eſt, *Nexus, pignori oppoſitus*. Etiam in aliis linguis pignus *vinculi* nomine exprimi ſolitum, in Capite de pignoribus docuimus. Sic leg. I. D. ne vis fiat ei qui in poſſeſſionem miſſus eſt, *ſi quis ideo poſſeſſione arcuerit quia rem ſuam putabat, aut ſibi nexam*. Gloſſæ Philoxeni recte *nexam* interpretantur ὑποκειμένην. Homo *nexus* eſt ὑποκείμενος, oppigneratus, res *nexa* ὑποκειμένη. Utriuſque *nexus*, id eſt, obligatio vel oppigneratio. Ut *nexus venditi*, in leg. XXVI. D. de condictione indebiti: *Si emptor fundi damnaverit hæredem ſuum, ut venditorem nexu venditi liberaret*. Ita & *nexus crediti* tam in perſonis ipſis quam in bonis olim locum habuit, qui *civium nexus* Columellæ de civium corporibus *nexis*, id eſt, obligatis. Certe *nexus* in duodecim tabulis nihil aliud quam obligatio. Ut in hac lege, *qui nexum faciet mancipiumve, ut & lingua nuncupaſſit, ita jus eſto*. Vbi *nexum facere*, eſt obligationem contrahere per æs & libram. Et *nexum* Varroni ex ſententia Mucii Scævolæ, quidquid eſt per æs & libram obligatum. Aliis, ut Manlio, quidquid per

æs ac libram geritur, idque proprie in rebus mancipii, id eſt, quæ mancipio dantur. Qui enim aliquid mancipio dabat ſe obligabat, id eſt, nexum faciebat ob evictionem. Cicero in Topicis: *Finge aliquem mancipio dediſſe id quod mancipio dari non poteſt, num idcirco id ejus factum eſt qui accepit? Aut num is qui mancipio dedit ob eam rem ſe obligavit?* Ergo is ſolum ſe obligat qui rem dedit mancipio, quæ mancipii eſt, vel quæ mancipio dari poteſt. Inde apud eumdem *traditio alteri nexu* de his quæ mancipio dantur, & propter quæ obligatur qui illa dedit. De quibus in primo volumine. Ex eo ergo & *nexus* homo obligatus & oppigneratus in corpore ſuo, de libero qui operas ſuas in ſervitute pro pecunia quam debet donec eam ſolvat, obligavit. Nec enim vinctum, aut in compedibus habitum ea vox ſignificat. Multi *nexi* etiam vincti, ſed non omnes. Plures enim nexi operas dabant, & opus faciebant ſoluti.

Caput XIX.

Cur poſt legem Pœtelii qua necti debitores vetuit, adhuc reperiantur nexi in hiſtoria Romana. Videri poſſe adeo id factum quia lex illa parum obſervata fuerit. Aliter tamen accipi loca illa debere. Verba Salluſtii de Manlianis legatis, qui apud eum queruntur ſe ob æs alienum exuto patrimonio liberum corpus habere non poſſe, quomodo intelligenda. Soluta quæſtio ab Hotomanno propoſita de legibus Porcia & Sempronia quæ verbera prohibuere à tergo civium. Addictos non fuiſſe cives quia cum libertate civitatem amiſerant. Prætores in jure dicundo non raro à jure civili deflexiſſe, & proprium jus inſtituiſſe quod inde Prætorium & Honorarium appellatum. Hinc ſæpe etiam juſſiſſe addici creditoribus debitores quos lex Pœtilii vetabat necti. In quibus debitoribus id potiſſimum edixerint. His qui ſuo vitio decoxerant

eos iniquiores, ut plurimum, ac ſæviores extitiſſe. Tales pleroſque ex his fuiſſe qui participes conjurationis Catilinariæ ac ſocii. Locus Ciceronis explicatus. Quid ſit certare fructibus prædiorum cum uſuris. Prædiorum reditus urbanorum ruſticorumque longe minores ſemper & ubique locorum fuiſſe uſurariis. Conſuetudinem quæ debitores qui ſolvendo non eſſent, necti addicique ab antiquo permiſerat lege quanvis poſteriore quæ id vetabat valentiorem fuiſſe. Prætores ſæpe ſecundum eam conſuetudinem potius quam ſecundum legem cauſa cognita judicaſſe. De legis Iuliæ beneficio quæ bonis cedentes liberavit metu publici carceris. Ex eo colligi jam ante legem illam carcerem privatum, de hoc eſt jus ac morem nectendi & addicendi, fuiſſe ſublatum. Legem Iuliam ad cives tantum Romanos non ad peregrinos pertinuiſſe. Legem ſimiliter Pœtelii de non nectendo in favorem civium fuiſſe latam. Vbi omnes cives facti ſunt qui ſub imperio Romano eſſent, ad omnes utriuſque legis beneficium ſpectaſſe. Antoninum Caracallam fuiſſe qui primus omnibus qui in orbe Romano eſſent, civitatem dedit. Dionis locus explicatus & correctus. Quibus cauſis adductus imperator ille id fecerit. De viceſima hæreditatum & libertatum. Δωρεὰς non eſſe legata, ſed donationes. Poſt Antonium non temere addictorum apud auctores Latinos reperiri mentionem. Maximam fuiſſe differentiam inter nexum voluntarium, & eum quo addicebantur obærati auctoritate judicis. Hunc qui ex ſententia judicis ſequebatur addictos, prohibitum tantum videri poſſe lege Pœtelii. Voluntarium fere ſemper fuiſſe permiſſum. Si jure Romano licuit homini libero ſemet ipſum vendere, cur non licuerit, & ſe oppignerare? De eo qui major annis ſe venundari paſſus eſt, quid juris olim fuerit. An reſtituerentur in integrum minores qui vænire ſe paſſi fuerant. De Leonis Novella

qua vetuit ne quis ſe ad pretium participandum vendere poſſet. Conſtitutio illa fuſius explicata contra doctiſſimum Iuriſconſultum De auctoratis. Quid ſit auctorare ſe, & unde hoc verbum pro ſe vendere. Non de ſolis gladiatoribus fuiſſe vſurpatum. Auctoramentum pro qualibet mercede, ſed proprie pro eo pretio quo quis libertatem ſuam vendebat. Quid fuerit diſcriminis inter eum qui ſemet ipſum vendebat, & qui ſe venundari ab altero patiebatur ad pretium participandum. Quid interfuerit inter venditionem ſui, & oppignerationem. Hanc etiam veniſſe nomine venditionis, ac venditionem fuiſſe conditionalem, & ad tempus, donec quis ſolviſſet. Hos invito creditore ſoluta pecunia libertatem recepiſſe, non illos qui ſe ſimpliciter ad pretium participandum vanire paſſi eſſent. Idem in illis addictis obtinuiſſe quos prætor addicebat. De duplici genere addictorum, voluntario, & ſententia judicis faciendo. Iſti veri ſervi, illi in ſervitute tantum eſſe dicebantur. Voluntarios comparari Atticorum θησὶν, Theſſalorum πενέσαις, & reliquorum Græcorum πελάταις, Romanorumque clientibus. Quid proprie θῆτες ſignificaverint. Locus Ariſtotelis expoſitus, improbataque paraphraſta interpretatio. De ſervorum conditione quibus hodie utimur. Aliam fuiſſe eorum, qui ſe in ſervitutem dabant, & operas ſerviles faciebant creditoribus, donec pecuniam quam acceperant mutuam diſſolviſſent. De Ilotibus Lacedæmoniorum & Cretum Aphamiotis & Periœcis, qualis eorum conditio extiterit. Eamdem fuiſſe quæ fuit colonorum apud Romanos, & apud nos eorum qui Manumortuales dicuntur. Differentia ſervi & addicti explanata. Quid diſtet ſervum eſſe, & in ſervitute eſſe. Non differebant à ſervis qui ob debitum, ut ſervirent, ſeſe creditoribus addixerant, ſed in libertate, ubi eam receperant magnam fuiſſe differentiam ab ea qua ſervi dona-

donabantur. Græcos etiam nominibus eos diſtinxiſſe ἀπελεύθερων & ἐξελεύθερων. An manumiſſio de addictis dicta fuerit. Vnum genus fuiſſe addictorum, plurima ſervorum. De Latinis libertis. Vno modo libertatem conſequebantur addicti ſoluta pecunia, non vno ſervi. Hinc alios cenſu, alios teſtamento, alios vindicta libertatem adeptos. Olim & unam libertatem ſervus competiiſſe, qua & Romani cives fiebant, cujus conſequendæ tres erant legitimi modi. Quid ſit vindicta. Καρπιστὴς pro καρφιστής. Κάρφος, idem eſſe quod vindictam. Aliud καρπίζειν, aliud καρπίζεσθαι, aliud Latium carpere. Nugari qui confundunt. Ante conſtitutionem Leonis ut vendere cuivis ſe licuit libero, ita & ſe ob debitum oppignerare & addicere. Etiam liberos ſuos parentibus aliquando vendere & oppignerare permiſſum. Noxæ dedi etiam potuiſſe Iure Romano liberos à parentibus. Noxæ deditionem graviorem fuiſſe quam oppignerationem. Papinianus de fiduciæ actione in homine libero noxæ dedito explicatus. Noxæ dediti iidem proprie qui Græcis ἀγώγιμοι & ἔκδοτοι. Noxam non ſolum peccatum eſſe, ſed etiam pœnam. Duci de his dictum ut de addictis. Noxæ dedi, & in noxam, idem. Hotomannus reprehenſus. Iuſtinianum etiam ceſſionem bonorum, removiſſe à miſeris debitoribus, ne quis eam facere cogeretur. De ἐκστασίᾳ locus Harmenopuli explicatus. Alia multa.

EX his quæ in ſuperiori capite diſputata ſunt, conſtat, ab anno urbis conditæ CCCCXXVII, quo lex in conſulatu Pœtilii lata eſt de obæratis non nectendis, nullam aliam uſque ad Julium Cæſarem fuiſſe rogatam legem quæ idem ſanxerit. Si quid in ea temporis intercapedine reperitur apud auctores quod illi rogationi videatur derogare, colligi inde oportet, eam obſervatam potius

non

non fuiſſe, quam nullam ejuſmodi legem ſub Pœtilio conſule eſſe ſancitam. Sed de Varronis loco qui ſuadebat Syllæ dictatoris tempore talem aliquam legem fuiſſe latam, jam docuimus mendoſum eum eſſe, & quomodo ſit emendandus, diximus. Quid igitur eſt quod illi Manliani legati apud Salluſtium in Catilinario queruntur, de ſævitia prætoris per quem liberum ſe corpus amiſſo patrimonio habere non poſſint? Clare illi indicant fuiſſe apud majores legem cujus beneficio qui nihil in bonis haberent unde ſolverent, cogi non poſſent in corpore luere, & in ſervitutem ob æs alienum ſe dare. Præ ſe ferunt ac proteſtántur illi Manliani ſeſe arma contra patriam non cepiſſe, neque quo periculum aliis facerent, ſed uti corpora ſua ab injuria tuta forent, qui miſeri, egentes, violentia atque crudelitate fœneratorum, plerique patria, ſed omnes fama atque fortunis expertes eſſent. Adjiciunt deinde & iſta totidem verbis: *Neque cuiquam noſtrum licuit, more majorum lege uti, neque amiſſo patrimonio liberum corpus habere, tanta ſævitia fœneratorum, atque prætoris fuit.* Lex illa qua uti ſibi more majorum non licuiſſe quiritantur, ut poſt amiſſas opes libertati corporum ſuorum nihil haberent quod metuerent, ſine dubio Pœtiliana illa fuit, quæ necti cives ob æs alienum vetuit. An ergo ita eam interpretabimur, quemadmodum placuit accipi Hotomanno in Quæſtionibus illuſtribus, ut poſt illam legem deinceps obſervari cœptum dicamus ut qui addicerentur, ſoluti operas darent? Hoc itaque tantum lex interdixerit, ne nexi opus facerent apud creditores obærati, ut antea ſoliti, ſed ſoluti. Non hanc fuiſſe mentem legis apud Livium qua vetitum dixit, ne obærati in poſterum necterentur, abunde ſupra declaratum eſt. Nexum quippe corporum nihil aliud eſſe quam obligationem & pignoriſcapionem corporum καὶ τ̀ ἐπὶ σώμασι δανεισμὸν, in priori capite docuimus.

Erra-

Errarunt enim hactenus omnes docti qui *necti* pro vinciri nervo, aut compedibus, accepere. Non meliori ratione ſubnixum eſt & illud quod idem Hotomannus in Quæſtione illuſtri XXVI. à nemine explicatum dicit. Fruſtra enim intricavit, quod nec ipſe extricat. Quærit quid illud ſit, quod cum vetuſtis legibus Porcia & Sempronia, civium Romanorum corpora quodammodo quaſi ſancta eſſent, neque verberibus in eos animadvertere liceret, tamen inopes debitores, niſi legis Juliæ præſidio tuti fuiſſent, verberibus, & cruciatui corporis ſubjiciebantur, ut ex legis illius Juliæ beneficio intelligitur. Miror à tam acuto ac docto Juriſconſulto, quæſtionem ſuper ea re potuiſſe moveri. Quaſi vero quæ in addictos fierent, qui omni injuriæ jure videbantur obnoxii apud eos quibus erant addicti, tanquam in cives fieri ſolerent. Addictus non amplius eſt civis. Quomodo civis eſt, qui ne libertatem quidem retinuit? Si libertate excidebant, multo magis civitate. Ergo nec liberi erant nec cives, in ſervitutem quippe dediti creditoribus ſuis. Quidquid in ſervum itaque juris ac poteſtatis fuit domino, hoc in addictum debitorem creditori fuiſſe omnio certum eſt. Nihil igitur hic faciunt Porciæ & Semproniæ leges, quæ à Romani civis tergo verbera depellebant. Nam addictos pro civibus non habitos eſſe conſtat. Si omnimodo verberum immunis eſſe debuit civis Romanus, oportuit & legem rogatã quæ ſtatueret neminem addici qui civis eſſet Romanus. Addictos, ſervos fuiſſe, ſaltem ſervitutem ſerviſſe, & in eos ſub creditoribus omnia quæ in ſervos competerent ſub dominis, competiiſſe, paulo poſt erit dicendum. Nunc explicemus, cur beneficio legis antiquæ, qua ne perſonæ amplius necterentur ubi bonis everſæ forent, cautum erat, non licuerit frui Manlianis illis, per Prætoris & fœneratorum ſævitiam ac crudelitatem. De prætore nominatim conqueruntur apud Salluſtium qui obæra-

tos

tos illos non permitteret amiſſo patrimonio liberum corpus habere, ſicut mos majorum poſtulabat, & lex de non nectendis corporibus ſub Pœtilio lata. Prætor ille fuit urbanus, qui jus reddebat inter cives. Ita ille porro juri dicundo præerat, ut non ſemper quæ jure civili eſſent conſtituta, ſequeretur. Hinc jus Prætorium à civili diverſum exiit. Multa ſane Prætores innovaſſe conſtat non ſolum quoad formulas & actiones edicti perpetui quod compoſuerunt, ſed etiam in juris ipſius forma. In teſtamentis hoc videre eſt, quibus faciendis atque ordinandis alia forma ex edicto prætoris introducta eſt, quam quæ civili jure inſtituta fuerat. Signacula enim ac teſtium numerum induxerunt, quæ jure civili non erant neceſſaria. Mancipationem quoque quæ in teſtamentis requirebatur ex jure civili, jus honorarium ſive prætorium ſuſtulit. Videntur ergo, tum Romæ prætores, quorum juriſdictio fuit de rebus creditis, non ſemper judicaſſe ſecundum eam legem quæ vetabat nexos ob æs alienum addici, ſed ex æquo & bono inſuper habita illius legis auctoritate, addixiſſe pleroſque debitores quos viderent non calamitate aliqua fortuita decoxiſſe, ſed vitio ſuo. Tales veriſimile eſt fuiſſe legatos illos Manlianos, qui de Prætoris ſævitia querimonias apud Marcium habent. Ex Salluſtio quippe & Cicerone conſtat, Catilinarios illos omnes & Manlianos qui participes ac ſocii conjurationis illius fuere, nepotinis ſumptibus & luxu, non ulla mala fortuna, opes ſuas dilapidaſſe. Hujus autem differentiæ ſemper maxima fuit habita ratio quoties Romæ actum eſt de ſublevandis ære alieno preſſis, ut promptius iis ſubveniretur qui nulla ſua culpa ſed fortunæ, æris alieni magnitudinem contraxiſſent, quod diſſolvere non poſſent. Sed & duriores ſævioreſque ſolebant eſſe prætores in ea nomina, quæ mala viderentur ac tarda, improbitate potius aut inertia propria quam facultatibus. Et ſemper

etiam

etiam ſub Imperatoribus varias pœnas potius paſſi ſunt quam ullo ex legibus favore digni viſi. Hinc Adrianus eos *catomidiari*, id eſt, cædi, in foro aut pleno theatro jubebat. Ea infamia pleriq; ex his laborabant qui Catilinæ ſeſe in ea conjuratione adjunxerant. Non alio quippe propoſito multi illorum conjuraverant ad turbandam rempublicam cum eo, niſi ut poſſeſſiones ſuas retinerent, quas amplas habebant, & nomina non diſſolverent, ſed creditores circumſcriberent. Atqui poterant parte poſſeſſionum divendita creditoribus ſatisfacere, & reliquas ſecure tenere. In hoc hominum genus perorat Cicero ſecunda in Catilinam, de his qui cum illo conjuraverant: *Primum eſt eorum qui magno in ære alieno majores etiam poſſeſſiones habent, quorum amore adducti, diſſolvi nullo modo poſſunt. Horum hominum ſpecies eſt honeſtiſſima, ſunt enim locupletes, voluntas vero & cauſa impudentiſſima. Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copioſus ſis, & dubites aliquid de poſſeſſione detrahere, ac fidem acquirere? Quid enim expectas? Bellum? Quid? Ergo in vaſtatione omnium tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas? An tabulas novas? Errant, qui iſtas à Catilina expectant. Meo beneficio tabulæ novæ proferentur, verum auctionariæ. Neque enim iſti qui poſſeſſiones habent, alia ratione ulla ſalvi eſſe poſſunt. Quod ſi maturius facere voluiſſent, neque id quod ſtultiſſimum eſt certare cum uſuris, fructibus prædiorum, locupletioribus his & melioribus civibus uteremur.* Poſtrema hæc verba quorum ſenſus videtur facillimus, intricatiora reddidit ſubtilitate interpretationis ſuæ Hotomannus. Nec enim puto quod ille voluit, voluiſſe Ciceronem. Conveniſſe nempe cum fœneratoribus illos debitores, ut eorum prædiorum quæ pignori pro ſorte & uſuris acceperant, fructus pro uſuris colligerent. Talis quidem pactionis in jure eſt mentio, ſed nihil illa ad hunc

locum,

locum. Quid enim ſimplicius aut apertius quam id quod Cicero planiſſime dicit? Homines qui multum debebant, & plus tamen aliquanto in fundis poſſidebant, fruſtra certaſſe ex prædiorum ſuorum fructibus, uſuras pecuniæ debitæ penſare, & exæquare. Nihil hic opus ſomniare quod facit Hotomannus, uſuras in ſortem redactas, & ſic annuatim modum fructuum collectorum exceſſiſſe. Habeo prædium quod poſſum mille aureis vendere. Debeo quingentos aureos ſub uſuris centeſimis quæ per illa tempore legitimæ fuere. Vt ſunt & erant tunc reditus prædiorum, cum reditibus fœnore locatæ comparati, dimidium prædii pretium fere plus uſuræ nomine poſſit conficere quam totum prædium reddere ſi ſoli fructus annui ex eo colligantur. Fructuoſiſſimi agri vix ſemiſſes uſuras in reditu olim reddebant. At centeſimas pecunia ſub uſuris data pariebat. Cogitet nunc aliquis an fructibus prædiorum certari poſſit cum uſuris pecuniæ. Athenis decem Rhetorum tempore ager æſtimatus duobus talentis cum dimidio, hoc eſt, centum quinquaginta minis, duodecim tantum minas in reditu afferebat. Pecuniæ eadem ſumma fœnore poſita facile feciſſet uſuris centeſimis, quæ leviſſimæ tum in Græcia fuere, decem & octo minas, idque in ea agrorum ſterilitate qua infame fuit Atticum ſolum. Quanto majus compendium rediiſſet ex agris pinguioribus? Apud Iſæum περὶ τοῦ Ἀγνίου κλήρου, ager πεντ' ἡμιταλάντων διεξόχων, id eſt, pretio centum & quinquaginta minarum, ex locatione coloni domino reddebat duodecim minas. Apud eumdem duæ domus, altera tribus millibus drachmarum empta, altera quingentis, ex penſionibus annuis locatori earum domino & emptori, tres minas tantum dabant. Quæ ſumma ſi fœnore locata fuiſſet minimis uſuris in ea regione uſitatis, præſtitiſſet annuas quaternas minas ac viginti drachmas. Atqui majores uſuræ tunc temporis Athenis fuere

uſu

uſu receptæ pro legitimis, & ibi prædia urbana ſatis care locari ſolita ob multitudinem inquilinorũ & indigenarum quibus urbs erat differta. Ne nunc quidem apud nos, in ea mediocritate uſurarum quæ ex legibus obtinet, aliquis poſſit certare fructibus prædiorum cum uſuris. Manliani igitur illi & Catilinarii nepotes, qui id facere fruſtra contendebant, hoc etiám ſtudebant, ut ſi poſſet fieri, poſſeſſiones retinerent, & creditoribus nihil ſolverent. Quod non poſſe obtineri videbant ſine tabulis novis, quas à Catilina expectabant. Non mirum itaque, ſi talibus hominibus qui partim vitio ſuo decoxerant, nihilque omnino habebant, partim mala fide agebant, ne divenditis poſſeſſionibus ſeſe liberarent, prætores illius temporis iniquiores fuere. An tamen verum ſit quod queruntur, ſibi jus libertatis per prætorem non relinqui integrum, ut lex jubebat in his qui patrimonium amiſerant, diſcutiendum. Ergo prætor judicatos eos damnatoſque creditoribus addicebat. Hoc ſignificare illi diſerte videntur. Sed quærendum, an ita tum edicere ſolitus fuerit prætor, quod jam lex illa longa deſuetudine obſoleviſſet, an lege manente *κυρίᾳ*, hoc ejus beneficium ad eos ſolos pertinere judicaverit, qui non vitio ſuo decoxiſſent. Si hoc poſtremum verum, ab initio lex quæ necti obæratos vetuit, favere illis tantum voluit, qui nulla ſua culpa in hanc miſeriam incidiſſent, cæteros quos gula & luxus in id infortunium præcipitaſſet, velut hoc munere indignos, addici permiſit. Lex tamen in genere ut omnes qui tunc erant nexi, ſolvi voluit, ita & omnes in poſterum necti prohibuit. An veriſimilius legem illam de non nectendis, & non addicendis debitoribus tum obliteratam fuiſſe, & prætoribus proinde liberum inter vetuſtate obſoletam legem, & conſuetudinem jam aliud poſtulantem, debitores præſertim improbos ac malæ fidei condemnare, & non ſolventes addicere?

Non diſſimile huic facto exemplum apud Appianum reperio l. 1. de bellis civilibus. Tempore Syllæ ſeditio orta eſt inter fœneratores & obæratos. Illi more ſuo uſuras acerbe exigebant, ex debitoribus partim legem veterẽ allegabant quæ uſuras accipere vetaret, partim dilationem petebant, propter tempora ex bellis ac ſeditionibus difficilia, & pecuniæ conficiendæ parũ idonea. Nec deerant qui ultro etiam fœneratoribus multam intentarent, quia contra legis vetitum uſuras expoſcerent. Aſellio prætor ab his & illis aditus, cui de pecuniis creditis cognitio obvenerat, conatus eſt illorum lites componere, ut cum bona gratia diſcederent. Vbi fruſtra id à ſe tentari vidit, judices partibus dedit, qui re cognita vel ex lege vel ex conſuetudine controverſiam dirimerent. Hic enim verborum Appiani Græcorum ſenſus: *Ἀσελλίων ᾧ ταῦτα προσέκειτο ἐπεὶ διαλύων αὐτοῖς οὐκ ἔπειθεν ἐδίδου καθ' ἀλλήλων αὐτοῖς δικαστήρια τὴν ἐκ τῶν νόμων καὶ ἔθους ἀπορίαν εἰς τοὺς δικαστὰς περιφέρων.* Non dubium eſt ex his prætorẽ judicibus à ſe datis poteſtatem attribuiſſe, vel legis illius antiquę quæ uſuras vetabat, ſi è re videretur revocandæ, vel conſuetudinis inveteratæ quæ eas permittebat confirmandæ. Fœneratores ægre ferentes quod prætor ſententia ſua judicibus delegatis renovandæ legis jam deflatæ libertatem feciſſet, eum ſacrificantem in medio foro adorti occiderunt. Idem fortaſſe ſit & de hac lege quæ nexum corporũ in obæratis ſuſtulit. Ei legi conſuetudo longo uſu firmata derogaverat. Prætorum itaq; vel judicum ab his datorum arbitrio relictum erat, ut aut ſecundum receptum, ſed contrarium legi morem judicarent, ſi vellent, aut ſecundum legem antiquam ſed more antiquatam. Prout igitur ipſis æquius meliuſque viſum eſſet, ita rem terminabant, ut aut ex conſuetudine addicerent obæratos, aut legem in his veterem obſervari juberent. In illis præcipue debitoribus damnandis qui fraudandi animumhaberent, & male fide ſubterfugerent, aut ad in-

inopiam ex luxu redacti eſſent, videntur, ut diximus, conſuetudini quæ nexum à lege ſublatum inſuper habebat, ſuffragati. Sequuta eſt non longo inde intervallo lex Iulia, quæ legem veterem Pœtelii, qua nexus fuerat ſublatus, reſtituit & in uſum revocavit. Ita certe ajunt viri antiquitatis peritiſſimi. Videamus an ita ſit. Dubitant utrum à Julio Cæſare an ab Auguſto hæc lex lata fuerit. Vix mihi eſt dubium, quin auctorem habuerit Julium, quem ſatis conſtat de modo credendi leges tuliſſe, ac de rebus creditis plures, ut eſt apud Tacitum in ſexto Annali. Vt ut ſit, deſpiciendum quid illa lex Julia in favorem debitorum, qui non erant ſolvendo, ſanxerit. Ex conſtitutione Alexandri Severi, quæ in Codicem Juſtinianeum relata eſt, ſub titulo, *Qui bonis cedere poſſunt*, liquet legis Juliæ beneficium iis qui bonis ceſſiſſent, eatenus profuiſſe tantum ut judicati in carcerem non ducerentur. *Qui bonis*, inquit, *ceſſerint niſi in ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodeſt, ne judicati detrahantur in carcerem.* Si carcerem publicum accipimus, quo liberaverit ὑπερ-χρέως debitores Julius, ergo ante ejus legem carceris privati pœna non erat amplius bonam copiam ejurantibus metuenda. At carcer privatus creditorum domus olim fuit debitoribus nexis quo ducebantur judicati & addicti, ad arbitrium creditoris, in vinculis ac nervo ibi habendi donec ſolviſſent; aut extrema omnia paſſuri, ſi non poſſent ſolvere. Vt æquiſſimus illis eſſet creditor, certe apud eum ſerviebant, tantiſper dum ſeſe operis ſuis diſſolviſſent, ac libertatem ſuam redemiſſent. Quod & ſervis licitum fuit, ut pretio quo empti fuerant, alicunde comparato, ac dominis perſoluto manumitti mererentur. Nulla enim inter addictos & ſervos quoad ſervitutis modum, dum ſervirent, differentia fuit, ſed in libertatis genere ubi utrique eam recuperaſſent, magnum horum & illorum

 diſcri-

diſcrimen, ut mox dicturi ſumus. Cum igitur lex Julia pro beneficio obæratis conceſſerit bonorum ceſſionem, quam ſi facerent, addici non poſſent, nec in carcerem mitti, nec aliud ſupplicii quidquam in corpore ſufferre, cur poſt legem Juliam tot addictorum ſit toties mentio apud Romanos ſcriptores? Ecce enim apud Agellium lib. xx. cap. 1. Cæcilius Juriſconſultus ait, *addici tunc & vinciri ſolitos multos.* Etiam *Addictorum* apud Quintilianum in Inſtitutionibus lib. v. & lib. vii. mentio fit, & locos inferius adducemus. Cæterum cum lex Julia, ut dixi, carcerem publicum debitoribus ademerit, jam ante privatum carcerē ex lege Pœtilii timere non poterant. Etenim ſi ceſſione bonorum evitabant carceris publici pœnam legis Juliæ munere, aliam legem fuiſſe oportuit quæ privato carcere eos liberaverit, id eſt, ne addicti fierent, caverit. In promptu eſſet ſolutio, addictos illos omnes qui apud auctores ante et poſt legem Juliam reperiuntur, non de civibus ſed de ſociis aut peregrinis qui inter Romanos negotiarentur & viverent, eſſe intelligendos. Certum quippe eſt legem Pœtelii, quæ vetuit necti obæratos, ad ſolos cives pertinuiſſe. Ergo alii omnes nectebantur. In omnibus ergo provinciis imperii Romani quicunque jus civitatis non haberent, more antiquo necti ſolebant. Et cum in Græcia Aſiaque tota exceptis Athenis hic mos nectendi addicendique debitores ab antiquo vigeret, etiam ſervatus eſt poſtquam provinciæ imperii Romani factæ ſunt. Nam & præſides qui in his jus dicebant, jubebant addici qui nō eſſent ſolvendo. Beneficium quippe de non nectendo ſolis Romanis civibus ex rogatione Pœtilii fuiſſe præſtitum conſtat. Hoc firmare poſſim mille auctorum teſtimoniis, ſi ſit opus. Vnicum ſufficiet ex vita Luculli, qui cum in provinciam ex conſulatu regendam veniſſet, miſerrimum Aſiæ urbium ſtatum deprehendit, fœneratorum ſævitia, & publica-

norum diritate. Præter liberorum ſuorum venditionem, quos exponere vænum cogebantur debitores inopes ad pecuniam conficiendam, ipſi etiam poſtremo, ſi ne tum quidem ſolvere poſſent, in ſervitutem ſeſe dedebant. Αὐτοῖς δὲ, inquit, *τέλος ἦν προθέτοις γινομένοις δουλεύειν. Ipſos ultimo hic exitus manebat, ut addicti ſervirent.* Sic itaque facillime defungi poſſemus hujus nodi ſolutione, ſi addictos quotquot in auctorum ſcriptis occurrunt poſt legem Juliam, ad eos qui cives non eſſent, placeret referri. Nihil enim verius quam favorē legis, qua nexus ſublatus eſt, ad ſolos pertinuiſſe cives. Idq; adeo certæ definitionis eſt, ut ne legis quidem Juliȩ beneficium alios homines, quam qui civium jure uterentur, ſpectarit. Quod probari poteſt ex lege Diocletiani in Codicem Juſtiniani relata ſub titulum, qui bonis cedere poſſunt. *Legis*, inquit, *Iuliæ de bonis cedendis beneficium conſtitutionibus divorum noſtrorum principum ad provincias porrectum eſſe, ut ceſſio bonorum admittatur, notum eſt.* Quod dicit ad provincias hoc beneficium porrectum eſſe anteriorum principum conſtitutionibus, id intelligendum poſtquam provinciis jus civitatis datum eſt. Tum enim duplici munere ſimul frui cœperunt provinciales, ut ne addicerentur, id eſt, ne privatum carcerem paterentur ex lege Pœtelii, & ne publico carceri obnoxii eſſent, ex lege Julia. Sed cum nimium videretur, ſimul, poſt jus civitatis conceſſum, utriuſque boni eſſe compotes, de primo, an illud haberent, non eſt dubitatum. De ſecundo, ut etiam ejus compotes eſſent, conſtitutionibus imperatorum expreſſe cautum eſt. Hoc eſt, quod ait lex illa Diocletiani, *ceſſionis beneficium quod ex lege Iulia deſcendebant, principum reſcriptis etiam ad provincias eſſe porrectum.* Nimirum poſt civitatem Romanam provinciis datam. Quo tempore non ambigam fœneratores extitiſſe, qui contenderint jus illud civitatis provinciis

indultum eo uſque tantum debere extendi, ut carcer privatus provincialibus prohiberetur, non etiam publicus. At imperatores etiam ad publicum conſtitutionibus porrexerunt. Sed quando illud jus datum eſt provincialibus ut cives eſſent? Inde enim facile poterit colligi an verum ſit quod diximus, poſtquam in imperio Romano cives omnes facti ſunt, deſiiſſe necti & addici. Vlpianus leg. XVII. D. de ſtatu hominum, ſub Antonino, & ab ipſo id factum docet: *In orbe Romano qui ſunt ex conſtitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti ſunt.* Illum Antoninũ quidam de Pio accipiunt, alii de Marco. Sunt ex numero Patrum, ut Chryſoſtomus, qui Hadriano hoc vindicent. Excerpta Dionis ex libro Conſtantini, Περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, Antonino Caracallæ Severi filio id tribuunt, ubi & rationem addit Dio cur hoc fecerit. In ſpeciem quidem quaſi honorem eo pacto peregrinis haberet, ſed revera ut plus ex vectigalibus colligeret, quia peregrini quædam non conferrent, quæ à civibus exigerentur. Οὗ ἕνεκα καὶ Ῥωμαίους πάντας τοῖς ἐν ἀρχῇ αὐτοῦ, λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ, καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσίῃ. διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ἀπέδειξεν. Omnes qui in imperio ejus eſſent, Ῥωμαίους ἀπέδειξεν, id eſt, *cives Romanos fecit.* Quænam illa ſint vectigalia à civibus ſolis pendenda, quibus peregrini non eſſent obnoxii, ex his quæ ante dixit colligi poteſt. Præcedit quippe in iiſdem excerptis eum imperatorem omnia vectigalia immaniter auxiſſe, & quæ viceſima erat hæreditatum ac libertatum, eam decimam feciſſe. Τῶν τε τελῶν, inquit, τῶν δὲ ἄλλων ἃ καινὰ προσαπέδειξε, καὶ τοῦ τῆς δεκάτης ἣν ἀντὶ τῆς εἰκοστῆς ὑπέρ τε τῶν ἀπελευθερουμένων, καὶ τῶν καταλειπομένων τισὶ κλήρων, καὶ δωρεῶν ἐποίησε, πάσας τάς τε διαδοχὰς, καὶ τὰς ἀτελείας τὰς διδομένας τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων καταλύσας. Male vertunt; *vectigal decima quam pro viceſima conſtituit tam eorũ qui manumitterentur, quam hæreditatum ac legatorum.* Δωρεαὶ

non

on ſunt legata, ſed donationes. Et forſitan viceſimam
æreditatum non dependebant legatarii, ſed hære-
es à quibus legata relicta, ut hinc colligere poſſet ali-
uid. Nam abſurdum eſt donationes tam mortis cau-
quam inter vivos viceſimæ immunes fuiſſe quibus
æreditates erant obnoxiæ. Scio quidem donationes
nortis cauſa, legatis comparari apud Juriſconſultos,
legatis exæquatas per Juſtinianum, ſed nihil hæc
d rem. Nec hoc facere poteſt, ut δωρεαὶ pro legatis
itelligantur. Sed pone, quod verius eſt, etiam lega-
rios ſolviſſe viceſimam pro legatorum modo quæ
ſis relicta, non eſt dubium quin comprehendantur
gata ſub his verbis, καταλειπομένων περὶ κλήρων. Vnde
in Gloſſis veteribus, καταλειπόμενα, *legata*. Græci
on habent nomen quo ea exprimant. Vnde & λήγα-
voce Romana dixerunt. At Δωρεὰν pro legato nuſ-
iam legere eſt. Quæ ſequuntur apud Dionem etiam
rrupta videntur: πάσας τάς τε διαδοχὰς καὶ τὰς ἐπὶ τα-
ις, ἀτελείας τὰς δεδομένας τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευ-
ώντων. Falſum enim eſt, ſucceſſiones omnes ſuſtuliſſe
ntoninum, ut verbis illis adſtruitur. Sic tam ex teſta-
entis, quam ab inteſtato ſucceſſiones ſuſtuliſſet. Sed
c verum eſt quod vir doctiſſimus in ſua verſione ex-
eſſit, *omnes immunitates quæ proximis defunctorum
genere conjunctiſſimis conceſſa legibus erant*, abole-
ſſe. Nam ex Ulpiano liquet in Collatione legis Mo-
cę, certis perſonis immunitatem viceſimæ relictam,
am ſolā in hæreditatibus quæ ab inteſtato, voluit ad-
itti. Præterea conſtructio illa verborum, Græca non
, Πάσας τάς τε διαδοχάς. Scripſiſſet enim potius au-
or Græcus, Πάσας τε τὰς διαδοχὰς, vel τάς τε διαδο-
ς πάσας. Locum illum ita ab ipſo Conſtantino, qui
cerpta illa collegit, interpolatum fuiſſe prorſus ar-
ror. Nam liber quem vidi ac deſcripſi, ætate Con-
ntini ſcriptus eſt. Immo ille eſt, quem ipſe deſcri-
ndum curavit. In eo legitur, ὑπέρ τε τῶν ἀπελευθε-

 ρουμένων

ρυμένων καὶ ὑπὲρ τῶν καταλειπομένων τισὶ κλήρων, καὶ δωρεὰς ἐποίησε πάσας τάς τε διαδοχάς. Omnino ſcribendum unius literæ mutatione, & mutata diſtinctione: καὶ δωρεᾶς ἐποίησε πάσης. Τάς τε διαδοχάς, καὶ τὰς ἀτελείας, τὰς ἐπὶ ταύταις διδομένας τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων καταλύσας. *Et decimā vectigal, quam pro viceſima conſtituit, cum eorum qui manumittebantur, tum quæ aliquibus relinquerentur hæreditatum, & omnis donationis. Succeſſionibus præterea ab inteſtato ſublatis, & immunitatibus quæ genere propinquis defunctorum ab inteſtato ſuccedentibus, competebant.* Πᾶσαν δωρεὰν vocat omnem donationem, tam mortis cauſa quam inter vivos appellatam. Διαδοχὰς abſolute vocat ſucceſſiones ab inteſtato, & diſtinguit ἀπὸ τῶν καταλειπομένων κλήρων, ab his hæreditatibus quæ teſtamento relinquebantur. Auguſtus cum inſtitueret vectigal viceſimæ hæreditatum & donationum, agnatos cognatoſque ab ea immunes eſſe voluit, & omnes qui proxima cognatione juncti eſſent. Verba Dionis: εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων, καὶ τῶν δωρεῶν ἃς ἂν οἱ τελευτῶντες τισὶ πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ πενήτων καταλείπωσιν, κατεστήσατο. Qui ſunt quos hic πάνυ συγγενεῖς appellat, & in excerptis, πάνυ προσήκοντας? Intra certam ac determinatam ipſa lege proximitatem conſtitiſſe eos oportet. Puto agnatos eo nomine intellectos ad quos lege duodecim Tabularum hæreditas ab inteſtato pertineret. Inteſtatis ſuccedebant, primo ſui hæredes: his deficientibus agnati, id eſt, conſanguinei eodem nimirum patre nati, ſed & fratres patrueles, quos & *conſobrinos* quidam vocarunt. Hi ſunt omnino quos πάνυ συγγενεῖς Dio appellat. Ad eos ſolos immunitatem viceſimæ hæreditatem porrexerat Auguſtus. Poſt agnatos, ſi deeſſent, ad gentiles etiam ſucceſſionem ab inteſtato devolvebat lex duodecim Tabularum. Quod tamen jus gentilitium ab inteſtato poſtea abolitū eſt, & jam in deſuetudinem abierat ævo Juriſconſultorum, ut ex Ulpiano liquet

liquet in Collatione legum Moſaicarum Tit. XVI. Sed non ad illos, quamvis etiam tum forte ſuccedendi jus ab inteſtato haberent in defectu agnatorum, vel cognatorum, extendit immunitatem viceſimę Auguſtus, quam ſolis agnatis tribuit, id eſt, ut vocat Dio, τοῖς πάνυ συγγενέσι. Antoninus autem Caracalla, præterquam quod pro viceſima decimam indixit, etiam immunitatem datam ab Auguſto ſucceſſionibus ab inteſtato reſtrinxit. Cum enim ad agnatos eam Auguſtus extendiſſet, Antoninus ultra ſuos hæredes neque ſucceſſionem ab inteſtato admiſit, neque ultra illum gradum immunitatem viceſimæ conceſſit. Idque liquido colligi poteſt ex iis, quæ habet Ulpianus in Collatione legum Moſaicarum, Titulo quo ſupra: *Sed imperator noſter*, inquit, *in hæreditatibus quæ ab inteſtato deferuntur, eas perſonas ſolas voluit admitti, quibus decimæ immunitatem ipſe præbuit.* Ante Antoninum agnati admittebantur ad hæreditates ex inteſtato cernendas, qui & ſoli immunes erant viceſimæ hæreditatum. Ille, ut pauciores eſſent qui gauderent illa immunitate, ſucceſſiones ab inteſtato intra ſuos hæredes coërcuit, quos ſolos immunes eſſe voluit à viceſima ſolvenda. Sic enim intelligenda Ulpiani verba, qui rem attentius & penſius conſideraverit, facile animadvertet. Cum duo itaque illa eſſent ampliſſima in Imperio vectigalia *Viceſima libertatum*, & *Viceſima hæreditatum*, cum ex viceſima decimam fecit Antoninus, altero tanto modum vectigalem auxit. Deinde cum ea gratia omnes, qui erant in imperio, civitate donavit, quia cives ſoli eas penſiones agnoſcerent, infinitum, & immane, quantum ſupraſcriptorum vectigalium reditus amplificaverit. Hanc fuiſſe rationem Antonino, cur civitatem provincialibus omnibus dederit, Dio ſcribit. Quare & fidem illi potius habendam cenſeo, de hoc Antonino qui cives Romanos fecerit omnes imperii Romani ſubjectos, quam aliis auctoribus qui

vel Adriano tribuunt, vel Antonino Pio, vel Marco Antonino. Peregrinos vectigal viceſimæ hæreditatum &libertatum non ſolviſſe, & ex aliis conſtat, & ex hoc ipſo Dionis loco, ubi dicit ob hoc ipſum civitatis jus impertiſſe omnibus in Imperio conſtitutis. Οὗ ἕνεκα καὶ Ῥωμαίους πάντας τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ, λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ, καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσῇ. διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ἀπέδειξεν. Vide quæ ad illa vir doctiſſimus obſervavit. Poſt illum igitur Antoninum, non temere reperies apud auctores ullam addictorum mentionem fieri. Quæ autem fit in ſcriptis auctorum illo ævo antiquiorum, ad ſolos peregrinos pertinere diximus. Nam cives Romani non amplius ob æs alienum addicebantur, aut admodum raro, nec alii fere quam qui nimia improbitate, & fidei potius quam facultatum naufragio id ſupplicii juſtiſſime mereri Prætori viderentur. Carceris etiam publici lege Julia Romanis primo gratia facta eſt, non peregrinis, deinde & peregrinis per jus civitatis quod ab Antonino adepti ſunt. Sed huic obſervationi videtur adverſari quod etiam apud Columellam legimus, *civium nexum*, lib. I. cap. III. ubi dicit agros potentium, *nexu civium ergaſtulis occupatos teneri*. Vnde enim illi cives nexi poſt legem Juliam quæ publicum carcerem à civibus prohibuerat qui ceſſiſſent bonis, nedum privatum judicatis, & addictis remiſiſſet? Aut de illis igitur id accipiendum civibus quos dixi, qui ſuo vitio decoxerant, & quibus prætores hanc graviorem pro merito, & antiquam pœnam ſæpe irrogabant, aut certe de eo genere, qui ſe ſponte addicebant intelligendi. Scio quidem legem quæ vetaret δανείζειν ἐπὶ σώμασι, id eſt, *corporibus nexis, & obligatis pecuniam dare mutuam*, utrumque genus comprehendiſſe, tam voluntarium nimirum nexum quo quis ſe ob debitum quaſi venderet, atque in ſervitutem daret creditori, quam eum qui ex ſententia judicis addictos

dictos ſequebatur, ſatis latus tamen inter utrumque fuiſſe diſcriminis limes videtur apud Romanos. Idem enim & in nexu corporum uſu fere venit, quod in rerum ipſarum pignori vel hypothecæ obligatione. Poterat quilibet ſine judicis auctoritate, proprio conſenſu rem ſuam dare pignori pro arbitratu creditoris diſtrahendam, ſi non die dicta ſolveret. At ſi quis de pignore obligando nihil promiſiſſet, in Græcia mos erat, ut captis per vim pignoribus coërcerentur, & ad ſolvendum cogerentur. Apud Romanos aliud jus fuit. Nam qui id ſine judicis auctoritate ac juſſu facere aggreſſus eſſet, pœnam legis Juliæ de vi privata incurrebat. Paulus lib. v. ſententiarum: *Creditor chirographarius, ſi ſine juſſu præſidis, per vim debitoris ſui pignora, cum non habuerit obligata, ceperit, in legem Juliam de vi privata committit. Fiduciam vero & pignora apud ſe depoſita perſequi, & ſine auctoritate judicis vindicare non prohibetur.* Semper licitum fuit cuicunque id libitum, de pignore dando paciſci. Capere ab invito non aliter quam ſi judex cauſa cognita id permitteret. Poſtremo tandem omnis pignoris captio prohibita. Idem eſt & de perſonarum nexu ſive oppignoratione. Quam prætor in judicatis & addictis ſtatuebat, cum lege ſublata fuiſſet, voluntaria in uſu diu manſit. Et ſane vix aliter potuit jure quo Romani utebantur. Cum enim homini libero ac civi Romano liceret ſe vendere ad pretium participandum, quidni & ſervitutem poſſet pro pecunia mutua paciſci? Et hoc certe libertatis, ut qui liber eſt, ſi velit, eſſe nolit. Ergo & homo liber civiſque impune poſſit operas ſuas in ſervitute pro pecunia creditori dare donec ſolviſſet. At dixerit quis, pone id licuiſſe libero, ut ſervum ſe faceret ob æs alienum donec eſſet diſſolutum, at non permiſſum cuiquam eo nomine accipere aliquem in ſervitutem, aut pati apud ſe ſervire. Ego contra dicam, fruſtra illud licitum videri

niſi

niſi hoc in conceſſis. An,cum homini libero data eſt, licentia ſeſe vendendi ad pretium participandum,negata eſt facultas alteri iſtum ipſum qui ſe mancipare vellet,emendi? Paſſim videmus apud Romanos in promiſcua hoc fuiſſe permiſſione ac licentia. Quid enim eſt libertas, *niſi naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, faciendi niſi ſi quid vi aut jure prohibeatur*, ut eſt in Inſtitutis de jure perſonarum? Atqui jus non hoc prohibuit quominus cui id liberet, libertatem ſuam alii vendere aut addicere liceret quacunq; de cauſa. Immo hoc permiſit jus civile Romanorum,& hoc dominii genus admiſit in homines liberos qui ſe ſua voluntate ſervos aliis facerent, dominoſque quodammodo ſibi emerent. Marcianus in Inſtitutis leg. v. D. de ſtatu hominum: *Servi autem in dominium noſtrum rediguntur, aut jure civili, aut gentium. Iure civili,ſi quis ſe major annis ad pretium participandum vaniri paſſus eſt.* Vbi notat celeberrimus J. C. mirari ſe, cur veteres reſtitutionem in integrum non indulſerint hujuſmodi venditoribus,ſaltem minoribus. Atqui nullus ego dubito, quin minores viginti quinque annis vendentes ſe, reſtitutionem in integrum impetraverint, vel argumento hujus legis Marciani, quæ diſertim habet, ſi major annis ſe væniri paſſus ſit, talem ſervum dominio noſtro legitime acquiri. Ergo ſi minor annis ſe vendiderit, non legitimum jure civili dominium in eum ſervũ habebit emptor. Quod enim ſub titulum de minoribus nihil de ea reſtitutione extat, Triboniani id factum culpa arbitror. Quin magis miror hanc legẽ de majore annis ſe vendente, in titulum de Statu hominum ab eo receptum. Nam cum pignorationes hominum prohibuerit Juſtinianus, non puto ei placuiſſe hujuſmodi venditiones quæ non erant magnopere diverſæ à corporum oppignerationibus, ut paulo poſt dicam. Leo tamen Conſt. LIX. eas ipſas venditiones ſuſtulit. Vt pro-

proinde videantur ab Juſtiniani ævo ad illud ſæculum
n uſu illæ ac more fuiſſe. Non enim opus fuiſſet nova
lege ad eas abolendas. Multa tamen ſūnt quæ ſæpius
prohibita, in tantū convaleſcunt uſu, ut legibus ſubin-
de renovatis debeant coërceri. Ut ut ſit, Leo ea Novel-
a vetuit ne quiſquam civis ac liber ſe ad pretium parti-
cipandum venundaret, Φαυλότητι τῆς γνώμης τὸ τίμιον τῆς
λευθερίας ὑβρίζων, καὶ τὴν οἰκείαν ἐμπορευόμενος δου-
λείαν ἐπὶ τὸ μιαρὸν κέρδος ἀντὶ τῆς δουλείας τοῦ καταβιβλη-
θέντος τιμήματος συμμερίζεσθαι: *pravitate mentis di-
gnitatem libertatis dedecorans, & propria ſervitutis
nundinator, ad improbum lucrum pro ſervitio perſo-
luti pretii participandum.* Ad eam legem quæri poſſe
obſervant juris viri peritiſſimi, quomodo ea venditio
hominis liberi ab ipſo voluntate ſua facta proceſſerit,
ut cui pretium ex ſic vendito ceſſerit. Non enim, in-
quiunt, venditori, utpote qui ſtatim à venditione ſer-
vus efficeretur, nihilque proprium ac ſuum exinde
poſſidere poſſet. An emptori? Ne id quidem videri.
Eadem quippe manu qua pretium daret, etiam reci-
peret, nulloque momento in poteſtate venditoris fo-
ret. Sed nec extraneo veriſimile eſſe adquiri. Quis
enim tam facilis ac benignus in aliquem fingi queat,
ut alterius locupletandi aut ei commodandi cauſa, ſe-
ſe vendere vellet. Tandem concludunt, liberos & in-
genuos homines, eo aliquando miſeriæ fuiſſe reda-
ctos, ut ſibi magis expedire crederent, herum nanciſci
a quo alerentur vel in ſervitute, quam in perpetua
mendicitate vivere. Quaſi vero cauſa non poſſit pro-
babilis excogitari alia, quæ homines poſſet invitare
atque incitare ad ſemetipſos vendendum. Quid ſi quis
fratrem haberet apud hoſtes captivum, cujus redimen-
di gratia nummos extundere alicunde vellet, nec
poſſet aliter quam ſe vendendo? Scimus olim mul-
tos propter id ſe vendidiſſe. Inde enim frequens
thema declamatoribus. Extat & apud Quintilianum
exem-

exemplum illius, *qui ſe ad patrem ſepeliendum auctoraverat*, id eſt, ad gladiatoris operas vendiderat. In his omnibus caſibus, & aliis ſimilibus quales fingi poſſunt multi, & quorum exempla extitiſſe multa non eſt dubium, qui ſe vendidit, pretium plane participat. At in illo, quem poſuit celeberrimus doctor, pretium ſui venditori non cedit. Ad hoc enim ſe vendit, ut alatur. Niſi quis velit & hanc ipſam alimoniam pretii vicem fuiſſe. Atqui & illi qui ſe ob alias cauſas venderent vel vænire paterentur, ut pretium participarent, à dominis utique alebantur. Sed non vult vir doctiſſimus, in hujuſmodi venditionibus pretium venditori acquiri neque emptori, propter eas quas attulit cauſas. Quid igitur fiet Juriſconſultis veteribus, qui meminerunt ejuſmodi venditionis quæ ſui fit ab homine libero ad pretium participandum? Si pretium non participat venditor, nulla erit venditio. Ad hoc enim contrahitur, & ſub hac conditione. Ergo venditori acquiritur. Hoc pretium ſuæ libertati ponit, hac lege ſe addicit ementi illam ut habeat pecuniam, qua libertatem ſuam æſtimavit & vendidit, atque ut ejus commodum ipſe ſentiat, ſive eo patrem aut aliquem ſuorum redimere velit, ſive ipſe penes ſe malit retinere. Qui patrem ea pecunia redemit qua ſemet ipſum vendidit, nonne pretium participat? Si poteſt ad aliquid tale eam pecuniam impendere quam ab emente accepit in pretium ſuæ libertatis, poterit ſane & ſuam facere, ſi penes ſe retineat. At ſervus factus nihil proprium aut ſuum habere poteſt. Immo & ære empti ex hoſtibus voluntate dominorum, peculium habere poterant, opera ſua aut quacunque alia ratione quæſitum. Multo magis licuerit homini libero qui ſe venderet ad pretium participandum, hoc pretium in peculio habere ac poſſidere, etiam contra emptoris voluntatem. Hac enim lege & conditione ſe vendidit, ut proprium id poſſet habere. Fac nolle

hoc

hoc illi concedere emptorem ac dominum, ut pretium quod illi pro ſua libertate dedit, ſervet & proprium habeat & peculii loco, libertatem ſic recipiet ſuam, quam cum ſervitute hoc pretio commutavit. *Si* pretium non ſit vendentis, nec venditor fiet ementis. Nec erit ſervus emptoris niſi pecunia propter quam ſe ſervum fecit, peculiaris, ac propria cedat venditori. Si qui fuere olim qui ſe cum eo propoſito venderent ut alerentur ab domino quia mendici eſſe non ſuſtinerent, puto & illos pretium ſui in peculium tenuiſſe. Nam pro alitudine, ut loquitur Varro, operas ſuas domino dabant. Alias quis mendicum invalidum & inertem emere & alere voluiſſet? Quicunque certe vendendi ſe animum haberet aut neceſſitatem, niſi aliquid promittere poſſet quod emptori ac domino futuro utile ac quæſtuoſum ex arte ſua aut operis eſſet, fruſtra emptorem quæſiviſſet. Ridiculum igitur illud quod ajunt de his qui redacti eſſent ad herum quærendum à quo alerentur, ne in perpetua mendicitate viverent. Si quis enim eſſet qui nullam artem teneret, aut nullas de ſe operas polliceri poſſet quibus emptorem alliceret, fruſtra ſe venditaſſet. Sin autem foret qui vitam aliqua arte quam noſſet, aut operis ſuas præſtaret, tueri quiret, an non veriſimile eſt hunc potius libentiuſque artificio ſuo liberum fuiſſe victurum, aut operas liberas locaturum, quam eas in ſervitute domino daturum? Iners & ignavus emptorem non reperiſſet. Artifex, & operarius aliquis artificium aut operas locare mallet, quam ſe ad utrumvis vendere. Sed incidebant plerumque hi caſus & περιστάσεις, quæ vel artificem optimum, vel validiſſimum operarium cogerent ſeſe alicui vendere ad ſummã pecuniæ conficiendam talem, quam ex artis quæſtu aut operis diurnis nequirent conradere. Aut parens aut natus qui ab hoſtibus detineretur, ſi eſſet magna pecunia redimendus, ad λύτρον ejus conquirendum, bonus pater,

aut

aut bonus filius, non dubitabat ſemet ipſum alicui creditori addicere, à quo mutuam illam acciperet ſummam. Quis enim non mallet apud civem ad tempus ſervire, quam patrem aut natum in perpetua ſervitute apud hoſtem relinquere? Nam ſpes erat apud civem ſervienti, aliquando pecunia domino ſoluta libertatem recuperandi. Sic conſtat multos fuiſſe factos ſervos, ſed non alios quam qui aliquam artem emptori ſuo ac creditori poſſent approbare, aut operas aliquas promittere. Qui nihil horum præſtare valeret, propter quod ſe fœnoratori utilem futurum aut quæſtuoſum oſtenderet, ſine ſpe venditionem ſui aut oppignerationem obtuliſſet. Si quis pignus nullius pretii, aut fiduciam rei immobilis infructuoſæ creditori obtruderet, extruderetur foras potius quam pecuniam ſub tali pignore, vel ſub tali hypotheca à quoquam extunderet. Conſtat & quoſdam qui aliud polliceri non poſſent, & hoc uno valerent, ludo ſe ad gladium vænum dediſſe, hoc eſt, ut gladiatores eſſent. *Auctorati* dicebantur. Optimæ Philoxeni Gloſſæ: *Auctoratus*, αὐθαίρετος εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονόμαχος. Videtur hoc nomine omnes qui ſeſe in ſervitutem alicui addicerent appellatos intellexiſſe, non ſolos gladiatores. Quod verum puto. De his qui ad ludum ſe venderent Propertius:

Hic dabit immundæ vænalia fata ſaginæ.

Item Manilius:

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.

Quidam, inquam, recta ſe ludo vendebant, aut alicui laniſtæ in cujus familiam cooptabantur, ac ſervi ejus hoc pacto fiebant. Nonnulli muneris gladiatorii alicui editori operas tantum ſuas locabant, ut in eo munere producerentur, & pugnarent. Sic ad beſtias multi ſe locarunt olim, ut cum his depugnarent. De quibus Ulpianus libris de officio proconſulis, in Collatione legum Moſaicarum: *Quive depugnandi cauſa*

aucto-

auctoratus erit, quive beſtias depugnare locavit, locaverit. Per depugnandi cauſa auctoratúm intelligit, qui ad gladium ſe vendidit, id eſt, auctoravit. Alii creditori ſe vendebant, qui cum armorum ſcientiam noſſent, operas ut in ludo præſtarent gladiatorias, ab ipſo creditore ac domino locabantur. Ut enim dominus ſervi ære empti diurnas operas, qualeſcunque, & quibus aptus eſſet, poterat locare, ita & creditor addicti. De tali gladiatore mentio eſt in Quintiliani declamatione CCCII, cui titulus, *Auctoratus ad ſepeliendum patrem.* Is creditori ad pecuniam patri ſepeliendo habendam ſe vendiderat, & qui ejus operas munerario alicui locaverat. Die muneris productus ſpectante populo pugnaverat & rudem acceperat. Poſtea nactus patrimonium ſtatutum per leges equitibus, in Equeſtribus ſedere prohibetur. Non negat ſe fuiſſe gladiatorem, ſed ſub honeſta cauſa, qua ſe auctoraverat creditori ob ſepeliendum patrem. *Quæro*, inquit, *an ſi creditor poſt datam pecuniam operas remiſiſſet, diceres eum gladiatorem fuiſſe?* Operas nempe gladiatorias. Inde *auctoramentum* merces, aut pretium auctorati, quod ille in rem ſuam & peculium poterat convertere, vel domino invito, quandoquidem eo quoque invito, poterat libertatem conſequi, ſoluta pecunia pretii, quo ſe vendiderat. Poſtea *auctoramentum* de qualibet mercede ex eo uſurpatum. Sed unde verbum *auctorandi* eo ſenſu? Doctiſſimus Pythœus putat, ut ne viderentur privato jure contra fas arma tractare, ſacramento quodam, & religione in eam rem fuiſſe auctoratos. Sed certus ſum non inde eſſe originem verbi petendam. Cum enim *auctoratum* vetuſtiſſimæ Gloſſæ interpretentur de quolibet, qui in ſervitutem det ſua ſponte, αὐθαίρετος ἑαυτὸν εἰς δοῦλον βάλλοντα, nulla hic ſacramenti, aut religionis notio, ſed venditionis potius. Ergo *auctorare* eſt vendere & addicere. Inde eſt, quod nemo olim potuit li-

bertatem amittere, niſi ipſe auctor eſſet factus. Hinc qui auctores ipſi fiunt, ut emantur, quo libertatem amittere poſſint, *auctorare ſe* dicuntur. De quo videndus Cicero in ea pro domo ſua ad pontifices. Quid multa? Cujuſlibet rei venditor, olim *auctor* dictus. Unde *auctio.* Sed & *ſecundus auctor*, qui pro venditore ſponderet quaſi ſecundus venditor, cum is qui ſuam rem venderet, primus eſſet. Acro notat *auctorationem, eſſe venditionem gladiatorum.* Sed omnis venditio ſui à volente facta, vel etiam ab alio, *auctoratio.* Servius alicubi dicit, ſolem patrem poteſtatem habuiſſe filiæ auctorandæ. Sed & qui ſe ab alio venumdari patitur ei auctor eſt, ut ſe vendat, atque ita ſe illi auctorat. Qui apud Iuriſconſultum ſe vænire patiuntur ad pretium participandum, alii ſunt ab his, qui ipſi ſe vendunt. Tribonianus de eo qui ſe vænire paſſus eſt ad pretium participandum, hoc thema fingit: Egi cum aliquo, ut me viginti aureis venderet, & quinos ſibi pro lucro ſervaret, reliquos quindenos mihi redderet. Hoc igitur eſt, quod dicitur *ad pretium participandum.* Atqui Leo in Novella ſupraſcripta, id etiam uſurpat de illis qui ſemetipſos nullius interpoſita opera vendunt. Hi & lucrum participant, dum totum ad eos ex venditione compendium redit. Deinde qui poteſt cum aliquo paciſci, ut ab eo vendatur alteri, poteſt & ipſe ſemetipſum vendere. Atque hæc venditio etiam *auctoratio* dicitur, ſive fiat interpoſita perſona, ſive per ſe. Utroque enim modo auctor eſt venditionis, qui ſe vendit, aut vendi patitur, atque ita ſe auctorat. Ad militiam etiam hoc traductum. Nam milites per ſacramentum, quod dicebant more Romano, quaſi militiæ mancipati & addicti erant, ut ab ea diſcedendi licentiam non haberent, niſi miſſione, aut poſt ſtipendia completa. Miſſione igitur *exauctorabantur*, id eſt, liberabantur. Ἱεροδούλους & templorum miniſtros quibus non licebat ab eo miniſterio recedere,

ſed quaſi addicti huic officio erant ac ſervi, *auctoratos* vocat eleganter Manilius:

Atque auctoratos in tertia jura miniſtros.

Cicero in primo de officiis mercedem in mercenariis dicit eſſe *auctoramentum ſervitutis*, quia auctoramentum pretium eſt ejus, qui ſe vendidit, id eſt, auctorati. Et mercenarii pæne auctorati iis quibus ſerviliter ſuas operas locant. Cum igitur jure Romano liceret cuilibet libero libertatem ſuam vendere, ac ſe in ſervitutem cui vellet tradere, atque addicere, vix potuit prohiberi ne quis ob pecuniam mutuam ſemetipſum pigneraret, hoc eſt, auctoraret ac venderet. Quid enim aliud pigneratio perſonæ, quam venditio? In rebus quidem quæ pignori dabantur, hoc eſt, quæ in nexum creditori tradebantur, ſi pignus eſſet rei immobilis, antichreſticum tamdiu ejus uſum habebat creditor, & in poteſtate ejus manebat donec ſoluta eſſet pecunia. Quod idem & in pignore rei mobilis fiebat. Non tamen hæc proprie erat venditio. Non licebat è contra pignus creditori vendere, cum liceret ejuſmodi venditionem ſub conditione contrahi, ut ſi intra certum tempus pignus non eſſet liberatum, proprium creditoris fieret, & jure emptoris id poſſideret. Contracto autem vero pignore, ſi non id [l]ueret ad diem debitor, vel ex pactione diſtrahebatur, poſt trinam denuntiationem, vel ex auctoritate [j]udicis, & addicebatur etiam aliquando creditori jure [p]leno poſſidendum, ſi dominium ejus ab imperatore [i]mpetraſſet. At cum quis ſe ipſum pignori daret, [q]uaſi vendebat ſe, & ſervus ejus fiebat, cui ſemet ad[d]ixerat non in perpetuum dominium, ſed donec ſo[l]uto debito ſe redemiſſet. Si nunquam id faceret, ſem[p]er manebat ſervus, aut ſi quis ita loqui mallet, in ſer[v]itute manebat. Ex illis itaque ſervis erat quibus ven[d]itis non dabatur in ſervitutem proclamatio, ut habe[tu]r leg. XXIII D. de liberati cauſa. Ex qua etiam li-

quido conſtat nomen venditionis quoq; ad eos qui ſe pignori darent, aut dari paterentur fuiſſe porrectum. Nec puto negationem verbis legis addendam, ut cenſuit Cujacius. Sic enim recte ſe habent: *In ſumma ſciendum eſt, quæ de venditis ſervis quibus denegatur ad libertatem proclamatio, dicta ſunt, etiam ad donatos & in dotem datos referri poſſe: item ad eos qui pignori ſe dari paſſi ſunt.* Ergo ut in eadem conditione erat, qui ſe pignori dari patiebatur, & qui ſe pignori dabat, ita & qui ſe vænire paſſus fuerat, non diverſæ conditionis intelligebatur ab eo qui ſemetipſum vendiderat. Pigneratio autem ſui ac nexus, non diſſimilis venditioni. An nulla ergo differentia inter eum qui ſe pignorabat, id eſt, qui ſuas operas in ſervitute dabat, donec pecuniam quam debebat, ſolviſſet; & eum qui ſe ad pretium participandum vendebat? Qui ſic operas ſuas in ſervitute præſtabat, ſervum ſe plane efficiebat, & pro pretio pecuniæ, quam mutuam accepiſſet, omnino ſe vendebat. Pretium autem participabat, quia eam pecuniam, quam à creditore ſumebat, ſuam faciebat, ut in omni mutuo jus eſt, ſive illam in rem aliquam impenderet, aut alicui expenſam ferret, ſive etiam ſervaret ſibi in peculium. Quod poterat facere, vel invito domino, id eſt, creditore, quandoquidem eo invito poterat etiam libertatem conſequi pecunia ſoluta. Quod mancipiis ære empticiis non licuit. Qui tamen & poterant ex peculio ſuo perſoluto ſui pretio ad libertatem pervenire, dummodo vellet id recipere dominus, eoſque libertati reſtituere. Nec enim citra domini voluntatem manumittebantur quantumvis haberent pretium paratum, quod domino refunderent. Nam & illud peculium habere ipſis non erat licitum, niſi domini conſenſu. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. IV, de modis quibus ſervi apud veteres Romanos libertatem adipiſcerentur: Ἐτύγχανον δ' ἐλευθερίας οἱ μὲν πλεῖστοι προῖκα διὰ καλοκαγαθίαν,

καταδίαν, καὶ κράτιστος ἀπαλλαγῆς δεσποτῶν τρόπος οὗτος. Ὀλίγοι δέ τινες λύτρα καταθέντες ἐξ ὁσίων καὶ δικαίων ἐργασιῶν συναχθέντα. Qui ad pretium igitur participandum ſe vendiderat, tamdiu ſerviebat donec pretium reddidiſſet. Dubitari tamen poteſt an is qui ſe vendidiſſet, aut vendi paſſus eſſet ſimpliciter ad pretium participandum, tam bona conditione frueretur, ut etiam invito domino, ubi pretium quod acceperat, reddidiſſet, libertatem conſequi poſſet. In his qui ſe pignori dabant, & ſic ſe quodammodo vendebãt, hoc fuit certi juris, ut pecunia ſoluta poſſent ad libertatem contra voluntatem creditoris ſui cui ſerviebant, pervenire. Sed incertum an idem competierit ſemetipſos venundantibus, aut venundari patientibus. Hoc enim modo ſine conditione venditio perficiebatur, adeo ut quamdiu vellet dominus, qui eos emerat, in ſervitute manerent, quod & in aliis ſervis empticiis obtinuit. At is qui ſe pignori dat, tametſi intelligatur ſe vendidiſſe, ſub conditione tamen ſe vendidit, ut donec pecuniam ſolviſſet, creditori ſuo ſervus maneret, ſoluta liber eſſet ut antea. Nam ubi ſolviſſet fas non erat amplius eum in ſervitute retineri. Hæc ergo venditio conditionalis eſt in eo qui ſe pignori dedit: in illo autem qui ſeſe vendidit, aut vendi paſſus eſt ad pretium participandum, ſine conditione. Ideo non poterat liber fieri ſine voluntate domini, qui eum emerat, etiamſi pretium, quod participaverat in venditione ſui, paratus eſſet reddere. Atque hæc erit ponenda differentia inter eum, qui ſe vendebat, & qui ſe pignori dabat, cum & pecunia quam iſte mutuam accipiebat ἐπὶ σώματι ἰδίῳ, non alio nomine veniret, quam pretii & auctoramenti ſervitutis ſuæ. Utrique æque ſerviebant apud creditorem eumdemque dominum. Sed in libertate recuperanda diverſa utriuſque ſors fuit. Qui ſe pignori dabat, eam ſoluta pecunia recipiebat etiam invitò domino. Qui ſe vendi-

derat abſolute ac ſimpliciter, non item. Quod idem etiam fuit in veteribus addictis, quos prætor addicebat. Ubi enim judicati & damnati fuerunt, creditorique ſuo addicti dato ipſis aliquo ex lege temporis ſpatio ad pecuniam conficiendam, cum interim in vinculis, aut compedibus apud creditorem manerent, poſt trinundinum ſi pecuniam non reperirent, pleno jure acquirebantur creditori, qui eos peregre vendere poterat, aut etiam necare ſi vellet, aut quo vellet ſupplicio afficere. Qui ſic venderentur, mera mancipia exiſtebant, nec invito domino unquam libertatem recuperabant. Apud veteres quoque Græcos ἐπ' ἐξαγωγῇ addicebantur ſententia judicis creditori debitores, ut peregre eos venum dare poſſet creditor, mancipia illis futura, qui eos emiſſent. Hoc genus addictorum ſublatum eſt, ut dixi, lege Pœtilii. Nec ex hoc genere videntur fuiſſe illi addicti, quorum mentio apud Quintilianum in Inſtitutionibus, ubi explicat, quo differrent modo vere ſervi ab addictis qui tantum in ſervitute eſſent. Hanc ponit inter reliquas differentias, lib. VII, cap. III: *Servus invito domino libertatem non conſequetur: addictus ſolvendo citra voluntatem domini conſequetur*. Ergo de his addictis hoc accipiendum, qui ſemet ipſos ſua voluntate addixerant, qui & ſolvendo citra voluntatem domini poterant libertatem conſequi, non de illis quos judex addicebat, ut olim fuit moris. Nam cum hos creditor ſuus vendere peregre poſſet, ſi qui eos emiſſent, pleno jure ſervos habebant, non citra voluntatem ſuam manumittendos. Nec puto jus fuiſſe creditori in his qui ſeſe ſponte in ſervitutem ob pecuniam dedidiſſent, ut eos peregre venderent, jure ſaltem Romano, quod tunc obtinuit. Operas ſuas locabant, ſed ſerviles, & ea conditione, ut manerent in ſervitute apud creditorem, quaſi dominum, donec ſolviſſent. *Addicti* etiam dicebantur, ſed non eodem ſenſu,

ſenſu, quo illi qui à prætore addicti. Hi enim prorſus ſervi fiebant, & ſunt quos ἀγωγίμους Græci appellant. Sic pignora, quæ addicta ſunt creditori non ſolvente debitore, in dominium ejus tranſeunt. Sic pretio addicuntur emptori, res venditæ, quæ & proinde ἀγώγιμα Græcis vocantur. At qui operas in ſervitute locant ob debitum addicti, ut clientes, vel etiam ſervi ſed ad tempus, & ſub conditione quaſi remancipationis. Ideo & θῆτες honeſtiore paulo vocabulo dicebantur, & θητεύειν, non δουλεύειν. Diogenes Laërtius in Solone: καὶ γὰρ ἐπὶ σώμασιν ἐδανείζοντο, καὶ πολλοὶ δι' ἀπορίαν ἐθήτευον. Id eſt, *in ſervitute operas dabant.* Hoc etiam per σεισάχθειαν ſuſtulit Solon. Apud Romanos vix potuit, cum ſemper civi & libero licuerit, de ſe quod vellet ſtatuere, uſque eo ut ne liber quidem eſſet, ſi ſeſe venderet ad pretium participandum. Pollux lib. III, cap. VIII: Πελάται δὲ καὶ θῆτες ἐλευθέρων ἐστὶν ὀνόματα, διὰ πενίαν ἐπ' ἀργυρίῳ δουλευόντων. Ex hoc genere ſunt omnes hodie, qui apud nos ſervi vocantur, & ancillæ. Liberæ ſunt perſonæ, quæ mercede ſerviunt. Locant ſe in annum, pacto auctoramento. Finito ſervitii tempore, & pretio quod pepigerunt accepto, abeunt quo volunt. Aut apud alios ſerviunt, aut ſi habent ſatis unde ſui vivant, ſervitutem omnem ejurant. Hi proprie θῆτες Atticis, πελάται reliquis Græcis, πενέσται Theſſalis. Hos μεταξὺ δούλων καὶ ἐλευθέρων fuiſſe Grammatici apud Theſſalos exponunt. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II. Romanorum *clientes* comparat Atticorum θησὶν & Theſſalorum πενέσταις. Liberi homines erant, ſed inopes qui ſe in clientelam divitioribus addicebant. Et quoddam genus clientum fuit in quos tanquam in ſervos jus vitæ, & necis haberent patroni, ut de Gallis narrat Cæſar. Θῆτας Grammatici interpretantur, τοὺς τροφῆς ἕνεκα δουλεύοντας, qui pro alimonia ſervunt. Alii honeſtiores præter alimentum mercedem etiam pro opera accipiunt, ut ſervi noſtri.

Græci θητεύειν paſſim, μισθοῦ δουλεύειν explicant. Et θητείας, μισθώσεις, μισθοδουλείας. Nihil pote melius. Nam θῆτες proprie μισθόδουλοι. Et ſane in mercenariis, ut ait Cicero, ipſa merces auctoramentum ſervitutis. Hoc nomine θῆτες etiam infra βαναύσους Ariſtoteli in Politicis, hoc eſt, eos qui ſellularias artes exercẽt. Alias generali τοῦ θητικοῦ nomine etiam hi comprehenduntur. Nam apud Athenienſes, cum in quattuor claſſes, ac genera univerſus civium ſtatus diſtingueretur, inter θῆτας numerati quicunq; minimum tributum ex cenſu ſolvere non poſſent. Minimus cenſus fuit τῶν ζευγιτῶν, qui decem minas publico conferebant, quique ducentorum medimnum cenſum poſſidebant. Ariſtoteles in Politicis lib. II, cap. ultimo Equites poſt ζευγίτας recenſet. Quo loco nollem doctum paraphraſtem præter mentem ſui auctoris, ordinem alium in paraphraſi quam dedit expreſſiſſe. Hoc non eſt auctorem ſuum explicare, ſed pervertere. Sed de his alibi. His θησὶν ad nullos honores licuit adſpirare. Idem lib. III, cap. III, βαναύσους ita ab illis quos θῆτας appellat diſtinguit, ut illi ex arte & opificio ſuo poſſint aliquando ad ſummas divitias pervenire, cum θῆτες miſeri permaneant, nec uſquam queant emergere, utpote qui operas ſuas tantum locant, quibus abunde ſit ſi ex his in diem vivant, nedum ut ſuperflua acquirant, aut pecunias congerant. Eodem capite tradit olim in Græcia apud multos populos, omnes qui artes ſellularias facerent, fuiſſe ſervos, aut peregrinos. Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις παρ' ἐνίοις ἦν δοῦλον τὸ βάναυσον, ἢ ξενικόν. Moleſte doctus Paraphraſtes ita reddit: *Quamquam ſane annumerari ſervis alibi, aut peregrinis, quos opifices nunc dicimus, antiquo tempore mos fuit.* Quid hoc ſibi vult? *quos opifices nunc dicimus.* An ita Ariſtoteles dixit? Βαναύσους ille. Sed an βάναυσοι tunc non dicebantur, cum ſervis adnumerabantur? Ridiculum. Hoc ille vult in multis civitatibus Græciæ anti-

antiquitus omnes opifices ſervos fuiſſe, aut certe peregrinos, id eſt, qui cives non eſſent. Neminem tum civem apud illas civitates, artem ullam ſellulariam exercuiſſe. Quod ſequitur apud paraphraſtem, non explicat mentem auctoris: *Quod hodie in quibuſdam locis uſu eſt receptum.* Immo: *hodieque tales quoque multi reperiuntur.* Nempe in hac ipſa urbe Athenis, & alibi in Græcia, ubi multi opifices ſervi, aut peregrini: *διόπερ οἱ πολλοὶ τοιοῦτοι καὶ νῦν.* Nam & Romæ etiam, non ſolum in Græcia multi opifices ſervi fuere, qua publici qua privati, quorum quæſtus ex opificio ad dominum redibat. At præter ſervos multi etiam liberi erant, ac cives qui artem facerent. Priſcis autem temporibus apud multas Græciæ civitates, ut auctor eſt Ariſtoteles, ſolis ſervis, aut peregrinis ſordidas artes profiteri licitum erat, cum nemini civi id permitteretur. Βαναύσους ac θῆτας, opifices ac mercenarios, Ariſtoteles ibidem docet aut non eſſe in civium numero reponendos, aut ſi ſint, nec tamen honorum fiant in civitate participes, ad eos nihil pertinere virtutis definitionem, quam civibus attribuit. Non enim eam civibus omnibus convenire, ſi iſti ſint cives, ſed nec omnibus qui ſunt in civitate liberi quandoquidem & hos eſſe liberos conſtat, verum his ſolis ex numero civium ac liberorum qui ſint immunes operum neceſſariorum, *ἀλλ᾽ ὅσοι τῶν ἔργων εἰσὶν ἀφειμένοι τῶν ἀναγκαίων.* Tales non ſunt *βάναυσοι καὶ θῆτες*, quos uno ac generali nomine *τῶν χερνήτων* appellat paulo ante, quia *ἀπὸ τῶν χειρῶν ζῶσιν.* Vocat autem *τὰ ἀναγκαῖα*, ſine quibus vita non conſtat, ut omnes artes ad vitam neceſſarias. Has qui exercent *βάναυσοι*, ut & *θῆτες*, qui operas manibus, aut corpore præſtant. Hi quodammodo ſervi ſunt publici, & in commune eorum omnibus operas locant, aut opificia venditant. Ut ſervi ei addicti ſunt cui famulantur, iſti omnibus pro indiviſo & promiſcue ſerviunt, qui eorum arte aut

opera uti velint, mercede pacta, quæ quaſi ſit auctoramentum ſervitutis: Τῶν δ' ἀναγκαίων, inquit, οἱ μὲν ἑνὶ λειτουργοῦντες τὰ τοιαῦτα δοῦλοι. οἱ δὲ κοινῇ βάναυσοι, καὶ θῆτες. Aliud ab his genus, ut dixi, ſervi qualibus hodie utimur, qui in annum, aut in certum tempus locant operas in ſervitute. His propriores Theſſalorum πενέσται. quos etiam θετταλοικέτας vocabant veteres, qui inter ſervos ac liberos. Noſtri plane tales. At θῆτες Athenienſium omnino liberi, niſi quia cogente neceſſitate operas ſuas ut ſervi, aliquando locabant. Durior conditio fuit εἱλώτων apud Lacedæmonios. Hi enim plane ſervi, & colendæ terræ dominorum ſuorum addicti, à qua non licebat illis recedere. Tales & coloni jure Romano ſub ultimis imperatoribus. Tales & ἀφαμιῶται, ac περίοικοι apud Cretenſes, & apud nos *manus mortuæ*. Theſſalorum πενέσται his etiam affines. Nam arandæ dominorum terræ quaſi auctorati erant. Alia porro etiam fuit conditio eorum, qui ſe in ſervitutem dabant ob pecuniam, quam accepiſſent mutuam donec eam diſſolviſſent, quos & *nexos*, & *addictos* etiam dixere. A ſervis, id eſt, mancipiis quamdiu ſerviebant, minimum, aut nihil potius aberant. De eorum ac ſervorum differentia egregius apud Quintilianum extat locus lib. VII, cap. III: *Circa propria ac differentia, magna ſubtilitas, ut cum quæritur an addictus, quem lex ſervire donec ſolverit, jubet, ſervus ſit.* Vides quæſtionem de his olim in judiciis agitari ſolitam an ſervi eſſent. Diximus ſupra more ac jure Attico ante legem Solonis, quæ σεισάχθειαν introduxit, hos addictos, ſive nexos, libertate pariter ac civitate excidiſſe, quos & ἀποψηφισθῆναι dicebant. Qui ſervos negabant, in ſervitute eſſe tantum contendebant, nec alios eſſe proprie ſervos dicendos, qui in ſervitute eſſent eo jure quo ſervi. De quibus antiqui dicebant, eos *ſervitutem ſervire*. Qui bona fide ſervos eos eſſe arguebant, hac finitione utebantur,

ſervum

ſervum eſſe, qui eſt jure in ſervitute. Addictus jure eſt in ſervitute, quia lex eum ſervire jubet donec ſolverit. Ergo addictus vere ſervus eſt, & eo etiam jure, quo ille qui ſervitutem ſervit. Nunc videamus ſpecificas differentiæ notas, quibus addictum à vero ſervo diſtingui ſolitium Quintilianus ait, ut ex his cognoſcamus, quod genus ſervitutis ſervierit addictus. *Servus,* inquit, *cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate eſt ingenuus. Servus invito domino libertatem non conſequitur: addictus citra voluntatem domini conſequitur. Ad ſervum nulla lex pertinet: addictus legem habet.* De qua lege loquitur? An legem intelligit, quam emptori ſuo ac creditori dixit addictus, vel quam ab eo accepit libertatem recipiendi, cum ſolviſſet? An potius legem ipſam vult intelligi, quæ ſervire addictum donec ſolverit jubet? Sive de hac, ſive de illa accipiatur conditionalem ſervum eſſe addictum inde colligas licet, hoc eſt, ea lege ſemetipſo venditum, & mancipatum, ut ſoluta pecunia nexu ipſe exſolvatur ſervitutis, ac libertatem recipiat. Cæterum quamdiu ſervit non differt ab eo qui vere ſervus eſt, & eo jure in ſervitute manet quo ſervus. Solus exitus diſcrimen oſtendit. Servus accepta libertate fit libertus, non ingenuus: addictus ubi ſervitute exſolutus eſt, ingenuus, ſicut prius erat, habetur. Hoc eſt, quod in Inſtitutis dicitur lib. 1, cap. III, de jure perſonarum, *in ſervorum conditione nullam eſſe differentiam, in liberis autem multas. Aut enim eſſe ingenuos, aut eſſe libertinos.* Et Græci ſimiliter inter addicti & ſervi libertatem, ubi eam uterque recuperavit, diſcerniculum ex nominibus ponunt. Illum ἐξελεύθερον vocant, hunc ἀπελεύθερον. Ammonius de vocabulorum proprietatibus ac differentiis: Ἀπελεύθερος καὶ ἐξελεύθερος διαφέρουσιν. Ἀπελεύθερος μὲν γάρ ἐστιν ὁ ἐκ δούλου ἐλευθερωμένος· ἐξελεύθερος ὁ γενόμενος διὰ χρέα προσήλυτος, ἢ κατὰ τὴν ἄλλην αἰτίαν τινὰ δουλεύσας.

σας, εἶτα ἐλευθερωθείς. ἤδη μέντοι καὶ ἀδιαφόρως χρῶνται τοῖς ὀνόμασιν. Ita legendum. Olim etiam indifferenter his duobus vocabulis uſi ſunt antiqui rhetores, ut ex Demoſthene conſtat, qui ἀπελευθερικοὺς, & ἐξελευθερικοὺς νόμους vocat, de libertis conſtitutas leges. Pollux lib. III, cap. IX: Ὁ δὲ ἐκ τῶν δούλων ἀφειμένος δουλείας ἀπελεύθερος καὶ ἐξελεύθερος. Cum προσηλύτους vocat Ammonius hujuſmodi nexos, qui ob debitum ſervientes, ubi liberati eſſent, ἐξελεύθεροι proprie vocabantur, ſatis eo ipſo nomine προσηλύτων oſtendit de his intelligendos eſſe, qui ſponte ſua ſe in ſervitutem darent. Nam προσήλυτοι, ut notum eſt, hi dicebantur apud Judæos, qui ex gentibus non coacti ſe Judaicæ religioni addicebãt: οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες, καὶ κατὰ τοὺς θείους πολιτευόμενοι νόμους. Dicebantur & πρόσθετοι, de verbo ad verbum, *addicti*. At quos judex addicebat judicatos & damnatos, in perpetuum ſervituros, aut quodcunq; liberet creditori paſſuros, hi proprie ἀγώγιμοι. De προσηλύτοις, ac προσθέτοις *Addictos*, quorum apud Quintilianum mentio, capiendos eſſe, ipſe fidem faciet, qui eamdem inter eos, ac ſervos conſtituit differentiam poſt libertatem receptam, quam Ammonius inter δούλους & προσηλύθους διὰ χρέα, id eſt, ſervos & ob æs alienum addictos. Servus cum manumittitur, fit libertinus. Is eſt, Ammonii ἀπελεύθερος. *Addictus, recepta libertate eſt ingenuus.* Hic προσήλυθος Ammonio dicitur, qui ἐλευθερωθεὶς, id eſt, libertate recepta, vocatur ἐξελεύθερος. Et notandum hic aliud diſcrimen inter ſervum & addictum, dum libertatem uterque conſequitur, quod hic *libertatem* tantum *recipere* dicitur; ille *manumitti*. Apud eumdem tamen Quintilianum declamationis CCCXI titulus eſt, *Addictus manumiſſus*. Sed thema illius declamationis de quodam eſt, qui domi addictum habebat, & teſtamento ſervos omnes manumiſerat. Petebat addictus, ut liber eſſet. Contra dicebatur, quia addictus, ut non pro-

prie

rie ſervus, ita nec manumittendis, quod proprie erat
ervorum, comprehendi videbatur. Adfert & Quin-
lianus in Inſtitutionibus aliam addicti, & ſervi diffe-
entiam. *Propria liberi*, inquit, *quæ nemo habet niſi
ber, prænomen, nomen, cognomen tribus.* Nomen ergo
ocumque in tribu conſervabant addicti, ut ex iſtis
olligitur. At apud Græcos, ut ex Philochori loco ſu-
ra oſtendimus, addicti ex tribu expungebantur, quod
ποψηφιϑῆναι dicebatur, & nomē eorum à tribulibus
ommuni ſententia ex albo tribulium eradebatur, &
παρεγγράφοντο, tanquam peregrini. Et ſane cum civita-
em ſimul & libertatem amitterent, quomodo tri-
um retinere poterant? Aliud eſt de nomine prænomi-
e, nomine ac cognomine. Idem Quintilianus lib. v,
ap. x, in diſtinguendis ac ſervis, aliud eſſe dicit *ſer-
um eſſe*, aliud *ſervire*. Ergo ſerviebant addicti, non
rvi erant. Lex de his ita erat concepta: *Addictus
onec pecuniam ſolverit, ſerviat*. Πρόσϑετος ἕως ἂν
ρέος ἀπολύσῃ, δουλευέτω. Non dixit, δοῦλος ἔστω. *Ser-
ire*, idem quod *in ſervitute eſſe*. Sic *in libertate eſſe*,
iud quam *eſſe liberum*. Qui pro libero agit, & li-
ertatem uſurpat, non eſt liber, ſed in libertate. Sic
ui pro ſervo ſe gerit, & ſerviles operas præbet, & ſer-
t, & in ſervitute eſt, non ſervus. Talis addictus. Qui
ter amicos manumittebantur olim, ſic *in libertate
orari* dicebantur, cum tamen adhuc ſervi manerent.
Non ſerviebant quidem, ſed nec in ſervitute erant,
uāvis ſervi eſſent. Vetus auctor Græculus in fragmen-
o de jure, quod ab eo inſertum eſt Græcæ linguæ
xercitationibus, cujus uſum mihi commodavit clariſ-
mus ac celeberrimus medicinæ doctor Chriſtianus
umpfius: Πρῶτον οὖν ἴδωμεν ποῖόν ἐστιν ὃ λέγεται μὴ εἶναι
λευθέρους, ἀλλὰ τῇ δεσπότου θελήσει εἰς ἐλευθερίαν διάγει-
ν, καὶ μόνον τοῦ δουλικοῦ φόβου ἀπολύεσθαι. *Primum ergo vi-
eamus quale eſt quod dicitur, non eſſe liberos, ſed domi-
i voluntate in libertate morari, & tantum ſervitutis*

timore

timore dimitti. De *Latinis* loquitur quos Ῥωμαϊκοὺς appellat. Aliud enim Ῥωμαῖος, aliud Ῥωμαϊκός. Sic vocarunt Latinæ conditionis libertos. Ἀλλ' ἵνα μᾶλλον δυνηθῶσιν ἕκαστα ἀναφέρειν, βέλτιον δοκεῖ ἄρξασθαι ἀπὸ ἀπελευθέρων, καὶ πρῶτον περὶ Ῥωμαϊκῶν γράφειν, μὴ πλεόνακις ταῦτα διερμηνεύειν ἀναγκαζώμεθα. *Sed ut magis poſſint ſingula adferri, melius videtur incipere à libertis, & primum de Latinis ſcribere, ne ſæpius eadem interpretari cogamur.* Eadem vidi in libro Gloſſarum vetuſtiſſimo in Bibliotheca clariſſimorum Puteanorum, ſed verſio Latina diſcrepabat, ut appareat Græce ea ab auctore ſcripta fuiſſe. Sequitur in eodem fragmento de his, qui in libertate erant domini voluntate: Οὗτοι δὲ οἱ δεσπότου θελήσει ἐν ἐλευθερίᾳ ἦσαν, ἔμενον δοῦλοι, καὶ οἱ ἐλευθεροῦντες ἐτόλμων εἰς δουλείαν πάλιν αὐτοὺς κατὰ βίαν ἄγειν, παρεγίνοντο δὲ οἱ στρατηγοί, καὶ οὐκ ἠφίεσαν ἐλευθερωθέντα δουλεύειν· πάντα μέντοι καθὼς δοῦλος περιεποίησεν ἠλευθερωκόσι, ἢ εἴ τι ἐπηράττετο, ἢ κατὰ συγγραφὴν εἰλήφει, ἢ ἐξ οἵας δήποτε δίκης ἄλλης περιεπεποίητο, τοῦ δεσπότου τούτου ἐγίνετο, τουτέστι, τοῦ ἐλευθεροῦντος πάντα τὰ ὑπάρχοντα πρὸς τὸν πάτρωνα διέφερεν. Subjicit propriam tunc habuiſſe libertatem, qui inter amicos erant manumiſſi, & ſolitos fieri *Latinos Iunianos*, quoniam lex Junia, quæ libertatem eis dederat, exæquavit eos Latinis Colonariis, qui cives Romani liberti nomen ſuum in Coloniam dediſſent. Græca verba hæc ſunt, ſi quis deſideret: Ἀλλὰ νῦν ἔχουσιν ἰδίαν ἐλευθερίαν εἰς τοὺς φίλους ἠλευθερωμένοι, καὶ γίνονται Λατῖνοι Ἰουνιανοὶ ἐπειδὴ νόμος Ἰούνιος ὃς τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἔδωκεν, ἐξίσωσεν αὐτοὺς Λατίνοις Κολωναρίοις: οἳ ὅτε ἦσαν πολῖται Ῥωμαῖοι ἀπελεύθεροι, ὄνομα ἴδιον εἰς τὴν κολωνίαν ἐδεδώκεσαν. In his Latinis quæ clariſſimus Pythœus edidit, verbis illis, *qui cum eſſent cives Romani liberti*, vox illa *liberti* deeſt, quæ omnino reſtituenda. Intereſt enim ſcire dé quibus Romanis civibus intelligendum ſit, qui in coloniam miſſi *Latini Colonarii* fiebant.

Sequi-

Sequitur: Ἐν τούτοις οἱ μεταξὺ φίλων ἐλευθεροῦνται θέλη-
ςις δεσπότου σκοπεῖται, νόμος γὰρ Ἰούνιος τούτους γίνεσθαι Λα-
ίνους κελεύει οὓς ὁ δεσπότης ἐλευθέρους εἶναι βούλεται. *In
is qui inter amicos manumittuntur, voluntas domini
bectatur, lex enim Iunia eos fieri Latinos jubet, quos
lominus liberos eſſe voluit.* Melius dixiſſet, *quos do-
ninus in libertate eſſe voluit.* Hoc enim proprie de
is, qui inter amicos manumittebantur, *quod eſſent
n libertate voluntate domini.* Non enim liberi erant.
Iinc lex in themate declamationis Quintiliani CCCXL:
Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber ſit.
nter propria addictorum, & differentia, quibus à ſer-
is diſcernuntur, & illud eſt, quod cum libertorum
lures eſſent gradus ac ſpecies, unicus erat addicti li-
erandi modus, pecunia nimirum ſoluta. Olim ta-
nen apud Romanos, non ſatis erat pecuniam addicto
olvere, ut libertatem recuperaret, ſed etiam, per æs
c libram emancipari debebat, ut colligitur ex loco
ivii, quem in ſuperiori capite adduximus. Sed for-
aſſe locus ille intelligendus non de addictis, qui ſpon-
e ſua ſeſe addixerant, verum de iis quos Iudex ad-
ixerat. Hi enim vere ſervi fiebant, nec liberari tunc
oterant niſi ære ac libra, etiam poſt pecuniam ſolu-
am, emanciparentur. Forte & alius mos tunc tem-
oris, aliudque jus circa addictos obtinuit. Ut ut ſit
Quintiliani ævo, unum fuit addictorum genus, cum
ſſent tria libertorum, ac proinde ſervorum genera.
Cives Romani, Latini Iuniani, & dediticiorum nu-
nero. Enimvero & qui ex ſervis poterant Romanam
ivitatem conſequi libertate accepta, non uno modo
nanumittebantur. Nam aut cenſu, aut vindicta, aut
eſtamento manumiſſi, Romani cives fiebant. Una
rat, ut dixi ratio, qua liberaretur addictus, ſi pecu-
iam, quam debebat, ſolveret. Olim, ut inter aucto-
es omnes convenit, una libertas erat, qua liberis fa-
tis ex ſervitute civitas Romana competebat. Auctor
ille

ille Græcus in ſcripto Codice clariſſimi Rumpſii: *Πρότερον γὰρ μία ἐλευθερία ἦν, καὶ ἡ ἐλευθερία ἐγίνετο ἐκ προσαγωγῆς, ἢ κατὰ διαθήκην, ἢ ἐν ἀποδημήσει, καὶ πολιτεία Ῥωμαίων συνῆδεν ἠλευθερωμένοις, ἥτις προσαγορεύεται νόμιμος ἐλευθερία.* Interpretatio Latina valde inſulſa, & alia ab ea quam publicavit Pythœus, quæ nec ipſa ſatis recta. Quod argumento eſt auctorem ea Græce ſcripſiſſe. Sed mirum ab eo verti Græce *ἐκ προσαγωγῆς*, quod in Latino fuit, *ex vindicta.* Ex *προσαγωγῆς* Græci fieri dicunt, quæ ſenſim ac pedetentim fiunt, non *ἀθρόως*. Forte hic *προσαγωγὴ ἀπὸ τοῦ προσάγειν*, quod eſt vindicare, *οἰκειοῦσθαι, ἰδιοποιεῖσθαι*, ut qui rem aliquam tanquam ſuam vindicat. Ad verbum ſic *vindicta* erit *ἡ προσαγωγὴ*, quod per eam vindicarentur ſervi in libertatem, id eſt, *vindicatio.* Nam & Theophilus *vindictam* interpretatur *τὴν ἐπὶ τοῦ ἄρχοντος γινομένην ἐλευθερίαν.* Boëthius lib. 1 ad Topica Ciceronis *vindictam* interpretatur virgulam, quam lictor manumittendi ſervi capiti imponens eumdem ſervum in libertatem vindicabat dicens, quædam verba ſollemnia, *atque ideo*, inquit, *illa virgula vindicta dicebatur.* Scholiaſtes quoque Perſii, ita *vindictam* interpretatur ad Sat. v, *virgam nempe, qua manumittendi à prætore in capite pulſantur.* Gloſſæ Nomicæ *βινδίκταν*, exponunt *ῥάβδον μεθ' ἧς ὁ πραίτωρ τὴν τῶν ἐλευθερουμένων κεφαλὴν ἔπαιον.* Græci vocant *κάρφος*. Quæ vox illis idem ſignificat, quod *ſurculum*, vel *feſtucam.* Et ſane *ſurculus* Latinis etiam pro virga, vel baculo. Unde & *σκυτάλη* Laconica Agellio ſic dicitur. Hinc *καρφιστὴς* adſertor in libertatem, & *καρφιστία* aſſertio, & *καρφισμός*. Pro quibus vocabulis paſſim apud auctores legas *καρπιστὴν, καρπιστίαν*, & *καρπισμόν*. Quæ tamen nullo modo poſſunt deduci *ἀπὸ τοῦ καρπίζειν*. Nam *καρπίζειν* eſt irrigare, & irrigatione fœcundare. At *καρπίζεσθαι*, percipere fructum. Neutrum convenit aſſerendis in libertatem ac vindicandis ſervis. Miratus ſum nuper, cum

cum legerem in Notis ad Horatium acuti Critici hanc
obſervationem, *carpere diem* Flacco dictum, cum in
nimo haberet Epicuri ſui καρπίζειν. Atqui in illis ver-
bis Epicuri, quæ ibidem citat, non καρπίζειν, ſed καρ-
πίζεσθαι ſcribitur, τὸ χρόνον οὐ τὸ μήκιστον, ἀλλὰ τὸ ἥδιστον καρ-
πίζει). Ut idem ſit καρπίζεσθαι cum καρπίζειν, nun-
quam efficiet, haud ſane magis, quam δανείζειν, ac δα-
νείζεσθαι. Deinde *carpo* Latinum non venit à Græco
καρπῶ, aut καρπίζω, nec eamdem habet ſignificatio-
nem. Scindere ac lacerare proprie denotat. Et quia
cibis uti non poſſumus, quin eos carpamus, aut ma-
nu, aut cultro, aut dentibus, hinc & *carpere* pro frui
uſurpatum, ut *carpere gaudia*. Nam & *ciborum car-
ptores* inde dicti. Et *poma carpere* ab arboribus, quæ
velluntur ab arbore. Hinc compoſita *concerpere*, *de-
cerpere*, *diſcerpere*. Et nomen *carpies*, vel *carpia*, ὁ πλ-
μότος. Ex eo ergo & *carpi dies* Horatio dicitur,
qui particulatim quaſi conſcinditur, dum inſumitur,
& impenditur. Horatii Simia Perſius eodem ſenſu *de-
cerpere noctes* dixit. Plautus nimis comice *diem lace-
rare*, *comburere*. Ita & δρέπεσθαι Græci eodem ſenſu
uſurpant, ut Latini *carpere*, bona, gaudia, tempora.
Quod tamen non idem eſt cum verbo καρπίζεσθαι, &
multo minus cum καρπίζειν. Nec enim inde factum
verbum *carpo*. Et poſſem dicere ex qua Græca vo-
ce deductum ſit, ſi hoc ageremus, & niſi ineptos me-
tueremus offendere. Ab illo καρπίζειν nullo modo
poteſt derivari καρπιστής, qui aſſertor eſt in libertatem.
Sed nec ἀπὸ τοῦ καρποῦ, quæ pars eſt qua manus bracchio
jungitur. Quid enim καρπὸς, ſive internodium illud
facit ad aſſerendum quempiam in libertatem? Καρπι-
στὴς omnino pro καρφιστής, quia κάρφος feſtuca eſt, vel
virgula, qua tangitur caput in libertatem aſſerendi,
unde & *vindicta* nomen habuit. At tralaticia eſt per-
mutatio duarum illarum litterarum apud Græcos,
π & φ. Ut σκῖφος & σκῖπος, idem, ἀφυσία & ἀπυσία,
 & ſi-

& ſimilia ſexcenta. Hic igitur καρπισμὸς, vel καρφισμὸς, qui manumittendi modus eſt per vindictam, quo Quirites efficiebantur, non competit in addictos. At is quo libertas teſtamento dabatur, poterat in eos convenire. Ut enim teſtamento ſervus manumittebatur, ita & addictus liberabatur. Inde ille caſus pro themate Declamationis Quintiliani, quo cum ſervi omnes teſtamento eſſent manumiſſi, addictus libertatem quoque, id eſt, liberationem, ex eodem teſtamento petebat. Tertius modus juſtæ libertatis dandæ, quæ Quiritem faciebat, nec is in addictos cadebat. *Cenſu manumittebantur ſervi*, inquit Ulpianus in Titulis, *qui luſtrati cenſu Romæ juſſu dominorum inter cives Romanos cenſum profitebantur.* Dicit Romæ, quia cenſus tantum in urbe ageretur, non in provinciis. *Profeſſio* ibi nomen habebat, id eſt, ἀπογραφὴ, non *cenſus*, hoc eſt, ἀπολίμηνσις. Gloſſæ tamen Philoxeni *cenſum* Græca utraque voce indifferenter exponunt. *Cenſus*, ἀπογραφὴ οὐσίας, ἀπολίμηνσις. Diſtinguit inter utrumque vetus juris fragmentum ex Bibliotheca clariſſimi Rumpſii: Ἀλλ' ἐν τῇ πόλει Ῥωμαίων μόνον ἀπολίμηνσιν ἄγεσθαι δεδήλωται, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις μᾶλλον ἀπογραφαῖς χρῶνται. *Sed in urbe Romanorum cenſum agi notum eſt, in provinciis autem magis profeſſionibus utuntur.* Verum de his alibi. Diſſenſio autem fuit inter juris peritos, utrum quæ in cenſu acta eſſent valerent antequam luſtrum eſſet conditum, an à die tantum luſtri conditi vires acciperent. Qua de re ita ſcribitur in eodem fragmento: Ἀπολίμηνσις ἐπὶ Ῥώμης ἄγεσθαι εἴωθεν, ἢ ἀπολίμηνσις καθαρμοῦ καλεῖται. Μεγάλη μέντοι ἀμφισβήτησίς ἐστιν ἐν τοῖς ἐμπείροις, πότερον τούτῳ τῷ χρόνῳ δύναμιν λαμβάνουσιν ἅπαντα, ἐν ᾧ ἡ ἀπολίμηνσις ἄγεται, ἢ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ, ἐν ᾧ καθαρμὸς καλεῖται. Εἰσὶν γὰρ οἱ ὑπολαμβάνοντες μὴ ἄλλως δύναμιν λαμβάνειν τὰ πρασσόμενα ἐν τῇ ἀπολιμήσει, ἐὰν μὴ αὕτη ἡμέρα ἀκολουθήσῃ, ἐν ᾗ ὁ καθαρμὸς καλεῖται. ὑπολαμβάνουσι γὰρ ἀπολίμηνσιν καταβαίνειν

φέρειν ἐπὶ τὴν ἡμέραν τοῦ καθαρμοῦ, οὐχὶ τὸν καθαρμὸν καταφέ-χθῆ ἐπὶ τὴν ἡμέραν τῆς ἐπιτιμήσεως. Διὰ τοῦτο ἐζήτηται, ἐπειδὴ πάντα ἐν τῇ ἐπιτιμήσει πράσσονται, τῷ καθαρμῷ ἰσχυροποιοῦνται. *Cenſus autem apud Romam agi ſolet, vel cenſus luſtro conditur. Magna autem diſſenſio eſt inter peritos, utrum hoc tempore vires accipiant omnia in quo cenſus agitur, aut in eo tempore in quo luſtrum conditur. Sunt enim qui exiſtimant, non alias vires accipere, quæ aguntur in cenſu, niſi hæc dies ſequatur, qua luſtrum conditur. Exiſtimant enim, cenſum deſcendere ad diem luſtri, non luſtrum decurrere ad diem cenſus. Quod ideo quæſitum eſt, quoniam omnia in cenſu aguntur, luſtro confirmantur.* Quæ nos alibi explicamus. Cum igitur, ut ex his quæ ſupra notamus conſtat, ſemper licuerit Romæ, uſque ad conſtitutionem Leonis, homini libero ſe vendere, aut pati ſe venumdari ad pretium participandum, multo magis oppignerandi ſemet ipſum, & in ſervitutem ſpontaneam dandi licentiam habuerit. Nam ἐνεχυρασμοὶ illi perſonarum quos prohibuiſſe Juſtinianum in ſuperioribus docuimus, aut accipiendi ſunt de pignoriſcapione bonorum, quæ dum capiuntur perſona ipſa ἐνεχυράζεσθαι intelligitur, aut ſi de ipſis corporum ἐνεχυρασίαις accipi debent, longe differt à voluntario nexu illa violenta pignoriſcapio. Sola igitur, uſque ad Leonem, vetita uit legibus Romanis propter debitum addictio in ſervitutem, quæ auctoritate judicis fiebat, ſervum debitorem creditori ſuo adjudicantis, & addicentis, non oluntaria. Hinc apud Harmenopulum lib. III, tit. V: ὅτι ἀναγκάζονται οἱ ἄποροι χρεῶσται δουλεύειν τοῖς ἰδίοις δανεισταῖς. *Non coguntur inopes debitores creditoribus proriis ſervire.* Non coguntur quidem, id eſt, non amlius addicuntur inviti per ſententiam judicis, ſed ſi elint ipſi ſponte ſervire, & ex pacto convento, non rohibentur. Quæ Græca facta ſunt ex lege Diocleani XII D. de obligationibus. *Ob æs alienum ſervire*

jura compelli non patiuntur. Ἐνεχυρασμὸν vetant perſonarum hac conſtitutione Imperatores illi, qui manu injecta per vim fit, ut ſæpe etiam in bonis ſolebat talis pignoriscapio uſurpari, quam tamen & jura prohibebant apud Romanos niſi auctoritate judicis permitteretur. Ex ea lege Diocletiani & Maximini perperam colligunt, neminem poſſe ad præciſam ſervitutem ſe obligare. Immo licuit hoc Romæ uſque ad Leonis conſtitutionem, quandoquidem & venditio ſui, cuilibet civi, ac libero, ante illam legem fuit permiſſa. Ut ſe vendere omnibus licitum erat, ita & liberos ſuos poterat debitor, ob æris alieni nexum, addicere & auctorare. Saltem ita in more poſitum fuiſſe jure connivente, ex multis auctorum locis conſtat. Baſilius Pſal. xiv: Εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευθέρους ὑπὸ χρεῶν πατρῴων ἑλκομένους εἰς πρατήριον. Et ex eo Ambroſius ad verbum in libro de Tobia: *Vidi miſerabile ſpectaculum liberos, pro paterno debito in auctionem deduci.* Hoc plus eſt quam oppignerari. Oppigneratio enim quaſi venditio ad tempus, auctio venditio in perpetuum. Hæc ſolita, & licita in Græcia olim & Aſia tota, ut ex Luculli vita liquet apud Plutarchum. Quo tempore ad eam provinciam venit regendam Lucullus, miſerrima fuit ejus conditio. ὑπὸ τῶν τελωνῶν, καὶ δανειστῶν πορθουμένης, καὶ ἀνδραποδιζομένης· πιπράσκειν ἰδίᾳ μὲν υἱοὺς εὐπρεπεῖς, θυγατέρας δὲ παρθένους, δημοσίᾳ δὲ ἀναθήματα, γραφὰς, ἱεροὺς ἀνδριάντας ἀναγκαζομένων, αὐτοῖς δὲ τέλος μὲν ἦν προσθέτοις γενομένοις δουλεύειν. *Cum provinciales,* inquit, *privatim liberos ſuos cogerentur, formoſos pueros, puellaſque virgines vendere; publice vero, donaria, tabulas, & ſacra deorum ſimulacra in auctionem deducere, quibus & ipſis hic tandem exitus proponebatur, ut poſt omnia auctorati & addicti ſervirent.* Miſerius itaque fuit ſe auctorare ipſum ob æs alienum, quam liberos ſuos vendere. In generali bonorum fiducia excipiebantur ea, quæ veri-

ſimile

ſimile non eſſet quempiam oppignerare velle, ut liberos. Quid ſi quis eos nominatim oppigneraret? an illicitum? Id expreſſe prohibetur leg. ult. D. Quæ res pignori; qua & in creditorem relegationis pœna ſancitur, *qui ſciens filium familias à parente pignori accéperit.* Contra leges ex conſuetudine id ſæpius uſurpatum poſtea fuiſſe, argumento eſt, quod Diocletianus & Maximianus de eo legem denuo ſancire coacti ſunt, in qua manifeſtiſſimi juris eſſe dicunt, liberos à parentibus, neque pignoris jure, neque venditionis, neque donationis titulo, neque alio quolibet modo in alium transferri poſſe. Nec tamen hæc conſtitutio potuit improbam conſuetudinem tollere, quin multis in locis vigeret Imperii Romani, etiam tempore Iuſtiniani, qui iterum hoc idem Novella CXXXIV prohibuit, περὶ τοῦ μὴ τολμᾶν δανειστὴν τὰ χρεωστούντων τέκνα κατέχειν. Ubi dicit, hoc facinus in diverſis Reipublicæ locis admitti, ὅπου οἱ δανεισταὶ τὰ τέκνα τῶν χρεωστούντων τολμῶσι κατέχειν, ἢ εἰς ἐνέχυρον, ἢ εἰς δουλικὴν ὑπηρεσίαν, ἢ μισθοῦν. Tria hæc diviſit, quod tenerentur à creditoribus liberi debitorum, vel in *pignus*, vel in *miniſterium*, vel in *operarum conductionem*. De venditione nihil. Sed paulo ante docuimus, pignerationē perſonarum, nomine venditionis etiam fuiſſe appellatam. Nomine pignoris tamen detentos eos ſolos videtur intellexiſſe, hoc eſt, εἰς ἐνέχυρον, qui ejus conditionis, aut ætatis eſſent, ut ſervire non deberent, aut non poſſent. Simpliciter detinebantur à creditore, quaſi in carcere privato, donec pater, qui nexu eos obligaſſet, pecunia ſoluta eos liberaret, tanquam aliud pignus rei mobilis, quod à creditore teneretur ſine ullo ejus uſu fructuve. In ſervitutem, hoc eſt, εἰς δουλικὴν ὑπηρεσίαν dabantur, qui à patre auctorati ſerviebant. In his venditionis appellatio magis proprie locum habuerit. Tertium quod operarum locationem ſpectat, & μισθοῦν vocat Juſtinianus, cum priora duo legibus Romanis eſſent vetita,

tita, hoc ſolum permiſſum ante fuiſſe, liquet ex Paulo lib. v Sentent. Tit. 1. Ubi nec vendi à patribus filios, nec pignori, aut fiduciæ dari poſſe ait, operas tamen eorum locari licere. Cæterum & noxæ dare filium patri licuit, quem hoc pacto in ſervitutem, æque dabat ac ſi pignori dediſſet, vel auctoraſſet. Papinianus in Collatione legum Moſaicarum & Romanarum tit. II: *Per hominem liberum noxia deditum, ſi tantum acquiſitum ſit, quantum damnum dedit, manumittere cogendus eſt à pratore, qui noxa deditum accepit, ſed fiducia judicio non tenetur.* Quæ ultima verba à magno Juriſconſulto, qui eam Collationem primus edidit, intellecta non ſunt, ſed ex his explicari debent, quæ in ſuperioribus de fiducia diximus. Olim, ut notum eſt ex Inſtitutis, capite de Noxalibus actionibus licuit patri liberos utriuſque ſexus noxæ dedere. Si noxæ, cur non & pignori? Hoc enim multo levius. Nec aſſentior eidem doctiſſimo viro, qui addictos comparat noxæ deditis, ac ſerviſſe utroſque dicit, non multum impari jure. Immo ſi quid ſentio, valde diſpari. Differentia, vel hinc elucebit. Qui ſervum ſuum pignori dederat, ſi creditor eum deteriorem feciſſet, judicio fiduciæ tenebatur, hoc eſt, pigneraticio. In noxæ dediticio nihil tale. Nam pignori datus ſervus ad dominum redibat pecunia ſoluta, & non deterior, quam datus fuerat, reddi à creditore debebat. At ſervi in noxam deditione, ut dominus liberabatur, ita in perpetuum ab ipſo dominium transferebatur in eum cui noxæ erat deditus. Si autem damnum ei cui deditus eſſet, raſarciſſet quæſita pecunia, invito domino prætoris auxilio manumittebatur. Ergo ſervus ut erat illi cui dedebatur, ita poſt manumiſſionẽ ejuſdem libertus, nõ domini fiebat. *Quæſita pecunia*, quod eſt apud Gaium, Theophilus interpretatur, διὰ τῶν οἰκείων ὀπέρων, καὶ τῆς ἰδίας ὑπηρεσίας, ἢ εὐπορήσας ποθὲν χρημάτων. Certe iiſdem modis hic noxæ dediticius ſervus

poterat

poterat libertatem ſuam redimere ab eo cui deditus fuerat, ut reliqui ſervi ab iis qui illos ære ſuo emerant. Ubi enim operis ſuis & laboribus, permiſſu domini eam ſummam corraſiſſent, quæ ſufficeret ad pretium perſolvendum, quo empti fuerant, manumittebantur, *λύτρα κατατεθέντες*, ut loquitur Dionyſius *ἐξ ὁσίων καὶ δικαίων ἐργασιῶν συναχθέντα*. Ita olim moris fuiſſe dicit apud Romanos, ut quod operis & quæſtibus juſtis ac legitimis peculium ſibi comparaſſent ſervi, eo numerato pro pretio ſui dominis, libertatem conſequerentur. At ſuo tempore ſervos ait per fas ac nefas quæſita pecunia ex furtis, ac latrociniis, aliiſque turpiſſimis lucris ad libertatem perveniſſe. *Ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις οὕτω ταῦτα ἔχει, ἀλλ' εἰς τοσαύτην σύγχυσιν ἥκει τὰ πράγματα, καὶ τὰ καλὰ τῆς Ῥωμαίων πόλεως οὕτως ἄτιμα, καὶ ῥυπαρὰ γέγονεν, ὥσθ' οἱ μὲν ἀπὸ ληστείας, καὶ τοιχωρυχίας, καὶ πορνείας, καὶ παντὸς ἄλλου πονηροῦ χρηματισάμενοι, τούτων τῶν χρημάτων ὠνοῦνται τὴν ἐλευθερίαν, καὶ εὐθύς εἰσι Ῥωμαῖοι.* Damnum quod dederat alicui, & propter quod à domino deditus noxæ fuerat, æquiparabatur pretio, quo fuerat emptus. Cum igitur tantum peculii acquiſierat ſuis operis quantum pretium erat quo emptus fuiſſet, manumittebatur à domino. Similiter ſi tantum quæſiſſet pecuniæ ex operis & miniſterio noxæ deditícius quanti erat damnum quod dediſſet, manumitti ſolebat ab eo cui deditus fuerat. Sed hæc erat differentia, quod ſervus etſi peculium ſatis magnum paraſſet unde poſſet pretium ſui domino *ἀντὶ λύτρου* perſolvere, non poterat tamen eo invito libertatem adipiſci. At noxæ deditus ſi haberet ſatis, quo reſarcire damnum quiret ejus cui fuerat deditus à domino, invito eo manumittebatur, intercedente prætoris auctoritate. Nemo autem dominus ſervum ſuum dedebat noxæ niſi damnum quod dederat, majus eſſe ipſi videretur, quam quanti ſervus æſtimaretur. His expoſitis videamus,

quid differentiæ fuerit inter liberum noxæ deditum, & addictum. Uterque quaſi pignoris vice tenebatur: hic à creditore, donec pecuniam pater ejus ſolviſſet, ille ab eo cui damnum dederat donec illud reſarciſſet. Melior tamen, ut videtur conditio oppignerati & addicti liberi hominis ob æs alienum, quam noxæ dediti, ſi rem judicamus ex comparatione κατὰ τὸ ἀνάλογον, ſervi pignori dati, & noxæ dediti. Noxæ enim deditus plane ſervus factus videtur, non ſolum in ſervitute fuiſſe, & ἀγωγίμῳ Græcorum reſpondiſſe, vel illi quem judex addixerat. Quod & nomen quo vocabatur oſtendit. Nam *noxa deditus*, idem eſt quod ἔκδοτος. Quo nomine qui ἀγώγιμοι fiebant, vocabantur apud Græcos, ut ante oſtendimus. Et *noxa* hic ſignificat, pœnam, ſupplicium, & κόλασιν, non ut Theophilus interpretatur, *corpus*. Nec ut Hotomanno placet, qui vult, *noxa dedere* præciſa loquutione dici pro *noxa nomine dedere*, id eſt, ob damnum & noxam quam intulit. Rectum hoc videretur, ſi non etiam dicerent Juriſconſulti *in noxam dedere*, ut apud Gaium in Inſtitutis, & alibi. Ergo *noxa dedere*, idem *in noxam dedere*. Sic *doti dare*, & *in dotem*: *pignori dare*, & *in pignus*: *fœnori dare*, & *in fœnus*. Quod veteres dixere *fœnore dare*. Noxa tria ſignificat. Damnum, ut cum *noxam dediſſe* dicitur ſervus. Peccatum vel delictum, cum *noxam commiſiſſe*. Et pœnam, vel ſupplicium, quando *noxa deditus*. Et recte veteres Philoxeni Gloſſæ, *noxa deditum* interpretantur, ἔκδοτον εἰς κόλασιν. Servius ad I Æneid. *Hoc intereſt inter noxam & noxiam, quod noxia culpa eſt, id eſt, peccatum, noxa autem pœna.* Citant veteres Grammatici ex Accii Menalippa: *Te eſſe huic noxa obnoxium*. Id eſt, pœnæ, ſupplicio. Rectius itaque Servius ac verius de differentia *noxa* & *noxia*, quam Tribonianus, qui in Inſtitut. lib. IV, cap. VIII ſcribit: *Noxam ipſum eſſe corpus, quod nocuit, noxiam autem ipſum maleficium.* Immo noxa tam pœnam,

quam

quam maleficium ſignificat. Pœna eſt in *noxa deditione*; maleficium, cum *noxa committi* dicitur. At quod ſæpe *noxa deditio* occurreret in libris Juriſconſultorum veterum, putavit ille ibi *deditionem noxa* poni pro deditione corporis. Ipſum quippe corpus dedebatur, quod ἀγώγιμον fiebat, & ἔκδοτον εἰς κόλασιν. Ut leg. I D. de Noxalibus Actionibus: *Vt ſi damnati fuerimus liceat nobis deditione ipſius corporis quod deliquerit, evitare litis æſtimationem.* Hinc ille ſumpſit, aut ex ſimilibus locis, *noxam* eſſe corpus ipſum. Atqui ſi *noxa* corpus eſt in *noxa* deditione, erit etiam cum ſervus dicitur *noxa dedi*, & *in noxam*. Quod eſt ridiculum. Optimæ Gloſſæ: ἔκδοσις κολάσεως, *noxa deditio*. Ἔκδοτος εἰς κόλασιν, *noxa deditus*. Philoxenus in Gloſſis: *Noxam dedidit*, εἰς κόλασιν ἐκδέδωκεν, εἰς δύθωάς. Omiſit compilator præpoſitionem. Debuit enim ſcribere: *In noxam dedidit*. Apud eumdem: *noxa*, δύθωά. Sic ibi ſcribendum. *Noxa dedere* idem plane fuit apud Latinos, quod Græcis ἀγώγιμον ποιεῖν, & ἔκδοτον. Et quemadmodum in ἀγώγιμον quidlibet licuit ei cui dabatur ἀγώγιμος, ita & in illum, qui noxæ dedebatur. Unde illud eleganter apud Livium: *Obrui Ætna ignibus, aut mergi freto ſatius inſulæ illi eſſe, quam velut dedi noxæ inimico conſuli.* Id eſt, ἀγώγιμον & ἔκδοτον ποιεῖσθαι. Hinc & *duci* dicebantur noxæ dediti, ut & illi quos judicatos addictoſve duci prætor jubebat ob æs alienum. Paulus leg. XXVI D. de Noxalibus: *Si abſente domino ductus ſit ſervus, vel etiam præſente.* Id eſt, noxæ deditus, & abductus. Item leg. XXXII D. eodem: *Is qui in aliena poteſtate eſt, ſi noxam commiſiſſe dicatur, ſi non defendatur, ducitur.* Id eſt, deditur noxæ, & addicitur ducendus. Liberi homines eo tempore ἀγώγιμοι fiebant ex noxali actione, quos tamen ex cauſa crediti jam tum ἀγωγίμους γίνεσθαι non liceret. Vide leges XXXIII, XXXIV, & XXXV eodem Titulo. Servi plane fiebant ejus cui dedebantur, ut &

ἀγώγιμοι illi quos olim judex judicatos, & addictos ob debitum duci jubebat. At qui ſponte ſua ſe addicebant ex nexu, in ſervitute tantum eſſe, ac ſervire cenſebantur, non autem eſſe ſervi. Unde & hi cum pecunia ſoluta liberabantur, non dicebantur *manumitti*. Quod verbum de noxæ dediticiis uſurpabatur, ut in hac lege apud Papinianum: *Per hominem liberum noxæ deditum, ſi tantum acquiſitum ſit quantum damnum dedit, manumittere cogendus eſt à prætore, qui noxæ deditum accepit, ſed fiduciæ judicio non tenetur.* Nec mirum porro eſt, fiduciæ judicio non teneri, id eſt, pigneraticia actione, qui noxæ deditum acceperat, ſi damno ſarcito redderet deteriorem ex verberibus, aut membri alicujus mutilatione. In ſupplicium enim, ac pœnam dedebantur, ut quod liberet, ei qui deditos accipiebat, paterentur. quod jus fuit & in illis, qui ἀγώγιμοι ex cauſa crediti, damnati ducebantur domum creditoris. Qui filium autem oppigneraſſet ex conventione, ſi deteriorem à creditore reciperet pecunia ſoluta, tenebatur ille fiduciæ judicio, non item qui noxæ deditum illum accepiſſet à patre. Hoc igitur ordine apud Romanos debitorum, qui ſolvendo non erant, & bonam copiam ejuraverant, pœnæ olim graviſſimæ, paulatim leviores ac remiſſiores variis legibus factæ ſunt. Primo jus fuit, judicatos & addictos tradi creditoribus ſuis in ſervitutem, ac ſupplicium quodcunque, vel etiam capitis, & ſectionem corporis, ſi vellent, ac plures eſſent ejuſdem nominis creditores. Quod duravit uſque ad annum urbis CCCC XXVII, quo annô per Pœtilii rogationem ſublatus hic mos fuit. Ab eo tempore, uſque ad Julium Cæſarem, inopes debitores carceris privati formidine liberati cui ex nexu olim erant obnoxii, publicum tamen carcerem metuere cogebantur, quo conjici in vincula ſolebant, ſi non ſolverent. Lege Julia carceris etiam publici metus exemptus debitoribus, qui bonis cederent. Sic in locum

locum carceris publici & vinculorum ſucceſſit ignominia, quæ ex bonorum ceſſione ingruebat. Hanc ipſam ignominioſam bonorum ceſſionē ſuſtulit etiam demum Juſtinianus Conſtitutione Novella cxxxv, qua ſanxit, ne debitores, qui non ſuo vitio, aut inertia, ſed infortunio aliquo decoxiſſent, cogerentur bonis cedere, ſed poſtquam jurati affirmaſſent, ſe nihil in bonis habere, unde ſolverent, ab omni creditorum moleſtia liberi ambularent. Titulus Novellæ eſt περὶ τοῦ μὴ ἀναγκάζεσθαί τινας ἐκστασίῳ χρήσασθαι. Ubi ἐκστάσιον, ut notum eſt, de bonorum ceſſione, quæ & ἔκστασις ὑπαρχόντων dicitur in Synopſin Baſilicorum. Gloſſæ veteres: Ἔκστασιν ὑπαρχόντων, *Bonorum ceſſio.* Sed & ita accipienda hæc vox in Novella Conſtantini apud Harmenopulum lib. I, tit. XVI de militantibus: Εἰ δ' ἑτέρων αὐτοὺς ἐξελασάντων, ἢ αὐτῶν ἐκείνων ἐκστασίῳ χρησαμένων ἄλλοι τούτους κατοικτείραντες ἐδέξαντο, εἴτε παροικεῖν, εἴτε θητεύειν, ἀνεύθυνοι ἔσονται. Ita legenda hæc ſunt, non ut vulgo: ἢ αὔτων, ἢ ἐκείνων. *Si, cum alii eos ſedibus ſuis expulerint, aut ipſi ceſſione bonorum uſi, ſponte diſceſſerint, ab aliis miſericordia adductis excepti fuerint, advenarum loco, aut mercenariorum, impune illis ſit.* Male vertūt viri doctiſſimi: *Aut ipſi etiam forte ex ſtatione ſua diſceſſerint.* De militibus enim loquitur, qui ceſſionem bonorum fecerint, & ſedibus ſuis relictis, & profugi, aliquorum humanitate ac miſeratione excepti fuerunt, colonorum apud eos vicem, vel mercenariorum obituri miniſteria. Atque hæc hactenus. Sequenti volumine Juſtinianeas uſuras explicabimus; quarum minimus fuit modus. Simul etiam definiemus, quem modum uſuris, ac rei fœnebri, in orbe Christiano imponi conveniat, hoc poſito quod ſine his eſſe non poſſit, ſicut in priore volumine jam demonſtratum eſt, & amplius in ultimo confirmabimus.

FINIS.

TABVLA AVCTORVM EMENDATORVM.

AGellius. 236.477. 478.660.811. 812
Alexander. lib. XII. C. de Vſur. 319
Ammianus Marcellinus. 101. 471
Ammonius. 60.71.264.875. 876
Apoſtolius. 814
Apuleius. 706
Ariſtoteles. 14.41.42
Arrianus 164
Baſilicorum Synopſis. 5.54.587
Cecilius Gallus apud Agellium. 660
Ceſar. 706
Cajus IC. 743
Capitolinus. 286
Cato priſcus apud Agellium. 477.478
Cicero. 595.732.740
Columella. 279.280.294
Canones. 323.324.325
Demoſthenes. 83.87.88.107. 154.162. 190.191.192. 193.210.211.219.401. 404.508.713.763.769. 770.774.784
Diogenes Laërtius. 63.353
Dionis Excerpta ex libro Conſtãtini Περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας. 855.856
Dionyſius Halicarnaſſenſis. 808
Diphili Sicelicum. 235
Epicharmus. 260.261
Etymologicum magnum. 98. 102.262.574
Euſtathius. 585.586
Excerpta ex libris Pontificum. 237
Galenus. 274
Gloſſæ. 551
Gloſſæ Nomicæ. 286.618
Gloſſarium ἀνέκδοτον. 306
Harmenopulus. 891.544.629
Harpocration. 85.99.164.191. 192.422.504.730.780
Harpocrationis cõmentator. 729
Heſychius. 13.14.103.159. 255.257.259.413.425. 580.694.728.774
Horatius. 820
Inſcriptiones. 276.281.283
Interdictum Quod vi aut clam. 659
Iſæus. 159.170
Iſidorus. 600
Iuſtiniani Conſtitutiones. 77
Iuvenalis. 514
Lampridius. 291
Lex Antonini. 207
Leges Atticæ. 167.170
Leges duodecim tabb. 812.818. 819
Leges Leonis & Conſtantini. 517
Lex Rhodia. 89.203.204.205. 306.356
Leges Scævolæ. 349.350.354. 359.361. &c.
Leges aliæ. 346.364.365.437. 438.441.471.472.510. 511.567.639.647.655. 818
Livius. 838
Lucillius. 455

Mani-

Manilius. 831
Maximus Tyrius. 87
Membranæ Piſanæ. 362
Modeſtinus. 283
Nonius. 456
Novellæ. 529.530.531
Ovidius. 139
Papinianus. 305.308.347
Paulus IC. 409.454.462.623. 749.795
Pauli IC. interpretatio Græca. 397
Pauli IC. ſententiæ. 515.591. 592
Phædrus. 705
Pherecrates. 585.586
Philemon. 263
Philoxenus. 738.811.889
Phrynichus. 83.803
Plautus. 452
Plinius. 269.294.706
Plutarchus. 41.103.298.299
Pollux. 70.78.84.192.196. 234.235.247.250.254. 257.259.260.261.262. 263.389.402.584.589. 729.777
Polybius. 85
Prudentius. 680
Quintilianus. 451.453.464
Ruffinus. 333.334
Siculus Flaccus. 294
Senatusconſultum Velleianum. 726
Seneca. 391.739.740
Sidonius Apollinaris. 149
Soſipater. 407
Suetonius. 408.442.459.460. 466
Suidas. 41.88 98.99.102.160. 217.728.751.777.814
Symmachus. 519
Tacitus. 291
Tertullianus. 591
Theodoſius. 640
Theophilus. 178.195
Theophraſtus. 306.449
Theopompus comicus. 259
Tribonian. 4.28.429.605.607
Varro. 241.699.735.835.837
Vlpianus. 182.415.416.471. 576.745.793
Xenophon. 25.27.192.653.654
Zenobius. 814

INDEX AVCTORVM NOTATORVM.

Acro. 693
Agellius. 18. 701. 702. 823. 824. 825. 826. 827,832
Agricola. 17
Ammiani Marcellini commentator. 647.649.651.673
Ammonius. 98.100.101.105. 789.
Anianus. 123.769
Apollonii ſcholiaſtes. 99.105
Arcadius grammaticus. 256
Ariſtophanis interpretes. 198. 549
Ariſtophanis ſcholiaſtes. 98.99. 100.105
Ariſtotelis interpretes. 220
Ariſtotelis paraphraſt. 872.873

Aſconius Padianus. 393. 396. 399. 829
Auctor de imperio maris. 205. 206
Auſonius. 734
Balſamo. 328. 331
Baſilicorum interpretes 126
Beroaldus. 466
Briſſonius. 465
Budæus. 17. 158. 271. 280. 289. 304
Cæcilius IC. apud Agellium 823. 824. 825. 826. 827
Cæſaris de bello Gallico interpres Græcus. 828
Caius IC. 496. 510
Camerarius. 216
Canonum interpretes. 315. 317
Cato priſcus apud Agellium. 477. 478. 480. 481
Chriſtiani Rumpſii codex. 877. 880
Cicero. 298
Concilium VI in Trullo. 331
Cratinus comicus. 100. 101
Cujacius. 145. 456. 490. 603. 671. 726. 731. 732. 733. 744. 868
Dalecampius. 57
Demoſthenis interpretes. 162. 166. 212. 213. 214. 219. 502. 639. 691. 722. 757. 761. 762. 770. 775. 779. 786
Demoſthenis ſcholiaſtes. 723
Diogenis Laërtii interpres. 558
Dionis Excerptorum, ex libro Conſtantini Περὶ ἀρετῆς κὴ κακίας, *interpres.* 854. 855
Dionyſius Halicarnaſſæus. 696. 697. 698
Dionyſii Halicarnaſſenſis interpres. 807
Donatus. 251. 791. 796
Duodecim tabb. enarrator. 789. 822
Erpenii interpres. 519
Etymologici magni auctor. 98. 101. 105. 679
Euripidis ſcholiaſtes. 142
Euſtathius. 586
Favorinus. 477. 480. 481
Feſtus. 813
Gentianus Hervetus. 316
Gloſſarum nomicarum auctor. 109
Gloſſarum auctor. 353
Gloſſæ Græco-Latinæ. 718
Gloſſæ incomparabiles, & admiratores earum. 568
Gruterus. 406
Hadrianus Iunius. 289
Harmenopulus. 151. 725
Harmenopuli interpretes. 891
Harpocration. 48. 99. 105. 219. 770
Harpocrationis gloſſator. 648
Herodoti interpres. 421
Heſychius. 137
Hieronymus. 552
Horatii criticus. 881
Hotomannus. 288. 289. 305. 329. 379. 381. 417. 418. 435. 463. 465. 512. 532. 533. 597. 598. 607. 624. 626. 627. 709. 726. 816. 839. 844. 845. 847. 848. 888
Inſcriptionum interpres. 278
Interpres vetus. 726. 518. 519
Iſidorus. 443. 603
Iureconſulti varii, magni, clarique. 122. 201. 286. 292. 349. 404. 423. 493. 494. 495. 513. 514. 640. 647. 648. 649. 720. 725. 743. 860. 862
Iuſtinianus. 149. 172. 181. 182.

182. 188. 189. 207. 428. 499. 528. 530. 537. 541. 595. 596. 597. 616. 741. 742
Legis Rhodiæ interpres. 201. 203. 214. 306
Legum Atticarum enarratro. 11. 21. 23. 30. 32. 33. 94. 131. 152. 153. 154. 156. 158. 161. 162. 165. 167. 168. 170. 171. 193. 195. 210. 212. 218. 425. 675. 690. 760. 774. 780. 783. 786. 792
Leunclavius. 214. 306
Lipſius. 406. 466. 630
Macer Iuriſc. 106
Marcilius. 826
Maximi Tyrii interpres. 133. 196
Molinæus. 174. 350. 351. 368. 370. 371. 372. 373. 374. 376. 377. 378
Moſes Gerundenſis, R. 322
Nonni Ariſtarchus. 72. 518. 674. 675. 676. 677. 678. 680
Novella Leonis. 441
Novellarum interpres. 440. 441
Novellarum intitulator. 530. 570
Onirocriticω̃n interpres. 517
Paulus IC. 410. 411. 412. 413
Phaſnias Ereſius. 99. 101. 109
Pithæus. 878. 879. 880
Pollux. 130. 234. 235
Pollucis interpres. 389
Porphyrius. 693
Quidam bipedum. 292
Robertus IC. 456
Ruſſardus. 605
Salmaſii præceptor. 436. 437. 604
Scaliger. 11. 12. 15. 21. 23. 30. 33. 34. 36. 62. 67. 68. 69. 90. 91. 92. 218. 232. 244. 249. 252. 253. 259. 264. 265. 270. 271. 276. 278. 281. 285. 286. 288. 289. 309. 329. 735. 736. 830. 831
Servius. 237. 296. 352
Snellius. 68
Simeon filius Gamalielis. 744
Suetonii commentatores. 407. 466
Suidas. 98. 99. 101. 105. 777. 778
Sylburgius. 216
Theophilus IC. 707. 708. 888
Theophraſti interpres, & commentator. 61. 71. 186. 306. 638
Thomas Magiſter. 98. 100. 101
Tribonianus. 111. 112. 113. 114. 120. 122. 179. 304. 347. 361. 364. 426. 427. 474. 496. 500. 501. 511. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 542. 543. 546. 588. 590. 592. 593. 594. 596. 605. 606. 618. 620. 663. 664. 702. 703. 707. 709. 710. 716. 742. 745. 769. 795. 888
Turnebus. 449. 450. 740
Varro. 252
Vir magnus in epiſtola ad Scaligerum. 198
Viri magni, clarique, varii. 14. 324. 750. 753. 833. 886
Vitruvius. 17. 242
Vitruvii interpres. 294. 295
Vlpianus. 94. 95. 97. 407. 408. 457
Vlpiani ſcholiaſtes. 775
Xenophontis interpres. 24. 655
Zonaras. 316. 328
Zonaræ interpres. 316

INDEX

INDEX GRÆCVS.

A.

A & Δ confuſa. 259
Ἄγειν, & ἀπάγειν. 757.761.768. 771. 772. 773. 780. 785.786.790.808.819
Ἄγειν, φέρειν. 785.786.787. 788.789
Ἀγορὰ, ἰφορεία. 770
Ἀγοραῖος, & ἀγόραιος. 71
Ἀγορασία, quale συνάλλαγμα? 521
Ἀγωγὴ, αἵρεσις. 830
Ἀγωγὴ, & ἀπαγωγή. 819
Ἀγωγὴ δημοτικὴ, & δημοσία. actio popularis. 126
Ἀγυιεὺς βωμός. 680
Ἀγώγιμα, addicta à prætore. 871
Ἀγώγιμον γίνεσθαι. 756.758. 760.766.771.772.773. 780.784.785.787.788. 789.790.791.792.794. 797.798.799.801.802. 803.804.805.806.807. 809.810. 818. 819. 820. 836
Ἀγώγιμοι, ſervi perpetui. 876
Ἀγώγιμοι, & addicentes ſe ipſos, eorumq; ſors apud creditorem. 890
Ἀγώγιμος, ἔκδοτος. 888. 889
Ἄδηλον τῶν καιρῶν, uſuras excuſandi ratio. 336
Ἀδίκημα ἄγραφον, ſtellionatus. 589
Ἀδικήματα, & αἰτίαι. 758
Ἀδικήματα δημόσια, καὶ ἰδιωτικά. 107.109
Ἀδικήματα δημόσια, capitalia crimina. 129.130
Ἀδικία, injuria. 795
Ἀθληταὶ πολυδάπανοι. 354
Ἀθρόως, &, ἐκ προσαγωγῆς. 880
Αἰκία, quid? 794.795.796
Αἰκίας δίκη, injuriarum ſine vulnere dica. 792
Αἰκίας, multa. 794.496
Αἰκίσασθαι, τύπτειν. 793
Αἵρεσις, τρόπος, δόγμα, ἀγωγή. 830
Αἲς, ᾶς, εῖς, as, æs. 234.240. 256.257
Αἰτεῖν, & αἰτεῖσθαι, petere dono & mutuo. 298
Αἰτία, ἔλεγχος, τίτλος. 675
Αἰτίαι, & ἀδικήματα. 758
Αἰχμαλωσία ἀπαγωγή. 773
Ἀκινήτου ἀντίχρησις. 632

Ἀλλα.

Ἀλληλέγγυοι, contraplegii. 700
Ἀλληλέγγυον Baſilii Imperatoris. 701
Ἀλληλεγγύως δανείζεσθαι. 700
Ἀλλήλους ἐγγυᾶσθαι. 700
Ἀλλοτριῶσαι, aliefacere, aliefactare. 471
Ἀλόντες, rei. 777
Ἀλφεσίβοιαι. 138.143
Ἅλλω, ſalio. 671
Ἁμαρτήματα, delicta, crimina privata. 109
Ἀμοιβὴ, verſura, fœnus, χρέος. 292.293
Ἀμφοτερόπλουν δάνεισμα. 196
Ἀμφοτερόπλους, utraque navigationis pars. 22
Ἀμφοτερόπλους τόκος. 356. 357.358.359.361.364
Ἀνάγκη, quid? 729.730
Ἀνάγλυφος γλυφή. 678
Ἀναγωγὴ, redhibitio. 729
Ἀναδέχεσθαι, fidejubere. 585. ſolutionẽ in ſe recipere. 721
Ἀναδέχεσθαι δίκην. 692
Ἀναδοχαὶ, ἐγγύαι. 721
Ἀνάδοχος, fidejuſſor. 585. 685. ἔγγυος, præs, vas. 689. receptor, ſponſor. 721
Ἀνάεδνοι παιδίσκαι. 140. 143
Ἀνάεδνον petere, & ἀνάεδνον ducere; ut Caſſandram, & Agamemnonis filiam; diſcrepant. 140.143
Ἀνακαλυπτηρίων dies, nuptiarum tertius. 144
Ἀναργυρίας παραγραφὴ, exceptio pecuniæ non numeratæ. 472
Ἀνασπάσαι ῥύπον. 452
Ἀνατοκισμὸς, renovatio uſuræ. 92.93
Ἀνδρολήψιον, & ἀνδροληψία, repreſalia. 212.213. clarigatio. 550.551.554. 555.561.570
Ἀνδροφόνων νόμος. 784
Ἀνέγγυος· ἄπιστος. 90
Ἀνελέσθαι συγγραφὴν, γραφὴν, δίκην. tollere, extinguere. 470.471
Ἀνελέσθαι χειρόγραφον· ἀναλαβεῖν. 470.471
Ἄνοιγμα, ſcalptura. 677
Ἄνθη, ἄνθησις. 211
Ἀνθήλιοι θεοὶ, καὶ βωμοί. 680
Ἀντέρως. 629
Ἀντιβαδιασταὶ, quinam? 586. 587
Ἀντιγονὶς πρυτανεία. 61
Ἀντίγραφον, exemplũ. 418. 419
Ἀντίδοσις in corpore decentorum, Athenis. 172
Ἀντιδωρεὰ, & ἀντίδωρον. 142. 629
Ἀντίτυπον, exemplum. 418. 419

Ἀντίφερνη, & ἀντίφερνον. 141. 142.147
Ἀντιφορτίζεσθαι, quid? 507
Ἀντιφωνεῖν, quid? 715.718. 721.724.725.726
Ἀντιφώνησις, & ἀντιφωνητὴς, quid? 718.719.723.724. 725.726
Ἀντίφωνος ἠχώ. 715
Ἀντίχαρις, quid? 142.629
Ἀντιχρῆσαι, remutuare. 619
Ἀντιχρήσεως contractus, & θεματισμοῦ. 621
Ἀντίχρησις, mutuatio contraria. 346. contrarium mutuum; pignus. 342. 618. 619. mutuum ἀντιχρήσεως. 629.631
Ἀντίχρησις, non eſt pactum in pignore. 620
Ἀντίχρησις pura puta. 624. ſine pignoris conventione. 625. 626. 627. propria. 628. vera & germana. 631. 632. facta, nulla. 622. rerum immobilium. 540.867
Ἀντίχρησις, & pignus, & hypotheca. 620
Ἀξιοπιστία teſtamentorum, unde? 445
Ἀξιοπίστους facit fides. 388
Ἀξιόχρεα prædia. 737
Ἀξιοχρέους facit res ſeu facultates. 388
Ἀξιόχρεως, præs. 737
Ἄξονες, & κύρβεις. 98.101. 103.105.128
Ἄξονος κέντρον κνώδαξ, γνώμων. 102.103
Ἄξων, axis. 766.767
Ἀπάγεσθαι πρὸς τὰ χρέα. 807
Ἀπάγειν, & ἄγειν. 757. 760. 761.764.765.766.768. 771.772.774.776.779. 780.781.782.785.790. 799.808.819
Ἄπαγρος, ſine venatione. 251
Ἀπαγωγὴ, quid? 773. 774. 775.776.779.780.781. 782.783.784.785.790. 798.819
Ἀπαγωγῆς τιμωρία. 777
Ἀπαγώγιμος, & ἀγώγιμος. 760.761.766.771.772. 790.798
Ἀπαρτία, & ἀπαρτισμός. 84. 85
Ἀπελεύθερος, quis? 803.875. 876
Ἀπεψηφισμένοι, quinam? 752
Ἄπιχθυς, ſine piſce. 251
Ἀπὸ, in cōpoſitione, quid efficiat? 251
Ἀποδόμενος, venditor. 734
Ἀπογραφὴ, profeſſio. 882
Ἀπόγυα χοινία, γυαῖα. 689
Ἀποκλείειν, & θανάτῳ ζημιῶσαι. 764

Ἀπί-

Ἀπόλειψις, & ἀποπομπή. 160
Ἀπομέτρημα, demenſum. 163
Ἀποπομπὴ, & ἀπόλειψις. 160
Ἀποσημαίνεσθαι, σφραγίζεσθαι. 653.654
Ἀποσημαίνειν, & ἀποσημείωσις, quid? 450
Ἀποσκευή, vaſa, ſupellex. 84
Ἀποσφραγίζειν, reſignare. 455
Ἀποτιμήματα, quid? 509
Ἀποτίμησις· cenſus. 882
Ἀπουσία· ἀφουσία. 881
Ἀποψηφισθέντες, quinam? 752
Ἀποψηφισθῆναι, quid? 874. 877
Ἀποψήφισις, quid? 751
Ἄπτυικος κασσάνδρα. 140
Ἄπτεσθαι κλημάτων, aliud ac ἐμβατεύειν. 576
Ἀργητικὴ ἡμέρα. 811
Ἀργυραμοιβοί, λιτρόσκοποι. 242
Ἀργυροθήκη, loculi. 422
Ἀργυροῦς, argenteus Atticus. 242
Ἀρετή, de vita militari. 87
Ἁρμαλιὴ ἔμμηνος, ſervorum demenſum. 163
Ἁρπαγή, clarigatio. 551. 555
Ἀρραβὼν, ἐνέχυρον, pignus. 489. quid? 582.583.584. etymon. 585
Ἀρχέτυπον, πρωτότυπον. 671
Ας, αντος, terminatio in nominibus Siculis, ut τρίας, πέτρας, ἕξας, ὄκτας, δίκας, an περισπωμένη, vel συστελλομένη? 256
Ἂς, unus; pro uno æreo, λεπτὸν ἕξ. 258.259
Ἂς, οὐγκία, Siculis, εἷς χαλκοῦς. 259.260. duodecima libræ. 261
Ἂς, αἶς, εἷς, as, æs. 234.240. 256.257
Ἀσσάριον, aſſis. 236
Ἄστικα prædia. 636
Ἀστὸς, & μέτοικος. 137
Ἀσύγγραφα δάνεια. 389
Ἀσύγγραφον, χειρόδοτον, ἀχρημάτιστον. 390
Ἄσυλα πλοῖα. 213
Ἀσφάλεια, cautio. 420. συγγραφή. 426
Ἀσφαλεῖς ὑποθῆκαι ἔγγαιοι. 278
Ἀτταλὶς πρυτανεία. 61
Ἄτιμοι, qui? 786
Αὐθαίρετος ἑαυτὸν εἰς δοῦλον βάλλων· auctoratus. 864. 865
Αὔξη, αὔξησις. 211
Αὐτογνώμονες δικασταὶ, judices ſui periculi. 672. 673

Αὐτόματοι μηχαναὶ, in theatris, & ὑπάγουσαι, quid? 297
Αὐτοματοποιητικὴ, machinas ſcenicas αὐτοματοποιήτους faciendi peritia. 297
Αὐτομαχεῖν, quid? 730
Ἀφαμιῶται· περίοικοι. 874
Ἀφορμὴ, qualis pecunia? 24
Ἀφουσία· ἀπουσία. 881
Ἀχρηματιστον, χειρόδοτον. 390. 392

B.

BΑ'δλω· βαδόν. 629
Βαδιάζειν, invadiare, oppignerare. 586
Βαδίζειν, ire, vadere. 692
Βάδιον, vadium, pignus. 586
Βάδιζις, τὸ βάδος. itio. 692. 694
Βαδόν· βάδλω. 692
Βαθῦναι, & κοιλᾶναι. 677
Βάλλειν, βολεῖν. 518
Βάναυσος, & θής. 872. 873
Βας, βαδός· βάτης, & βας, βάσος· vas. 692. 693. 694
Βάτης, ambulator. 692
Βατον, vadum. 692
Βεβαιοῦν, κομιτάτον. 615
Βεβαίωσις, fidejuſſio. 728. 730. 731. 734
Βεβαιωτὴς, quis? 584. auctor ſecundus. 699. vas. 700. ſponſor. 727. 728. 731. 733. 734. fidejuſſor. 744
Βίβλειος συγγραφή. periculum. 401. 402
Βιβλίδια, libelli. 407
Βιβλίδια, & πινακίδες. 420
Βιβλίδιον, libellus chartaceus. 424. χειρόγραφον 420
Βιβλίδιον, & γραμματεῖον de periculo, & authentico ſcripto. 403
Βιβλιδίου κόλλημα. 415
Βιβλιογράφοι. 413
Βιβλιοθήκη. 413
Βιβλίον, quid? 400. 401. 406. 412
Βιβλιοπῶλαι. 413
Βίβλος, liber. 406
Βίβλος, quid? 401. 402. 413
Βινδίκτα· vindicta, virgula. 880
Βίος ἐξ ἀρετῆς, καὶ ἐκ γῆς, uter reipublicæ utilior? 87
Βίος, ἡ ὅλη οὐσία. 829
Βίοτος, ἡ οὐσία. 829
Βιώνης, ὁ βίου redemptor. 829
Βιωνία, ſectio. 830
Βλάβης actio. 552
Βλέφαρον, γλέφαρον. 406. 671
Βλίβος, liber. 406

Βοηδρομιὼν, ſeptember, annuus terminus Atticarum navigationum. 213
Βόθρος, γλυφή. 677
Βολεῖν, βάλλειν. 518
Βόλον ἀγρεάζειν. 353
Βύλλωσις κηρίνη· σφραγίς. 439
Βουστροφηδὸν, ſcribendi genus. 293.759
Βύρσα, διφθέρα. 413
Βωμὸς ἀνθήλιος, ἀγυιεύς. 680

Γ.

Γλάψαι, & γλύψαι. 677
Γλέφαρον, βλέφαρον. 406. 671
Γλήχων, βλήχων. 406
Γλίϐος, liber. 406
Γλυφὴ, ſcalptura. 676. 677
Γλύψαι, & γλάψαι. 677
Γλωσσόκομον, loculus argenti. γραμματεῖον. 421. 422
Γνώμων, κνώδαξ, κέντρον ἄξονος. 102.103
Γράμμα ξυσθὲν, raſa, cavata littera. 464
Γράμματα, quales tituli literati? 637. cujus juris? 641.642.648
Γράμματα, ὅροι, tituli. 674. libri, inſtrumentum, tabulæ. 675
Γραμματεῖον, ἀσφάλεια, συγγραφὴ, συμβόλαιον. 426. βιβλίον. 413. 414. γλωσσόκομον. 421. γραμματίδιον, συμβόλαιον, χειρόγραφον· authenticum nempe. 392. 402. 404. pactum conventum. 512. pugillar; ſyngrapha; item chirographum. & unde derivatum? 422. 424. ſcriptum. 781. tabula cerata. 421. Tãtum in ſcriptura. 517
Γραμματείων, tabularum, genera. 404
Γραμματεὺς, publicus ſcriba, notarius, tabellio, tabularius. 393. 422. 424. 441. 443
Γραμματίδιον, periculum. 672. συγγραφή. 421. tabula. 424
Γραμματογράφοι, tabularii publici. 675
Γράφειν, curare ſcribi. 675. vocis origo. 677
Γράφεσθαι· ſcribere, ſubſcribere dicam. 108. in crimen ſubſcribere. 771. 779
Γραφαὶ δημόσιαι, quid? 782
Γραφὴ, & δίκη. 108

Γραφὴ, κατηγορία. 108. χείρ. 391
Γριπεὺς, piſcator. 353
Γριπίζειν, piſcari, capere. 353
Γριπὸς, capax. 353
Γρῖπος, βόλος, jactus retis. 353
Γρῖφος, rete. 353.881
Γρῖφοι, ænigmata. 353
Γρόνθος, ictus pugni. 538
Γυαῖα, ἀπόγυα χοινία. 689
Γύη· γῆ. 78.90.688
Γύη πλέθρου. 689

Δ.

Δ & A confuſa. 259
Δαιμονιζόμενοι, χειμαζόμενοι, ἀγώνιμοι. 788
Δακτυλιοθήκη, annulorum loculus. 422
Δάνειον ἐπὶ γῆς καὶ θαλάσσης. 186
Δάνειον, expenſum. 474
Δάνεια ἀσύγγραφα. 389
Δάνεια πεπιστευμένα ἐπὶ τοῖς σώμασι. 61.754
Δάνεια, quale συνάλλαγμα? 521
Δανείζειν, quid? 293. & δανείζεσθαι. 298. 502. 503. 553.881
Δανείζεσθαι ἀλληλεγγύως. 700. διαποντίως, ναυτικῶς. 81. 190. ἐγγράφως, ἢ ἀγράφως. 517. ἐπ' ἐνεχύροις, καὶ σώμασι. 487. ἐπὶ σώμασι. 748. 754. 792. 806. quod prohibitum. 858. ἐπὶ παισί. 754. ἐπὶ τῷ σκεύει, τῷ ἀγρῷ, τῇ οἰκίᾳ. 754. μετὰ συγγραφῆς, &, τὰ ἀσύγγραφα. 390
Δανεισμὸς, συνάλλαγμα ἑκούσιον. 520
Δανεισμὸς ὁ ἐπὶ σώμασι, nexus corporum. 844
Δανείσματα χειρόδοτα. 389. 390.392
Δάνεισμα, & τόκος, non idem. 186.187
Δάνεισμα ἔγγυον, καὶ ναυτικόν. 77. 78. 89. 90. 92. 190.192.196.208.
Δάνεισμα κατ' ἔκδοσιν, κατ' ἐκδόσεις. 192.193
Δάνεισμα ποιεῖν, & ποιεῖσθαι. 503
Δανεισταὶ προσωπικοὶ, καὶ ἐνυπόθηκοι. 487
Δαρεικοὶ, nummi aurei duarum drachmarum. 68
Δεδέσθαι, ἐν ξύλῳ nempe. 812.813
Δεκάλιτρον, drachma argentea Siculorum. 243. 244.246.247.248. denarius. 249.250

Δέκαν-

Δέκατες τόκοι. 275
Δέκας, dextans, δεκούγκιον, decunx. 251. 255. 257. 260
Δέλτοι, βιβλία. 413. 414. codicilli. 420
Δέρμα. διφθέρα. 413
Δεσμῶν genera, vinciendis noxiis. 812. 816. 817. 818
Δεσμωτηρίου δίαιτα. 820
Δεύτερον, & ἥμισυ μέρος. 40
Δεύτερον ἡμίδραχμον, ſeſalter, pes ſecundus. 332
Δημητριαὶ πρυτανεῖα. 61
Δημόσιαι γραφαὶ, quid? 782
Δημοσιῶναι, publicani, τὸ δημόσιον ὠνοῦντες. 206
Διαδοχαὶ, ſucceſſiones ab inteſtato. 856
Διαθήκη, διαθῆκαι. 516. qualia συναλλάγματα? 521. γράμμα δήμιον, δημόσιον. 675
Δίαιτα δεσμωτηρίου. 820
Διαιτηταὶ, judices qui? 117
Διαιτητὴς furti, arbiter. 778. 779
Διακενῆς ἐνεχυράζειν. 552. 557
Διακεχρεωσμένον, per partes varias creditum. 191
Διακοσιοστὴ χιλιοστὴ, τόκος. 290
Διαπαρθένια, qualia dona. 145
Διαπόντιον δάνεισμα. 81. 90. 190
Διαπόντιος τόκος. 77. 80
Διαποντίως δανείζειν. 81
Διασημαίνεσθαι, deſcribere, conſcribere. 440. 441
Διατομὴ, ſupplicii genus. 825
Διάτρητον, interraſile. 464
Διαψήφισις, quid? 752. 753
Διδακτρον, menſtruum, annuum. 65
Διδασκαλία, ὑποθήκη. 499
Διδόναι ὑποθήκην, εἰς ὑποθήκην. 537. pignori dare. 544. 545
Δίδοσθαι ὑποθήκας. 494
Δίδραχμα, nummus argenteus. 66. 69. 70. 71
Διεγγύησιν δοῦναι· ſponſionem ſpondere. 697
Δίθυρα γραμματίδια. 407. 421. γραμματεῖα. 461
Δίκαι ἐμπορικαί. 691
Δίκαι δημόσιαι, καὶ ἰδιωτικαί. 107
Δίκη δημοσία, & ἰδία, actio publica, & privata. 131
Δίκη, actio civilis. 778
Δίκη αἰκίας, ἰδιωτική· injuriarum ſine vulnere dica. 792
Δίκη βεβαιώσεως. 728. 730. 731. 734. ἐξούλης. 575. παρασταλική. 694. χρέους, συμβολαίου, συνθηκῶν, actiones

nes privatæ. 425
Δίκη, & γραφή. 108
Δίκην ἀναδέχεσθαι. 692
Δικλίδες, δίθυροι. 421
Δικάζεσθαι, intendere actionem. 772. ad interdictum litigare. actione civili agere. 778
Δικασαὶ θεματικοὶ, & πολιτικοί· cincti judices; & privati. 116. ἰδιογνώμονες, αὐτογνώμονες, ſui periculi. 672
Δικαστήρια ἐγκληματικά. 109. τὰ ἄνω, καὶ τὰ κάτω. 758
Δικαστήριον κατ' ἐξοχήν. 589. 590
Δικαστικὸν τριώβολον. 25. 27
Διμοιριαῖος τόκος. 277
Δίμοιρος δωδεκάτη ἑκατοστῆς. 276
Δίμοιρος ἕκτη ἑκατοστῆς. 275
Δίμοιρος τόκος. 277
Δίμοιρον· dues, bes. 16. 252. 253
Δίμοιρον δωδέκατον, dodrãs. 253
Δίμοιρον ἑκατοστῆς. 277
Δίμοιρον τέταρτον, deunx. 253
Δίμοιρον τέταρτον ἑκατοστῆς. 275
Δίμοιρον ἕκτον· dextans. 44
Διξαντίας τόκος, ſextantes uſuræ. 288
Δίξας, δύας, ſextans. 257. 288
Διξὸς, διστός. 257
Διπλάσιος, διπλασίων, quis numerus? 18. ſeſalter. duplus. 332. 333
Διπλάσιοι, διπλοῦν, ἑκατοστῆς, bina centeſima. 347
Δίπτυχα γραμματίδια. 404. γραμματεῖα. 461. πινακίδες. 421
Διφθέρα, βιβλίον. 413. 414
Δίχαλκον, τεταρτημόριον. 262
Διχοτομία, ſupplicii genus. 825
Δόγμα, αἵρεσις. 830
Δουλεύειν, & δοῦλον εἶναι. 877
Δουλεύειν, & θητεύειν. 871
Δουλικὴ ὑπηρεσία· ſervitus. 885
Δουλωθῆναι πρὸς χρέος. 808
Δουλωθέντες πρὸς τὸ χρέος. 822
Δοῦναι διεγγύησιν. idem quod ſpondere. 697. ἐγγύην, ἱκανοδοσίαν· vadimoniũ præſtare. 696
Δραχμή, uncia. 267
Δραχμιαῖον, pretium habẽs drachmæ. 259
Δραχμιαῖος, vel δραχμιαῖος τόκος. 228. 270
Δρέπεσθαι· carpere. 881
Δύας, δίξας, ſextans. 257

Δυσγε-

Δυσχερίστης, avarus, tenax. 353
Δωδέκατον, uncia. 253
Δωδεκάτη ἐκατοστῆς. 290
Δῶρα, μείλια, ἕδνα. 141
Δωρεὰ, quale συνάλλαγμα? 521. 522
Δωρεὰ προγαμιαία, προγάμεια. 147. 148
Δωρεαὶ, non legata, ſed donationes. 854. 855
Δωρεὰν, προῖκα. 141
Δῶρον, & φερνὴ, diverſa. 146. 148
Δὼς, δόσις, dos. 141

E.

Ἑαλωκότες τῇ ψήφῳ, condemnati. 764
Ἐγγυάζειν, ſpondere, reſpōdere. 715
Ἐγγυαλίζω, in manus trado. 714
Ἐγγυᾷν· deſpondere. 166. in manus tradere. 698
Ἐγγυᾷν, & ἐγγυᾶσθαι. 711. 712. 713. 714. 715. 723
Ἐγγυᾶσθαι ἀλλήλους. 700
Ἐγγυᾶσθαί τινα· vadari, vadio obligare. 700. 706
Ἐγγυᾶσθαι, generalis vox. 708
Ἔγγαιοι ὑποθῆκαι· ἀσφαλεῖς. 278. 494. 495. 498. 535
Ἔγγεια κτήματα, vel κλῆροι· prædia. 186. 190. 191. 737. 738
Ἔγγειος, ἔγγαιος, ἔγγεος, κτῆσις, οὐσία, τόκος. 78. 82. 84. 86. 87. 88. 91. 92. 191
Ἔγγειος, vel ἔγγυος τόκος, annuus; non menſtruus. 20. 77
Ἔγγιον, pro ἐγγύτερον. 83. 87
Ἔγγραφος μήνυσις, ἔνδειξις. 781. 783
Ἔγγραφον σύνταγμα, συμβόλαιον. 426
Ἔγγραφος ψῆφος. 441
Ἐγγύαι, ἀναδοχαί. 721
Ἐγγύαι ἐπίτιμοι. 690. 692
Ἐγγύη, & ἀντιφώνησις. 724
Ἐγγύη, contractus voluntarius. 520. cujus juris? 686. 687. pignus, depoſitum. 714. fidejuſſio. 723. ſponſio. 79. 90. traditio, exhibitio, ἔκδοσις. 698. vadimonium. 696. 698. 702
Ἐγγύη ἐμφανείας, παραστάσεως, ſponſio vadimonii. 694. 695
Ἐγγύη, ſecuritas, ἡ ἐπὶ ἀσφαλείᾳ πίστις. & etymon. 688
Ἐγγύα· πάρα δ' ἄτα. 79. 703. 711. 714
Ἐγγύης ἔτυμον. 688
Ἐγγύην δοῦναι· vadimonium præ-

præſtare. 696
Ε'γγύην ὁμολογεῖν· ſponſionē ſpondere. 696. 697. 698
Ε'γγυητὴς, quis? 688. 689. 692. 708. vox generalis. 709. 710. 726. 731. 733. βεβαιωτής, 727. 728. ἔγγυ@· ἔγγυ@· ἀσφαλής. 78. 79. 90. vas. 702
Ε'γγυητὴς, præter ὑποθήκην. 685
Ε'γγυητὴς θανάτου. 698. 699
Ε'γγυος, vox generalis. 709. ἀνάδοχ@, vas, præs. 721. ἐγγυητής. 186. ἀσφαλής. 186. 186. ſponſor. 689. vas. 696. 698. 699
Ε'γγυ@ τόκ@. 77. 78. 80. 90. 92. 689. non ἔγγυ@. 186. 190
Ε'γγυα ὅμηρα, obſides. 688
Ε'γγυον δάνεισμα. 186. 190. 192
Ε'γγυον· debitum tutum. 79. 80. 81. 90
Ε'γγυον· ſecurum. 196. 494. 495. 689. 728
Ε'γγύτης, & ἐγγύη. 698
Ε'γκαλιοσκελεῖς, quinam? 815
Ε'γκλήματα· crimina omnia. 109
Ε'γκληματικὰ δικαστήρια. 109
Ε'γκόλαμμα, γλυφή. 676
Ε'γχειρίζω, ἐγγυαλίζω. 714
Ε'δανὸν, dulce. 141
Ε'δνα, quales dotes? 139. 140. 141. 142. 146
Ε'δνωτὴς, qui dat ἔδνα. 140
Ε'θελόκωφοι, qui nolunt audire. 388
Ε'θ@· νόμ@. 97
Ει, οι, υ, Græciæ ante mille annos ejuſdem pronūciationis. 88
Εἰλητὰ, εἰλητάρια, volumina. 409
Εἱλῶται, vel εἵλωτες Lacedæmoniorum. 874
Εἴργματ@ νομίμων. 774
Εἷς, ſes, es. 736
Εἰς κενὸν, in vacuum, fruſtra. 739
Εἰς μάτην, fruſtra. 739
Εἰς τὸ ἐμφανὲς καταστάσις. 504. 506. 694
Εἰς τοὐμφανὲς καθιστάναι, ἐμφανίζειν. 695. 697
Εἰς ὑποθήκην διδόναι, pignori dare. 544. 545
Εἰσαγγελία, ἀδίκημα, ſtellionatus. 589. 590
Εἰσβάλλειν, quid? 214
Εἰσοχὴ, & ἐξοχή. 676
Ε'κ παντὸς ξύλου. 814
Ε'κ προσαγωγῆς· ſenſim. 880
Ε'κατοσταῖ@ τόκ@, ἑκατοστῆς τόκ@. 228. 230
Ε'κατοστὸς τόκ@, centeſima uſura. 32. 33. 45

Ε'κα-

Ἐκατοστή. 226. 227. 228. 274
Ἐκατοστή, ſcilicet δραχμή, & ἑκατοστῆς τόκος. 230. 231
Ἐκατοστή, centeſima. 58. Græcorum. 267. 268. 270. 271. legitima uſura. 328
Ἐκατοστή, & ἡμιολία, male confuſa. 331
Ἐκδέχεσθαι, fidejubere. 585
Ἔκδοχος, fidejuſſor. 585
Ἐκδιδόναι, quid? 193. 196. ἐγγυᾶν. 711. 712
Ἐκδιδόντες, locatores publicorum operum. 193
Ἔκδοσις· ἐγγύη. 698
Ἔκδοσις· ναυτικὸν δάνεισμα. 78. trajecticia pecunia. 192. 193. 196. 199
Ἔκδοσις κολάσεως· noxæ deditio. 889
Ἔκδοσις χρημάτων, pecunia depoſita. 714
Ἔκδοτον χρῆμα, pecunia trajecticia, projecticia, expoſiticia. 196. 199
Ἔκδοτος, ἀγώγιμος, addictus, deditus. 802. 803. 805. noxæ deditus. 888. 889
Ἐκλήπτωρ, redemptor, ſector. 829
Ἐκστάσιον, ἔκστασις, ὑπαρχόντων· ceſſio bonorū. 891
Ἔκτη ἑκατοστῆς. 288
Ἔκτον ἑκατοστῆς, & ἐφεκτον. 33
Ἔκτον, ἔκτη, ſextans. 253
Ἐκτύπωμα, & ἐντύπωμα. 676. 677
Ἔλεγχος, quid? 670. 672. 675
Ἐλευθερία ἡ ἐπὶ τοῦ ἄρχοντος γενομένη· vindicta. 880
Ἐλεύθερον, nulli alii obligatum. 505
Ἐλευθερωθείς· ingenuus. 876
Ἐμβαδία, ἐμβατεία, quid? 574. 692
Ἐμβαδόν· locus planus, ſolida ſuperficies. 692
Ἐμβαλέσθαι, navim onerare. 214
Ἐμβάς· ἐμβάτης. 692
Ἐμβατεία, ἐμβαδία, quid? 574. 575. 692
Ἐμβατεύειν, quid? 575
Ἐμβατευτικὸν jus. 575
Ἐμβάτης· ἐμβάς. 692
Ἐμβολή, navis, onus. 214
Ἐμβόλιμοι menſes. 157
Ἔμι, ſum. 736
Ἐμπόλημα, negotiatio. 376
Ἐμπορικαὶ δίκαι. 691
Ἐμφανείας, παραστάσεως, vadimonii, ἐγγύη. 694. 695. 696. 698
Ἐμφάνειαν παρασχεῖν. 695

Ἐμ-

Ἐμφανίζειν, εἰς τὸ ἐμφανὲς καθιστάναι. 695
Ἐμφυτευτικὸν, ἐμβατευτικόν. 575
Ἐνήμισυ, ἀοσάριον, idem quod ſeſquas. 332.335
Ἐναντιοῦσθαι τῷ νόμῳ, committere. 615
Ἐνδεδεμένος, obligatus. 738
Ἔνδεια, reliquatio debiti. 713
Ἐνδεικνύναι, deferre, accuſare, nomē alicujus. 779. 783.784.
Ἐνδείκτης, delator, accuſator. 779.783
Ἔνδειξις, quæ actio? 779. 780.781.782.783.784. 785
Ἐνδείξεως falſæ multa. 782. 784
Ἐνδέκας, deunx. 251
Ἐνδέκας τόκος, undecim in centum. 275
Ἐνδεκούγκιον, deunx. 252
Ἐνδομενία· ἐπιπόλαιος κλῆσις. 84
Ἐνεγγυᾶσθαι, ſpondere, reſpondere. 715
Ἐνέχεσθαι, ἔνοχον εἶναι. 489. κρατεῖσθαι, συνέχεσθαι, κατέχεσθαι. 489.494.507
Ἐνεχύρου nomen. 488.489. 507. 688. ipſum, quid? 581. 583. τὸ παρακαταθήκη. 580. ἀῤῥαβών. 489. 585. fiducia. 590. pignus. 488. 489. 553. ὑπάλλαγμα. 581. ὑποθήκη. 507. 509. 535. res immobilis, quæ poſſidenda pignori datur. 528. mobilis rei pignus. 573. οἰκία, χωρίον. 509
Ἐνέχυρον, & ὑποθήκη. 489. 490.491.496.497.499. 543.595.596
Ἐνέχυρον, & pignus. 539.544
Ἐνέχυρον γενικόν. 529. 530. 532. ἰδικόν. 528.529.530. 531.532
Ἐνέχυρα ἰδικά, pignora ἀντιχρηστικά. 632
Ἐνέχυρον ἀντιχρηστικόν. 624. 626.627.632
Ἐνέχυρον σωματικόν. 528.529
Ἐνέχυρον θεῖναι. 501. ὑποτίθεσθαι. 535. παραδιδόναι de navi. 713
Ἐνέχυρα, ὑποδείσματα. 580
Ἐνέχυρα λαβεῖν. 550. λαμβάνεσθαι. 756. ὑποκεῖσθαι. 501. θεῖναι, ὑποθῆναι. 580. ὑποτίθεσθαι. 499. quod ſolitum tantum in mobilibus; unde & τὸ ὑποθήκη dictum. 508
Ἐνεχυράζειν, quid? 549. uſque 560. 567.568.569. 570.583
Ἐνεχυράζειν διαχειρίας. 552
Ἐνεχυράζειν τὴν οἰκίαν. 551

Ἐνε-

Ἐνεχυράζεσθαι, de perſona cujus capiuntur pignora. 550. pignorari. 739. 754
Ἐνεχυρασία, ἐνεχυρασμός. 568. 573. 574. duplex. 570
Ἐνεχυρασία corporum. 805. nexus. 839
Ἐνεχυρασία, ἐνεχυρασμὸς, ἐπ' ἰδίῳ σώματι. 883. 884
Ἐνεχυρασίαν ποιεῖσθαι. 550
Ἐνεχύρασμα, quid? 553. 554. 556
Ἐνεχυρασμὸς, quid? 568. 573. 574. 579. clarigatio. 551. 555. pignoriſcapio. 755. 756
Ἐνεχυρελασμὸς, quid? 554. 555. 559
Ἐνεχυρελασμὸς, pro ἐνεχυρασμός. 568
Ἐνεχυρελαστὴς, pro ἐνεχυραστής. 568
Ἐνεχυρελμοῦος, pigneraticius creditor. 592
Ἔνη, dies ultima menſis. 21
Ἐνθέσθαι, ἐμβαλέσθαι. 214
Ἐνθήκη, quid? 24. 25. ἐμβολὴ, navis onus. 214
Ἐννάτη μοῖρα, Latinorum καταχρήσει, pro ἐπογδόη. 335
Ἐννέα ὀβολοὶ τῆς μνᾶς, τόκοι. 52
Ἐννέαυλες τόκοι. 276
Ἐννέας, ἐννεάγκιον, dodrans. 251. 260
Ἐνόριος, terminalis. 770
Ἐνσημαίνεσθαι, cera claudi. 448
Ἐνὶ, ſunt. 736
Ἐνιναγλῦψαι ξύλα. 814
Ἐντύπωμα, & ἐκτύπωμα. 676
Ἐνυπόβολον, oppigneratū. 586
Ἐξαιρεῖσθαι, quid? 215
Ἑξὰς, ſemis. 252. 257. ἑξούγκιον. 260. ſex unciæ. 261. ἑξάντιον. 260
Ἐξάχαλκον, ἡμιλίτρον. 244
Ἐξελέσθαι, exſcenſionem facere, exonerare navē. 215
Ἐξελεύθερος, quis? 803. 875. 876
Ἐξενεχυράζειν, & ἐξενεχυρασμός. 558
Ἐξενεχυρελάζειν, pignora capere. 63. cogere ad ſolvendum capiendis pignoribus. 380
Ἐξὸν αὐτῷ, cum ipſi liceret. 774
Ἐξούλης δίκη. 86. 575
Ἐξώπροικα, peculium. 143
Ἐξοχὴ, & εἰσοχή. 676
Ἐπαγγέλλειν, & ἐπαγγέλλεσθαι. 707
Ἐπαγγελλόμενος, ſponſor, promiſſor. 704
Ἐπάγειν, ἐφηγεῖσθαι. 783

Ἐπάλ-

Ἐπάλλαγμα, pignus, ſpõſio. 489
Ἐπαύλια, qualia dona. 144
Ἐπὶ ἰσχύλω παραγίνεσθαι· παραχθῆναι. 697
Ἐπ᾽ ἐνεχύροις mutuum accipere. 754
Ἐπ᾽ ἐξαγωγῇ addici. 870
Ἐπὶ τῷ σκάφει, τῷ ἀγρῷ, τῇ οἰκίᾳ, τῇ νηὶ, δανείζεσθαι, καὶ ὀφείλειν. 754
Ἐπὶ σώματι δανείζειν, καὶ δανείζεσθαι. 748. 754. 792.806
Ἐπὶ σώματι δανεισμός· nexus corporum. 844
Ἐπὶ τοῖς σώμασι πεπιστευμένα δάνεια. 754
Ἐπὶ σώματι ἰδίῳ mutuum. 869
Ἐπὶ ναυτὶ δανείζεσθαι. 754
Ἐπὶ δυσὶ χαλκοῖς, ἐπὶ πεμπτημορίῳ, τόκος ἐπιμήνιος, ſemuncia annua. 232. 291. ἐπὶ διχάλκῳ τόκος. 291
Ἐπὶ πενταχάλκῳ τόκος. 290. ἐπὶ ἡμιωβολίῳ, vel τέτταρσι χαλκοῖς. 231. 232. 290
Ἐπὶ ἕκτῳ δραχμῆς, ἐπ᾽ ὀβολῷ, δανείζειν. 52. 53. 54. 55
Ἐπ᾽ ὀβολῷ, τόκος μηνιαῖος, & ἐπωβελία, vel ἐπωβελία. 12. 13. 14. 52. 54. qualis uſura? 159. ſextantes uſuræ. 233. 288
Ἐπὶ ὀβολῷ καὶ ἡμιωβολίῳ τόκος, ἐπὶ τρισὶν ἡμιωβολίοις. 287
Ἐπὶ τρίτῳ δραχμῆς δανείζειν. 52. ἐπὶ δυσὶν ὀβολοῖς κατὰ μῆνα τόκος, trientes uſuræ annuæ. 231. 286
Ἐπὶ δυσὶν ὀβολοῖς, καὶ πενταχάλκῳ, quincunx. 283
Ἐπὶ ἡμίσει δραχμῆς. 52. ἐπὶ τρισὶν ὀβολοῖς τόκος, κατὰ μῆνα, ſemiſſes uſuræ annuæ. 231. 278
Ἐπὶ τρισὶν ὀβολοῖς, καὶ ἡμιωβολίῳ τόκος. 277. ἐπὶ τετάρτῳ ἡμιωβολίῳ τόκος. 277
Ἐπὶ τέτταρσιν ὀβολοῖς. 277
Ἐπὶ τέτταρσιν ὀβολοῖς, καὶ ἡμιωβολίῳ τόκος. 276. ἐπὶ πέμπτῳ ἡμιωβολίῳ τόκος. 276
Ἐπὶ πέντε ὀβολοῖς τόκος. 55. 275
Ἐπὶ πέντε ὀβολοῖς, καὶ ἡμιωβολίῳ τόκος· ἐφ᾽ ἕκτῳ ἡμιωβολίῳ. 275
Ἐπὶ δραχμῇ τόκος. 32. 33. 51. 52. 55. 56. 57. 58. 61. 62. 152. 154. 156. 158. 174. 270. τόκος ἑκατοστός. 226. centeſima Græcorum. 233. ἐπὶ ἑκατοστῇ τόκος. 228
Ἐπὶ δραχμῇ, ἐπὶ δυσὶ, τρισὶ, τέτταρ-

τέτταρσι, πέντε, centeſima una, duæ, tres, quatuor, quinque. 229.230.231
Ἐπὶ ὀκτὼ ὀβολοῖς, καὶ ἐπιτρίτῳ τόκῳ δανείζειν. 48
Ἐπὶ δραχμῇ καὶ ἡμίσει τόκος. 56. ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς τόκος. 48.56.57.61.151.152.153.154.156.158.160.161.173.174. ſeſquicenteſima. 210
Ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς. 56.57.58.66. bina centeſima 210
Ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς καὶ τρισὶν ὀβολοῖς, τόκος. 209
Ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς δανείζειν. 52.56.57.58
Ἐπὶ, in compoſitis numeris, inde abs ἐπίτριτος, uſque ad ἐπιδέκατος, &c. quas ſortis partes denotet, an quæ in menſem, vel quæ in annum debentur? 19.50.53
Ἐπιδεύτερος τόκος, nullus Græcis. 40. ἐφημιόλιος. 40.311.335
Ἐπίτριτος τόκος. 11.14.15.16.17.18.26.30.31.32.33.39.41.42.44.45.46.47.48.49.51.54.56.58.61.264.286.332.333.334.335. maxima uſura Græcorum. 279
Ἐπίτριτος τόκος, & trientes, male confuſa. 232
Ἐπιτέταρτος τόκος. 39.45.47.49.58.367
Ἐπίπεμπτος τόκος. 14.15.20.23.30.31.35.36.39.40.47.48.49.50. quintus denarius. 53.54.58.174.187.188.190.209.210.218.225.367
Ἔφεκτος τόκος. 12.14.16.17.19.20.30.31.32.33.35.39.45.46.47.48.50.53.54.55.56.57.61.96.158.187.190.225
Ἔφεκτος τόκος, & ſextantes, male confuſa. 232
Ἔφεκτος τόκος, & ſemiſſes, quantum differant? 279
Ἐφέβδομος τόκος. 30.39.46.47
Ἐπόγδοος τόκος. 14.15.34.39.43.47.58.218.219.311.335.336.366.368. fere centeſima. 375.377
Ἐπέννατος τόκος. 39.47
Ἐπιδέκατος τόκος. 14.15.20.35.39.41.42.44.45.46.47.49.155.220.275.366. dextans, denarius decimus; decem in centum. 44.45.53.55.58.61. minima uſura Græcorum. 279
Ἐφενδέκατος τόκος nullus apud Græcos. 41
Ἐπιδωδέκατος τόκος nullus apud

lus apud Græcos. 41
Ε'πικοστὸς τόκ☉· denarius vigeſimus. quinque in centum. 53.54
Ε'πικοστόπεμπτος τόκ☉, ἐπίπεμπτος εἰκοστός· quatuor in centum. 44
Ε'πιγραφὴ, titulus. 666.667
Ε'πίγυα· πρυμνήσια. 90
Ε'πιδανείζεσθαι, quid? 504.505
Ε'πιδίμοιρον, beſalterum. 18
Ε'πίδοσις προικός. 144
Ε'πικίνδυνον δάνεισμα. 187.196
Ε'πικινδύνως δανείζειν. 81
Ε'πικληρῖτις, ἐπίκληρ☉. 167
Ε'πίκληρ☉, unica hæres. 143
Ε'πίκληρ☉ mulier. 166.168.170
Ε'πικεράτεια, quid? 828
Ε'πιμήνιον, ſervorum demenſum. 163
Ε'πιπαματίδες, unicæ, hæreditariæ. 167
Ε'πίπας· πᾶς. 15
Ε'πιπεμπτόμοιρον, quintariũ. 17.18
Ε'πίπλα, καὶ ἔγγαια. 83
Ε'πίπλα, & ἐπίπλοα. 84
Ε'πίπλα, ἐπιπολαία κτῆσις. 190
Ε'πιπόλαι☉ κτῆσις. 84
Ε'πιπόριον, vel διαπόριον δάνεισμα. 77.81.90.187.190
Ε'πίπροικ☉ mulier. 166.167.169
Ε'πισημαίνεσθαι, cera claudi. 448.449
Ε'πισφραγίζειν, quid? 441.444.445.446
Ε'πιτίθεσθαι, de ſignis mobilium, tituliſque immobilium rerum. 650
Ε'πίτιμα, ἐπίτιμ☉. 786
Ε'πιτρέπειν, & ἐπιτροπεύειν. 168
Ε'πιφέρνια, παράφερνα. 144
Επιχλευάζειν, vexare. 788
Ε"πλαυτες τόκοι. 277
Ε'πέγγειοι τόκοι. 277
Ε'ργάζεσθαι, quæſtum facere. 190
Ε'ργάζεσθαι ναυτικοῖς. 190
Ε'ργασία, negotiatio. 376
Ε'ργολάβ☉, redemptor, ſector. 829
Ε'ργολαβοῦντες, mancupes, redemptores, conductores operum publicorum. 193
Ε"ργον, uſura. 376
Ε'ργώνης, redemptor, ſector. 829
Ε'ρετμῶν αἰκίαι, remorum pulſus. 792
Ε'στὶ, ſeſtis, eſtis. 736
Ε'στιγμένον χωρίον, prædium ſtigmaticum. 636
Ε'χα-

Ἐσχατοκόλλιον, extrema tabella, cera. 415
Ἐτερόπλους, altera navigationis pars. 22
Ἐτερόπλουν δάνεισμα. 196. 356.357.358.359.364
Εὐθύνα· noxa. 889
Εὔχαλκος, præs. 737
Εὐχρηστεῖν, pro κιχρᾶναι. 476
Εὐχρηστία, pecuniarum cõmodatio. 476
Ἔφεκτος fit, ſupra ſex adjecto aſſe, id eſt, unitate. 258
Ἐφηβείας anni. 164.169
Ἐφηγεῖται, quid? 783
Ἐφήγησις, quid? 777.779.782
Ἐφημέριος μισθός. 64
Ἐφ' ἱερὸν, portus Boſpori. 211.691
Ἐφορία ἀγορά. 770
Ἐφορίζειν ὅρους, titulos imponere prædiis obligatis. 508
Ἐφωρισμένη οὐσία. obligata pro debito. 507.508
Ἔχεγγυος· ἀξιόπιστος. 90
Ἔχειν, κρατεῖν. 488
Ἐχυρὸν, τὸ ἀσφαλὲς, τὸ ἐνέχυρον. 488

Z.

Ζευγήσιον τελεῖν. 26
Ζευγῖται, & eorum claſſes. 26.27. quinam? 872
Ζημιῶσαι θανάτῳ, &, ἀποκλείειν. 764
Ζῆν. τὸ ζῆν, βίος, περιουσία, οὐσία. 829
Ζυγεῖν, στοιχεῖν. 518
Ζυγῖται, & θῆσσαι. 152.153
Ζυγὸς, libra, ponderandi inſtrumentum. 235
Ζυγοστάτης, libripens. 235

H.

Ἡλιαία, δικαστήριον τὸ ἄνω. 758
Ἡμεδαπή· noſtra regio. 762
Ἡμέρα ἐργατική. 811
Ἡμεροδανεισταί. 62.71
Ἡμιεκαιδεκατιαῖοι τόκοι. 278. ſemiſſis. 316
Ἡμιλιτραῖοι τόκοι. 278
Ἡμίλιτρον, ſemis. 252.260. æreum, ſembella argentea. 244.245
Ἡμίλιτροι τόκοι. 278
Ἡμίλιτρος τρίτος, ſeſtertius. 249
Ἡμιόλιον, ſeſquialterum. 16.40
Ἡμιόλιαι, ſeſquicenteſimę. 272.273.278.313.314.315. 378. frugum. 323.325.326.327.328.329.330.331.333.334.335
Ἡμίσεος τόκος. 40.47
Ἥμισυ, ſemis. 253

Ἥμισυ, & δεύτερον μέρος. 40
Ἥμισυ δωδέκατον· ſeptunx. 253
Ἥμισυ δωδέκατον ἑκατοστῆς. 277
Ἡμιουγκιαῖοι τόκοι. 291
Ἡμιστάτηρ, drachma, denarius. 67.70
Ἡμιωβόλιον, ἡμίλιτρον. 250
Ἡμιωβόλιος τόκος. 62
Ἠχὼ ἀντίφωνος. 715

Θ.

Θ & χ permutabiles. 104
Θανάτου ἐγγυητής. 698.699
Θανάτῳ ζημιῶσαι, & ἀποκλείειν. 764
Θέμα, pignus. 501
Θεοὶ ἀνθήλιοι. 680
Θεῖναι ἐνέχυρον. 501. ὑποθήκην. 501. εἰς ὑποθήκην. 595
Θετταλοικέται, πενέσται. 874
Θεώρητρον, tertii nuptiarum diei donum, virginitatis pretium. 144.151
Θῆσαι, & ζυγῖται. 152.153
Θῆτες, quinam? 27
Θῆτες, θητεύειν, & θητεία. 871.872.873.874
Θριπηδεστὰ, & θριπόβρωτα ξύλα, vice σφραγίδων. 457
Θυμῆρες, ſecundum, obſequens, gratum. 732
Θυραῖος Ἀπόλλων. 680

I.

Ἰδιογνώμονες δικασταί, judices ſui periculi. 672
Ἰδιόγραφος γραφή, chirographum. 391.427
Ἰδιόχειρα, Juſtiniani veterumque. 429.430
Ἰδιόχρωμον, ſui coloris. 672
Ἰδιωτικὴ δίκη, δίκη αἰτίας, injuriarum ſine vulnere. 792
Ἱερόδουλοι· auctorati. 866.867
Ἱκανοδοσία. 696.703
Ἴκρια, tabula, neutrum, vel tabulæ, tabulata vænalibus exponẽdis. 660
Ἰντερκεδεύειν, intercedere. 724.725
Ἱππωμέδοντος, pro Ἱππομέδοντος. 586
Ἰσοδυνάμον, & ἰσοστάσιμον, uti conveniant? 259
Ἴσον, τὸ κεφάλαιον, ſors, æquum. 92. & altera ſorti ęqualis ſumma. 93. groſſa, pariculũ. 392. exemplum. 418.669. ἰσότυπον. 671
Ἰσοστάσιμον, & ἰσοδυνάμον, quomodo cõveniant? 259

K.

K & τ permutabiles. 104
Καθαρμός· luſtrum. 882. 883
Καθίστασθαι εἰς τοὐμφανές· in vadimonium, in præſentiam, adducere. 694. 697
Κάκωσις γονέων, & γυναικός. 131
Καλιὸς, καλιά, quid? 814. 815
Κανὼν, librile, ſcapus libræ. 235
Καμπὴ, verſura. 293
Κάπηλοι· cociones. 71
Καρπίζειν, & καρπίζεσθαι. 880. 881
Καρπός· carpus, manus & brachii internodium. 881
Καρποῦσθαι τὸν κλῆρον, ἐμβατεύειν. 575
Καρφιστὴς, καρφισία, καρφισμὸς, quid? 880. 881. 882
Κάρφος, quid? 880. 881
Καταγγελεύς, delator. 783
Κατάγειν τὰ πλοῖα. 219. 220. οἴκημα. 186. 653
Καταδεδικασμένοι, ἀγώγιμοι. 818
Καταθέσθαι, oppignerare. 500
Κατακώχιμα, χειρόδοτα. 583
Καταλειπόμενα, legata. 855
Καταπλεῖν, de navi, quæ revertitur unde egreſſa erat, peracta navigatione. 357
Κατάπλους, ἀμφοτερόπλους. 356. 357
Κατασημαίνεσθαι, annulo claudi. 448. 450
Κατάστασις εἰς τοὐμφανές· vadimonium. 694. 697
Καταστῆσαι εἰς τὸ ἐμφανὲς, repræſentare. 504. 506. ἐγγυητήν. 692
Κατασφραγίσασθαι, obſignare. 441. conſignare. 449
Κατάσυλα πλοῖα. 213
Κατατίθεσθαι τὴν ἐπωβελίαν, ἀργύριον. 13
Κατεγγυᾶν. 694
Κατεγγυᾶσθαι, vadari, fidedicere. 694. 700. ἐγγυᾶν. 711. 712. 713
Κατενεχυράζειν. 557
Κατέχειν οἰκίας. 551. ἐμβατεύειν. 575
Κατέχεσθαι, corporaliter detineri. 583
Κατέχεσθαι, de iis quæ non non ſunt tradita. 494
Κατέχεσθαι πρὸς τὰ χρέα. 808
Κατήγορος, reus, actor. 794
Κεῖσθαι, ὑποκεῖσθαι, ἐνέχυρα. 501. 585

Κερμακόλουθοι, ſervi creditorum, qui interdum una cum debitore navigabāt. factores. 309.347
Κεφάλαιον, ſors, τὸ ἴσον, æquum. 92. & ſortis æqualis ſumma altera. 93
Κεχρεωστημένη λοιπάς· reliquatio debiti. 713
Κεχρημένος, indigens. 191
Κεχρημένος· præditus, dives. 737
Κεχρησμένον, mutuo datū. 191
Κηρίνη βούλλωσις. 439
Κηρόβουλλον, bulla. 440. σφραγίς. 445
Κηρὸς προσπλασσόμενος τοῖς βιβλίοις. 446
Κίνδυνος εἰς ἅπαν, καὶ εἰς μέρος μικρόν. 381
Κιχρᾶναι, δύχρησεῖν. 476
Κλᾶξ, κλείς· clavis. 715
Κλῆροι καταλειπόμενοι, hæreditates, quæ teſtamēto relinquuntur. 856
Κλοιὸς σιδηροῦς, boja. 814
Κνώδαξ· κέντρον ἄξονος, γνώμων. 102.103
Κνώδοντες, mucrones enſium. 102
Κοιλᾶναι, & βαθῦναι. 677
Κοινωνίαι, συναλλαγαὶ, ſocietates. 521
Κόλασις· noxa. 888
Κόλλημα βιβλιδίου. 415
Κομμιτεύεσθαι, βεβαιοῦσθαι. 615
Κῶποι ποδοκάκκαι. 814
Κρατεῖσθαι, κατέχεσθαι, συνέχεσθαι, ἐνέχεσθαι. 489.494. 507. de iis quæ non ſunt tradita. 494
Κριταὶ θεματικοὶ, καὶ πολιτικοί· cincti judices; & privati. 113
Κτήματα, res ſoli. 576. ἔγγεια, prædia. 737
Κτημάτων ἄπλεσθαι, aliud ac ἐμβατεύειν. 576
Κτῆσις, & κτῆσις ἔγγειος. 77. 82. 84. 87. κτῆσις ἐν γῇ, vel ἐπὶ γῆς. 87. res ſoli. 576. prædia. 737
Κυλίνδροι, volumina. 408. 409
Κωνοῦχος, κυνοῦχιον, fiſcus, marſupium. follis. 449
Κυρβασία, τιάρα ὀρθή. 104
Κύρβεις, & ἄξονες. 98. 101. 103.105.128
Κύρβεις, axes? 758 759
Κύριοι, mulierum tutores, qui demenſum iis & dotem pro marito dant. 151.161.162.163.164.165. 167.168.169.170.172
Κυφὸς, cuſpus. 815
Κύφωνες, & κυφῶνες, cuſpi. 814

Λ.

Λαβεῖν, & λαμβάνεσθαι ἐνέχυρα, & ὑποθήκην. 493

493. 494. 499. 550. 756
Λείψανα, λοιπάδες. 203
Λεξικογράφοι priſci, notati. 770
Λέπος, liber, cortex. 406
Λεπτὸς ἕξ· as, ſive æreus Siculus. 259
Λεπτόγεως Attica terra. 195
Λευκώματα, quales tabellæ. 678. 679
Λήγατα, legata. 855
Λίθοι ὁρολαῖοι, cippi, lapides prædiorum terminales. 636
Λίπρα, Æolice pro λίτρα. 235
Λίτρα, Sicula vox Dorum. libra. 241. στατὴρ, Attica mina, μιᾶ τῆς ῥοπῆς. 234. Sicula ærea, libra Romanorum. 243. 244. 245. 246. obolus Siculus. 250. pro nummo & libella argẽtea. 235. 241. 242. as. 249. 253. 254. libra, aſſis. 267. 268. obolus argenteus, Æginæo par; decima pars drachmæ argẽteæ. 243. 244. 245. 246. 247. δεκαλίτρου, & denarii, æqualis pars. 249. Siculis & Doribus, etiam pondus librarium. 245
Λίτρας & οὐγκίας nomina quomodo ad Græcos poſteriores à Latinis tranſierint? 241
Λιτραῖον χς. 245. 246
Λιτραῖος τόκος, aſſarium fœnus. 267
Λιτρόσκοποι, ἀργυραμοιβοί. 242
Λοιπάδες, λείψανα. 208
Λοιπὰς κεχρεωστημένη, reliquatio debiti. 713
Λωποδύται, præmiatores, ſpoliatores. 739

M.

ΜΑ'λθα ἐν γραμματείων. 421. cera tabularũ ceratarum. 452
Μάλιστα, & ὁμοῦ. 155. 157
Μάνδα, ἐπίκληρος. 167
Μεθόριος, terminalis. 770
Μείλια· ἕδνα. 140. 141
Μελεϊστὶ διαζυμεῖν. 825
Μειλίγματα, μείλια, ἕδνα, δῶρα. 141
Μεσεγγυητὴς, ſculna, ſequeſter, ſponſus, ſponſor. 711
Μεταβλητικὴ pecuniæ. 3. negotiationis ſpecies. 292
Μεταβολὴ, mercium permutatio. 292
Μεταχείρισις, & μεταχείρησις. 327
Μεταχειρισμὸς, tractatio, adminiſtratio. 327

 Μετα-

Μιλινεχυελαστὴς, quis? 586
Μέτοικος, & ἀστός. 137
Μέτοικοι, πάροικοι. 803
Μήνυσις ἔγγραφος. 781.783
Μικρολογία tocullionum. 61.65
Μῖμος, & μιμός. 353
Μισθόδουλοι θῆτες. 872
Μισθὸς ἐφημέριος. 64
Μίσθωσις, συνάλλαγμα ἑκούσιον. 520.521. θητεία. 872
Μισθωτοὶ, mercenarii diarii. 65
Μνᾶ τῆς ῥοπῆς, mina Attica, στατὴρ, λίτρα, libra. 234
Μνηστεύεσθαι, deſpōdere. 712
Μοιροκλῆς. 41
Μοιρὼ, poëtria. 42
Μοῖτον, mutuum. 292
Μόλις, μολὴδ, genitor. 104
Μονὰς, aſſis. 258
Μονόβιβλον, liber ſingularis. 121
Μονόμαχος, auctoratus. 864
Μόσσος ὁ πλοῦς· carpies, carpia. 881
Μουνυχιὼν mēſis, navigationum Atticarum principium annuum. 213
Μοῦστον, vinum novum. 343
Μυρίαις μοίραις honeſtior; infinitis paraſangis. 301

N.

NΑυλικὰ, & ἔγγεια. 191
Ναυλικὸν, ſcilicet χρῆμα· trajectitia pecunia. 192
Ναυλικὸν, τὸ κατ' ἔκδοσιν, ἑτερόπλουν, ἀμφοτερόπλουν, ὑποκίνδυνον, ἐπικίνδυνον. 196
Ναυτικὸς τόκος. 77.190.192
Ναυτικὴ συγγραφή. trajectitia ſyngrapha. 190
Ναυτικῶς δανείζειν. 81. ἐργάζεσθαι. 190
Νέα, dies ultima menſis. 21
Νενομισμένων duo genera. 96
Νομίμων εἴργεσθαι. 774
Νομίσματα τρικέφαλα. 342
Νόμισμα, argētum ſignatum. 94. conſuetudo, lex non ſcripta. & nummus. 131. pro δεκαλίτρῳ. 247
Νόμισμα τῆς πόλεως, νόμος δημόσιος. 94.95. τῶν ἰδιωτῶν, ἰδιωτικός. νοῦμμος. 97. 129.131.138
Νόμος ἄγραφος· ἔθος. 96. 97.131.138
Νόμος ὁ ἄνωθεν, πρότερος. 760. ὁ κάτωθεν. 758.759. ὁ μετὰ ταῦτα. 760
Νόμος ἴδιος· jus privatum ſcri-

ſcriptum, ſpeciale. 127
Νόμος privatorum, nummus; civitatis, νόμισμα. 94.95.97.129.131.138
Νόμος κοινὸς, non ſcriptum jus privatum, generale. 127
Νόμος φονικός. 784
Νόμοι γενικοί· leges generales. 128. δημόσιοι. 128. 129. καὶ ἰδιωτικοί. 94. uſque 100.105.109.121
Νόμοι ἰδιώταις· privilegia. 127
Νόμοι omnis generis, præter δικαστικοὺς, Athenienſibus. 137
Νοῦμμος, δεκάλιτρος, & denarii, æqualis pars. 249
Νοῦμμος· abſolute pro ſeſtertio, Siculis. 249.250

Ξ.

Ξύλα σητόβρωτα, vel θριπήδεστα, vice σφραγίδων. 447.457
Ξύλον, nervus. 812.813.814.815.816.817
Ξύλινα σανδάλια, cuſpi. 815
Ξυλοπέδη, nervus. 814.815
Ξυλόποδες, cuſpi. 815
Ξυσθὲν γράμμα, raſa littera, cavata. 464

O.

Ὀβολιαῖος τόκος. 54. 228. ſextantarium fœnus. 586
Ὀβολὸς, quid? 14. argenteus nummus, ſexta pars drachmæ argẽteæ, octo χαλκοῖ. 242. 243. χαλκοῦς, as Romanus. 243
Ὀβολὸς Siculus, λίτρα. 250
Ὀβολοστάται, toculliones. 61
Οι, ει, υ, Græciæ pronunciationis ejuſdem, vel ante mille annos. 88
Οι & υ confuſa. 42
Οἱ ἐπὶ τοῦ δεσμωτηρίου. 774. 776
Οἴκημα, cella. 653
Οἰκήματα, quid? & quomodo obſignari ſolita? 653
Οἰκημάτιον, cellula. 653
Οἰκία, ædes, ἐνέχυρον. 508. 509
Οἰκίαν ἐνεχυράζειν, κατέχειν. 551
Οἰκοσκευὴ, ſupellex. 84
Ὀκτάντες τόκοι. 277
Ὀκτὰς, bes. 252. 255. 257. ὀκτώγκιον. 252
Ὅλον, as. 258
Ὅμηρα ἔγγυα, obſides. 688
Ὁμηρία, clarigatio. 554
Ὁμολογεῖν, promittere. 707

Ὁμολογεῖν ἐξγύλω ſponſionē ſpōdere. 696.697.698
Ὁμολογία, χειρόγραφον. 420
Ὁμολογία ἔγγραφος. 517
Ὁμοῦ, ἐγγὺς, fere, propemodum. 157
Ὄντων τὰ μὲν φύσει ἐστὶ, τὰ δὲ νενόμισται. 96
Ὀπαὶ, tignorum cubilia, columbaria. 813
Ὄπεραι· operæ. 886
Ὀπλήρεια, qualia dona? 144
Ὀπυίειν, & ὀπυίεσθαι. 170
Ὁριαῖοι λίθοι, cippi, lapides prædiorum terminales. 636
Ὁρίζειν, ὅρους ἐπιτιθέναι. 508
Ὅροι, tituli affixi prædiis oppigneratis. 503. 508. quales? 636. 637. 668. 674. columellæ. 657. 679. cippi. 666. cujus juris? 641.642.648
Ὅρος, terminus. 770
Ὅσα κόνις, proverbialiter. 211
Ὄσφρη, ὄσφρησις. 211
Οὐγκία, vox Sicula. 241. τῆς λίτρας duodecima pars. 243. 245. χαλκοῦς. 246. ᾶς, Siculis εἷς χαλκοῦς. 259.260
Οὐγκιαῖος τόκος. 290
Οὔγκος, Siculis pro ὄγκος. 243
Οὐσία, βίος, βίοτος. 829
Οὐσία res ſoli. 503. 507. 508. ἐκ γῆ, vel ἐπὶ γῆς. 87. οὐσία ἔγγειος, καὶ φανερά. 82. 85. 86. 88
Οὐσία ἀφωρισμένη. 639
Οὐσίας δίκη. 85
Ὀφείλειν ἐπὶ τοῖς σώμασι, ἐπὶ τῇ νηί. 754
Ὀφειλή, ὀφείλημα. 211
Ὀχλεῖν, vexare. 788

Π.

Π & φ permutata. 881
Πάμματα, bona, pecora. 167
Πάναγρον, & πανάγρα, quid? 352
Πάνθηρον, & πανθήρα, quid? 352
Πάνυ συγγενεῖς, πάνυ προσήκοντες. 856. 857
Πάπυρος, ἀφ' ἧς ὁ χάρτης, & βίβλος, ἀφ' ἧς τὸ βιβλίον. 401.402
Παρὰ, præ. 735.736
Παραβάλλεσθαι. 197.198.199
Παραβεβλημένος, ἀπονενοημένος. 197
Παραβολεύεσθαι, παραβάλλεσθαι. 198
Παραβόλιον· παράβολον· παρακαταβολή. 13. quid? 199
Παράβολον, παράγγελον, periculum ὁ κίνδυνος. 671

Παρά-

Παράβολος· homo, & pecunia. 198
Παραβόλως μάχεσθαι. 198
Παραγίνεσθαι ἐπὶ ἐγγύην. 697
Παράγγελον, periculum, ὁ κίνδυνος. 671
Παραγράφεσθαι· de peregrinis. 877
Παραδιδόναι ἐνέχυρον, de navi. 713
Παράδοσις ἀπαγωγῆ, traditio in poteſtatem judicis. 774.775.779
Παραίνεσις ὑποθήκη. 499
Παρακαταβολή· τὸ παραβόλιον. 13
Παρακαταθήκη, συνάλλαγμα ἑκούσιον. 520.521
Παρακινδυνεύειν. 196.197.198
Παρακινδυνευτικῶς, παραβεβλημένως, ἀπονενοημένως. 198
Παραλία, littus. 205.206
Παραπλάσματα, quid? 447
Παρασημανθῆναι, de obſignatione ædium. 653
Παραστάσεως, ἐμφανείας, vadimonium, ἐγγύη. 694
Παραστατικὴ δίκη. 694
Παραχεῖν ἐμφάνειαν. 695
Παραχεῖν ἱκανοδοσίαν. 696
Παραχεῖν τὸ ὑποκείμενον ἐμφανὲς, καὶ ἀνέπαφον. 504
Παράφερνα, peculium. 143
Πάρειμι, præſum, adſum. 736
Παρέχειν, παρασχεῖν, repræſentare. 504
Πάροικοι, μέτοικοι. 803
Παρορίζειν, quid? 638
Παρορισταὶ, moventes terminum. 122.638
Πέδαι, compedes. 812.815.817. vincula. 818
Πειρῶ, πειρῶ, perior. 671
Πελάται· clientes. 871
Πέλλα, βιβλίον. 413.414
Πενέσται Theſſalorum; πελάται. 871.874
Πεντακοσιομέδιμνοι, quinā? 27.28.153
Πεντάλιτρον, nummus quinarius. 249
Πεντάλιτρον, Siculum, victoriatus, talentum Rheginum. 250
Πεντάμνους, πενταστάτηρος. 234
Παρυφὴ, prætextum.
Πεντάμοιρον· quintarium. 16.17
Πέντε, πεντέγκιον. 260
Πενταστάτηρος δίκελλα, quinquelibris ligo. 234
Πεντεσύριγγον ξύλον. 813.816
Πεντέγκιον, πέντε. 260
Πεποίθησις, fiducia qualis? 599
Περίακτοι, & περίαξις, in theatris, quid? 295.296.297

Περίγυα χοινία, περυμνήσια, 689
Περίοικοι ἀφαμιῶται. 874
Περιυσία, ὐσία, βίος, τὸ ζῆν. 829
Περιπατεῖν, & ςείχειν. 518. 519
Περρῶ, πέρῶ, peridr. 671
Πέτλαυλες τόκοι. 282.283
Πέτλε, πέντε. 260
Πετλόγκιοι τόκοι. 283
Πετλόκιον, quincunx. 246. πεντόγκιον, πίνζος. 260
Πίναξ, codex. 406
Πίνακες, πινακίδες, γραμματεῖα, codicilli, tabulæ ceratæ. 404. pugillares. 407. βιβλία. 413. 414. δέλτοι. 420
Πινακίδια, in collo ſervorum vænalium. 66
Πιςεπαγγελλής· fidejuſſor. 706.709
Πιςεύειν τῇ θαλάττῃ χρήματα. 197
Πιςεύειν ἐπὶ τοῖς σώμασι. 754
Πιςοκελεύειν, fidepromittere. 707.708
Πιςοκελεύςης, fidejuſſor. 706
Πλέθρου γύα. 689
Πλεονασμὸς, *tarbith*, uſura frugum. 318. 319. 320. 321. 322. 328. 329. 330. 336. ampliatio. 377
Πληγεὶς, & τρωθέντος. 792
Πληγὴ, & πληγαί. 792
Ποδοκάκκη, nervus. 812. 814. 815
Πόθοδος, πρόσοδος, reditus. 277
Ποιεῖν ἀγώγιμον, ἐκδότον. 802. noxæ dare. 889
Ποιεῖν δάνεισμα, & ποιεῖσθαι. 503
Ποιεῖσθαι ἐνεχυρασίαν. 550
Ποιῆσαι φανερὸν, repræſentare. 504
Πολύεδνοι παρθένοι. 142
Πολύπτυχα γραμματίδια, vel γραμματεῖα. 404. 421. 461
Ποσὸν, quantitas, & ποσὸν, quota portio, diſcernenda. 256
Πραίδα, σύλη, σύλησις. 207. 211
Πράσις, συνάλλαγμα ἑκούσιον. 520.521
Πρακτορος, pignerarius. 556
Πρακτὸς κατ' ἐνεχυρασίαν, ἀπὸ ἐνεχυρασίας. 551.556
Πρατήριον auctio. 884
Πρὸ, præ, ante. 736
Προαγορεύειν, & προαγόρευσις, quid? 771
Προαχθῆναι ἐπὶ τὴν ἐγγύην male. 697
Προγάμεια, τὰ πρὸ γάμου δῶρα,

δῶρα, ἡ προγαμιαία δωρεά. 147.148
Προειρημένον αὐτῷ, quum prædictum ipſi eſſet. 774
Προθεσμία, diei prolatio. 572
Προὶξ, δωρεά. 141. 142. 151
Προικὸς δίκη. 159.161.162
Προῖκα ἀπογράφειν χρέος. 171
Προῖκα ἐπιφέρεσθαι. 171
Προϊστάμενοι, præſum. 736
Προπράτης, proxeneta. 733
Πρόχρεια, πρόχρησις, pro mutuum, anteceſſus. 629
Προχρῆσαι, in anteceſſum dare, & antequam petatur. 630
Πρόχρησις, πρόχρεια, promutuum, anteceſſus. 629
Πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι. 807. δουλωθῆναι; κατέχεσθαι. 808
Πρὸς τὸ χρέος δουλωθέντες. 822
Προσάγειν οἰκειοῦσθαι, ἰδιοποιεῖσθαι. 880
Προσεπερωτητής adſtipulator. 709
Προσήλυτος, πρόσθετος. 803. 804. 876
Προστάσσειν, ἐπαγγέλλειν. 707
Προστίθεσθαι, addicere. 803. 804
Πρόσθετοι, addicti. 802.803. 804.876.877
Προσώπου ἐνεχυρασμὸς, non clarigatio eſt, ſed pignoris captio ab ipſa perſona. 569
Πρυμνήσια, γυαῖα. 689
Πρυτανεία, & menſis. 60
Πρωτότυπον, exemplar. 418. 419. ἀρχέτυπον. 671
Πτίσσω, piſo. 421
Πτολεμαῒς πρυτανεία. 61
Πτύκτιον, πύκτιον, πίναξ πτυκτός. 404.407
Πτὺξ, πτυχὴ pagina, tabella. 407.421
Πτυχεῖον, quod plures habet πτύχας. 407. pugillar. 421
Πυγὴ, pyga. unde depygis mulier. 251
Πυκταλίζω, πύκτης. 714
Πὺξ, pugnus. 421
Πυξὶς, primum ex buxo. 420
Πώλη, πώλησις, πρᾶσις. 211

Ρ.

Ράκη ὑπόπορφυρα, cortinæ regiæ. 640. 641. cujus juris? 642. 648
Ρῆτραι νόμοι, ψηφίσματα. 102

Πεϱίγυα χοινία, πϱυμνήσια, 689
Πεϱίοικοι ἀφαμιῶται. 874
Πεϱιουσία, οὐσία, βίος, τὸ ζῆν. 829
Πεϱιπατεῖν, & ϛείχειν. 518. 519
Πεῤῥῶ, πήρῶ, periór. 671
Πέτταυλες τόκοι. 282.283
Πέττε, πέντε. 260
Πεττούγκιοι τόκοι. 283
Πεττούκιον, quincunx. 246. πεντούγκιον, πίνζας. 260
Πίναξ, codex. 406
Πίνακες, πινακίδες, γϱαμματεῖα, codicilli, tabulæ ceratæ. 404. pugillares. 407. βιϐλία. 413. 414. δέλτοι. 420
Πινακίδια, in collo ſervorum vænalium. 66
Πιϛοπαγγελλής· fidejuſſor. 706.709
Πιϛεύειν τῇ θαλάττῃ χϱήματα. 197
Πιϛεύειν ἐπὶ τοῖς σώμασι. 754
Πιϛικελεύειν, fidepromittere. 707.708
Πιϛικελεύϛης, fidejuſſor. 706
Πλέθρου γύα. 689
Πλεονασμὸς, *tarbith*, uſura frugum. 318. 319. 320. 321. 322. 328. 329.330. 336.ampliatio. 377
Πληγεὶς, & τρωθείς. 792
Πληγὴ, & πληγαί. 792
Ποδοκάκκη, nervus. 812.814. 815
Πόθοδος, πρόσοδος, reditus. 277
Ποιεῖν ἀγώγιμον, ἔκδοτον. 802. noxæ dare. 889
Ποιεῖν δάνεισμα, & ποιεῖσθαι. 503
Ποιεῖσθαι ἐνεχυρασίαν. 550
Ποιῆσαι φανερὸν, repræſentare. 504
Πολύεδροι παιδίσκαι. 142
Πολύπτυχα γϱαμματίδια, vel γϱαμματεῖα. 404. 421.461
Ποσὸν, quantitas, & ποστὸν, quota portio, diſcernenda. 256
Πραΐδα, σύλη, σύλησις. 207. 211
Πρᾶσις, συνάλλαγμα ἑκούσιον. 520.521
Πρακτὴρ, pignerarius. 556
Πρακτὸς κατ' ἐνεχυρασίαν, ἀπὸ ἐνεχυρασίας. 551.556
Πρατήριον· auctio. 884
Πρὸ, præ, ante. 736
Προαγορεύειν, & προαγόρευσις, quid? 771
Προαχθῆναι ἐπὶ τὴν ἐγγύην· male. 697
Προγάμεια, τὰ πρὸ γάμου δῶρα,

δῶρα, ἡ παραμιαία δωρεά. 147.148
Προειρημένον αὐτῷ, quum prædictum ipſi eſſet. 774
Προθεσμία, diei prolatio. 572
Προὶξ, δωρεά. 141.142.151
Προικὸς δίκη. 159.161.162
Προῖκα ἀπογράφειν χρέος. 171
Προῖκα ἐπιφέρεσθαι. 171
Προΐσταμαι, præſum. 736
Προπράτης, proxeneta. 733
Πρόχρεια, πρόχρησις, pro mutuum, anteceſſus. 629
Προχρῆσαι, in anteceſſum dare, & antequam petatur. 630
Πρόχρησις, πρόχρεια, promutuum, anteceſſus. 629
Πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι. 807.
δουλωθῆναι, κατέχεσθαι. 808
Πρὸς τὸ χρέος δουλωθέντες. 822
Προσάγειν οἰκειοῦσθαι, ἰδιοποιεῖσθαι. 880
Προσεπερωτητής· adſtipulator. 709
Προσήλυτος, πρόσθετος. 803. 804. 876
Προσταίσσειν, ἐπαγγέλλειν. 707
Προστίθεσθαι, addicere. 803. 804
Πρόσθετοι, addicti. 802.803. 804.876.877
Προσώπου ἐνεχυρασμὸς, non clarigatio eſt, ſed pignoris captio ab ipſa perſona. 569
Πρυμνήσια, γυαῖα. 689
Πρυτανεία, & menſis. 60
Πρωτότυπον, exemplar. 418. 419. ἀρχέτυπον. 671
Πτίσσω, piſo. 421
Πτολεμαῒς πρυτανεία. 61
Πτύκτιον, πύκτιον, πίναξ πτυκτός. 404.407
Πτὺξ, πτυχὴ, pagina, tabella. 407.421
Πτυχεῖον, quod plures habet πτύχας. 407. pugillar. 421
Πυγὴ, pyga. unde depygis mulier. 251
Πυκταλίζω, πύκτης. 714
Πὺξ, pugnus. 421
Πυξὶς, primum ex buxo. 420
Πώλη, πώλησις, πρᾶσις. 211

P.

Ράκη ὑπόπορφυρα, cortinæ regiæ. 640. 641. cujus juris? 642. 648
Ρήτραι· νόμοι, ψηφίσματα. 102

Ρύπος,

Ρ'ύπ@, cera obſignationis. 448.452
Ρ'ωμαϊκὸς, & Ρ'ωμαῖ@. 878

Σ.

ΣΑνδάλια ξύλινα. 815
Σανὶς, tabella lignea. 464
Σανίδες, σανίδια, quales tabellæ? 637. 638. 641. 678. cujus juris? 642. tituli. 647. 648. 650. 657. 676
Σεισάχθεια. 748. unde dicta? 751. ante Solonem. 753. ejuſdem qualis? 789. 791. 792. 871. 874
Σήλεκτ@· χαμαιδικαστής. 116
Σημάδιον, pignus. 584
Σημαίνεσθαι, ſignare, obſignare. 440. 448. 449
Σήμαντρα, ſigna privatorũ. 647. 650
Σημεῖον, σύσσημον. 584
Σιδηρωτὰ ξύλα, vice σφραγίδων. 447
Σιτέμποροι, frumenti negotiatores, eorumque lex. 194. pœna, & immunitas. 195
Σιτηγεῖν, frumenta invehere. 195
Σιτηρέσιον ἔμμισθον, ſervorum demenſum. 163
Σιτόμετρον, σιτομέτριον, cibarium, diarium, demenſum. 163
Σῖτ@, quid & qualis uſura? 159. 160. 173
Σίτου δίκη. 160. 161. 162
Σῖτον μετρεῖν, & σιτομετρεῖν. 163. 173
Σκηνὴ, tentorium propolarum, οἰκία. 72
Σκηνῖται· ἀγοραῖοι. 72
Σκύλλειν, vexare. 788
Σκυτάλη· ſurculus, id eſt, virga. 880
Σπαστὰ αὐτόματα, quid in theatris? 296
Στατὴρ, quid? 234. 235. 236
Στατὴρ δεκάλιτρ@, Siculus denarius. 244. 246. 247. 248
Στατῆρες χρυσοῖ· nummi aurei. 70
Στατηριαία πόρνη, quæ ſtaterẽ accipit mercedem. 259
Στείχειν, & στοιχεῖν. 518
Στερήσιμον, commiſſum, cõmiſſa merx. 615. 616
Στέρησις ἔσω. 616
Στήλη, columna lapidea. 100. pila. 759. 767
Στῆλαι λίθιναι, prædiis impoſitæ. 636. cujus juris? 641. 642. tituli. 666. 667. 669. 670. 674. 680
Στηλογραφία, quid? 670

Στοιχεῖα πρῶτα, καὶ ἡγεμονικά. 96
Στοιχεῖν, quid? 517.518.519
Στοίχημα, quid: 517.518.519
Στοῖχος, ordo; ut chori, & militiæ. 518
Στροφή, verſura. 293. περίπλεξις. 296
Συγγραφή, qualis ſcriptura? 391.398.430. quid? 522. tantum in ſcriptura. 517. ἀσφάλεια, γραμματεῖον. 426. quando ἀντὶ τοῦ χειρογράφου? 430.471
Συγγραφή, & χειρόγραφον. 420.421.423
Συγγραφή ναυτική, ſyngrapha trajecticia. 190
Συγκυρία uſurarum. 275
Σύλας κατά τινος ἔχειν. 216
Σύλη, σύλησις, jus τοῦ συλᾶν. 211.213.214.215.217
Σῦλον ἐνέχυρον. 213
Συλλαμβάνειν, prendere. 773
Συμβάλλειν, contrahere. 425.522
Συμβολαιογράφος. 426. 430
Συμβόλαιον, quid? 389.392. 422.424.425.426.430. 517.522
Συμβόλαιον ἔγγυον, ἔγγειον, ναυτικὸν, ἐπικίνδυνον. 79. 83.89.90
Συμβόλαιον ἔγγραφον, pactum conventum. 513. 515
Συμβόλαιον συμβεβλημένον, pactum convẽtum. 425
Συμβολαίου δίκη. 425
Συμβολαιεύειν, συμβάλλειν, συναλλακτεύειν, συμβολαιτεύειν, συμβολητεύειν. 425
Συμβολή, ὑποθήκη. 499
Σύμβολον, ἐνέχυρον, ἀῤῥαβών. 583
Σύμφωνον γεγραμμένον, pactum conventum. 516. ἔγγραφον. 517. ἄγραφον. 518
Συναλλαγαί, κοινωνίαι, ſocietates. 521
Συνάλλαγμα, contractus. 426.686.687. conventio, ejuſq; genera. 520. 521. 522.
Συναλλαγμάτων diſſolutiones & diſtractiones. 522
Συνθῆκαι, pacta conventa. 398
Συνθηκῶν δίκη. 425
Σύνταγμα ἔγγραφον, συμβόλαιον. 426
Συνίστασθαι μετὰ παραγγελίας vadari. 694
Συσσημαίνεσθαι, conſignare. 449
Σύσσημον, σύμβολον, ἀῤῥαβών. 583.584

Σύστα-

Σύστασις χρημάτων, conſtituta pecunia. 723
Σχέδια, adverſaria. 461
Σχοινία ἀπόγυα, vel περίγυα. 689
Σφαγῆναι, pro duci, ἀπαχθῆναι. 764.765
Σφραγίζειν, σφραγίζεσθαι· ſignare. 436. 455. obſignare. 440.441. ἀποσημαίνεσθαι. 653.654
Σφράγισις, ὑπογραφή. 444
Σφραγὶς, quid? 440.343. 445.447.647.648.677
Σώματα ἀγώγιμα. 750.752. 753.754.755.756.772. 791.792.797.799.801. 804.805
Σωμάτιον, maſſa codicis, τεῦχος. 405.406

T.

T & ꝺ permutabiles. 104
Ταλαντιαῖον, quod pretium talenti habet. 259
Ταρτημόριον, ταρτήμορον, τεταρτημόριον. 262
Τάρων, pro τεττάρων. 262
Τελῶναι, τὰ τέλη ὠνοῦντες, publicani. 206
Τεταρτεῦς, quarta pars aſſis. 252
Τέταρτον, τετάρτη, quadrans. 253
Τετάρτη ἑκάστης. 287
Τεταρτημόριον, τεταρτημόριον, quarta oboli, & aſſis, pars. 262.263
Τετράγωνον, quatuor angulos habens. 260
Τετράδιον, tabella, pagina. 415.416
Τετράδιον, cera; tabula, pagina. 459.460
Τετράδραχμον, & τέτραχμον. 263
Τετράμνουν, quatuor valens minas. 260
Τετραντίας, quadrati vir corporis. item τέτρας. 255
Τετραντίας τόκος, trientes uſuræ. Τετραντιαῖος τόκος. 286
Τέτρας, quatuor partes aſſis. 252.253.254.255.257. τετρούγκιον, quatuor οὐγκίαι, triens. 259. quatuor aſſes. 260.261
Τετρὰς, τετράδιον, tabella quadrata. 461
Τετράχαλκος, ἡμιωβόλιον, 283.290
Τέτραχμον, τετράδραχμον. 263
Τετρούγκιον, τέτρας, triens. 259
Τετρώβολον, τὸ τετραδράχμου ἔφεκτον. 48
Τεῦχος, maſſa codicis, & ma-

magnum volumen. 405
Τῆλ☉, inſula; non Τηλία. 205
Τιάρα ὀρθή. 104
Τιθέναι ἐνέχυρα. 501
Τιθέναι νόμον, & τίθεσθαι. 502
Τιθέναι, curare poni. 675
Τιλτὸς μότ☉ carpies, carpia. 881
Τίτλοι, tituli literati, σανίδες. 647.648
Τίτλ☉, αἰτία, ἔλεγχος. 675
Τοκογλύφοι, toculliones. 61
Τόκοι πολλοὶ, centeſimæ multæ. 133
Τόκ☉, *neſchech*. 318. *riba*. 319. 320. 322. 323. 326. 331
Τόκ☉, & δάνεισμα, non idem. 186. 187
Τόκ☉ ἔγγυ☉, & ναυτικὸς, vel διαπόντιος, vel ἐπιπόντιος. 20. 77. 79. 80. 81. 225. male θαλάσσιος, vel πόντιος, vel ἔγγειος. 90. 91
Τόκος ναυτικός. 190
Τόκος ὁ ἐξ ἔθους ſollemnis uſura, ſemiſſes. 279. 282
Τόκος τόκου. 62. 92. 93
Τόμος, ſectio, pars libri, βιβλίον, volumen. 412
Τοῦλδον, vaſa, ſuppellex. 84
Τραύματος ἐκ προνοίας δίκη, vulnerum actio. 793
Τελαντὰς, ultimus dies mēſis. 21
Τρίας, triens. 44. tres partes aſſis. 252. 253. 254. 255. 257. τετρούγκιον. 259. quadrans. 260. 261. 262. 263. tres unciæ. 286. 287
Τριαντίας, & τριαντιαῖος τόκος, quadrantes uſuræ. 287
Τριαντοπόρνη, πόρνη, quæ τρίαντα mercedem accipiebat. 259
Τρίδραχμον, tribus valens drachmis. 263
Τριηραρχία, quale munus? 212. 215. 216
Τρίοψ, cui tres facies. 259
Τριούγκιον, teruncius. 246. τρίας, quadrans. 259. 260
Τρίπτυχα γραμματίδια, vel γραμματεῖα. 404. 421. 461
Τριτημόριον, τριταρτημόριον, & τριτημόριον, τριτημόριον, tres quartæ oboli, tres quartæ aſſis. 262. 263. 264
Τριτημόριον tertia pars, Atticis. triens. 263. 264
Τρίτη δωδεκάτη ἐκατοστῆς, quincunx. 283
Τρίτος· τρίτη· τρίτον· triens. 44. 253
Τρίτον δωδέκατον, quincunx. 253
Τρίτη, τρίτον ἐκατοστῆς, triens uſu-

uſura. 33.180.286.347
Τρίτον ἡμίδραχμον, ſeſtertius pes. 332
Τριώβολον δικαστικόν. 25.27
Τριώβολον ἢ τετραδράχμου. 47
Τροπαί, ſolſtitia. 810
Τρόπος, αἵρεσις. 830
Τύπτειν, αἰκίσασθαι. 793
Τύχη, caſus. 351

Υ.

Υ, ει, & οι, ante mille annos Græciæ unus ſonus. 88
Υ & οι confuſa. 42
Ὕβρις, & αἰκία. 795
Ὑπαίθρια σώματα, in theatris, quid? 297
Ὑπάλλαγμα, pignus. 489. 581
Ὑπάρχοντα, bona mobilia. 652. χρήματα. 654. prædia. 738
Ὑπέχυτος· ſubvas. 701
Ὑπερημερία· τόκος τόκου. 62
Ὑπερήμερος debitor. 549. 558
Ὑπερῷα οἰκήματα. 653
Ὑπηρεσία δουλική· ſervitus. 885
Ὑπίσχεσθαι, promittere, ſpondere. 714.715
Ὑπισχνεῖσθαι, & ἐπαγγέλλειν. 707
Ὑποβάλλεσθαι, oppignerari. 585
Ὑπόβολον, quid? 145. 146. 147. 148. 149. 150. 585. 586
Ὑπόβολον, & θεώρητρον. 151
Ὑπόγειον οἴκημα. 186
Ὑπογραφή, quid? 397.443. 444
Ὑπογραφή, & ὑποσήμανσις. 440
Ὑπογράφιοι, quinam? 754
Ὑποδέσματα, ἐνέχυρα. 580
Ὑπόδεσμος, ὑπόδημος, ὑποτεθείς. 580.839
Ὑποδῆσαι, ἐνέχυρα θεῖναι. 580. nectere, pignori ponere. 839
Ὑποθέναι· opponere, ſupponere pignora. 499. 500.502. pignerare. 554
Ὑποτιθέναι, & ὑποτίθεσθαι. 502.553
Ὑποτίθεσθαι· ſupponere, ſimpliciter obligare. 531. 532. æs pignori accipere. 502. pro ὑποτιθέναι, ſed non pro paciſci. 502
Ὑποτίθεσθαι ἐνέχυρα. 499. 501. 502. 535. & εἰς ἐνέχυρον, fiduciæ pignus. 591
Ὑποθηκαρίας liber, & actio. 540
Ὑποθήκην θεῖναι, & θέσθαι. 501. δίδοσθαι. 494. λαβεῖν. 493. 499. 550

Ὑποθή-

Ὑποθήκης nomen generalius, quam hypothecæ. 490.495.497
Ὑποθήκη genus omnis oppoſitæ rei. 501.509.539. quid? 512.535.542.544. fiducia, obligatio. 494. 590. 591. pigneratio. 554. pignus traditum. 537. nexum. 580. ἐνεχυρασμός. 568. ἐνέχυρον. 499
Ὑποθήκη, quæ non ἐνέχυρον. 508. ſed οἷον ἐνέχυρον. 509
Ὑποθήκη, & ἐνέχυρον. 489. 490.491.496.497.544. 595
Ὑποθήκη, à jure gentium. 687. tam de re mobili, quam immobili, ipſaque obligatione. 505. 507
Ὑποθήκη ἔγγαιος, ἢ ἀσφαλής. 494.495.498.535
Ὑποθήκη γενικὴ, ἰδική. 528. 530
Ὑποθηκιμαῖος, fiduciarius creditor. 541.592
Ὑποκάπηλος, ſubcocio. 701
Ὑποκείμενος, nexus, oppigneratus. 580.839
Ὑποκεῖσθαι ἐνέχυρα. 501. de oppigneratis. 586
Ὑποκίνδυνον, ναυτικὸν δάνεισμα. 81.196
Ὑποπεσεῖν τῷ νόμῳ, committere. 615
Ὑποσημαίνεσθαι, ſubſcribere. 397.440.441
Ὑποσήμανσις, ſubſignatio. 397
Ὑποσήμανσις, & ὑπογραφή. 440
Ὑποσήμανσις cum ſubſcriptione. 446
Ὑποσημείωσις, & ὑποσήμανσις. 397

Φ.

Φ & π permutata. 881
Φανερὰ ποιῆσαι, repræſentare. 504
Φερέγγυος, quis? 90.698
Φέρειν, φορεῖν. 518. ἄγειν. 785.786.787.788.789. 790
Φερνὰ, φερνή. 141. qualis dos? 139.141.142.146
Φερνὴ, & δῶρον, diverſa. 146. 148
Φερνίον, ſporta. 141
Φημὶ, λέγω. 706
Φιλίας συμβόλαιον. 425
Φιλίππειοι, nummi aurei duarum drachmarum. 68
Φονικὸς νόμος. 784
Φορεῖν, φέρειν. 518
Φράτορες τελωβόλου. 25
Φωνεῖν, ſpondere. 718

X.

X & ϑ permutabiles. 104
Χαλκοῦς, οὐγκία. 259.260
Χαλκοῦς, octava pars oboli; quadrageſima octava drachmæ. 36. 48. 232. æreus Atticus. 242. 262. 263. ὀβολὸς, Romanus as. 243. Siculus, duodecima τῆς λίτρας pars. οὐγκία. 243. 245. 246. 254. 255
Χαλκὸν ὑποθεῖναι, & ὑποθέσθαι. 502
Χαμαιδιδάσκαλοι · pedanei magiſtri. 116
Χαμαιδικασταὶ, ſelecti judices. 116
Χάρται, & βίβλος, vel βιβλίον. 401. 402. 404. 413. 414
Χάρτης στοιχημάτων. 517
Χειμάζειν, vexare. 788
Χεὶρ, χειρόγραφον, γραφή. 391. 392
Χειρόγραφον, qualis ſcriptura? 391. 392. γραμματεῖον. 422
Χειρόγραφον, & συγγραφή. 420. 423
Χειρόγραφα, ἰδιόχειρα, 430
Χειρόδοτα δανείσματα. 389. 390. 392
Χειρόδοτα pignora Arabum omnia. 582
Χειροδότως data pecunia mutuatica. 392
Χέμψα, themſa crocodilus. 104
Χερνὴς, χερνήτης. 873
Χλαῖνα, læna. 406
Χρᾶν, mutuum dare. 306
Χρέος, ἀμοιβὴ, mutuum fœnebre. 291
Χρέους δίκη. 425
Χρεωστέω, debeo. κεχρεωστημένη λοιπάς. 713
Χρεωφείλημα ἔγγυον, καὶ ναυτικόν. 89. 190
Χρεωφειλέτης, vir litis meæ, uſuræ meæ. 471
Χρήματα, qualia bona? 653. 654
Χρήματα ἀγώγιμα. 789
Χρημάτων ἔκδοσις, depoſita pecunia. 714
Χρηματίζεσθαι, πραγματεύεσθαι. 390
Χρηματισμὸς; negotiatio, quæſtus. 390
Χρῆσις, quid? 618. 619. 620. 621. 626. συνάλλαγμα ἑκούσιον. 520. tacita, nulla. 622. 624
Χρῆσιν ἐπιδιδόναι · χρῆσαι · mutuum dare. 80
Χρῆσαι, mutuare. 619
Χρήσασθαι · mutuo accipere. 80
Χρήστης, creditor. 191. 618

Χρυσόβουλλον. 440
Χρυσοῦς, aureus Atticus. 242
Χρωννύειν, χρωννῦναι, χρᾶν, mutuum dare. 306
Χωρίον, ἐνέχυρον· fundus. 508.509
Χωρίον ὡρισμένον. 639

Ψ.

Ψῆφος ἔγγραφος. 441

Ω.

Ὠιδεῖον, quale δικαστήριον Athenis? 162
Ὠνή, συνάλλαγμα ἑκούσιον. 520
Ὠνητὴς ὑπαρχόντων, prædiator. 738
Ὠχυρωμένος, præditus, dives. 737

INDEX LATINVS.

A.

ABducere, ἀπάγειν. 780. pro, ducere. 808
Ablativus urbium, pro nominativo, per idiotiſmum. 362
Abollæ majoris crimina. 113
Abſens, pro abens. 736
Abundantia, πλεονασμός. 319
Acceſſio, ampliatio. 318. 319. 320. 322
Acceſſiones debitoris, an prius convenire liceat? 743
Accipere in ſolutum. 755
Accipi, de iis quæ non traduntur. 495
Accepti, & expenſi ratio & ſcriptura. 461. tabula. 474
Acceptilatio, & apocha. 490
Accuſandorum reorum varios modos cur eſſe noluerit Solon? 777
Accuſatio, actio publica. 131
Accuſationes, inſcriptiones, δίκαι, γραφαί. 108
Actio, cõtractus. 688. dica. 792. 793. judiciũ. 890. publica, & privata. 131. bonæ fidei. 522. βλάβης. 552. de dolo, & perſequutio ſtellionatus. 588. ex edicto perpetuo; & extra ordinem. 113. 114. ἐξούλης. 575. ex ſponſo. 690. ex ſtipulatu. 178. furti, à probitate, vel improbitate, qualis? 482. 620. 626. in factum. 620. 626. injuriarum; αἰκίας δίκη. 792. mandati. 706. noxalis. 798. 889. παρακαταθήκη. 694. pecuniæ conſtitutæ. 719. 721. 722. 723. pecuniæ recepticiæ. 721. 722. 724. pigneraticia. 522. 565. 602. 619. 620. vel fiduciæ. 593. uſque 596. 688. 690. vel hypothecaria. 539. 540. vulnerum. 793
Actionis ſponſor. 692
Actionem intendere civilem, δικάζεσθαι. 772
Actione civili agere, δικάζεσθαι. 778
Actiones forenſes, juris ordinarii. 114. populares extraordinariæ, pecuniariæ. 121. 122. 125. 126. privatæ. 121. 425. privatorum judiciorũ, ἰδιωτικαὶ δίκαι. 107. 108. 115. publicæ; civiles, ſeu pecuniariæ, & criminales, vel capitales. 121. 122. 126
Actionibus contrariis ubi locus. 601. 602
Actor, id eſt, reus. 794
Ad denarium quintum, decimum, duodecimum, vigeſimum fœnore dare. 53
Addicere, quid? 802. 803. 804
Addicere liberos. 884. 885
Addicentes ſe ſponte, & ἀγώγιμοι. 890
Addici. 819. in poteſtatem tradi, de corporibus, & bonis. 827. 828
Addici ἐπ' ἐξαγωγῇ. 870
Addictus, ἀγώγιμος, ἔκδοτος, πρόσθετος. 802. 843. 804

Addi-

Addictus, & civis, pugnantia. 845
Addictus, & noxæ deditus. 888
Addicta pignora, venditæ res. 871
Addicti opera locata à creditore. 865. *liberatio.* 882
Addicti. 851. 858. *nexi.* 874. *ſervi.* 875. προσήλυτοι. 876. 877. *ſervientes, non tamen ſervi.* 877
Addicti à ſe ipſis, & addicti à prætore. 870. 871
Addicti, & peregrini. 877
Addicti, & ſervi. 870. 879
Addictorum genera, & pœnæ, pœnarumque genera. 816. 817. 824. *querimoniæ.* 834. 844. 846. *ſervitus.* 821. 822. 826. 827. *ſervilis conditio.* 833. *trinundinum.* 870
Addictos duci, ἀγωγίμους. 818
Additamenta uſurarum. 312. 319
Additamentum, ampliatio. 322
Adfictio, adfixio, titulorũ. 639. 669. *cujus juris?* 641. 642. 648. *quid?* 647. 649. 654. *tabularum.* 656. 661.
Ad finem, in fine. 347
Ad januam, prope januam. 660
Ad interdictum litigare διαδικάζεσθαι. 768
Adinuentio, μεταχειρισμός. 327
Admobiliamentum, ἀπαρτία. 84
Adquintarius, ἐπίπεμπτος. 17
Adpromiſſor. 709. 710
Adſcriptio, ſubſcriptio. 397
Adſignare, conſignare. 449. *apponere.* 738
Adſtipulator, προσεπερωτητής. 709
Adtertiarium, ἐπίτριτον. 17. 18
Ad vadimonium venire, occurrere. 695. 697
Adverſaria, σχέδια. 461
Ædes, pignus. 625
Ædes ſignatæ. 651. 652. 654
Ædium proſcriptarum, inſcritarũve tituli, tabellæ. 664. 665
Ædium venalium tabellæ. 665
Ædium penſiones, emolumenta certa. 625
Ægeum mare, procelloſum. 214
Æginæa drachma. 242
Æoles, Romanorum origo. 235
Æolus, ventorum rex, dominus maris. 205
Æquum, duplum. 334. *ſors,* κεφάλαιον. 92. *& altera ſorti æqualis ſumma.* 93
Æquum ſortis. 343
Æqua uſura. 311
Æqualitas nimia, iniquitas. 149
Æquinoctium, ſidus navigantibus infeſtum. 364
Ærarium populi, publicum, δημόσιον, *non populare.* 126
Ærarii expilatio. 126
Æreolus, χαλκοῦς, *octava oboli: quadrageſima octava drachmæ.* 232
Æreus, uncia. 245. 255. *duodecima,* μονάς, *Siculis.* 261. ἓξ λεπτά. 259. *Atticus, octava oboli pars.* 262. 263
Æreus Atticus, & Æginæus. 242
Æreorum pondus, & libellarum argentearum, idem. 244
Æris nomen, & origo. 234. 236
Æs, aſſis. 236. 240
Æs, αἶς, ex εἷς. 257
Æs rude & infectum. 236. 237

Æs grave, primum erat librarius as; non rude, ſed ſignatum, factumque. 256. *poſtea rude & infectum.* 238
Æs grave Siculorum. 243. 244. 245. 246
Æs λιτρᾶιον. 245
Æs confeſſum, debitumque. 818
Æs fraudi adulterioq; non ob noxium. 242
Æs pro auro ſubdere, quomodo furtum, vel tantum turpe factum? 511
Æs oppignerare, ὑποθεῖναι χαλκόν. 502
Æſtimatio, & ſectio. 829
Affigia. 666
Agentes, Principis bonorum curatores. 641
Agere actione civili, δικάζεσθαι. 778
Agrigentum, urbs Siciliæ. 247
Agris colendis neceſſaria inſtrumenta accipere pignori vetitum. 749. 750
Agrorum uſuræ. 848
Alauda, antiqua vox. 143
Albi corrupti actio, popularis. 123. 126
Album, quæ tabula? 678. 679
Alea, caſus tabulæ. 351
Aleam emi, quid? 352
Aliefacere, aliefactare, ἀλλοιῶσαι. 471
Alitudo ſervorum, & vendentium ſe ipſos. 863
Aliud pro alio conſtituere, vel fidejubere. 723
Ampliatio, acceſſio. 318. 319. 322. 324. 331. 336. 340. πλεονασμός. 377
Anaglypha cælatura. 678
Ancillæ & ſervi hodie apud nos. 871
Animorum habitus, ſecta. 830
Annonæ flagellatio. 126
Annulus pronubus, δακτυλίδιον ὑπόβολον. 586
Annulus, σφραγίς. 447. *ſigillaricius.* 456
Annulo quanam olim obſignari ſolita? 447. 448. 450. 451. 456. 469
Annulorum ſigilla, σφραγίδες. 677
Annuum fœnus. 19. 27. 30. 49. 50. 51. 55. 59. 61. 63. 65. 66
Annuum, & menſtruum fœnus. 228. 230
Annuæ uſuræ, non menſtruæ, præſertim quæ ἔγγειοι. 19. 20
Anni initium Athenis. 217
Anteceſſus, προέχρεια. 629
Ante idus, id eſt, intra idus. 363
Ante nuptias munera. 147. 148. 149. 151
Anthrax, & carbunculus. 490
Anticato, Cæſaris volumen. 409
Antichreſticum pignus. 624. 626. 627. 632
Antichreſticus pignoris uſus. 867
Antiqua lex. 330. *Romana.* 335
Apocha, & acceptilatio. 491
Apographum, exemplum. 400. 403. 418. *pariculum.* 671
Apollo θυραῖος. 680
Apotheca veterum, cavæ, κατάγεια οἰκήματα. 653
Appeller ſon garent. 729
Aquæ publicæ rivos violaſſe, cujus judicii? 123
Ara pro foribus, apud Atticos. 680
Aratrum pignori accipere vetitum. 749. 750

Arbi-

Arbiter, διαιτητὴς, furti. 778. 779
Arcturus, ſidus infeſtum navigantibus. 364. 372
Ardefacere, comburere. 471
Areopagitarum archiva, in quibus leges Draconis. 768
Argentarii vel menſarii, munus, & fides. 722
Argentum ſignatum, νόμισμα. 94
Argentum factum, in pignus datum. 591. mutuo datum. 631
Argentum mutuo datum an in legatis creditoris? 631
Arillator, ſubcocio. 701
Arma militis pignori accipere vetitum. 749
Arra omnis, pignus. 584
Arræ ſponſalicia, ſponſalia, donatio ſponſalicia. 147. 148. 149. 583. 586
Arrabo, pignus, & obſides. 582. 583. 584. 688
Arrabonis etymon. 485. 744
Aſſa, vox. 261
Aſſarium, μονομάχιον. 261
Aſſarium fœnus, as annuus in centum uncias, centeſima. 230. 231. 267. 268. 269. 270
As, duodecim unciæ. 231. 232. 233. æreus Siculus. ἓξ λεπτά. 259. λίτρα Sicula. 249. 253. 254
As, & libra, quando fuerint idem? 241
As, aſſis, libra, Romanis. 261
As æreus, libra. 244
As librarius, & libella argentea. 244. 245. 247
As, & uncia, confuſa. 269
As ſeſque; ſeſqui. 332
As, ſortis appellatio. 270
As, ἂς, ex εἷς. 257. ἅπαξ, μονάς. 261. ejus nomen, & origo. 233. 234. 236. 240. æs. 236. 240. vox Sicula. 251. 268
Aſſis nummus, & libra æris infecti. 237
Aſſis librarius Magnæ Græciæ. 235
Aſſis Romanus, χαλκοῦς, & ὀβολὸς, Græcis. 243
Aſſis, Romanarum ſors uſurarum. 47
Aſſis ſemis, ſembella. 244
Aſſis, unitas, μονάς, & totum, τὸ ὅλον. 258. 261
Aſſes uſuræ Romanorum, centeſimæ Græcorum. 233. 264. 267. 268. 269. duodecim in centum. 275
Aſſes ſemunciarii. 236. 237
Aſſium partes ad exprimendos uſurarum modos uſurpatæ Romanis. 229. earum origo. 232
Aſſium pondus quomodo imminutum? 238. 241. 251
Aſſiduus, ab ære dando. 236. quiſnam? 701. 737
Aſſipondium, libræ nummus. 261
Athletæ mutuo dare. 349. 351. 352. 354
Athletarum uſura. 373
Attica terra λεπτόγεως. 195
Auctio, ampliatio. 319. 324. 331
Auctio, venditio. 693. 866
Auctionariæ tabulæ. 679
Auctor omiſſæ libertatis. 865
Auctor primus, venditor. 699. 728. 733. 866
Auctor ſecundus. 699. 728. 731. 733. 744

Auctor primus, & ſecundus. 693.694.866
Auctorare, ſe vendere, addicere. 865.866
Auctorare liberos. 884.885
Auctoratus, venditus. 864.865
Auctorati peculium. 865
Auctoratio, venditio. 866
Auctoramentum, merces auctorati. 865.867
Auctoramẽtum ſervitutis. 867.869.871.874
Auctoritate judicis, ſententia. 655
Augeri uſurarum additamentis. 319
Augmentum, Arabibus quid? 318.319.320
Aurei tricipites. 343
Auri ratio ad argentum decupla. 68.69.70
Authenticum, authographum; & exemplum. 400.402.434
Axis, ἄξων. 766.767
Axes, ἄξονες legum Solonis. 101.102. *κύρβεις.* 758.759. *pilæ.* 760

B.

BAnca rupta, everſa menſa. 713
Bellum, duellum. 252
Bene credere. 705
Berito, pro Beryton. 362
Beſſalis uſura. 35. *inter communes.* 91. *beſſes uſuræ.* 272.277.301.373.374. *quando cẽteſimis ſuccedant?* 375.376
Beſſes uſuræ Iuſtiniani. 188.189
Bes. 16. *ὄκλας.* 255. *dues, δίμοιρον.* 252.253.257. *duo trientes.* 466.467
Beſalterum, ἐπιδίμοιρον, decuſsis. 1.
Bina centeſima, ἐπὶ δυοῖ δραχμαῖς. 210.348
Bipatens pugillar. 421
Bis, duis. 252
Boja, κλοιὸς σιδηροῦς. 614
Bonæ fidei actio, vel contractus. 522.601.623.686.687
Bonorum ceſſio, & ignominia ex illa. 891
Bonorum damnati ſectio, & ſector. 827.828.829
Bonorum proſcriptorum tituli, vela. 639.640. *cujus juris?* 641.642.648
Bona, ſunt perſonarum: perſonæ autem reipublicæ. 749.753
Bona mobilia, immobilia. 488.501
Bona immobilia, quoque ἐνέχυρα. 489
Bona prædia, quæ? 737.738
Bona propria, aliena. 488
Bona carpere. 881
Bonum, duonum. 252
Brandones. 648.666
Breves libelli, βιβλίδια. 424
Bullæ pontificum. 440
Burdi, papyrus, Arabice. 401
Byzantiorum inopia & neceſſitas. 219.220

C.

Ↄ averſum, ſicilicon. 309
Cachetum, ſignum, σφραγίς. 443
Cadefacere, abjicere. 471
Cadere in commiſſam. 616
Calare, ſculpere. 676.678. *non ſcribere.* 680
Canicula ſideris in Ægæo mari effectus. 215
Capitale, extraordinarium tantum. 123

Captio,

Captio, prehenſio, αἰχμαλωσία, ἀπαγωγή. 773
Capti pignoribus coërceri. 551
Captus piſcium, & ejus alea. 352.373
Carbunculus, & ἄνθραξ. 490
Carcer privatus. 797.798. & publicus.851.852.853.858.890
Carpere diem, &c. 881
Carpies, carpia. 881
Carpus, καρπὸς, manus junctura. 881
Caryotæ, palmulæ nucatæ de ſelectis. 276.284
aſmæna, Camœna. 815
aſus, τύχη. 351
Cataplus, ſtolus, vel claſsis ἀμφοτερόπλους. 357
Cato Cenſorius, an inhoneſtus fœnerator, & ἡμεροδανειστής. 378.379
Catomidiari, cædi. 847
Cavæ, κοιλάγλυφα οἰκήματα. 653
Cavata littera, raſa. 464
Cavatores, gravatores. 676.677
Cavatura, γλυφή. 676
Cautio, ἀσφάλεια. 420
Cautio manuſcripta, χεὶρ, χειρόγραφον· & συγγραφή. 392.403
Cautio, lex commiſſoria pignorum. 605.606.609
Cautio pignorum, & hypothecarum; & utra ſecurior? 495.496. 497. 509. 539. 685. 686
Cautio præſentiæ, vel ſiſtendi, vadimonium. 696.703
Cautionis ſpecies. 390.403
Cautiones chirographariæ etiam in pugillaribus perſcriptæ. 422
Cauſſa coërcendæ contumaciæ. 571. crediti. 562.572.573. debiti. 573. judicati. 797
Cauſſa, vel executio, judicati, auctoritate judicis, prætoris, principis. 558.561.562.563.564. 571. 572. 573. 574. 576
Cauſſa multæ. 571
Cedere pignore, hypotheca, in jure. 605
Ceſsio in jure. 600.605
Ceſsio bonorum, & ejus ignominia. 891
Cenſus, ἀποτίμησις. 882
Centum pro centum. 93.343
Centena in centum, & centeſima, quantum differant? 273
Centenarius numerus, radix & terminus in ratione uſurarum ac ſortis, apud Romanos. 229.270
Centeſimalis, centeſimaria uſura. 11.32.34.35.45.58.97. 219.230.848
Centeſimus as, vel denarius. 228
Centeſima, ſcilicet uncia, non uſura, ſed uſura centeſima. 230
Centeſima, annuus as in centum uncias. 230. 231. aſſarium fœnus. 288. aſſes uſura. 233. duodecim in centum. 229. 270. 271. 273. 274. 275. τόκος ἐπὶ δραχμῇ. 152. 156. drachma mẽſtrua in minã. 230. 231. 264.267.270
Centeſima, uſura nautica. 91
Centeſima, legitima, & Romanorum uſura maxima, & minor quam Græcorum minima. 132.133.181.226.230. 232.275.328.348.586. leviſsima in trajecticio contractu. 369. Ex ἐπογδόῳ τόκῳ facta. 311.366.368.375.377

Centeſima centeſimæ. 309
Centeſima, & partes ejus. 269
Centeſima Iuſtiniani. 188.189. 369
Centeſima fructuum. 375
Centeſima dimidia, ſemiſſes uſuræ. 272.289.316
Centeſima bina, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς. 210.268. duplex. 347. 348. terna. 301
Centeſima tertia, & centeſimæ tertia. 286
Centeſima quaterna. 272. 312. quina. 133. ſextuplex. 368. duodena. 368
Centeſimæ uſura, & ſors totius, male confuſa. 232
Centeſimas quantas quiſque vellet, ſtipulari, licitum. 309. 310.343.348.369.377
Centeſimis uſuris quando ſuccedant beſſes? 375.376
Ceppi, cippi, cuſpi. 815
Cera, & codex, & tabula codicis. 455
Cera, tabella. 415. tabula cerata. 463. tabula, vel pagina. 459. 460. 467. codicis pars. 465.467
Cera turbata. 453
Cera tabularum duplex. 452. 454.458.459
Cera prima, ſecunda; prima, ſecunda tabella. 465.468
Cera ſumma, & ima; ſumma, & ima ceræ pars. 465. 466. 467
Cerula miniata. 446
Chalcus, metallum, vel æs rude & infectum. 236
Character ſigilli imago. 457
Charta, libellus, & tabula. 423
Charta Ægyptia ante membranas. 461
Charta veterum. 434
Charta legata, & chartarum genera. 401
Charta paricula. 671
Chartaceus libellus, βιβλίδιον. 424
Chirographum, vel chirographa, quid ſignificet? 391. 392. 393. βιβλίδιον, γραμματεῖον, tabula; ſed improprie. 422.423.424. litteræ. 426. ſyngrapha. 604. teſtis ſubſignatio. 437.439
Chirographum non obſignatur. 434.435
Chirographum, reddi ſolitum. 470.471
Chirographi tabulæ. 423.435
Chirographi lignum, lignea tabula. 423
Chirographa, in tabulis perſcribi quoque ſolita. 473
Chirographa inter & ſyngraphas genus medium. 427. 428.429
Chirographaria inſtrumẽta. 427
Chirtas, veſtis ex biblo. 402
Chriſtiana perfectio omnem uſuram excludit. 338
Cibarium, diarium, σιτομέτριον. 163
Ciborum carptores. 881
Cincti judices. 113.116
Cippare, incippare. 815
Cippi lapidei prædiis impoſiti. 636
Cippi terminales prædiorũ. 636
Cippi litterati. 666
Cippi, cuſpi. 815
Civili actione agere, δικάζεσθαι. 778
Civis & liber apud Romanos. 871
Cives Romani. 879
Civium nexus. 833.839

Civitas libertatem præſupponit. 753.845
Civitate donatæ provinciæ ab Antonino ob vectigalium amplificationem. 854.857
Clarigatio, ἀνδρολη ψία. 550. 551.554.555.561. ἐνεχυρασμός. 568
Claudere, ſignare. 443.447
Claudius vanalis. 662.739
Claves & annulum tradere. 448
Clericis omnes uſura, quæſtus, lucra, interdicta. 272. 313. 325.326.329
Clientes, addicti, θῆτες, πενέσαι. 871
Cnodax, fibula ſubſcudica axis. 102
Cociones, κάπηλοι. 71
Codex ligneus ex tabellis ceratis. 404. plurium πλυχῶν, πλυχίον. 421. tabulæ, pugillares. 423.465
Codex, & volumen. 420
Codices & volumina. 415
Codices teſtamenti, non volumina. 419
Codices. 405. 406. 407. 408. 409. 411. 413.414.415. 416
Codices ex membranis, vel tabulis. 463
Codices legati. 407.408. 409. 411.420
Codicea maſſa. 408
Codicilli, codices cerati minoris formæ. 407. 419. ſupplices libelli, non βιβλία. 420
Coërcẽdæ cõtumaciæ cauſſa. 571
Coërceri captis pignoribus. 551.
Coërcitiones ordinariæ, extraordinariæ. 588.589
Cognitio, jus extraordinarium. 111.112.113.120
Cognitores, qui? 727.830.831
Cognitura. 727
Collegii contractus, publicus. 470
Collimitia fora. 770
Collo obtorto ad judicem trahere. 772.776
Colonarii, quinam? 878
Coloni, & εἵλωτες. 874
Columbar, quid? 813.814
Columella lapidea prædiorum. 636. 666. tituli. 667.669. 670.674.679.680
Columna, ςήλη. 767
Combenna, antiqua vox. 143
Comburere diem. 881
Commercii intereſt, quam plurimos inveniri creditores ſuſcepto periculo. 374
Commiſſæ res, &c. ςερήσιμα. 614.615.616
Commiſſoriæ leges, pactiones, cautiones, ſtipulationes. 600. 601.602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612.613.614.616.617
Committere legem, & in legem; peccatum, & contra peccatum. 614.615
Commodatum, conventio voluntaria. 520.687
Commune fœnus, ἔγγυον. 20.77. 79.80.81.89.90.91.93
Commutatio, Arabice, quid? 581. ejus etymon. 585
Compedes, qualia vincula. 812. 815.817
Componere inſtrumenta, conſcribere. 516
Conclamare vaſa. 84
Condemnati rei, ἑαλωκότες τῇ ψήφῳ. 765. iudicati, confeſſi rei. 765.781
Conductio, conventio voluntaria. 520

Condu-

Conductores publicorum operum, ἐργολαβοῦντες. 193. *δημοσιῶναι.* 206
Conductum, contractus, qualis? 686.687
Confeſſum æs. 818
Confeſſi, indicati, condemnati rei. 765.781.783
Confeſſio debiti, chirographum. 420
Confirmator venditionis. 728
Confiſcatarum rerum tituli & tabellæ. 665
Conjicere in vincula. 817
Conſcribere, διασημαίνειν. 441
Conſenſus, conventio. 523
Conſenſus utrimque reos facit. 523
Conſignare, conſcribere. 597. *adſignare.* 449
Conſignare præcepta. 450
Conſponſi. 701
Conſtituere, quid? 717.718. *de quibus rebus?* 722
Conſtituere, & fidejubere. 723. 724
Conſtituere pro alio, intercedere. 725
Conſtitutum, de quibus rebus. 720.721
Conſtituti, & ſolutionis, intervallum. 720
Conſtituta pecunia. 718. 719. 720.721.722.723.724
Conſtitutæ res, an mobiles? 649. 655
Conſuetudinarium, dotariũ. 150
Conſuetudo, νόμισμα τῶν ἰδιωτῶν. 96. *quandonam lege juſtior.* 187. *lex non ſcripta.* 201. 202. *inſtar legis.* 570
Conducti nummi. 193
Conternatio, codex, tabulæ triplices. 465
Contractus, & pactio, vel pactũ. 523
Contractus, & genera ejus. 520. 521
Contractus publicus, & privatus. 469.470
Contractus ſcriptus, συνάλλαγμα. 522
Contractus ſine inſtrumẽto. 522
Contractus, qui conſenſu contrahuntur. 731
Contractus voluntarii. 686.687
Contractus ἀντιχρήσεως, & θεματισμοῦ. 621
Contractus bonæ fidei, ex jure gentium. 601.686.687
Contractus fiduciæ. 601
Contractus judiciorum contrariorum. 686
Contractus pignoris. 523. *qualis?* 686
Contractus rei venditæ inemptæ. 603
Contractus venditionis, & pignerationis; legis commiſſoriæ. 611.612
Contractus medius venditionis conditionatæ. 599
Contractus poſſeſſione obtenta finitur. 566
Contrahi conſenſu, vel conventione. 523
Contrahi pignus. 522
Contrahentis, vel contrahentium utilitas, quei reſpiciatur? 601
Contramutuum. 620.621.626. 628
Contraplegii, quinam? 700
Contrariis actionibus ubi locus? 601.602
Contra vadiatores, quinam? 587
Controverſiæ privatæ judices, pedanei. 116. *fora.* 117
Cõtumaciæ coërcẽdæ cauſſa. 571

Contumelia, αἰκία. 796
Contumelia multa. 794.796
Convaſare, vaſa conclamare. 84
Conventio, conſenſus. 523. pactum. 549
Conventio nuda. 513.515.517. 523. pignorum. 618
Conventio, vel pactum expreſſum, pignus tacitum excludit. 622
Conventio pignoris circa jura prædiorum. 545.546.547
Conventio & contractus. 520
Conventiones privatorum, ἴδιοι νόμοι. 127
Conventionale pignus. 804.806
Conventionalis pignoris obligatio. 756
Copiam ejurare. 805
Copto, pro Copton. 362
Corporalis detentatio. 530.531
Corporaliter detineri, κατέχεσθαι. 583
Corporaliter tradi. 529
Corporis cõtractus, publicus. 470
Corporis nexus, obligatio. 748. 750.754.755
Corporũ ἐνεχυρασία. 805. apud Romanos. 806. nexus. 839
Corporum nexus, & pignoris capio. 844
Corpus ἄσυλον. 636
Corpus, σωμάτιον, codex, maſſa codicis. 406
Cortina regia, ῥάκη ὑποπόρφυρα. 640.641. cujus juris? 642.650
Credendi auctor, auctor ſecundus, ſponſor. 699
Credere male, bene. 705
Creditæ pecuniæ probatio. 471. 472.473.474.475
Crediti cauſſa. 562.572.573
Creditor, χρήστης. 618
Creditor hypothecarius. 592
Creditor pigneraticius, & perſonalis. 487.488
Creditor pigneraticius, & hypothecarius. 497. 498. 540. 541.542
Creditor quaſi pigneraticius. 599
Creditoris ſecuritas. 486. 684. quotuplex? 488
Creditoris ſervus navigans una, κερμακόλουθος. 347
Creditori quibus modis concilianda ſecuritas? 387
Creditores vetuſtiores qui ſunt, alios poſteriores in debito recipiendo quãdo præcedant? 487
Creditorum carcer publicus & privatus. 851.852.853
Crimen legitimum, non legitimum; judicii ordinarii, extraordinarii. 115
Crimina, ἐγκλήματα. 109. in iis tria locum habent; ἀπάγειν, ἐφηγεῖσθαι, γράφεσθαι. 779
Crimina majoris abollæ. 113. extraordinaria. 114
Crimina capitalia. 118.120.121. ἀδικήματα δημόσια. 129. quomodo vindicata? 130
Crimina ordinaria legitimaque; & extraordinaria. 113.114. 120
Crimina publica, & privata; criminalia, & civilia. 106. 107.108.110.114
Criminũ nomina, & delicta. 758
Critolai libra. 235
Culmi triticei manipulus rebus venalibus ſuſpẽdi ſolitus. 666
Cubilia tignorum, columbaria. 813
Cubiti agrorum. 294

Curia, forum, jus ordinarium. 114
Curiales, pedanei judices. 116
Cuſpi, κύφωνες, κυφοὶ, κυφῶνες, ξυλόποδες. 814. 815
Cuſtodia privata. 797. 798

D.

D *& R permutata.* 737
Dare dotem. 716
Dare fiduciam, & fiducia. 537
Dare in anteceſſum, & prius quam petatur, προεχέσθαι. 630
Dare in nexum, vel nexui. 838
Dare noxæ, in noxam; doti in dotem; pignori, in pignus; fœnori, fœnore, in fœnus. 888
Dare pignus, vel pignori, & in pignus tradere, volentis eſt, non coacti. 552. 553
Dare pignori, εἰς ὑποθήκην. 536. 537. 538. 539. 544.
Dari dicuntur, quæ non traduntur. 494. 497. 511
De, in compoſitione, quid efficiat? 251
Debitum cõmune, maritimum. 79. 80
Debitum æs. 818
Debiti cauſſa. 573. *confeſſio,* χειρόγραφον. 420. *probatio.* 471. 472. 473. 474. 475. *reliquatio.* 713
Debitor bonũ vel non bonum nomen. 386. 387. 388. *idoneus, fide magis quam bonis cenſendus.* 388
Debitor, primus auctor. 728
Debitor ὑπερήμερος. 549. 558
Debitoris bona proſcribere. 662
Debitoris fidei copia. 486
Debitoris ſectio. 809. 810. 820. 822. 823. 824. 825. 827 828. 832
Debitoris res obligata, aut iure poſſidentur, aut corpore. 487
Debitores nexi. 80
Debitoribus uti danda dilatio? 571
Decedere pignore, hypothecis. 605
Decem in centum; decimus denarius; dextans uſura, τὸ κῶ ἐπιδέκατον. 44. 45 53
Decerpere noctes. 681
Decemviralis lex. 826
Decima uſura. 43. 45
Decimus ſextus denarius; ſex circiter in centum. 53
Decreta, deſtinata, dicta, promiſſa, pacta, ſponſa. 716. 717. 718
Decunx, δεκούγκιον, *dextans,* δέκας. 251. 260
Decunces uſuræ. 275
Decuriones, pedanei judices. 116
Decuſsis, beſalterum, ἐπιδίμοιρον. 18
Dediticii, quinam? 879
Deditus noxæ, & ἀγώγιμος. 797. ἔκδοτος. 802
Deducere in ſtipulatum. 623
Deduci, duci, ἀπάγεσθαι. 765
Deferri, ἐνδεικνύναι. 784
Defunctorum ultimas infringere voluntates, quomodo capitale fiat? 657
Delatio, ἔνδειξις. 779. 780. 781. 782. 783
Delationis falſæ multa. 782. 784
Delator, ἐνδείκτης. 779. μηνυτής.

-τῆς. 783

Delicta privata. 117. ἁμαρτήματα. 109

Delicta, & nomina, criminum. 758

Demens, ſine mente. 251

Demenſum, σιτομέτριον. 163

Demagis, minus. 251

Denarius, drachma, ἡμιστάτηρ. 67.70.71

Denarius, στάτηρ. 243. 244. 246.247.249. quatuor ſcriptula, quatuor ſeſtertii, vel abſolute quatuor nũmi. 248. 250. 284.285. primum decem aſſes, poſtea ſedecim. 259.268

Denarius verus, didrachmus. 248

Denarii pondus quomodo imminutum? 251

Deponi, oppignerari. 500.501

Depoſitum, conventio, vel contractus volũtarius. 520.521. 687

Depoſiti damnatus, infamis. 588

Depoſita pecunia, ἐγγύη. 714

Depoſitarii littera. 427

Depygu, quæ pygam non habet. 251

Deſcribere, διασημαίνεσθαι. 440.441

Deſerere vadimoniũ. 695.698. 702

Deſpondere, ἐγγυᾶν. 166

Deſpondere, & ſpondere. 712

Deſtinata, decreta, dicta, promiſſa, pacta, ſponſa. 716. 717.718

Detentio liberorum, à creditore parentum. 885

Detentio pignoris, & res quæ detinetur. 494

Detentio rei, ingreſſio in poſſeſſionem. 692

Detineri corporaliter, κατέχεσθαι. 530.531.583

Deunx. 251.252. δίμοιρον τέταρτον. 253

Deunces uſuræ. undecim in centum. 275

Devirginare, virginitatem tollere. 251

Dextans, deſextans, δέκας, decunx, δεκούγκιον. 251.260. δίμοιρον ἕκτον. 253.257

Dextans & dextantales uſuræ, ἐπιδέκατοι. 20. 35.43.44. 45. denarius decimus; decem in centum. 44.45.53.257

Diarium, cibarium, σιτομέτριον. 163

Diarium fœnus. 62.63.71.93

Diarii fœnoris modus. 63

Diarium ſervorum & vinctorum. 820

Dica, actio, vulnerum, injuriarum. 792.793

Dicam ſcribere, & ſubſcribere. 108

Dicere, conſtituere. 717. ſpondere, promittere. 715 uſque 718

Dicere dotem. 716.717.718

Dicere ſacramento. 706

Dicta, ſponſa, pacta, promiſſa, deſtinata, decreta. 716.717. 718

Didrachmum, id eſt, nummus. 66.248

Diem carpere, lacerare, comburere. 881

Dies juſti, juſtidium. 810.811

Dies prœliares. 811

Differre vadimonium. 695. 702

Dii ἀνθήλιοι. 680

Dilatio uti debitoribus danda? 571

Diſcedere ſcenam, terram, cœlum. 296
Diſſolvi rem pignori datã. 838
Diſſolutiones, diſtractiones, συναλλαγμάτων; tranſactiones. 522
Divitiarum genera; fundus, & fœnus. 88. 89
Divortii conſuetudo in reſtituenda dote. 142. 159
Diurna uſura Græcorum. 58. 59. 65
Diurnus fur. 763. 775
Doarium, dotarium. 149. 150
Dodrans, dequadrans. 251. δίμοιρον διώδεκλον. 253. *nonuncius.* 260. *tres quadrantes.* 466
Dodrantes uſuræ. 276
Dotale pactum, pactum conventum. 515
Dotarium, doarium. 149. 150. *donatio ante nuptias* ὑπόβολον. 586
Dotis datio. 144. *omnium pæne ſæculorum.* 146
Dotis exigendæ actio. 178
Dotis libellus. 146. *repetitio.* 159. *reſtitutio in divortio.* 142. 159. *redditio.* 175. 182. *retentio.* 174. 175. 182. *uſuræ & penſiones.* 180. 181
Doti dare, in dotem. 888
Dotem dare, dicere, promittere. 716. 717. 718
Dotem reddere, vel ſecus, in mariti arbitrio erat. 173
Dotium jus Atticum, Græcumque. 138
Dotium mutuarum ſæculum. 138. 144
Dos, δώς, δόσις. 141. 145. 146. *in numerata pecunia.* 180. *in re immobili.* 509
Dominium commiſſum. 616
Dominium fiduciæ, & pignoris. 604
Dominium rei mutuo datæ accipientem tranſit. 626. 6
Dominium, & poſſeſſio. 608. 609. 611. 613. 614. 617
Dominii jus. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614
Dominus fiduciarius. 59[illegible]
Domnædii, qui ædes locant. 5[illegible] 60
Domnina, domnia, domna. 5[illegible]
Domorum vænalium titu[illegible] 665
Domus, pignus. 6[illegible]
Domus proſcripta, [illegible]ſcripta. 663
Domus ſignata. 651. 652. 654
Donari ære gravi. 236. 237
Donatio ante nuptias, propter nuptias. 147. 148. 149. 151
Donationes. 855. 856
Dona & dotes, diverſa. 146. 148
Dono nil dulcius. 141
Donum matutinale, morgengaba. 145
Dores, magnæ Græciæ conditores. 233. *Romanorum origo.* 235. *Italici.* 241. 243
Drachma, ſors uſurarum Græcarum. 47. *denarius.* 67. 70. *centeſima minæ pars.* 51. 93. 229. 270. *oboli ſex.* 48. 53. 54. 55. 242. 247. 275. 277. 286. *quadraginta octo* χαλκοῖ, *vel æreoli.* 36. 232. *decem* λίτραι *Siculæ argenteæ.* 243
Drachma Syracuſana, & Agrigentina, Siculæ. 247
Drachma ærea Atticorum. 242

Dra-

Drachma Siculum, & Attica. 248
Drachma auri, & argenti. 69. 250
Drachma menſtrua in minam, ſtruncia menſtrua in centum,
Draconis & Solonis leges uti ſcriptæ? 766.768
Draconis lex περὶ τ̃ ἀγωγίμων. 785
Ducere, cujus? 780.791
Ducere, ἄγεσθαι. 791. *domum.* 819
Duci, ἀπάγεσθαι. 764.776. *de noxa deditus.* 889
Duci ad ſupplicium, ἀπαχθῆναι. 781
Duci judicatos, & addictos. 818
Duco, dux. 692
Duellum, bellum. 252
Dues, bes, δίμοιρον. 252. *duo aſſes; pro quo, dupondium.* 252
Duis, bis. 252
Dulband, tiara Perſica. 104
Duo millia æris, quina millia aßium. 239
Duodecima uſura. 35. *duodecim in centum annuos, minima uſura apud Athenienſes.* 152.156. *centeſima. fere* ἐπόγδοος. 366.368
Duodeviginti in centum. 182
Duonum, bonum. 252
Duplares, duplicarii milites. 532
Duplices fores, tabulæ. 404. 421.460.467
Duplum, ſeſalterum, æquum. 332.343.334.343
Duplum centeſimæ, centeſima duplex. 347
Duplum ſortis. 348
Duplum in frugibus fænus, illicitum. 330
Dupondiarium fænus. 268
Dupondium, duæ libræ, duo aſſes. dues. 240.252.261
Duſmi, dumi. 815
Dux, duco. 692

E.

E*Dicere,* προαγορεύειν. 771
Edicit Prætor. 123
Edictum perpetuum ad ordinarium judicium pertinet. 113. 114
Edicti perpetui actio. 113.114
Eiſta, pro, *Iſta.* 282
Ejurare copiam. 805
Elenchi, quid? 670
Elocare, ἐκδοῦναι ἐργάσιον. 193
Elogium, titulus, periculum. 670.675.676.678
Em, *eum.* 819
Emancipatio in libertatem. 879
Embateuticon, emphyteuticon, quale jus? 575
Embole, entheca, navis onus. 214
Emendi auctor, ſecundus auctor. 699
Emolumenta fructuum in certa, certaque. 625
Emphyteuticon, vel embateuticon jus. 575
Emptio, contractus qualis? 686. 687. *conventio voluntaria.* 520. *legis commiſſoria.* 611. 612. *contractus privatus.* 470
Emptio conditionalis. 609.611
Emptor fiduciarius. 598. *& quaſi fiduciarius.* 599
Endo, *in.* 819
Endoque plorato, *imploratoque.* 819

Entheca, ἐμβολὴ, navis onus. 114
Ephemerides fœneratorum. 310
Epimenia, ſervorum demenſa, cibaria. 163
Epiſtola, pro codicillo teſtamentario. 420
Epiſtola, & ſubſcriptio Principis. 397
Eſſentia, pro ſentia. 736
Evallefacere, evallare. 471
Eventus incertus, periculi argumentum. 348. 349. 370. *quid faciat?* 371
Eunuchi; & debitores facultatibus caſſi. 387
Exactorius, pignoribus captis. πρακτόρειος. 556
Exauctorari, liberari. 866
Exceptio pecuniæ non numeratæ. 472
Exceptio, Quod nõ vi aut clam. 661
Exceptio, Si non vi, nec clam. 658. 661
Executio, vel cauſſa judicatæ rei, auctoritate judicis, prætoris, principis. 558. 561. 562. 463. 564. 571. 572. 573. 574. 576
Executiones publicorum judiciorum, δημόσιαι δίκαι. 107
Exemplarii cauſſa. 419
Exemplar, & exemplum. 418. 419
Exemplum, pariculum, τὸ ἴσον, *groſſa.* 394. 396. 400. 403. 669. 671
Exemplum, & authenticæ tabulæ. 40[illegible]. 402. 434
Exemplum proborum adverſus coërcendam improborum licentiam abſque civili lege non efficax, [illegible] 558
Exempla publica, graviores [illegible] *næ.* 1
Exhibitionis, vadimonii, [illegible] 694
Exigere debitum, aut pi[illegible] 569
Expenſum, δάνειον. 474
Expenſi vocabulum. 238
Expenſi & accepti ratio & ſcriptura. 461. *tabulæ.* 474
Expenſilatio. 473
Expromiſſor. 710
Extorquere pignora. 569
Extra ordinem, *& ejus ſignificationes.* 118
Extra ordinem plecti. 511
Extraordinarium, nec publicum, nec privatum. 115. 129
Extraordinarium populare, pecuniarium. 123
Extraordinarium tantum, capitale; ubi pecuniariæ multæ locus nullus. 123
Extraordinarii rei. 119
Extraordinariæ, ordinariæ coërcitiones, perſequutiones. 588. 589
Extrema pagina, ima, infima, noviſſima, ultima tabula & pars. ſecunda cera. 465. 467. 468
Extremum, ſummum. 462

F.

Facere, curare fieri. 676
Facere mappalia. 657
Facere mutuum, mutuare. 619
Facere nexum. 83
Facere pro bono, pro ſano. 742
Facere vadimonium. 695. 697. 698. 702
Facere utramque paginam. 461

Facturæ mercatorum creditorum. 309
Facultates faciunt ἀξιοχρέους. 388
Fama, veri falſique incertus nuncius. 497
Famoſa judicia. 588.589.590
Favor & odium, mundi, virum bonum, malumve, non invenire, ſed facere malunt. 479
Ferotauri, feri tauri. 178
Fibula ſubſcudica; κναίδαξ. 102
Fictum, & fixum. 788
Fidedicere aliquem. 700. 706. 714
Fidei bonæ actio, vel contractus. 521.686.687. judicia. 623
Fideicommiſſum, non fiducia, ſed res fiduciaria. 602
Fidei debitoris copia. 486
Fidejubere, quid? 705. 708. 709.735. ἐκδέχεσθαι, ἀναδέχεσθαι. 585
Fidejubere aliquem. 700. 706
Fidejubere, & conſtituere. 723. 724
Fidejuſſio, ἐγγύη, qualis contractus, & cujus juris? 686. 687. βεβαίωσις. 728. non ſine ſtipulatione. 724
Fidejuſſiones, privatæ, publicæ. 736
Fidejuſſor, quis? 702.704.705. 706. 707. 709. 710. 726. 727. 728. 731. 733. 734. 735. 537. 738. 741. 742. 744
Fidejuſſor, ἀνάδοχος, ἔκδοχος. 585. ſatisdator. 692. auctor. 693. omni obligationi adhiberi poteſt. 744. an præ debitore conveniri poſſit? 743. quando non teneatur? 719. magis liberatur quam mandator. 744
Fidejuſſoris exemplum antiquiſſimum. 714. non cauſſa durior quam rei principalis. 725
Fidejuſſores plures ejuſdem rei. 685.745. primi, & principales; ſecundi, & ſequentes. 701. juxta pignora. 684
Fidejuſſores fidejuſſorum. 685
Fejuſſorum cautio, an ſecura maxime? 685
Fidepromiſſor. 695
Fidepromittere, quid? 705.707. 708.709
Fide ſua promittere. 709
Fide ſua jubere. 709
Fides facit ἀξιοπίστους. 388
Fides teſtium, & inſtrumentorum. 471.472
Fiducia, quid? 590. 591. 592. 598.603.604. πεποίθησις. 599. nomen generale. 596. 597. pignus. 566. 685.686. ſecuritas. 604. hypotheca. 498.603. 604. 707. 709
Fiducia, & hypotheca. 543
Fiducia vendi non poteſt creditori. 609
Fiduciæ nomen à Triboniano expunctum. 179
Fiduciæ confuſio, & diſtinctio. 598.599.600.601.602
Fiduciæ cauſſa ponere. 595
Fiduciæ contractus. 601. dominium. 604. judicium, actio. 592.593.594.595. 596. pigneraticia. 886. 890. quæ bonæ fidei contractus. 686. ea cujus juris? 688
Fiduciam contrahere. 598.602
Fiduciam, & fiducia, dare. 537.
Fiducias diſtrahere. 601
Fiduciare, quid? 591.594

Fiduciarius, a, um, quid? 592. 598. 602. 603
Fiduciarius creditor. 541
Fiduciaria formula, hypothecaria. 596
Fiduciatus, a, um, oppigneratus. 591. 592. 594
Figura περὶ τὸ σημαινόμενον. 417
Fiſcus, κιωϛχ☉. 449
Fiſcus quomodo mittatur in poſſeſſionem proſcriptorũ bonorum? 651
Fiſci jus in bonis & teſtamentis inteſtati. 641. *& titulis prædiorum.* 646. 648. 654
Fixum, & fictum. 788
Fænogræcum, fænum Græcum. 178
Fænore dare, fænori, in fænus. 888
Fænore iniquiſſimo quando verſuram facere opus? 300
Fænori dationes ſpecierum. 374. 375
Fænus, Arabice. 319. riba. 471
Fænus de qualibet re; etiam de frugibus. 325
Fænus, ſpecies negotiationis, & μεταβλητικῆς. 292
Fænus pecuniæ, inſtar pretii mercis, in conſtituendo modo. 7
Fænus, merces pro uſu. 193
Fænus abſque lege perniciosius permiſſo. 618
Fænus commune, & maritimum. 77
Fænus nauticum, inhoneſtum & durum. 558
Fænus frugum. 311. 325. 377
Fænus Romanum quando omnino ſublatum? 291
Fæneraticia, pro fænebris. 596
Fæneraticia ſyngrapha. 194
Fænerati, fæneratores. 711. *furibus pejores, & homicidæ.* 378
Fæneratorum tria genera. 64. *uſura major quam aliorum.* 301
Fæneratorum, & mercatorum, non idem jus. 376. 377
Fæneratorum hodiernorũ commiſſoria. 617
Follis, marſupium, κιωϛχιον. 449
Fores tantum δίθυροι, δικλίδες, *duplices: vel ſimplices.* 421
Fores ſignare. 446
Fores obſignatæ. 451
Formula hypothecaria. 627
Forum, curia, jus ordinarium. 114
Fora collimitia. 770
Fructuum emolumenta incerta, & certa. 625
Fructuum in pignus uſurarum retentio. 622. 623. 624. 625. 626
Frugum fænus. 311. 325. 377
Frumenti negotiatores, eorumque lex. 194
Fundus pigneraticius. 498
Fundus, pignus. 626
Fundus, non eſt ἐνέχυρον. 508
Fundum facere, ἐνθήκην, ἀφορμὴν. 24
Funis pauperum, genus hederæ. 580
Fur nocturnus, & diurnus. 763. 775
Furem non tenentis multa. 779
Fures; & modi reos agendi. 778
Furti actio. 125. 481. 482. *& probatio, & pœna.* 130. διαιτητὴς, *arbiter.* 778. 779

G.

Gamma in verſuris agrorũ. 294
Gaudia carpere. 881
Gemma, σφραγίς. 447
Genus nunquam ſub nomine ſpeciei. 420
Gladiatoribus producendoris appenſi tituli. 664
Gravatura, ſcalptura. 677
Grijpen, *gripare*, griphtan, *capere, apprehendere.* 353
Groſſa, τὸ ἴσον, pariculum. 394
Guadiam, guagiũ, pignus. 586

H.

Habitus animorum, ſecta. 830
Hæreditaria, unica. 167
Hæreditatum viceſima. 857
Hæreditas, & hæres fiduciarius. 598.602
Hæredes primi, & ſecundi. 465. 466.467.468
Hæredum nomina teſtibus ignorata. 459
Hebdomadariæ uſura. 73
Helleniſtarum nomen, & lingua notata. 516. 558.584.675. 676.689
Hemiolia, quæ uſura? 314
Herculanea pars, id eſt, decima. 69.70
Horatii ſimia, Perſius. 881
Hœdi, ſidus navigantibus infeſtum. 364
Homagii commiſſa. 616
Hominum habitus internus, incertus. 479.483
Hoſtes, qui cum hoſtibus negotiantur. 216
Hypobolicum ſcriptum. 149
Hypocriſios larva. 479.483
Hypothecarius creditor. 497. 540.541.542.592
Hypothecaria, fiduciaria. 603
Hypothecaria actio. 491.496. 497.620.626. *pigneraticia.* 539.540, *pro Quaſi Serviana, vel fiduciaria.* 596
Hypothecaria formula. 627
Hypotheca, nomen generis. 544. *vox ſpecialior quam pignoris, ſive τ̃ ὑποθήκης.* 436. 490.492.497. *ſpecies pignoris.* 509. *an pignus?* 510.536. *quid?* 491.494.499.560. *obligatio.* 604. *& fundus.* 619. *fiducia.* 498. 590.591.707. 709. *& pignus.* 497.498. 499. 536. 539. 540. 542. 545.602.603.604
Hypotheca, & pignus, quomodo ſolo nominis ſono diſtent? 490. 492.496. 498. 499. 534. 535.538.544.596
Hypotheca, & pignus, pro obligatione & re ipſa quæ hypotheca datur. 582
Hypotheca, tam rem mobilem, 505.510.511. *quam immobilem, ipſamque obligationem, ſignificat.* 507. *item pretium mercis, & merces ipſas.* 503.504.505.506
Hypotheca univerſalis, ſpecialis. 487. *generalis, ſpecialis.* 527. 528.529.530.533.534. *expreſſa, & tacita.* 532.534. 627. *tacita; obligatio, nexus.* 494.495. *quæ expreſſa conventione nulla.* 622
Hypotheca, & ἐνέχυρον, vel fiducia. 543. *& pignus.* 489. 490.491.496. 497. 530. 534. 535. 596. *& antichreſis.* 620

Hypotheca obligare. 532
Hypotheca dari, & hypothecam. 492.493.494.*& pignori.*545
Hypotheca data, jure pignoris tenentur. 489
Hypotheca jus. 607 608
Hypotheca mentio nulla ante Tribonianum apud Latinos Iureconſultos. 594
Hypotheca nexus. 604
Hypotheca nomen ſpecialius quã τ̃ ὑποθήκης. 490.497
Hypotheca, ſoli pignora, prædia, fundi, ædes. 494.495.685
Hypothecarum cautio, an ſecurior, quam pignorum. 495.496.497.509.539.*vel fidejuſſorum?* 685.686
Hypothecarum conventio nuda. 618
Hypothecis decedere. 605

I.

IActus piſcandi. 373
Iactum retis emere. 353
Ianus auctor percuſſi aſſis æris librarii. 241
Idiotiſmus vulgi Romani, in depravando vocum uſu vero. 254.255
Idus, intra idus. 361
Ignominia ex ceſſione bonorum. 891
Ima, infima, extrema, noviſſima, ultima tabula & pars. ſecunda cera. 465.467.468
Imagine obſignare. 452.453
Imago ſigilli, character. 457
Immobilis res, an pignus? 510.539. εἰς ἰδικὴν ἐνέχυρον *data.* 542.*non eſt* ἐνέχυρον 508
*Immobilis rei pignus antichreſticum.*632.*traditio corporalis.* 510
Impendii vox. 238
Implere, pecuniam numeratam eſſe probare. 472
Imponi, de ſignis, & titulis, in mobilibus, immobilibus rebus. 650
Impreſſio ſignorum. 647.648.649.650.554.655
Improbitas, probitaſque, quid in creditæ pecuniæ, furtiq; probationibus, valere debeant? 477.478.479.480.481.482
Impuberum jus apud Atticos. 425.469
In aëre & ventis ferri. 740
Inanefacere, inanefactare. 471
In anteceſſum dare, & prius quam petatur, προχρῆσαι. 630
In dotem, doti, dare. 888
Inarata littera, raſa. 464
Inaures, tituli, ἔλεγχοι. 670
Incidere teſtamentum, tabulas. 452
Incippare, cippare. 815
*Incrementum, augmentum.*318.319.320.321
Indago, quid? 352.353
Indaginem emi, quid? 352
Indicati, confeſſi, condemnati rei. 765.781
Indices librorum, elenchi. 670
Inempta rei pactio. 603
In factum actio. 620.626
*Infames actiones.*588.589.590
Infra ſcribenda. 461.760
In fœnus dare, fœnori dare, fœnore dare. 888
Ingenuus. 875. προσήλυτος. 876
Ingenuus, ἄσινον *corpus habens.*

bens. 636
Ingredi, non idem ac ἐμβατεύειν. 575
Ingreſsio in poſſeſsionem, rei detentio. 692
Iniquiſsimo fœnore verſura quãdo fiat? 300
In jus rapere. 790
In jure ceſsio. 600.605
Injuria rerum, non Latine dictum. 794
Injuria, ἀδικία. 795
Injuriæ taxatio, & modus. 794. 796
Injuriam vindicandi quare Solon varios modos eſſe voluerit? 777.778
Injuriarum actio, dica, δίκη αἰκίας. 792
In libertate eſſe, &, liberum eſſe. 877.879
In libertate morari, quinam, quum adhuc ſervi maneant, dicantur? 877
In nexum dare. 838
In pignus dare, pignori dare. 888
In poſſeſsionem mitti. 626.627. 651.666
Inſcribere, curare inſcribi. 675
Inſcribi tabellæ, titulo. 661.662. 663
Inſcribi vanalem. 663
Inſcriptus, accuſatus. 108
Inſcriptus lapis, titulus. 668. 669
Inſcripta domus. 663
Inſcripti ſervi, ſtigmatici. 665
Inſcriptio, titulus. 666. 667. 668.669.670.672.674
Inſcriptionis titulus. 663.665
Inſcriptiones, accuſationes, γραφαὶ, δίκαι. 108
In ſervitute eſſe, ſervire. 877
Inſigne, ἀῤῥαβών. 584
Inſignia, tituli. 654
In ſolutum accipere. 755
In ſtipulatum deducere. 623
Inſtituta circa diſciplinam, ſectæ. 830
Inſtituta juris perſonalis, privilegia, leges privatæ. 127
Inſtitutionis, & ſubſtitutionis codex unus. 468
Inſtrumentum, ſyngrapha. 430
Inſtrumentum dotale, pactum conventum. 515
Inſtrumenta colendis agris neceſſaria pignori accipere, vetitum. 749.750
Inſtrumenta, & litteræ. 426. 427
Inſtrumenta, chirographum, & ſyngrapha. 472
Inſtrumenta componere, conſcribere. 516
Inſula pignus. 498
Intendere civilem actionem, δικάζεσθαι. 772
Intercedere ἀντιφωνεῖν. 724. 725.726
Interceſſor, quis? 726.727
Interdictum, & ordinarium jus, & jus ad prætorem, idem. 117
Interdictum de his quæ per turbam fiunt. 118
Interdictum vi bonorum raptorum. 117
Interdictum, Quod vi aut clam. 658
Interdictorum formulæ ad privata judicia pertinent. 115
Intereſt commercii, quam plurimos inveniri creditores ſuſcepto periculo. 374
Internus habitus hominum, extra incertus. 479.483
Interraſile, διάτρητον. 464
Interrogatio in ſollemnitate. 717

Intraidus, anteidus. 363
In vacuum, in vanũ. 739.740
Invadiare, ἐνεχυριάζειν, oppignerare. 586
In vincula conjicere. 817
Iobi liber, in quo multa Arabica. 471
Ire ſub titulum. 663
Italiota Dores. 241.243
Iubere fide ſua. 709
Iudex num ex cõſcientia magis, quam ſecundũ legitimas probationes, ſententiam ferre debeat? 482
Iudex ſui periculi. 672.673.674
Iudicis auctoritate, ſententia. 655
Iudices cincti. 113.116
Iudices juſti. 810
Iudices majores. 122
Iudices privati in jure ordinario. pedanei. 116
Iudices ſelecti, χαμαιδικασταί. 116
Iudicati cauſſa, executio. 558.561.562.563.564.797. *auctoritate judicis, principis.* 571.572.573.574.576
Iudicatorum & addictorũ ſervitus. 821.822.826.827.890
Iudicatos duci ἀγώγιμους. 818
Iudicium, actio fiduciæ, ſive pigneraticium. 491. 496. 497. 522. 565. 592. 593. 594. 595. 602. 619. 620. 688.886.890
Iudicium mandati. 687
Iudicii publici nota apud Athenienſes. 130
Iudicia Athenienſium, & Romanorum. 129
Iudicia bonæ fidei. 623
Iudicia centumviralia. 119
Iudicia famoſa, perſecutionis cujus? 588
Iudicia menſtrua, quænam? 173
Iudicia ordinaria publica, & privata; capitalia, & pecuniaria. 106, 108. 109. 110. 114.117.123.126
Iudicia ordinaria, extraordinaria. 115
Iudicia pecuniaria. 122
Iudicia popularia. 121. *pecuniaria omnia.* 122.123
Iudiciorum contrariorum contractus. 686
Iuniani, quinam? 878.879
Iura prædiorum an pignori dari poßint? 545.546.547
Iure agendi cur varios eſſe modos voluerit Solon? 777.778
Iuris perſonalis inſtituta; leges privatæ, privilegia. 127
Iuris perſequutio, ſectio. 830
Ius dominii. 607.608.609.610.611.612.613.614
Ius ἐμβατευτικόν. 575
Ius hypothecæ. 607.608
Ius prædiatorium. 739. 740. 741
Ius prætorium, honorarium. 846
Ius ad prætorem, jus civile ordinarium. 117
Ius ordinarium, & extraordinarium. 110.111.113.114.117
Ius ſcriptum, non ſcriptum. 127
Ius non ſcriptum. 131.132
Ius non ſcriptum publicum. 99
Ius publicum, & judicium publicum. 127
Ius publicum, quod ſine lege, & non ſcriptum, ex conſenſu communi. 99
Ius publicum, & privatum. 127

Ius

Ius privatum generale, & ſpeciale. 127
Ius retentionis, pignus tacitum. 533
Iusjurandi religio, & actio, in ſollemni probatione. 474. *cur omittenda?* 475.476
Iuſtidium, juſtitium. 810. *juſti dies.* 811
Iuſti judices. 810
Iuſtus dies, in quo jus ſtat. 811

K.

Kalendæ, intra kalendas. 361
Kalendaria fœneratorum. 310

L.

Lacerare diem. 881
Lana, χλαῖνα. 406
Laminæ pontificalis ſculptura. 678
Lapides terminales prædiorum. 636
Lapides pigneraticii. 639
Lapis inſcriptus, titulus. 668. 669
Latini, Ῥωμαϊκοί. 878.879
Legata, proprio nomine Græce non exprimi poſſunt. 855
Leges civiles non propter perfectionis ſtudioſos, ſed propter improbos. 338
Leges commiſſoriæ. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612.613.614.616.617
Leges de ſacrorum ritu, δημόσιοι. 99
Leges fœnebres. 138
Leges generales, ſunt publicæ, vel privatæ. 106. 107. 109. 128.137
Leges privatæ, privatum jus, privilegia. 127
Legis auctoritas & præſcriptū ante omnia ſequendum. 480. 482
Lex, νόμισμα τῆς πόλεως. 95
Lex modum uſuris non dat. 380
Lex commiſſa. 614.615
Lex decemviralis. 826
Lex Iulia, de reſiduis. 129.851. *&c.* 870
Lex prædiatoria. 759
Liberorum ob parentum æs detentorum elocatio. 885.886
Liberos vendere, addicere. 884. 885
Liberatio addicti. 882
Liber omnis civis. 753.871
Liberi hominis propria. 877
Liberum eſſe, &, in libertate eſſe. 877.879
Liberi ſervi, ancillæque. 871
Liberorum, & ſervorum conditio. 875
Libertas, quid? 860
Libertas una Romanæ civitatis. 879
Libertas in civitate intelligitur. 845
Libertatis recuperatio. 879
Libertatem recipere; &, manumitti. 876
Libertatum viceſimæ. 857
Libertus, quis? 875.879
Libertorum genera. 879
Libertinus, ἀπελεύθερος. 875. 876
Liber, βιβλίον, & λέπος. 406. 412
Liber ſingularis, μονόβιβλον. 121
Liber, & pars libri, ſeu τόμος. 412
Libri vox, & modus. 410.411. 412

Libri legati. 401: 405. 408. 409.413.414.415
Libri, volumina. 408.410.411. 412.413.414.415
Librorum appellatio generalis, & ſpecialis. 413.414 420
Librorum nomen codices comprehendit, & volumina. 407. 408.409.411
Librorum indices, tituli, elenchi. 670
Libelli, codices. 406.420. volumina. 461
Libelli breves, chartacei. βιβλίδια. 424
Libellus quem conſcripſit vir litis mea. συγγραφή. 471
Libella decuma; denarius. 219
Libella, denarii, & δεκαλίτρου, æqualis pars. 249. λίτρα. 259
Libella argentea, & ærea. 259
Libella argentea Romanorum, decima denarii argentei pars. 243. 244. 245. 246. 247. 250. λίτρα Siculorum. 268
Libra nomen Siculum. 251
Libra, vox Sicula. 268
libra, λίτρα, σταθμὸς, mina Attica, μνᾶ τῆς ῥοπῆς. 234.236. 241
Libra æris infecti, & nummus as. 237
Libra, nummus æreus Romanis, & pro pondere librario. 235. æreus as. 244.245
Libra, & as, quando idem fuerint? 236.238.241
Libra, inſtrumentum ponderandi. 235
Libras, pro libræ, ἀρχαίως. 241
Libræ, vel libellæ, pondus quando & quomodo imminutum? 238.241.251
Librarius aſſis Magna Græciæ 235
Librarius as, & libella argentea. 244.245.247
Librile, ſcapus libræ. 235
Libripens, ζυγοστάτης. 235
Ligillum. 456
Ligna vermiculata, vice ſignaculi. 447.457
Lignum chirographi, lignea tabula. 423
Limina ſignata. 451
Limitaneus, collimicius, terminalis. 770
Lis vindiciarum. 742
Litis meæ vir, pro uſura mea. 471
Litis ſponſor. 692
Litigare ad interdictum, δικάζεσθαι. 778
Littera, pro litteris. 665.675
Littera raſa, cavata. 464
Littera, libelli, inſtrumenta. 426.427.675.
Literati cippi prædiorum. 637. cujus juris? 641.642.648
Loca ſignata, male pro iis quæ titulos, vel tabellas habent impoſitas. 684
Locare, pecuniam dare in nauticum fœnus. 193
Locatum, cõtractus qualis? 686. 687
Locatarum rerum, ædiumque mercedes menſtruæ, annuæ, bimæ. 59.61.64
Locatio, conventio voluntaria. 520.521
Locatio, ſaltem poſſeſſio eſt, ſi non dominium. 620
Locatio domorum. 155
Locatio liberorum ob æs parentum detentorum. 885.886
Loculi, γραμματεῖα. 422

Longobardi, hebdomadarii fœneratores, trapezitæ. 73
Longobardicus character. 699
Lucrum, & uſura. 326
Lucrum creditoris, & debitoris, in fœnore nautico. 369
Lucrum veritatis. 632
Lucrum omne Clericis interdictum. 326.327.328
Lucri meri ſtipulatio; & cum periculo; in quibuſnam? 352
Ludimagiſtri triviales; pedanei judices, magiſtri. 116
Luſtrum, καθαρμός. 882.883

M.

Machinæ αὐτόματοι περίακτοι, *in theatris, quid?* 297
Magnæ Græciæ conditores. 233
Mahar, dos, donum, numerata pecunia. 146
Male credere. 705
Maleficium inſcriptum, ſtellionatus. 589
Maletractationis actio. 130
Maltha, cera malaxata, ad tabulas inducendas. 404
Manceps, præs, vas, ejuſque ſponſor. 693. ἐργολαβῶν. 193. *publicanus.* 685.735. 741
Mancipari ære & libra, vel aſſe. 236
Mancipata res, fiduciaria. 602
Mancipatio fiduciaria. 598. 602
Mancipatio, & pignus. 603
Mancipationis uſus, & nomen. 603
Mancipium, ſervus. 733.874
Mancipium ſecundum. 732
Mancipium, &, ſe ipſum vendens pignoranſve. 868.869
Mancipia ex addictis facta. 870
Mancipiorum cõditio. 822.827
Mancipiorum venalium tituli. 663.665.679
Mandare, quid? 705.707
Mandati actio & judicium. 687.706
Mandata, bonæ fidei contractus. 686
Mandator, quis? 705.706.726. 734. *minus liberatur quam fidejuſſor.* 744
Mandatores, fidejuſſores. 687
Manipulus culmi triticei venalibus rebus ſuſpendi ſolitus. 666
Manus pro ſcriptura & opere alicujus. 391.392
Manus mortua, περίοικοι. 874
Manumitti, de quibuſnam uſurpatum? 890
Manu mitti; &, libertatem recipere. 876
Manumiſſio inter amicos. 877. 879
Manumiſſio ſervi, & noxæ deditit. 886.887
Manumiſſio teſtamento facta, aut vindicta, vel cenſu. 882
Mappalia facere. 657
Marbith, tarbith. 320. 322. 323.324
Mare navigationibus Romanorũ quot dies annuatim clauſum? 361.364
Margo ſumma, & ima, vel extrema, in tabulis teſtamentorum. 462.464.465
Marſupium, κωμάχιον. 449
Martis ſponſor, Neptunus. 714
Maſſa codicea. 405.408
Matronia, fœminæ nomen Romanum. 567

Media

Media ſortis pars, in uſura. 313
Medietas centeſima, ſemiſſes. 272
Membrana, σωμάτιον, pugillares, codices mēbranei. 405. 408.409.412.415.416
Menippus Cynicus, ἡ μεροδανειςής, mœrore amiſſæ pecuniæ vitam ſuſpendio finivit. 63
Menſa everſa. 713
Menſæ rationes. 473: *ſcriptura.* 473.745
Menſariorum munus, & fides. 722
Menſis, & πρυτανεία. 60
Menſes ἐμβόλιμοι, quare Græcis? 157
Menſium in navigatione diſcrimina. 364
Menſtruum fœnus. 49. 50. 51. 55.58.59.63.65. 66. *& annuum.* 228.230
Menſura debitī adjudicati. 564
Mercatorum ſocius qui eſt, eſt etiam fœnerator. 327
Mercatorum, & fœneratorum, non idem jus. 376.377
Mercedes quinæ, quinæ centeſimæ. 133
Merces auctoramentum ſervitutis. 872.874
Mercenarii, pæne auctorati. 867
Merces commiſſæ, ςερήσιμοι. 615. *pignori oppoſita.* 503. 504.505.506. *ex trajecticia pecunia.* 382
Mercium & pecuniæ fœnebris modus ejuſdem rationis. 7
Meridionalis, pro, meridialis. 18
Metallum rude & infectum. 236
Metaphora genus κατ' ἀναλογίαν. 42.43
Militis arma pignori accipere vetitum. 749
Milites ſeſcuplares. 332
Milleſima uſura. 289.290
Milleſima ducenteſima uſura. 290
Mina, centum drachmæ, & ſortis nomen. 51.54.93.229. 270
Mina Attica, μνᾶ τῆς ῥοπῆς, ςατὴρ, λίτρα, libra. 234.236
Mina argenti, & auri. 69.71
Minuta, authographum, authenticum ſcriptum. 400
Mitti in poſſeſſionem. 626.627. 651.656
Mobilis rei hypotheca. 505.507. 510.511
Mobilia, ἔπιπλα. 190
Mobilium obſignatio propria. 652.653.655
Modus rei fœnebris etiam abſque lege, & ſolo uſu, ſponte, ac fœnerantium libidine venit. 6.7.9.19.94.96.97. 132. *ex temporum ratione.* 275. *& periculo.* 218.355. 371. *ob quod ſolum indefinitus.* 346.348.380. *conſtituendus à Principe vel magiſtratu.* 3. 8. *determinatus apud Athenienſes.* 138. *quare non ſemper obſervari poßit?* 300
Modus immodicus uſurarum, & liber, quando, & quare? 311.312
Modus nautici fœnoris, apud Romanos, in quantas quis vellet cētesimas diffuſus. 304
Modi uſurarum improbi excuſandi rationes. 337. 339. 347.

347. 355. modo uſurarum coërcendo, utrum lex, an libertas fœnerandi, conducibilior? 224
Modiatio centeſima fructuum. 375
Modiationis ampliatio, pro modo non præciſe ſoluto. 340
Moled, genitor. 104
Moræ facta uſura. 182.623
Morgengaba, Germanorũ διαπαρθένια. 145.146
Mortis vas. 698.699
Mortua manus, περίοικοι. 874
Mulcare. 558. extorquere. 757
Mulierum jus apud Atticos. 165.425.469
Mulierum privilegia. 701. 726
Multæ cauſſa. 571
Multa, quo nummi genere perſoluta? 240
Multiplices tabellæ. 421
Multiplicare, rabá. 321
Munera, & dotes, diverſa. 146. 148
Munera ante nuptias. 147. 148. 149.151.
Munera legatorum in ære gravi, qualia? 239
Munerarius, operas auctoratorum conducens. 865
Muſtum, vinum novum. 343
Mutuare, mutuum facere. 619
Mutuari, de rebus ſoli. 628
Mutuatio, & verſura. 297
Mutuaticia pecunia pactũ conventum, συγγραφή. 522
Mutua rei dominium ad accipientem tranſit. 628
Mutua pecunia in pretium converſa. 608
Mutuum, ἀμοιβή. 293. gratuitum, fœnebre. 298. 389. 390. χρῆσις. 618.619.620. 621.626
Mutuum contrarium, ἀντίχρησις. 618. 619. 620. 626. 628
Mutuum, in quibus rebus? 628. 631. an pignoris captionem excludat? 561
Mutuum ἐπὶ σώματι ἰδίῳ, pretium & auctoramentum ſervitutis. 869
Mutuum præſtituti, & non præſtituti temporis. 322
Mutuum, conventio voluntaria. 520.687
Mutuum apud Arabes unde nominatum? 580. 581. à mutando, quod ἀμείβειν. 292
Mutuum facere, mutuare. 619
Mutui datio, χρῆσις. 619
Mutui cõtractus, privatus. 470
Mutui fœnebris pactio, & ſpecies ejus, chirographa. & ſyngrapha. 390.403

N.

NAufragia ad fiſcum & publicanos pertinere. 207
Navigandi tempeſtas apud Atticos. 691
Navigatio ἑτερόπλους, & ἀμφοτερόπλους. 209
Navigatio tota, uſuræ maritimæ terminus. 370
Navigatio, octo, vel trium dierum. 378
Navigationibus apud Romanos quot dies annuatim clauſum fuerit mare? 361.364
Navigium, pro navigatione. 361
Navis, in pignus. 712.713. oppignerata. 754. oppigneratæ ἐμβαλεία. 574.575

Navis an res mobilis? 574. 575
Naves codicariæ. 405
Navium plurium, vel unius, uſura. 380
Nauticum fœnus, apud Græcos omnium maximum. 32. *an certi temporis, vel diarium?* 21. 23. 27. 30. 49. 51. 62. *quando ceſſet?* 308. 348. 355. 365. 372. *inhoneſtiſſimum.* 379. 558
Nautici fœnoris ſpecies. 348. 355. 358. 359. 366
Nectere, ὑποθῆσαι, *oppignerare.* 580
Necti, pignori obligari. 839. *quorum?* 852
Nectendi mos antiquus. 852
Nectum, & nexum. 788
Negotiatorum frumenti lex, pœna, & immunitas. 194
Neptunus, mare. 205
Neptunus pro Marte ſponſor. 174
Nervus, quale vinculum. 812. 813. 814. 815. 816. 817
Neſchech, τόκος. 318. 320. 321. 322. 323. 324
Nexi ob æs alienum. 808
Nexi vincti, ſolutique; ſervi, mancipia. 821. 822. 826. 827
Nexi, addicti. 874
Nexorum querelæ. 820. 821. 825. 826. *ſervilis conditio.* 833. *ſolutorum lex.* 832
Nexus, a, um, quis dicatur? 837. 838. 839. 840. ὑποκείμενος. 580
Nexum, & nectum. 788
Nexum, ὑποθήκη. 580
Nexus, obligatio, ὑποθήκη. 494. 582. 619. *oppigneratio.* 838. 839
Nexus hypothecæ. 604
Nexus, obligatio corporis. 748. 750. 754. 755. 044. 850. 859
Nexus civium. 833. 839. *liberorum.* 884. 885
Nexus ſui, & venditio. 867. 868
Nexus voluntarius, & pignoris captio. 883
Nexui dare. 838
Nexum inire. 838
Nexum facere. 839. 840
Noctes decerpere. 881
Nocturnus fur. 763. 775
Nocturnus præmiator. 738
Nomen obligationis proprium, & alienum. 488
Nomina, & delicta, criminum. 758
Nomina ἔγγυα, *&* ναυτικά. 191. 192
Nomina tuta, vel ſecus. 386. 387
Nominum, litterarum obligatio. 426
Nomina facere. 423
Nominibus facta obligatio. 474
Nona pars, pro, octava, abuſu Latinorum. 335
Nonuncius, ἐννέας, *dodrans.* 260
Nonunciæ uſuræ. 276
Notarius, ſcriba publicus, tabellio, tabularius, γραμματεύς. 393. 422. 424. 441. 443
Notores, quinam? 388. 727. 831
Novum quod eſt, non ideo falſum. 597
Noxa deditus, & ἀγώγιμος. 797. ἔκδοτος. 802
Noxæ dare filium, ſervum. 886. 890
Noxam dare, & in noxam. 888
Noxalis actio. 798. 889

Noxia,

Noxia, & noxa. 888.889
Noxiorum addictorum pœnæ, pœnarúmque genera. 816. 824
Nucata de ſelectis; palmulæ caryotæ. 276.284
Numella, quale vinculum? 816
Numerata pecunia, & conſtituta, quei differant? 720
Nummus, νόμος, vel νόμισμα τῶν ἰδιωτῶν. 95.128.129
Nummus, abſolute pro ſeſtertio, Latinis. 249.250
Nummus aureus, ϛατὴρ χρυσοῦς, duarum drachmarum, viginti drachmæ in argento. 68.69.70.71
Nummus argenteus, drachma, ante æneum, apud Græcos: contra apud Romanos. 229. 233
Nummus æreus, as. 234
Nummus, denarii, & δεκαλίτρου, æqualis pars. 249.250
Nummus didrachmum. 248
Nummus gravis, æs librarium. 236
Nummi uſus, quomodo introductus? 132
Nummi, didrachma argentea. 66.69.70.71
Nummi quatuor, denarius. 250
Nummi adulteratio crimen capitale. 95.129.131
Nummorum probatores in argento tantum, non ære. 242
Nundinatio uſuraria. 4

O.

OBæratorum corpora in ſervitutem abducta. 561. 568
Obire vadimonium. 695.702
Obligare hypotheca. 532
Obligare pignori, ὑποθῆσαι. 580
Obligare vadio. 700
Obligatæ rei dominium. 609. 610. *& poſſeſſio.* 613
Obligatio, contractus. 731. *nexus.* 582. *corporum.* 844. *ſui ipſius.* 748.750.754
Obligatio, nexus, ὑποθήκη. 494.507.591.604
Obligatio, vel hypotheca, generalis, ſpecialis. 527.528.532. 534
Obligatio ſimplex, & tradens. 531
Obligatio ſine traditione, etiam in mobilibus. 509
Obligatio, & traditio, de omni re. 545
Obligatio, & conſenſus. 523
Obligatio poſſeſſione obtenta finitur. 566
Obligatio facta nominibus. 474
Obligatio literarum, nominum. 426. *pignoris.* 609.611.612. 756. *quæ utriuſque partis conſenſu contrahitur.* 804. *hæc an συνάλλαγμα?* 522. *& qualis contractus? & cujus juris?* 686. *prædiorum, hypotheca.* 494.591
Obligationis augendæ ratio. 354
Obligationis firmamentum, ſtipulatio. 717
Obligationes quæ re contrahuntur; pignoris. 523
Obligationum genera. 744
Obolus, octo æreoli, vel χαλκοῖ, ſexta pars drachmæ. 36.48. 53.54.232.262.263.275. 277.286
Obolus, de nummo argenteo. 242

Obolus Æginetic𝑢s, & Atticus. 247. *argentei.* 242.243
Obolus æreus Atticorum. 242
Obſerare, ſignare. 443.447
Obſides, pignora regum, populorum. 688
Obſignare, σφραγίζειν, ἐπισφραγίζειν, κατασφραγίσασθαι. 441. *ſignare.* 442. *claudere.* 443.447.448
Obſignare annulo, non manu. 396. *imagine, ſigno.* 452. 453
Obſignare, & reſignare. 455
Obſignare, & ſubſignare, quantum differant? 437.441
Obſignari quænam res olim ſolitæ? 447.448.450.451.456. 469
Obſignatæ fores. 451
Obſignatæ tabulæ. 454.474
Obſignatis tabulis agere. 434. 435
Obſignatio, & adfixio, diverſa. 647.649.654
Obſignatio, mobilium propria. 652.653.655. *qua auctoritate fiat?* 655
Obtorto collo ad judicem trahere. 772.776
Occurrere, ad vadimoniū. 695. 697
Octantes, diviſiones in octo partes. 255
Octava uſura, octavus denarius. 353. *cum centeſima, quaſi eadem.* 377
Odium, & favor mundi, pro viro habent bono, vel perverſo, non tam eum qui eſt, quam eum quem volunt. 479
Onerum relevatio, σεισάχθεια. 748
Onuſtus, unde? 811
Oppignerare, καταθέσθαι. 500. ὑποτίθεσθαι. 502. ἐνεχυράζειν. 553
Oppignerare as, ὑποθεῖναι χαλκόν. 502
Oppignerari, de agro, hypotheca. 492.536
Oppigneratæ rei dominium. 609. 610. *& poſſeſſio.* 613
Oppigneratio, & auctio. 884
Oppigneratio perſonarum, nexus corporum. 859.867
Oppigneratio ſui ipſius. 883. *liberorum.* 886 890
Opponere pignora, ὑποτιθέναι. 499.501
Opponi, ſupponi. 542
Oppoſita, ſuppoſita, pignora. 500
Ordinarium, & extraordinarium jus. 110. 111. *in judiciis, actionibus, coërcitionibus.* 588.589
Origenis laus. 320

P.

P *& R in charactere Longobardico ſcriptura affines.* 699
Paciſci, non eſt ὑποτίθεσθαι. 502
Pactio, pactum. 520
Pactio cautionis commiſſoriæ. 605. 606. 608. 609. 611. 613
Pactio mutui fænebris, & ejus ſpecies, ſyngrapha, & chirographa. 390.403
Pactio de pignore ſimplex. 606
Pactio rei venditæ inemptæ. 603
Pactum, vel pactio & contractus. 520.522.523
Pactum dotale, inſtrumentum dotale. 515

Pactum

Pactum in pignore. 620.624
Pactum cõmiſſorium. 605.606.608.609.613.614
Pactum atque condictum. 514
Pactum atque conſtitutum. 514
Pactum, conventio. 549.622
Pactum, & pactum conventum. 515
Pactum conventum. 523. *conventio nuda cum ſcriptura.* 512.514.515.516.520
Pactum conventum ἄγραφον. 517.518
Pactum conventum, συμβόλαιον συμβεβλημένον. 425. γραμματεῖον. 512. συμβόλαιον ἔγγραφον. 513.515. σύμφωνον γεγραμμένον, συνθήκη. 398. & διαθήκη. 516. στοίχημα. 517.519
Pactum convẽtum pecunia mutuaticia, συγγραφή. 522
Pacta conventaque, pacta atque conventa, pacta conventa. 513.514
Pacta pignorum. 617
Pactus, conſtitutus. 720
Pacta, ſponſa, dicta, promiſſa, deſtinata, decreta. 716.717.718
Pædagogi, χαμαιδιδάσκαλοι, *pedanei magiſtri.* 116
Pæne auctorati, mercenarii. 867
Pagina, πλυχή. 407. *volumen, liber.* 412. *cera.* 459.460
Pagina cerata, cera, tabella. 467.468
Pagina prima & ſecunda, vel extrema, teſtamenti. 468
Paginam utramque facere. 461
Palimpſeſtum. 416
Panoncelli. 648.666
Panthera, quid? 352
Parabolani, & parabolarii. 198
Parabolatus eſt de anima ſua, παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ. 198
Paraſum, quid? 443
Paticulum, τὸ ἴσον, *groſſa.* 394.
Paricula charta, exemplum. 418. 669. *uſque.* 672
Pars Herculanea; decima. 69.70
Pars media ſortis, in uſura. 313
Pars reliqua. 466
Partis nomen, pro pretio. 246
Pauperem eſſe, & fidelem debitorem, difficile. 388
Pauperum utenſilia non oppignerari ſolita. 559.560
Peculium, ἐξώπεθικα, παράφερνα. 143 *ſervorum.* 862.868. *ejus qui ſe ipſum vendidit.* 865
Pecunia, &, ſpecies. 323. *conſignata, obſignata.* 449. *conſtituta.* 718. 719. 720.721.722.723.724. *depoſita*, ἔγγυη. 714. *fœnebris, in modo uſura, mercis inſtar eſt.* 7.19. *mutua in pretium converſa.* 608. *numerata, & conſtituta, uti differant?* 720. *promiſſa.* 721. *recepta.* 721
Pecunia trajecticia. 185. 190.192.196
Pecunia trajecticia. 310. & *terreſtris.* 77.79.80
Pecunia invenienda modi. 298. *non ſoluta pignus.* 604. *publica male adminiſtrata actio, & pœna.* 128. 129. *quãtitas eadem reddenda, non ſpecies.* 324. *recepticia actio.* 721.722.724.
Pecunia & agrorum uſura. 848
Pedanei judices, magiſtri, ſenatores. 116.672

Pelago credere. 197
Pelles, διφθέραι. 413
Penu,magnitudine duorum Anticatonum, quid? 409
Pentecoſte, & quinquageſima. 490
Peregrinus, qui non civis. 873
Peregrini, & addicti. 877
Peregrini cur à Romanis civitate donati. 854.857
Perfectio Chriſtiana excludit omnem fœnerationem. 338
Pergamena, pro codicibus. 414
Pergula, tabulæ, tabulata venalibus rebus exponendis. 660
Pericula, ſimplices tabulæ. 421
Periculū, quid? 667.669.670. 671,672.674.675
Periculum, ὁ κίνδυνος, *vocis nomen.* 671. *id uſura modum facit.* 346. 348. 349. 364. 369.371.372.378.380.386. *fœnoris nautici & communis cōſtituit differentiā.* 308.371. *in totum debitum, vel in partē exiguam.* 381. *trajecticiæ, creditoris; ut mutuaticiæ, debitoris.* 370. 371. *in fœnore nautico.* 185.189.196.199. 343.355. *quod ſolius creditoris.* 348. 349. 369. *hoc quando ceſſet?* 355.365
Periculum extra trajecticiam, vel nauticum fœnus. 349. 351. *ex frugibus.* 343.355. *in cōmuni uſura nulla.* 350. 351
Periculi marini cauſſa. 372
Periculi pretium, & pœnalis conditio. 349.350
Perior, & perio, antiquum. 670.671
Perjurii nulla ordinaria pœna. 587
Permutatio, Arabice, quid? 581
Permutationis etymon à miſcendo & confundendo. 585
Perſequutio ordinaria, & extraordinaria. 588.589
Perſequutio juris, ſectio. 830. *pignoris.* 527
Perſius, Horatii ſimia. 881
Perſona ob rei defectum fruſtra vexatur. 487
Perſonæ, ſunt rei publicæ. 749. 753
Perſonarum oppigneratio, nexus corporum. 859.867
Pes ſeſtertius, pedes duo & dimidius. 332
Petoritum, antiqua vox. 143
Phavorinus, philoſophus ſpado. 478
Pictura, γραφὴ, χείρ. 391
Pignerari, non de perſona, ſed re. 550. *proprie, pignori dare.* 467
Pignerari, ἐνεχυράζεσθαι. 739.754
Pignerare ſemet ipſum, auctorare. 859.867
Pignerarius, πραχτήριος. 556. 557
Pigneraria, fiduciaria. 603
Pigneraticiū, pro pignorarium, minus Latine. 595
Pigneraticia actio, judicium fiduciæ. 491.496.497.522. 565.602.619.620.688. 886.890. *duplex.* 539.540
Pigneraticius creditor. 497. 498.541.542
Pigneraticius fundus. 498
Pigneraticii lapides. 639
Pigneratio, ἐνεχυρία. 553. ὑποθήκη. ἐνεχυρασμός. 554. *pro captione pignoris.* 567.568.569.570.579
Pigneratio perſonarum, venditio.

ditio. 885.
Pignus, inepte, à pugno. 538
quid: 491. arra, arrabo. 583. 584. hujus etymon. 585. vice ἐγγύης. 687. ἐγγύη. 714. θέμα. 501, vadium. 586. vinculum. 839. ὑπόβολον. 585
Pignus, tam rei immobilis. 528. quam mobium. 573. de inſula. 498. de navi. 712. 713
Pignus, arrabo, de obſidibus. 688
Pignus, pro annulo pronubo. 586
Pignus, & mancipatio. 603
Pignus, & quaſi pignus. 597. 598
Pignus, ἐνέχυρον. 488. 544. 553. 573. fiducia. 566. 602. ſervitus. 498. ὑποθήκη. 545. 603. 604
Pignus, & hypotheca. 489. 490. 496. 497. 530. 534. 535. 539. 540. 542. quomodo ſolo nominis ſono diſtent? 490. 492. 496. 498. 599. 534. 535. 538. 544. 596
Pignus, & hypotheca, pro obligatione & re ipſa hypotheca datur. 582
Pignus, qualis obligatio? 523
Pignus, ἀντίχρησις. 618. 619. & antichreſis. 620
Pignus antichreſticum. 624. 626. 627. 632
Pignus abſque traditione. 510
Pignus coactivum, & conventionale. 550
Pignus commiſſum. 614. 615
Pignus conventionale. 804
Pignus corporale, conventionale, ſine, vel cum ſcripto. 512
Pignus in mercem converſum. 608
Pignus non ſoluta pecunia. 604
Pignus prætorium. 541
Pignus prætorium, judiciale, captum in cauſſa judicati; & conventionale. 562. 564. 565. 571. 572. 573
Pignus prætorium non eſt juris ἐμβατευτικοῦ. 575
Pignus ſimpliciter depoſitum, ſine conditione. 613
Pignus expreſſum, tacitum. 533. 534. tacitum in conventione expreſſa nullum. 622
Pignus generale, ſpeciale. 529. 530. 531
Pignus ſpeciale, corporale. 528. 529
Pignus traditum, ὑποθήκη. 537
Pignus contrahi. 522
Pignus dari, etiam de fundo. 492. 497. 537
Pignus paciſci, & capere. 859
Pignus proſcribere. 662
Pignoris addictio, adjudicatio, & datio. 564. venditio in ſolutum. 566. 567. 571. 572
Pignoris adjudicati menſura. 564
Pignoris alieni oppigneratio. 587. 588
Pignoris capio, pignoricapio, uſucapio. 568. ἐνεχυρασμός. 573. 574. 576. corporalis, & bonorum. 755. 756. & nexus voluntarius: 883. nexus corporum. 844
Pignoris captio, & dominium, an extra cauſſam judicati? 558. 561. 562. 563. 566. 567
Pignoris contractus. 523. 535. legis commiſſoria. 611. 612
Pignoris cōventio circa prædio-

rum ruſticorum jura. 545. 546. 547
Pignoris conventionalis obligatio. 756
Pignoris datio, volentis eſt, non coacti. 552. 553. 804. 805. utriuſque contrahentis utilitatem reſpicit. 593. 601
Pignoris datio, redditio, interceſſio. 725. diſtractio, & venditio. 867. genera. 527. 570
Pignoris, τ ὑποθήκης, nomen generale. 497. 498. 499. 509. 533. 536. 539. 685. vox generalior quã hypotheca. 492. 497. 536
Pignoris nomina. 580. 581. 582. 583. obligatio. 609. 611. 612. hac an συνάλλαγμα? 522. & cujus juris? 686. perſequutio. 527. dominium. 604. poſſeſſio, & dominium. 561. 562. 563. uti differant? 564. 565. 572. retentio. 623. ſequeſtratio. 591. utilitas, in ſtellionatum incurrere non poteſt. 587
Pignori fiduciave. 537
Pignori, vel pignus capere, & accipere, diverſa. 550 553. 555. uſque 560. 567. 568
Pignori dare, in pignus. 888. ἐνεχυρεάζειν. 553. 567. de hypotheca, & agro. 492. 496. 497. 536. uſque 539. 544. 545
Pignori dans vẽdenſve ſe ipſum, &, patiens ſe dari, vendive, ejuſdem conditionis. 868. 869
Pignori dare liberos. 886. 890
Pignori obligare, fiduciare. 591
Pignore cedere. 605
Pignora, res debitoris, aut jure poſſidentur, aut corpore. 487
Pignora addicta. 871
Pignora ex pacto, vel conventione. 549
Pignora ſoli. 573. prædia. 685
Pignora viva. 688
Pignora capere ob moram ſolutionis. 548. 549
Pignora dare, & pignori dare, de re; & nexu ſeu obligatione. 492. 493. 497. de iis quæ non traduntur. 511
Pignora in ſolutum dari invito an poſſint creditori? 565
Pignora extorquere. 569
Pignorum captio, inhoneſta eſt. 558. erga pauperes inſolita. 559. 560. an in mutuo nulla? 561
Pignorum cautio, utra ſecurior? 495. 496. 497. 509. 539. 685. 686
Pignorum conventio nuda. 618
Pignorum pacta. 617
Pignorum uſurpatio. 574
Pignoribus captis coërceri. 551
Pila lapidea, στήλη. 759. 767
Piſcationis alea. 373
Piſcium captus, & alea illius. 352. 373
Piſo, πίσος. 421
Plaga vox, & origo. 406
Plegii, quinam? 741
Plegium, præs, prædium. 586
Pœna commiſſa. 615
Pœna extra ordinem. 511
Pœnæ pecuniariæ. 122. 124
Pœna, quo nũmmi genere perſoluta? 240
Pœnæ veniunt in ſtipulatũ cum conditione. 351
Pœnalis conditio. 350
Poëtarum τὸ πρέπον. 791
Pollicitatio, bonæ fidei contractus. 281

Polyptycha chirographa, inſtrumenta, multiplices tabellæ. 404.421.461
Poma carpere. 881
Pondo; nominis uſus. 241
Ponere, oppignerare. 501
Ponere fiduciæ cauſſa. 595
Ponere ſigna præceptis. 449. 450
Pontificalis laminæ ſculptura. 678
Populare, & publicum. 126
Poſſeßio, & dominium. 608. 609.611.613.614.617
Poſſeßio, pignoris loco. 620
Poſſeßio quando ſola tranſeat ad accipientem? 628
Poſſeßio obtenta, obligationem & contractum finit. 566
Præ, παρὰ, πρὸ. 735.736
Præcommodare, procommodare. 630
Præda, unde nomen? 737
Prædæ ſectio. 829
Præs, ἔγγυος, ἀνάδοχος. 689. 721
Præs, & vas. 699.704
Præs; vox, & ſignificatio. 734. 735. 736. 737. 738. 741. 742
Præs, manceps, vas, ejuſque ſponſor. 693.694
Prædes, & prædia. 685
Prædum prædes. 701
Prædiator, quis? 738.740
Prædiatoria lex, jus. 739.740. 741
Prædiatus, & præditus. 737
Prædiati, publico obligati. 738. 740
Prædium, non eſt ἐνέχυρον. 508
Prædium, præs, vocum etymon. 586
Prædium ἐστιγμένον. 636
Prædia, qualia bona, & qualis vox? 737.738. ἔγγειοι κλήσεις. 82
Prædia urbana, ruſtica, hypothecæ ἔγγαιοι. 494. pignori dantur. 498
Prædiorum urbanorum, & ruſticorum, quoad oppignerationem, diſcrimen. 547.548
Prædiorum ſervitus & jura an pignori dari poßint? 546.547
Prædiorum impoſiti ὅροι. 636. cujus juris? 641.642.648
Præfectus urbi, intra; & prætorio, extra centeſimum. 115. 116
Præfixum dotarium. 150
Præire, anteire. 736
Præliares dies. 811
Præludium, proludium. 630
Præmia quò nummi genere perſoluta? 240
Præmiator, quis? 738
Præmutuum, promutuũ, πρόχρησις. 629
Prænomen, nomen, cognomen. 877
Prænotare, obſignare. 449
Præſum, πάρειμι, προΐσταμαι. præſes, pro praes. præeſt, præeſt, id eſt, adeſt, præſens eſt. præeſſe, pro praeſſe. præſens, pro praens. 736
Præſens tempus, aliud à conſtituto. 720
Præſentiæ cautio, vadimonium. 696.698
Præſes provinciæ. 115.116.122. 123
Præſtare vadimonium. 696
Præſultor, proſaltor. 630
Prætor urbanus. 117
Prætores. 115

 Præ-

Prætorum juriſdictio de rebus creditis, & ſævitia. 834. 845. 846
Prætorium pignus. 541
Prægium, præs, prædium. 586
Pregii, plegii, preii. 741
Prehenſio, captio, ἀπαγωγὴ, αἰχμαλωσία. 773. *clarigatio.* 568. 569
Prenſionis multa. 777
Pretium, ponderis nomina ſine pondere acquirit. 246
Pretium mercis pro hypotheca oppigneratum. 505. 506
Pretium rei venditæ, oportet fiat vendentis. 863
Pretium vel auctoramentũ ſervitutis. 869
Pretii mercium, & fœnoris, eadem ratio quoad modum. 7. 19
Princeps, & ſenatus. 115
Privata lex, conſuetudinis, quomodo fiat publica? 99
Privatum, & publicum, ordinarium. 115
Privatorum hominum uſura. 375
Privilegia, leges privatæ, privatum jus. 127
Pro bono facere, pro præde, quaſi præs. pro ſano facere. 742
Probatio debiti. 471. 472. 473. 474. 475
Probationi furti, vel debiti, an quid conferat improbitas probitasve. 477. *uſque* 482
Probitas ſimulata. 479. 483
Procommodare, in anteceſſum dare. 630
Procurator, quis? 727
Procuratores proſcriptorũ. 830
Profeſſio, ἀπογραφή. 882
Profeſſores majorum gentium, artium. 116
Programma ædium. 661
Proletarii, quinam? 701
Proludium, pro præludium. 630
Promiſſa, deſtinata, decreta, pacta, dicta, ſponſa. 715. 717. 718
Promiſſa pecunia. 721
Promiſſio, ſponſio. 694
Promiſſor, ſponſor. 693. 704. 707. *de evictione.* 733
Promittere, ὁμολογεῖν. 707. *ſpondere.* 714. 715. 716. 721. *reſpondere.* 735
Promittere dotem. 716. 717. 718
Promittere fide ſua. 709
Promittere vadimonium. 694. 696
Promutuum, præmutuũ, πρόχρησις. 629. 630. ἀντίχρησις. 631
Proprium quid habere, & ſe ipſum vendidiſſe. 862. 868
Proſaltor, pro præſultor. 630
Proſcribi programmate. 661. 662
Proſcripta domus. 663
Proſcriptum, programma. 661
Proſcriptorum cognitores & procuratores. 830. 831
Proſcriptorum bonorum tituli, vela. 639. 640. *cujus juris?* 641. 642. 648
Proſcriptio, publicatio. 661
Proſcriptionis titulus. 663. 665
Proſcriptionũ tabula. 661. 679
Protocolla, quænam? 415
Provinciæ cur à Romanis civitate donatæ? 854. 857
Proxenetæ. 727. 733. 734
Ptolemaide pro Ptolemais. 362
Publicani, mancupes. 685
Publicorum operum redemptores,

res, conductores, ἐργολαβοῦντες. 193. δημοσιῶναι. 206
Publica quanam Romanis, vel Athenienſibus? 129
Publicum, & populare. 126
Publicum, & privatum, ordinarium. 115
Publicum jus, quod ſine lege, & non ſcriptum, ex conſenſu communi. 99
Pugiles, à pugni ictu. 538
Pugilla, tabella. 421
Pugillar, πλυχεῖον. 421. *γραμματεῖον.* 422
Pugillares, pugillaria, parvi libelli, vel codices. 406. *πίνακες.* 407. 416. *τὰ πλυχεῖα.* 421
Pugillares, tabula, codex. 423
Pugillus, quid? 407
Pugillus, à pugnus. 421
Pugnus, πύξ. 421. *pro clauſa manu, ejuſque ictu.* 538
Pugnum ducere alicui, an crimen publicum; vel privatum? 110
Pulſus remorum, αἰκία ἐρετμῶν. 792
Pumex, & ſpongia; debitor facultatibus caſſus, vel ſecus. 388
Pyga, πυγή. unde depygis mulier. 251

Q.

QVadrans, *τέταρτον, τετάρτη.* 253. *quarta pars aſſis.* 252. 261. 262. *quarta libella, tres unciæ.* 259. 260. *teruncius.* 245
Quadrantes uſuræ. 269. *τριανταῖοι.* 287
Quadruſſis, quatuor aſſes. 252
Quadruſſes uſuræ, quaternæ centeſimæ. 268
Quæſtus omnis Clericis interdictus. 313. 325. 327
Quartaria uſura. 45
Quartans, quadrans. 262
Quarta pars aſſis. 252
Quarta pars, pro tertia, abuſu Latinorum. 335. 336
Quaſi auctorati, pæne auctorati. 867
Quaſi bonus. 742
Quaſi conductio. 628
Quaſi emptio. 612
Quaſi fiduciarius emptor. 599
Quaſi pigneraticius creditor. 599
Quaſi pignus. 597. 598. 599. 612. 620. 626
Quaſi prætorium pignus. 627
Quaſi præs. 742
Quaſi ſanus. 742
Quaſi Serviana, hypothecaria actio. 496. 527. 538. 540. 596
Quaſi tacitum pignus. 622
Quaſi vẽditio, oppigneratio. 884
Quatuor in centum. 182. *quaterni in centum, trientes uſuræ.* 286
Quaternæ centeſimæ. 312
Quarela nexorum. 820. 821. 825. 826. *& addictorum.* 834. 844. 846
Quina millia æris, duo millia ſeſtertium. 239
Quinæ centeſimæ. 40
Quinarius, πενταμοιρον. 17. *πενταλιτρον.* 249
Quincas, quinquas, quincunx. 260. *πεντέγκιον.* 246. *τρίτον δωδέκατον.* 253
Quincunces uſuræ. 283
Quini denarii in centum. 286

Quinquageſima, & pentecoſte. 490
Quinquaginta in centum, qualis ἡμιολία? 278
Quinquas, quincunx. 260
Quinque in centum, denarius vigeſimus. 53. ἐπιεικοστὸς τόκος. 152
Quinquelibrus ligo, πεντεστάτηρος δίκελλα. 234
Quintans, quinta pars. 262
Quintarium, πεντάμοιρον. 16. 17
Quintarium alterum, ἐπιπεντάμοιρον. 18
Quintaria uſura, ἐπίπεμπτος. 188.225
Quintuplices tabulæ. 461
Quintus denarius; ἐπίπεμπτος τόκος, *viginti in centum.* 53.54
Quirites, cives Romani. 882
Quota ſortis, fœnus annuum. 19.49

R.

R *& D, permutata.* 737
R & P in Longobardico charactere ſcriptura affines. 699
Rabà, *multiplicare.* 321
Rapere, φέρειν. 786. *in jus.* 790
Raſa littera, veſtigia. 464
Rationes menſæ. 473
Rauduſculum. 236
Recepta pecunia. 721
Recepticiæ pecuniæ actio. 721. 722.724
Receptor, ſponſor, ἀνάδοχος. 721
Recipere quis dicatur? 721. 722
Recipiendæ pecuniæ modi. 551
Recuperatores, quinam? 794
Reddere, dare. 718
Redemptio, ſectio. 829
Redemptor, manceps, præs, vas, & ſponſor ejus. 193
Redemptores publicorum operum, ἐργολαβοῦντες. 193. δημοσιῶναι. 206
Redemptores, ſectores. 829
Redhoſtire mutuum. 629
Redundantia, πλεονασμός. 319.324
Regalia, regia vela, cortina. 640.641. *cujus juris?* 642. 650.666
Relevatio onerum, σεισάχθεια. 748
Reliqua, λείψανα, *reliquiæ, partes reliquæ.* 208
Reliqua pars. 466
Reliquatio debiti. 713
Remancipationis nomē, & uſus. 603
Remorum pulſus, αἰκίαι ἐρετμῶν. 792
Remutuare, ἀντιχρῆσαι. 619
Repenſare, ἀντιχρῆσαι, ἀναδοῦναι. 182
Repenſatio, ἀνασήκωσις, ἀντιστάθμισις. 182
Repetundarum judicium, publicum. 115
Repræſentare. 504.506
Repreſaliorum jus, ἀνδρoληψία. 212.570
Repromittere, promittere. 718
Reſcribere, reſpondere. 715
Reſignare, & ſignare. 454
Reſpondere, ſpondere, promittere, fidejubere. 715.718.735
Reſpondere pro judicato. 721
Reſtitutio in integrum. 860
Retentio pignoris. 623

Retentio

Retentio fructuum oppigneratorum. 624
Retentionis jus, pignus tacitum. 533
Retrofactum emere. 353
Reuxoria actio. 177.178.179
Rei uxoriæ nomen deletum à Triboniano. 179
Res uxoria, quomodo abrogata? 428
Res commiſſa. 615
Res fiduciata, oppignerata. 594
Res fiduciaria. 598. *remancipata.* 602
Res mobilis, immobilis. 488. 501
Res immobilis, non eſt ἐνέχυρον. 508. *pignus.* 539. εἰς ἰδικὸν ἐνέχυρον *data.* 542
Rei immobilis pignus ἀντιχρητικόν. 632
Rei mobilis & immobilis hypotheca. 507.510.511
Rei detentio, ingreſſio in poſſeſſionem. 692
Rei obligatæ, vel oppigneratæ, dominium. 609.610. *& poſſeſſio.* 613
Rei ſervandæ gratia. 626 627
Re contrahi. 523
Res conſtitutæ, an mobiles. 649. 655
Res ſoli, prædia, fundi, ædes. 494.495. *quoque* ἐνέχυρα. 489
Res propriæ, alienæ. 488
Rerum injuria, Latine non dictum. 794
Rerum venalium, & confiſcatarum tituli, & tabellæ. 665. 679
Res, pignora, ſupponere. 499
Reus publica lege. 106
Reus, actor. 794
Rei extraordinarii. 119
Rhodia lex. 199
Riba, *uſura, fœnus, Arabibus.* 318.319.471. ribith, & ribitha. 321.322
Romani aborigines Æolum, Dorumque. 235.806.807
Romani cives. 879
Romani, quas leges Græcis acceptas ferant? 202
Romanorum uſura. 224
Rutulari, rotari. 408
Rutulum in voluminibus. 405. 407

S.

Salio, ἄλλω. 671
Sacramento dicere. 706
Sanates, quinam? 701
Satanæ. cupiditates hominem ἀγώγιμον *ſuique impotentem reddunt.* 788
Satisdatio judicatum ſolvi. 690. 692.703. *vadimonium.* 705. *pro præde litis vindiciarum.* 742
Satisdationes in mancipiis, prædiis. 732.733
Scalptura, & ſculptura. 676. 677
Scena verſilis, ductilis. 296
Schedulæ. 424
Scriba, notarius publicus, tabellio, tabularius, γραμματεύς. 393.422.424.441. 443
Scribere, ſignare. 437.440
Scribere, & calare. 680
Scribere dicam. 108
Scribendi mos in columnis, cippis, axibus. 760. *cavando literas.* 677
Scriptum, γραμματεῖον. 781

Scriptulum, duo oboli argentei. 242. *tertia pars drachmæ Atticæ, quarta denarii.* 248
Scriptura ἰδιόχειρον, ἰδιόγραφος, *chirographum, manus.* 391. 392
Scriptura menſæ. 473. 745
Scriptura tabularum omnis interna tantum. 454
Sculna, ſponſus, ſponſor, ſequeſter. 711
Sculptura, & ſcalptura. 676. 677
Sculptura laminæ pontificalis. 678
Se, *ſine.* 820
Secare, ſequi, ſectari, ſpem, viam. 830
Secta, habitus animorum. 830
Sectari, quid? 830
Sectator, ſector. 830. *ſectionis redemptor.* 727. 828. *uſq.* 831
Sectorum notores. 831
Sectio bonorũ damnati, & prædæ. 827. *uſque* 831
Sectio debitoris. 809. 810. 820. 822. 823. 824. 825. 827. 828. 832
Sectio, ſupplicii genus. 825
Sectio, pars libri, τόμος, βιβλίον. 401
Secundum, gratum, θυμῆρες. 732
Securitas, cautio manu ſcripta. 392. 393. *fiducia.* 604
Securitas creditoris. 486. 684. *quibus modis concilianda?* 387. *quotuplex?* 400. *utra magis idonea?* 738
Securitas hypothecarum. 495. 496. 497. 509. 539. 685. 686
Securitas minores uſuras parit. 579
Securitatum ordo. 686. 687. 688
Seing, le ſeing, *ſignum. abuſive, ſubſcriptio.* 438
Sellularii, θῆτες. 872
Sembella, libella dimidium. 244. 245. 246
Semis aſſis, ſembella. 244. *pro ſemas.* 252. ἥμισυ. 253. ἑξάς, *ſex unciæ.* 260
Semiſſis. 16. 17. 40. 46
Semiſſes, ſemiſſales uſuræ annuæ, τόκοι ἐπὶ τελείοις ὀβολοῖς κατὰ μῆνα. 231. 269. 270. 278. 279. 281. 288. 289. 375. 848. *centeſimæ medietas.* 272. ἡμιεκατοστιαῖος. 316. *ſollemnes uſuræ.* 279. 282. *privatorum.* 301
Semunciarium fœnus, ſemunciarii aſſes, ſemunciæ uſuræ. 97. 225. 226. 236. 237. 268. 289. 290. 291. *annuum,* τόκος ἐπὶ χαλκοῖς κατὰ μῆνα. 232
Senatoribus uſuræ quales interdictæ? 272. 273
Senatus, & princeps. 115
Sens, *ens.* 736
Sentia, *entia,* οὐσία. 736
Sententia, pro, auctoritate judicis. 655
Sententia ſua, periculi ſui. 672. 673
Septas, ſeptans, ſeptunx. 260
Septuaginta interpretum verſio. 318
Septunx, ἥμισυ δωδεκάτου. 253. *ſeptas, ſeptans.* 260
Septunces uſuræ. 277
Sepulcri violati actio, popularis. 123. 126
Sequeſter, ſculna, ſponſus, ſponſor. 711

Seque-

Sequeſtratio pignoris. 591
Serare, obſerare, ſignare. 455
Servanda rei gratia. 626.627
Serviana actio. 596
Servire, in ſervitute eſſe. 877
Servientes, addicti. 877
Servientes non ſervi. 890
Servitus, δουλικὴ ὑπηρεσία. 885
Servitus judicatorum, & addictorum. 821. 822. 826. 827
Servitus corporum obæratorum. 561.568
Servitus prædiorum, an pignori poſſit dari? 546.547
Servitutis auctoramẽtum. 867. 869.871.872.874
Servitutem paciſci. 859
Servitutem ſervire. 874
Servus, quis? 875.876
Servus manere, quis, in libertate morans, dicatur? 877
Servus, & addictus. 845.851. 870.179
Servi creditorum, qui interdum una cum debitore navigabant. factores. 304. 306. 309. κερμακόλουθος. 347
Servus mercatorũ, Catonis. 381
Servum, vel in ſervitute manere, &, in ſervitute operas dare. 867.871
Servum eſſe, & ſervire. 877
Servi manumiſſio. 882
Servi, & in noxam dediti, manumiſſio. 886.887
Servi dediti, & ſponte ſeſe ſua addicentes. 890
Servi, mancipia. 874
Servi non ſervientes, nec in ſervitute morãtes, quinam? 877
Servi ad tempus. 871. perpetui, ἀγώγιμοι. 876
Servi ſtigmatici. 636. inſcripti. 665
Servi in pignora. 732
Servi & ancillæ hodie apud nos. πελάται, θῆτες. 871.874
Servorum conditio. 822.827
Servorum, & liberorum conditio. 875
Servorum empticiorũ conditio. 868.869
Servorum & vinctorum diarium. 820
Servorum peculium. 862.868
Servorũ genera. 873.874.879
Servorũ vænalium tituli. 663. 665. & πινακίδια. 665.679
Ses, ſemiſſis. 18. dimidium aſſis. 252. ſees, ſeas, ſemis. 332
Ses, es, εἷς. 736
Sesalter, ſesſecundus, duo pedes cum dimidio. 332. διπλάσιος. 333
Sescuplares milites, ſescuplarii. 332
Sescupla uſura. 40. ἡμιολία. ſescuplex, ἡμιόλιον. 40.378. ἡμιολία. 315.323.329. uſq; 334.343
Sesquarti nomen. 252
Sesquas. 18. ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. 332
Sesquaſſarium fœnus, ſeſquicenteſima. 268. ſeſquaſſes uſuræ. 268
Seſque, ſeſqui; totum, vel as, qui ſubintelligitur, cum ſemiſſe. 332
Seſquialtera, qualis vox? 316. 331.332.333
Seſquialterum, ἡμιόλιον. 16.17
Seſqualtera uſura. 313
Seſquicẽteſimæ uſuræ. 152.173. 174. 276. 277.313. ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς. 210

Seſqui-

Seſquioctavus, pro octavuſque, vel octavuſqui. ἐπόγδοος. 335
Seſquiplum. 332
Seſquipondium. 332
Seſquitertius, ἐπίτριτος. 18. ficta vox, pro tertiuſqui, vel tertiuſque. 332.333.334
Seſecundus, ſeſalter, duo pedes cum dimidio. 332
Selk, *eſt.* 736
Seſtertii nomen, inde quia ſemiſſem tertium continet. 249. 252. valores diverſi. 268
Seſtertius, quarta denarii, ſcripulum. 248.249.284.285
Seſtertius nummus, grave as: 239. & argenteus. 240
Seſtertius pes. 332.333
Seſtertiæ uſuræ. 268
Seltis, *eſtis*, ἐστὶ. 736
Sex circiter in centum; denarius decimus ſextus. 53
Sexas, pro ſextante. 260
Sextans, pro ſexans. 261. ſexta pars aſſis. 252. 253. 256. 257. ἕκτος, ἕκτη. 253. 262. duæ unciæ. 231.260
Sextans, & ſextantale, ſextantarium fœnus, uſura ſextaria, non ἔφεκτος τόκος, ſed ſexta centeſima, vel unius aſſis, annua. 11.12.15.16.17. 33. 35. 45. 46. 225.231. 232.269. 288. ὀβολιαῖος τόκος. 586. ἐπωβελία. 233
Sextas, pro ſextans. 260
Sicilicon, Ↄ averſum. 309
Siclus didrachmus. 68
Siculi, Dores Italici. 241.243
Sidera navigantibus infeſta. 364
Sigillare, & ſignare. 440. 455. 456
Sigillaricius annulus. 456
Sigillum, ſignum. 448. 456. 648. ſignaculum. 445.447. 654
Sigillum ex cera. 439
Sigilla annulorum, σφραγῖδες. 677
Sigilla, & vexilla. 650
Sigillorum, ſignorum impreſſio. 647.648.649.650.654
Signare, veteribus, quid? 436. uſque 443.447.455.456
Signare, & ſigillare. 440.455. 456
Signare, & reſignare. 454.455
Signare, & ſubſcribere. 459. 460
Signare teſtamentum. 418
Signare annulo, obſignare. 396. 397.447
Signare manu, non obſignare, ſed ſcribere. 396.397.398
Signandi modus varius. 457
Signata loca, male pro iis quæ titulos vel tabellas impoſitas habent. 648
Signatæ domus. 651.652.654
Signata limina. 451
Signata teſtamenta. 454
Signata tabula. 457
Signata virgo. 455
Signatus, titulis affixis notatus, & inſignitus. 654
Signatores, quinam? 398. 399. teſtes. 460
Signatio veterum, & recentiorum. 441.442
Signaculum, ſigillũ. 445. 447. ſignum. 654
Signatura, & ſignum, an differant? 440
Signatura, ſubſignatura. 442. 445
Signatura omnis externa tantum.

tum. 458.460
Signefacere. 471
Signum, ἀρραβών. 584. chirographum ſubſcriptionis. 439
le ſeing, ſubſcriptio. 438
Signum, & ſigna, quid veteribus, & recentioribus? 443. 446.447.448
Signum, & ſignatura, an differant? 440
Signo quæ obſignari olim ſolita? 447. 448. 450. 451. 456. 469
Signo, imagine, obſignare. 452. 453
Signa, ſignacula, ſigilla. 445. 447.448.456.648.654
Signa turbata. 453
Signa, vexilla. 650
Signa ponere præceptis. 449.450
Signorum impreſſio, obſignatio. 647. 648. 649. 650. 654. 655
Siliqua in nummum, vel ſolidum, fœnus trientarium. 375
Siliqua una cum dimidia, ſemiſſes uſuræ. 375
Siliquæ tres in ſolidum aureum; centeſima. 368
Simplices fores, tabulæ. 421
Sine forma & figura progreſſus. 784
Simulata probitas. 479.483
Siſtendi vas. 698.699.702
Siſtendi cautio, vadimonium. 703
Societatis contractus, publicus. 470
Societas, bonæ fidei contractus. 686. κοινωνία, συνάλλαγμα. 521
Societas vitæ, quibus contineatur? 686
Socius, particeps lucri. 727
Socii mercatorum, non fœneratorum; futilis diſtinctio. 327
Solis res, quoque ἐνέχυρα. 489. pignora. 573. prædia. 685
Solidus, libra, as. 258
Solidus aureus, duarum drachmarũ. 258. aureus, viginti quatuor ſiliquæ. 368
Sollemnes uſuræ, ſemiſſes. 279. 282
Sollemnitas interrogationẽ præſupponit. 717
Solon cur varios eſſe reorum accuſandorum voluerit modos? 777.778
Solonis σεισάχθεια. 748.751. 789.791.792.871.874
Solonis & Draconis leges, ubi ſcriptæ? 766.768
Solutionis, & conſtituti, intervallum. 720
Solſtitium. 810
Sors cum uſuris comprehenſa, quas formulas habeat abuſivas? 336
Sors cum uſuris, ubi reddi ſolita? 343
Sors totius, & uſura centeſima, male confuſa. 232
Sortis appellatio; mina, as, centenarius. 270
Speciei nomine genus nunquam intelligitur. 420
Species, id eſt, fruges; & pecunia. 323
Spondere, quid? 705.708.710. 714. 715.716. 717. 718. 724. ἀντιφωνεῖν, intercedere. 726. & deſpondere. 712
Spondere, & reſpondere. 715
Spondere, & ſtipulari. 693
Spondere ſponſionem, ἐγγύην

ὁμο-

ὁμολογεῖν. 696.697
Spongia, & pumex; debitor facultatibus instructus, vel ſecus. 388
Sponſa, pacta, dicta, promiſſa, deſtinata, decreta. 716. 717. 718
Sponſalia, ſponſalicia arra, donatio ſponſalicia. 147. 148. 149
Sponſio, conventio voluntaria. 520. ἐπιάλλαγμα. 489. ἐγγύη, *qualis contractus? & cujus juris?* 686. 687. *promiſſio.* 694
Sponſio exhibitionis, vadimonii. 694
Sponſio in amiſſam hæreditatem. 742
Sponſio, & pignus. 688
Sponſionis uſus. 491
Sponſionem ſpondere, ἐγγύην ὁμολογεῖν. 696.697
Sponſiones ἐπίτδοι. 723
Sponſor, ſatiſdator. 692. *promiſſor.* 693
Sponſor vadis. 693
Sponſor, ſecundus auctor. 699
Sponſor. 702. 703. 704. 705. 707. 708. 710. 726. 727. 728. 734. 742
Sponſor in lite, ſponſor actionis. 692
Sponſor, pignus vivum. 688
Sponſoris exemplum antiquiſſimum. 714
Sponſus, ſponſor. 711
Sponſus, hujus ſponſus, ἐγγύη. 715
Stannum, pro argento cuſum. 247
Stater, didrachmum. 68
Stater Corinthius, λίτρα *Sicula, obolus Æginaus, decima pars drachma argentea Sicula.* 243
Statera, στατὴρ, *ponderandi inſtrumentum.* 235
Stellionatus crimen. 511. 587. 588. 599. *extraordinarium.* 113. *non legitimum.* 115
Stertinium acumen. 230
Stigmatici ſervi, inſcripti. ſtigmaticum prædium. 636. 665
Stipendii vocabulum. 238
Stipendiorum ſolutio in aſſibus. 240
Stipulari, & ſpondere. 693
Stipulatio commiſſa. 614. 615
Stipulatio inter præſentes. 724
Stipulatio in uſuris frugum & trajecticia nō neceſſaria. 343. 354
Stipulatio ſub conditione. 351
Stipulationis pactum quando neceſſarium, vel non? 354
Stipulationis verba ſollemnia. 716. 717. 735. 736
Stipulationem interponere, in ſtipulatum deducere. 623
Stipulatione in quibus mutuis non opus? 349
Stipulationes, contractus. 522
Stipulator, & adſtipulator. 710
Stipulatus, & rei uxoriæ actiones, in unam conflatæ à Iuſtiniano. 179
Strigare, quid? 294
Struices tabellarum, codex. 405. 409
Subcocio, arillator. 701
Subdicatio, pignoratio. 568
Sublimem rapere. 786
Submarius, Subnero; Marius, Nero ſecundus. 702
Sub pignoribus, ἐπ' ἐνεχύροις, *accipere mutuum.* 754
Sub-

Subprædes, prædum prædes. 701

Subſcribere, ὑποσημαίνεσθαι. 440.441

Subſcribere, & ſignare. 438. 439.459. 460. *& ſubſignare.* 436.437.438.439.441. 442

Subſcribere crimen, &, in crimen. 108

Subſcribere in crimen, γράφεσθαι. 772

Subſcribere dicam. 108

Subſcriptio, abuſive ſignum, le ſeing. 438

Subſignatio teſtis, chirographũ. 437

Subſcriptio, & epiſtola principis. 397

Subſcriptio & ſignatura. 442. 445

Subſcriptio, & ſubſignatio, an differant? 400

Subſcriptionis ὑποσήμανσις. 446

Subſcriptionem edere criminis. 108

Subſcudica fibula, κνώδαξ. 102

Subſignare, nomen ſuum adſcribere. 459. *ſubſcribere.* 397. 436. 437. 438. 441. 442. *ſupponere, hypothecæ dare.* 738

Subſignare, & ſignare. 441.442

Subſignatio, ὑπογραφή. 443

Subſignatio & ſubſcriptio, an differant? 440

Subſignatura, ſignatura. 442. 445

Subſtitutionis, & inſtitutionis codex unus. 468

Sub titulum ire. 663

Subvades, vadũ vades. 700.702

Sub vos placo, *vobis ſupplico.* 819

Succeſſiones ab inteſtato. 856

Suggeſtum artium ac majorum gentium profeſſorum. 116

Sulpicia horrea. 230

Summum, pro extremo. 462

Sum, εἰμί, *ſunt,* ἐντί. 736

Supellex, οἰκοσκευή. 84.85

Supellectilia pauperum non pignori capi, vel dari ſolita. 559.560

Superabundãtia, πλεονασμός. 319.322.324

Superflua tertia, quaterna circiter centeſimæ. 312

Supponere res, pignora. 499.501

Supponere, ſimpliciter obligare. 531

Supponi, opponi. 742

Suppoſita, oppoſita, pignora. 500

Supra ſcripta. 461.760

Suprasexta uſura Budæi. 158

Surculus, virga, baculus. 880

Surdi, qui nolunt audire, peſſimi. 388

Suſpendium ſpontaneum Menippi. 63

Suſpenſio velorum in proſcriptis bonis. 640. *cujus juris?* 641. 642.648.649

Sycophantæ multa. 782.784

Syngrapha, γραμματίδιον, γραμματεῖον, *Atticis tabula.* 422. 423.424. *chirographum.* 604

Syngrapha, & chirographum, quomodo reddi ſolita. 470. 471

Syngrapha trajectitia, συγγραφὴ ναυτική. 190.208

Syngrapha fœneraticia. 194

Syngrapha, uſuram præſupponit. 390

Syngrapha obſignatur. 434.435

Syngrapha obſignata teſtium ſignis.

gnis, & ſyngraphæ paricula. 399
Syngrapha ſcriptura, & datio. 392.393.394.395.398
Syngrapha & teſtamenti exemplaria. 418
Syngrapha, ſcriptura publica. 427
Syngrapharum, pro pignoribus ob moram ſolutionis capiendis, cautio. 594
Syngrapharum tabulæ. 472. 473.474
Syngraphæ inter & chirographa medium genus. 427.428. 429
Syracuſæ, urbs Siciliæ. 247
Syracuſanum, Siculum. 250

T.

Tabularius, tabellio, ſcriba, notarius publicus, γραμματεύς. 393.422.424. 441.443
Tabularii publici, γραμματογράφοι. 675
Tabulati, qui? 666
Tabulum, ἴκριον. 660
Tabula, pro ſyngrapha, & chirographo. 403. pro tabulis. 665
Tabula, cera. 459.460
Tabula ſignata. 457
Tabula, proſcriptionis, vel inſcriptionis. 665
Tabula prima, cera prima. 468
Tabula ſecunda, cera ſecunda, ſecunda codicis pars. 465. ima cera. 467.468
Tabulæ pars ultima, & tabularum pars ultima, quid differant? 467
Tabula caſus, alea. 351
Tabulæ, quid? 403. 404. 406. 407. chirographa, ſyngraphæ, codices, pugillares. 422.423. codex, & codicis partes, ſive ceræ. 465. 467. tabula, neutro genere, pergula, tabulata venalibus exponendis. 660. volumina. 415
Tabulæ auctionariæ. 679
Tabulæ authenticæ, & tabulæ exemplorum loco. 434
Tabulæ ceratæ, γραμματεῖα. 421.422
Tabulæ chirographi. 435
Tabulæ expenſi & accepti. 474
Tabulæ duplices. 467. triplices. 461. conternatio. 465
Tabulæ legatæ. 420
Tabulæ ligneæ, lignum chirographi. 423
Tabulæ obſignatæ, pacta conventa. 513. nuptiales. 514
Tabulæ proſcriptionum. 661. 679
Tabulæ teſtamenti. 415. 416. non libri. 419
Tabulæ, & tituli, uti differant? 657
Tabularum, γραμματείων, genera. 404.421
Tabularum omnis ſcriptura interna tantum. 454. ſignatura externa. 458.460
Tabularum obſignandarum modus. 445.446.448.543.454. 457. obſignatio; ſyngrapharum. 472.473.474
Tabularum pars ultima, non tabulæ; ultima tabula. 467
Tabularum ſtruices, codex. 405. 409.411
Tabularum domeſticarum fides. 473
Tabularum teſtamenti nomen, & ejus ratio. 420

Tabulas incidere. 452
Tabulis, teſtibuſque. 474
Tabella, πιττάκιον, pagina. 407. 415. 416. πλύξ. 421. titulus. 666. periculum. 672. 674. 675
Tabella lignea, σανίς. 464
Tabellæ inſcribere. 661. 662. 663
Tabellæ duplices. 460
Tabellæ, pagina, cera. 465. 467. πτυχαί. 421
Tabellæ prædiis impoſita. 637. cujus juris? 641. 642. 648. 650. σανίδες. 657
Tabellæ venalium ædium. 665
Tabellæ, titulorum adfixiones. 661. 678. 680
Tabellio, tabularius, publicus ſcriba, notarius, γραμματεύς. 393. 422. 424. 441. 443
Talentum ſexaginta minæ. 27. Siculum, Neapolitanum, Rheginum. 250
Tarbith, πλεονασμός. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 334. 336
Tarentini, coloni Lacedamoniorum. 241
Taurus, ſidus navigantibus infeſtum. 364
Tempora carpere. 881
Temporis ſucceſſio, communium uſurarum propria. 370
Tempus præſens, aliud à conſtituto. 720
Tenere perſonam, aut rem. 569
Teneri, quomodo de hypothecis, quæ non traduntur, & traditis dicatur pignoribus? 489. 494
Teneri, de ipſo debitore & fidejuſſore. 495
Terminalis, collimicius limitaneus. 770
Terminales lapides prædiorum. 636
Terminus, ὅρος. 770
Termini moti actio extraordinaria. 122. 123. 126
Tertians, tertia pars aſſis. 253. triens. 262
Tertiarius, ἐπίτριτος, mathematicis. 17
Tertiariæ, tertia uſura. 43. 45. 46
Tertia pars, pro, altera, abuſu Latinorum. 335. 336
Tertia ſuperflua, quaterna circiter centeſima. 312
Tertia centeſima, & tertia centeſima. 286
Tertius poſſeſſor hypothecæ, vel pignoris. 492. 540. 541. 542
Tertiuſque, tertiuſqui. totum, vel as, (qui ſubintelligitur,) cum triente. 332
Teruncius, quadrans. 245. 246. quarta libella. 259. 260
Teſſera frumentaria antiquariorum. 664
Teſtamentum, contractus publicus. 469
Teſtamentum inciſum. 452
Teſtamentum prius rumpitur à poſteriori. 436
Teſtamentum prius, prior teſtamenti pars. 467. 468
Teſtamenti pars ſuperior, & inferior: prior, & poſterior. 460. 461
Teſtamenti pars ſuperior, prima & ſuperior cera. 465. pagina, cera & pars inferior; ſecunda, noviſſima, ima, extrema, ultima tabula. 466. 467. 468

*Teſtamenti tabulæ.*415.416.*codices; non libri, volumina.* 419
Teſtamento ſervus & addictus liberati. 882
Teſtamentum ſignare. 418
Teſtamenta ſignata. 454
*Teſtamentorum ἀξιοπιστία, & obſignatio.*445.446.448. *& apertio.* 453.457.460
Teſtamentorum faciendorum & ordinandorum forma ex edicto prætoris. 846
Teſtatoris voluntas, dum vivit, occulta. 418
Teſtes vivi, & ſcripti. 471.472
Teſtibus, & tabulis. 474
Tetradrachmum, ſors uſurarum Græcarum. 47
Tetradrachmum Atticum, tres denarii Romanorum. 248
Tetrantes, diviſiones ii quatuor partes. 255
Theatrorum brevis architectura. 295
Tigillum, à tignum. 421.456
Tignorum cubilia, columbaria. 113
Titulus, inſcriptio. 666.667.668.669.670.672.674
Titulus inſcriptionis, & proſcriptionis. 663.665
Titulus tripictus crucis Dominicæ. 680
Titulo inſcribere. 661.662.663
Tituli, & tabulæ, ubi differant? 657
Tituli prædiis oppigneratis affixi. ὅροι. 503.508
Tituli rebus damnatorum impoſiti. 665
Tituli defectus, ſtellionatus. 589
Tituli fiſcales. 654
Tituli lapidei, & lignei. 680
Tituli librorum, elenchi. 670
Tituli literati, σανίδες, τίτλοι. 647.648.650
Tituli literati prædiorum. 636.637.638.641. *cujus juris?* 641.642.648.649.650
Tituli, titulati, in aures, ἔλεγχοι. 870
Tituli vanalium mancipiorum. 663.665.679. *& gladiatorum.* 664
Titulorum adfixiones. 639. *cujus juris?*641.642.648.669. *quid?*647.649.654. *tabellarum.* 657.661
Titulorum avulſio quando competat? 647.649.655.657.658.661
Titulorum prohibitorum in prædiis, pœna. 645.648.656.658
Toculliones. 560
Tocullionum μικρολογία. 61.65
Totum, as. 258
*Traditio corporalis rei immobilis.*510.511.*realis.*529.531
Traditio alteri nexu. 840
Traditio ſpecialis. 528
Traditio, & obligatio, de omni re. 545
Trahere ad judicem. 772.776
*Trajecticia pecunia.*77.79.185.192.196.310.*in fœnus commune abſque periculo.* 340
Trajecticia ſyngrapha. 190
Trajecticiæ fœnore dandæ modi. 348.355.358.359.366
Tranſactiones, contractus. 522
Tranſpoſitio verborum. 819
Tranſque dato, *tranſdito, tradito.* 819

Trape-

Trapezitæ etiam in ſuos ſunt liberales. 301
Trapezitarum mos fœnerandi. 59.66
Trecentorum corpus, Athenis. 171
Tremiſſis, triens. 18. *ficta vox.* 333
Tres, treſsis, tres aſſes. 252. *tres libræ.* 261
Treſſes uſuræ, terræ centeſima. 268
Trias, pro triente. 260
Tribunalia præſidum; & jus ordinarium. 116
Tribunorum plebis apud Romanos prenſionis jus. 773
Tricones, debitores vitio ſuo tardi. 388
Triens, τρίτη ἑκατοστῆς. 180. 181. *quatuor unciæ.* 231. *pro tertians, tertia pars aſsis,* τρίτον, τετρούγκιον. 252.253. 259. *uſque* 264
Triens centeſima, & trientale, trientarium fœnus, trientes uſuræ. 11.15.16.17.30.31. 33.43.44.45.46. 182.264. 269. 273. 277. 282. 286. 287.288. 347. 375. *uſuræ, annuæ; tertia centeſima, quæ eſt as,* μηνιαίοις. τόκος ἐπὶ δυσὶν ὀβολοῖς ἢ τριμηνιαίοις. 231
Trientes, & ἐπίτριτος τόκος *male confuſa.* 232
Trimundinum addictorũ, quid? 830
Triobolum, tres oboli. 263
Tripictus titulus crucis Dominicæ. 680
Triplices tabulæ. 204.421.461. *conternatio.* 456
Tripondium, tres aſſes. 268
Tripondiarium fœnus. 268
Triptycha, triplices tabellæ. 421
Triviales magiſtri; pedanei judices. 116
Tulband, tiara Perſica. 104
Turbata cera, ſigna. 453
Turpe factum, & ſtellionatus crimen. 511
Tutela, fidei bonæ contractus. 686
Tutulus, titulus. 666.670

V.

Vadari, quid? 694.700
Vadimonium, quid? 695. 696.697.698.702.703
Vadimonium deſerere. 695.698. 702. *differre.* 695.702. *facere.* 695.697.698.702. *obire.* 695.702. *promittere, præſtare.* 694.696
Vadium, pignus. 586.741. Wedde. 700
Vadum, βατόν. 692
Vadum, ſponſorum, etymon. 586
Vadum vades. 701
Vades, βεβαιωταί, ἐγγυηταί. 731. 734. *prædes,* ἔγγυοι, ἀνάδοχοι. 689. *ſponſores.* 703.704
Vadis ſponſor. 693
Vas, βάς. 692.694. ἐγγυητής. 702. ἀνάδοχος ἔγγυος. 721
Vas, & præs. 699.734
Vas mortis, vas ſiſtendi. 698. 699.702
Vas, ſecundus auctor. 699
Venalis Claudius. 6627.39.
Venalium rerum tituli & tabellæ. 665.679
Valvæ tantum δίθυροι 421
Vaſa, admobiliamenta. 84
Vectare, vexare. 788

Vectigalia Imperii ampliſſima. 857
Vela parva, vexilla. 650
Vela regia. 666
Velorum ſuſpenſio in bonis proſcriptis. 640. *cujus juris?* 641.642.648.649
Vendere tempora. 93
Vendere liberos. 884.885
Vendere ſe ipſum. 859.861.862. 883.884
Vendens ſe ipſum, &, patiens ſe vendi, ejuſdem conditionis. 868
Vendens ſe ipſum, & pignori dans ſe ipſum. 869
Vendita rei inempta pactio. 603
Venditio, auctio. 693. *conventio voluntaria.* 520. 521. *legis commiſſoria contractus.* 611. 612. *privatus contractus.* 470. *qualis contractus?* 686.687
Venditio conditionata. 599.604. *& obligatio pignoris.* 609. 611.612
Venditio fiduciaria, & communis. 598.599.602
Venditio, & nexus. 867
Venditionis confirmator. 728
Venditionis nomen ad pignori datos porrectum. 868
Venditor, auctor primus. 699. 728.733
Vendre à condition de reachapt. 599
Venire ad vadimonium. 695. 697. *ad conſtitutum, ſcilicet locum.* 720.721
Ventus, maris dominus. 204. 205
Vectigalium redemptores, conductores, τελῶναι. 206
Veritas quomodo eluceſcat? 632
Verſoriam capere. 297
Verſura architectorum in theatris. 294.295
Verſura, qualis mutuatio? 297
Verſura, pro uſura; mutuum fœnebre. 291.292. ϛροφὴ, καμπή. 293
Verſuram facere. 293.299.300
Verſus, & verſura, in ſcriptura, & agricultura. 293
Vertumnus, verſuræ deus. 293
Vertuntur res, emendo emendoque. 293
Veſtibulum, quid? 660
Veſtigia raſa. 464
Vexare, quid? 787.788
Vexillum, ἀῤῥαβών. 584
Vexilla, ſigna. 650
Vexum, & vectum. 787.788
Victoriatus, πεντάλιτρον, *Siculum, talentum Rheginũ.* 250
Vigeſima libertatum, & hæreditatum. 857
Vigeſimus denarius; ἐπικοστὸς τόκος, *quinque in centum.* 53.54
Viginti in centum; quintus denarius. ἐπίπεμπτος. 53.188. 225
Viginti in centum ac viginti, ἔφεκτος. 188. ἔφεκτος τόκος. 225
Villarum vocabula à conditoribus. 668
Vinciri in nervo. 813
Vinctorum, & ſervorum diarium. 820
Vinculum, pignus. 839
Vincula, πέδαι. 818
Vinculorum genera, noxiis vinciendis. 812.816.817.818
Vindicandi injuriam varios eſſe modos Solon cur voluerit? 777.778

Vin-

Vindicatio, vindicta ἡ προσαγωγὴ εἰς τὴν ἐλευθερίαν. 880
Vindiciarum lis. 742
Vindicta, virgula lictoris in libertatem ſervum vindicantis. 880.881
Violare puellam, an crimen publicum, vel privatum? 110
Vir litis mea, uſura mea. χρεωφειλέτης. 471
Virgo ſignata. 455
Virgula lictoris in libertatem ſervum vindicantis; vindicta. 880
Virtutis definitionem tantum ad cives pertinere, juxta Ariſtotelem. 873
Vis privata. 117
Vi aut clam ædificare, tabulas figere. 660
Vita militaris, & agricolarum; & utra rei publicæ utilior? 87
Vitæ ſocietas, quibus contineatur. 686
Vltima tabula, ultima tabularum pars, non tabula. 467
Vltimas defunctorum infringere voluntates, quomodo fiat capitale? 657
Vncia, drachma, centeſima pars minæ. 66.267. *pars aſſis duodecima.* 231.232.233.240. δωδέκατον. 253
Vncia, aureus. 245
Vncia argenti, octo ſcriptulorum ſeptem denarii, Romanis. 248
Vncia, & as, confuſa. 269
Vncia menſtrua in centum, eſt drachma menſtrua in minam. 230.231
Vnciæ nomen Siculum. 251
Vnciæ uſuræ. 269. 288. 289. *unciarũ fœnus Romanorum, centeſima Græcorum.* 11.50. 225. *nnnuũ;* τόκος ἐπὶ τέτταρσι χαλκοῖς κατὰ μνᾶν. 231. 264. 268. 269. 270. 271.288.289.290
Vndecemviri Athenienſiũ. 765. 773.774.776.782
Vndeviginti, viginti uno detracto. 251
Vnica, hæreditaria. 167
Vnitas, as, μονάς. 258
Volumen chartaceum, βιβλίον. 414
Volumen, & codex. 420
Volumina quæ? 405. 408.409. 412.413.414.415
Volumina, libelli ex charta. 461
Voluntarii contractus. 686.687
Voluntas teſtatoris, dum vivit, occulta. 418
Vota ſignare. 446
Vrbium nomina à conditoribus. 668
Vſucapio, pignoricapio. 568
Vſura, riba, 318. 319. 471. *ribith.* 321
Vſura, abſolute pro fœnore pecuniæ. 323. 325. 326. *merces locatæ pecuniæ.* 64.65. *an tantum in pecunia.* 314.331
Vſura, & lucrum. 326
Vſura, πλεονασμός. 320
Vſura maritima, nec annua, nec menſtrua; & quare? 370
Vſura uſuræ. 62.65.92.93
Vſura cum ſorte comprehenſa quas habeat formulas abuſivas? 336. *ubi reddi ſolita?* 343
Vſura nulla ſignificatur, ubi nulla ſyngrapha. 390
Vſura triplex, terna cẽteſima. 133

Vſuræ renovatio, ἀνατοκισμός. 92.93
Vſuræ Græcorum & Romanorum, à primis, & antiquiſſimis nummis, drachma argentea (menſtrua) & aſſe æreo (annuo,) denominatæ. 232
Vſuræ aſſes, ſemiſſes, unciæ, &c. non in ſingulari. 280.289
Vſuræ Græcorum, præcipue Athenienſium, quare Romanorum uſuris majores fuerint? 224.225.230
Vſuræ maxima minimaque Romanorum. 271.273.278. & *Græcorum.* 279. *maxima, ἐπίτριτος, Græcis.* 39.41.42.46.56.58. *minima, ἐπιδέκατος, Græcis.* 41.42.46.56.58.152.156.174.586. *minima Romanorum, an, & quando fuerint trientes?* 286.287. *Romanis quando in totum vetitæ?* 291
Vſuræ mediæ inter maximas minimaſque. 158
Vſuræ legitimæ, centeſimæ. 272.348
Vſuræ, etiam legitimæ, clericis interdictæ. 272.313.329
Vſuræ majores, unde? 691
Vſuræ communes, & nauticæ. 77.79.80.81.89. *periculo diſtinctæ, & ſolutione.* 185.196.189
Vſuræ menſtruæ, annuæ. 691
Vſuræ propter moram ampliatæ. 340.623
Vſuræ pecuniæ, & frugum. 313.320.323.324
Vſuræ frugum, & trajectitiæ, quare pares? 344
Vſuræ pecuniariæ ex frugibus, & vice verſa. 338.340.342
Vſuræ ſine conditione in ſtipulatum veniunt. 351
Vſurarum additamenta. 312.319. *genera & differentiæ.* 5.6. *enormium rationes excuſandarum.* 337.339.347.355. *modus apud Athenienſes & Romanos.* 188.226. *infinitum modum relinquit lex.* 185.380. *ob periculum.* 346.348. *reductiones, & redigendarum ad centeſimas ratio.* 367. *ſortes; mina, tetradrachmum, drachma, as: centum; quævis ſumma.* 47.51.53.54.229. *temperamentum ex rerum circumſtantiis.* 187
Vſuras frugum, & trajectitiæ, ſine ſtipulatione deberi. 343.354
Vſurpatio pignorum. 574
Vſus antichreſticus oppigneratæ rei. 867
Vſus in abuſu. 628
Vtenſilia pauperum à pignoris captione, vel datione libera. 559.560
Vtramque paginam facere. 461
Wedde, *vadium.* 700
Vulnerum actio, dica. 793
Vxoriæ rei actio, cujus juris? 177.178.179. *nomen deletum à Triboniano.* 179

Z.

Z*Aida, zeida, quid?* 318.319.320

FINIS.

ADDENDVM.

PAg. 151. l. 25. *poſt illa verba*, certum eſt, adde. Hinc illa in vetuſtiſſimo Codice Græco-Latino puerilium Exercitationum, quem mihi commodavit Celeberrimus medicinæ doctor Chriſtianus Rumpſius; Αἴσωπος ἐπερωτηθεὶς διὰ τί γυναῖκες ἄνδρασι προῖκα διδόασιν, καὶ οὐκ ἄνδρες γυναιξὶν, ἤρξατο τοιούτου μύθου. *Æſopus interrogatus quare mulieres viris dotem dant, & non viri mulieribus, incepit talem fabulam.* Ergo Æſopi ætate in terra Græcia viri non amplius dotem dabant mulieribus, ſicut factum Heroicis temporibus.

ERRATA.

Pag. 2. lin. 13. à fine. habeant. 9. 22. mutuari. 21. 17. Phaſelitis. 25. 14. vectigalibus. *l.* 22. πέντε μνᾶς, πλείων. 26. 27. φράτορας. *l.* 7. ὠδὲγ'. *l.* 9. auguror. 29. 14. centum & quinq. 39. *penult.* qui ἐπίτελος. 41. 10. ἡμίσεον. 42. 11. *à fine.* in ſummo gradu 5. leviſſima erat uſura. 48. 7. non prudenter tamen, nec ſcite. 50. 12. *à fine.* ſortis. 51. 2. non poteſt. 54. 1, 2. annuas vero drachmas duas. 54. 4. duos obolos. 55. 1. ἐπὶ ὀβολῷ. 57. 7. trapezitæ. *l.* 13. κοινὸς. 63. 12. *à fine.* Et expilatæ. 66. 5. quatriduum. 67. 12. *à fine.* quotidianam coqui. 68. 13. *à fine.* Siclo. 70. 12. *à fine.* nummi aurei, & denarii. 72. 10. περιβολαίων. *l.* 19. אהלים. *l.* 22. Subiit, cum hæc ſcr. 74. 20. διαποντίους τόκους. 78. 23. ut. 80. 13. aſſequuti ſunt. 82. 15. *in agris.* 83. 12. εἴπις χρεῶτο, ἄρεστα ἂν χρήσαιτο. 85. *ult.* agros. 88. 5. *à fine.* Satyrico. 93. 6. hunc daniſtam. *l.* 27. aliam. 94. 11. plures uſuras. *l.* 5. *à fine.* duplum reſtitueret. 95. 32. inquies, dicta. 96. *ult,* 97. 1. audeat νενομισμένα, proprie. 100. 14. *à fine.* è tabulis. 116. 7. ſententiarum. 123. 12. propoſuit centum aut. 126. 8. aut. 140. *penult.* dare ſolet. 141. 12. Περὶξ. *l.* 20. Quid enim dul. *l.* 22. μελίγματα. 144. 7. ἐν. 152. 14. ἐπὶ δραχμῇ. 156. 20. ſunt tria talenta. *l.* 24. τοίνυν ἔχει τις. 162. 5. *à fine.* δικαστηρίῳ. 174. 5. maxime. 186. 20. illi fit. 191. *antep.* παραγραφῇ. 213. 10. prehenſio. 214. 8. *à fine.* intra terras. 222. 20. λιθεργοκόποι. 223. *penult.* Epipharmus. 228. 4. *à fine.* quibus uſi ſunt. 242. 14. minutum nummum. 247. 18, 19. reducamus, ſexdecim oboli Attici cum duobus trientibus. 249. 6. *à fine.* de duabus λίτραις cum dimidia. 250. 16. ut tres denarii. 251. 8. *à fine.* ἄπιχθυς. 261. 7. *à fine.* duarum. 263. 13. *à fine.* Nos ſumus quattuor. 264. 11. *à fine.* Si, cum. *l.* 3. *à fine.* quarta trientis pars. 275. 4. triginta ſeptem. 276. 3. pagi. 277. 9. *à fine.* ἡμίσεον. 278. 18. ἐγγαίως. 281. 14. nummos ſexcentenos. Atque. 282. *ult.* διχίλιαι πεντακόσιαι. 283. 1. ſumma ſexies millies. 290. 4. contéptim. 295. 6. hoc obtinuit. 296. 23 verſis frontibus,

tibus. 303. *antep.* productum. 314.11. *à fine.* ἡμιόλιο. 14. Scaliger & Hotomannus. 339. *ult.* evenire. 346. 17. co.. muni. 349.20. mutuo danda. 356.4. *à fine.* Hanc navigationem ἀμφοτερόπλουν. 361.8. *à fine.* mutuatione. 371.11. cum uſurarum, tum ſortis. 373.1. obſtabunt. 375.2. aridorum liquidorumque. 388.8. exprompta. 389.1. pro ſe. 393.5. manu ſignatæ utrique. 401.9. diminutivum. 405.23. qui ex noſtrate. *l. penult.* Philoxeni. 492.11. *à fine.* propriæ. 497.13. hypothecaria. 502. *à fine.* mutuam accipere queat. 504. *penult.* ἐνεχύρῳ. 510.1. propria appell. 511.8. tradendo. 512.9. *à fine.* τῷ χρεώστῃ. 513.13. conventum. 514.20. ſcriptura. 516.4. *à fine.* purius, 522.13. συναλλάγματι. 531.9. Ita Iulianus. In Græco. 537.22. nulla re niſi ſono. 585.16. בערב. *l.* 18. ערב. 589.8. *à fine.* in curia. 590.6. δημοκρατίαν. 593.5. *à fine.* judicium. 594.3. pulviſculo. 596.19. fuiſſet debitoris. 602.16. Trebatii. 604.21. diſtinguit. 618.18. χρήστης. *l.* 21. nihil moror. 627. 10. denuntiationem. 632.7. reciproca. 640.18. vindicanda. 641.7. principis ſui rem agens. 647.22. σανίδας. 651.8. Marcellinum. 652.5. conciliabimus? 658.4. debeat. 667.2. *titulum vocavit.* 671. *antep.* πειρῶ. 677.1. βαθεῖαι. *l.* 3. notionis. 689.13. ἐγγύην τὴν. 700.12. Ἐργάσασθαί τινα. *l.* 22. in verbis Feneſtellæ. 709.11. πιστεύσαντα. 721.10. intellexit; an de tempore? 729.12. *à fine.* litigare cum eo. 731.13. *à fine.* contrahendis empt. 739.6. prædibus datis. 752.2. ἀποψηφισθέντες. 753.11. omnium calculo, jure. 754.16. ἐπὶ τῷ σώματι. 757. 15. tranſgreſſus. 764.17. damnato. 765.10. *à fine.* δέ τι; 765.6. *à fine.* δέ τι; 767.12. *à fine.* λέγει δέ τι; 768.11. *à fine.* lapideas. 775.13. *à fine.* ἀπαγωγαί. *l.* 18. *à fine.* habebant. 777.1 ἁλόντας. 778.12. *à fine.* Subſcribe. *l.* 15. *à fine.* At mille. 784.7. *à fine.* proceſſus. 788.13. Virgilianum. 793.13. *à fine.* Scholiaſte. 802.8. *à fine.* noxæ dediti, & propter. 808. *antep.* Vbi 814.23. vocatunt. 824 *antepenult.* trinundinum. 828.10. appellare proprie. 835.11. contra illam. 845.18. retinet. *l.* 8. *à fine.* in ſervitute fuiſſe. 848.22. fœnore locatæ pecuniæ. *l.* 8. *à fine.* conductione. 850.16. προσέχειν. 850.17. αὐτοῦ. 850. *ult.* mala fide. 851.4. Poetilii, & ſic porro. *l.* 11. diſpiciendum. 852.18. ante & poſt legem. 856.23. προσήκοντας. 857.9. *à fine.* modum vectigalium. 860.24. vænire. 866.11. ſolum patrem. 867. *antep.* erant quibus. 871.6,7. locant, ſunt ob. 874.6. propiores. *l.* 3. *à fine.* quam qui. 875.5. ſolitum. 877.15. in diſtinguendis addictis, ac ſervis. 878.24. *dele* eis. 880.9. ἐκ προσθέσεως. 890 *penult.* *poſt.* ſolverent, *adde*: Ac de his vinculis accipienda T. Livii verba, quæ ſupra citavimus ex libro XXIII. *Quique pecuniæ judicati in vinculis eſſent.* Id eſt, publicis. 891.13. ἐκστῆσαι.

Si quæ alia occurrent majoris aut minoris momenti errata, aut mea ipſius, aut operarum incuria effuſa, ea benignus Lector per ſe emendet ſimul & excuſet.

FINE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google